This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Digitized by Google

Digitized by Google

C.I. 2078/4
fascie. 12 vol.

<36614791870015

<36614791870015

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

Io. Dom. Ferretti inv. et del.

Carol. Gregori sculp.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS MEVRSI
OPERVM
VOLVMEN DECIMVM
EX RECENSIONE
IOANNIS LAMI

LVCVBRATIONES QVAE IN EO CONTINENTVR
SEQVENS PAGINA INDICAT.



FLORENTIAE CIↃ. IↃ. CC. LIII.
SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS TYPIS
APVD TARTINIVM ET FRANCHIVM
CVM ADPROBATIONE.

Digitized by Google

RERVM BELGICARVM LIBRI IV. IN QVIBVS FERDINANDI ALBANI SEXENNIVM, BELLI BELGICI PRINCIPIVM; ADDITVR QVINCTVS SEORSIM OLIM EXCVSVS, IN QVO INDVCIARVM HISTORIA, ET EIVSDEM BELLI FINIS.

RERVM BELGICARVM LIBER VNVS, IN QVO INDVCIARVM HISTORIA, ET ANNI NONI RELIQVA, *qualis ab Meurſio primum editus eſt: nam poſtea retractavit, atque iterum edidit.*

GVLIELMVS AVRIACVS SIVE DE REBVS, TOTO BELGIO, TAM AB EO QVAM EIVS TEMPORE, GESTIS AD EXCESSVM LVDOVICI REQVESENSI LIBRI X.

ATHENAE BATAVAE, SIVE DE VRBE LEIDENSI ET ACADEMIA VIRISQVE CLARIS, QVI VTRAMQVE INGENIO SVO, ATQVE SCRIPTIS, ILLVSTRARVNT, LIBRI II.

POEMATA, IN QVIBVS IAMBORVM MORALIVM LIBRI III. ELEGIARVM LIBER I. EPISTOLAE HEROIDVM VI. EPIGRAMMATVM LIBER I. VARIORVM FARRAGO.

MEDITATIONES CHRISTIANAE IN PSALMVM CXVI. ET TRES PRIORES PARTES CXIX.

IOANNIS MEVRSII FILII ARBORETVM SACRVM, SIVE DE ARBORVM, FRVTICVM, ET HERBARVM, CONSECRATIONE, PROPRIETATE, VSV, AC QVALITATE, LIBRI III.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Decimum Meurſianarum Commentationum Volumen prodit, quod Hiſtoriae, Poeſeos, & multigenae eruditionis, ſtudioſos delectet plurimum, & adlectet vehementer. Nam belli Belgici, quod Religionis cauſſa ſubſceptum eſt, & varia fortuna peractum, Hiſtoriam diligentiſſime conſcriptam, & quinque libris comprehenſam, exhibet, quorum quinctum duplici editione iteratum; ne curioſus Lector priori ſcriptione, & quidem perrara, fraudetur; nec varius utriuſque textus, in abſolutiſſima collectione deſideretur. Similem ex Hiſtorica narratione voluptatem capiendam obfert *Gulielmus Auriacus*, decem illi ſcilicet libri, quibus res, toto Belgio, tam ab *Auriaco*, quam eius tempore, geſtas, uſque ad *Ludov. Requeſenſii* exceſſum, accurate, diſtincteque, *Meurſius* exponit. Quam vero iucunditatem non adferat florida amoenaque *Athenarum Batavarum* deſcriptio, quae percelebris Academiae inſtitutionem refert, Viros litteris & eruditione conſpicuos, quae eam illuſtrarunt, recta ſerie recenſet, eorumque elogia contexit? Quum Hiſtoria litteraria ſemper iucundiſſima ſit, haec & propter ſtili nitorem, & propter narrationis ordinem, & propter rerum memoratarum utilitatem, omnibus gratiſſima in primis eſſe debet. Quod ſi ex tanta Hiſtoriae illuſtris amoenitate digreſſis floridiores adhuc & delicatiores blanditiae, & voluptates, adrident, ſuccedunt illi *Meurſii* Poemata, quae variorum argumentorum illecebra, & lepore muſeo, legentes oblectare mirabiliter poſſunt. Sed quia animum nimia fortaſſis voluptate iam diffluentem, planeque remiſſum, cohibere iterum & caſtigare oportet, ne fraenum tandem deſuetudine diuturna detrectet, *Meditationes Chriſtianae* occurrunt, quae cibo eum auſteriore paſcant, & manum intra pallium continere iubeant, divinis colloquiis ad virtutem excolendam excitantes, & ad coeleſtia bona concupiſcenda erigentes.

Has

Digitized by Google

Has quidem *Meditationes*, velim ſciat Lector; diu multumque, ſed fruſtra ſemper, a nobis fuiſſe quaeſitas; tandem vero liberali, & ſpontaneo, munere V. Cl. *Ioannis Stephani Bernardi*, Medici Amſtelaedamenſis, in noſtras manus perveniſſe; eumque pariter pro ſua humanitate lapidem omnem movere, quo & Panegyricum *Iacobo* I. Britanniae Regi a *Meurſio* dictum nobis acquirat: quod quidem commemorare debui, ut ſaltem hoc modo grati animi argumentum aliquod Viro de noſtra editione ob hoc ipſum optime merito praeberem. Quando autem feceſſus & ſolitudo meditabundos & iuvat, & adlicit, *Arboretum Sacrum Ioannis Meurſii* filii huc traduximus, ut in laetis atque opacis nemoris fortunati viretis eremum Lector nanciſcatur, in qua & felicitatem aeternam contempletur libere, & ſuperſtitioſam eruditionem ad veri Numinis cultum transferat religioſe, arbores, frutices, herbas, ſuo conditori conſecrans, & in earum natura, & qualitatibus, Dei ſapientiam infinitam ſubſpiciens. Licet enim hoc opus *Ioannis Meurſii* filii ſit, & non Patris, cuius tantum lucubrationes colligere ſubſceperam, tamen & nominis & generis cognatione arcte coniunctum cum hoc Auctorem omittere non debui, & eo magis, quo exilior rariorque eſt libellus. Si quando in hiſce commentationibus minus recte, & ὀρθοδόξως, *Meurſius* loquutus eſt, id in calce paginae adnotavi, Lectorem monens ut caveat, ne erroris, aut imperitiae, aut heterodoxiae, fluento ſe abripi mergique patiatur. Magnificam editionis elegantiam non eſt cur exaggerem, quum primo adſpectu Volumen evolventi ſe prodat, aperteque pateſcat.

RE-

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

RERVM BELGICARVM
LIBRI QVATVOR
IN QVIBVS
FERDINANDI ALBANI
SEXENNIVM, BELLI BELGICI PRINCIPIVM
ADDITVR
QVINTVS, SEORSIM ANTEA EXCVSVS, IN QVO INDVCIARVM HISTORIA; ET EIVSDEM BELLI FINIS.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS ORDINIBVS
HOLLANDIAE WESTFRISIAEQVE FORTVNAE
AC
LIBERTATIS BELGICI
FOEDERATI ADSERTORIBVS PROPVGNATORIBVSQVE
PRIMIS, PIIS, FELICIBVS, INVICTIS, HOC HISTORIAE MEAE MONVMENTVM QVALECVMQVE
IOANNES MEVRSIVS
DEDICO CONSECROQVE

ILLVSTRISSIMI DOMINI.

*Principia belli veſtri Belgici, quae literarum monumento conſecravi, Vobis obfero. Audeo dicere, victurum Opus; ob rerum illarum, quas complectitur, dignitatem. Numquam Fama loqui deſinet, quae Europa non contenta, etiam Aſiam Africamque pervagata eſt, & illic quoque nomen veſtrum inclitum reddidit. Igitur ut iſtius belli nullo tempore memoria unquam obliterabitur, ita erunt, qui legere illud, & principia ac cauſas ſcire, ſemper cupient. Vobis autem obferre viſum, quia debebam. Veſtra enim in hoc Opere invicta virtus commemoratur; veſtrum illud robur animi admirabile potiſſimam Hiſtoriae partem implet. Atque hic Poſteritas leget, Vos pro libertate publica, quam Philippus, ille Regum potentiſſimus, oppreſſum ibat, contra privilegia populi, contra fidem a ſe datam, maximo animo arma ſumſiſſe; nec praeclara audendi ſignum, quod ſecuti ſtatim Zelandi, primos tollere dubitaſſe. Scilicet ita olim etiam adverſus Romanos, quum indigna cogere vellent, Cl. Civili duce, opponere Voſmet auſi eſtis: & quos orbis univerſus extimeſcebat, qui contemnere auderetis, ſoli Vos ſane exſtitiſtis. Ex eo tempore tot iam ſeculis quaſi enervata virtus parum ab inertia aberat; certe ſic exiſtimabant Principes veſtri, qui quantumvis, per tot privilegia adſtricti, precarium tantum aliquo modo imperium habebant; nimia tamen mox potentia dubiam Vobis libertatem priſcam fecerant: Philippus vero etiam nullam facere voluit. Huc quum eum liberae poteſtatis cupido, proprius dominantium adfectus, incitaret, maieſtate ſua tanta indignum ratum, regnandi legem a ſubiecto populo accipere; pulcra occaſio viſa fuit, invadere tempus per diſſidia religionis turbulentum. Sed conſilium hoc contra cecidit, quam ſperarat: quippe veterem principatum, quem munire deſtinabat, magnam partem plane evertit. Itaque nunc provinciae ceterae, quae ſe iugo ſubduxerunt, Vobis libertatem debent; quam adſerere, niſi veſtro exemplo fortes, numquam ſane auſae eſſent; ac praeterea ſemel auſae non tueri ſe potuiſſent, niſi Vos protexiſſetis. Neque inficias ulla ibit, animam ſuam in veſtra verſari; & provinciam hanc, quam tenetis, Reip. foederatae cor eſſe. Quinimo illa ut libertatem, ita magnitudinem ſuam, ad quam hodie perveniſſe eam conſtat, magna ex parte Vobis debet. Quod Europa eius foedera paſſim complectitur, aeſtimatque, Aſia amicitiam colit, Africa etiam auxilium petiit, quae Invidia negare poſſit, veſtrum beneficium eſſe? In partem gloriae ceterae quidem provinciae veniunt, quae, pro viribus quaeque ſuis, ſtrenue etiam adiuverunt; verum tamen primas hic Vobis deberi, illae ipſae non invitae profitentur. Macti magnitudine iſta, ac fortuna (*ILLVSTRISSIMI DOMINI*) quam ſupremum Numen veneror uti Vobis ſempiternam, Vos autem communi Patriae, ac Reip. adeo univerſae, florentes atque incolumes ſervet. Lugduni Batavorum. Kal. Iul.* CIↃ IↃ CXIV.

RE-

Digitized by Google

RERVM BELGICARVM

LIBER PRIMVS.

EVROPAE pars non contemnenda Belgium noſtrum eſt; quod variis olim Principibus ſubditum, matrimoniis mox coniunctum, obtigit feliciſſimae per tria ſecula domui Auſtriacae, ſed quae ad fortunae culmen perveniſſe ſub Carolo V. videri poteſt. Ille, ſive aetate fractus, ſive regnandi, adverſante iam fortuna, etiam ſatur, quum exſuere potentiam vellet, dividere inſtituit: & Imperium, cuius ſucceſſio, ob dubia Septemvirorum ſtudia, minus certa videbatur, in fratrem ſuum Ferdinandum; Hiſpanias ceteraque item regna, Belgiumque, ceu certiſſimam hereditatem, in Philippum filium tranſtulit. Sed conſilii eius poſtea poenitentia ipſum inceſſit. Nam penitus quum attenderet, obnoxium magnitudini ſuae Imperium videbat, & arcana quadam neceſſitate obſtrictum ſibi Germaniae ſtatum, ne aliunde Caeſarem legeret, quam è ſua domo, cuius ipſe tunc temporis caput, & poſt eum futurus filius. Hoc ergo modo Philippum Principem Belgium accepit, & cum eo graviſſimas turbas, per quas ſub legatis pluribus varie adfectum. Cauſae erant, & mutata maiorum religio, & ad opprimendam iſtam imminuta privilegia. Quippe res illa animos populi, cetera placidos, neque temere moveri faciles, incitavit. Itaque initio, reverens principis, iniuriam ipſi repraeſentat, & vim item deprecatur, ſupplicatque, uti ne vexari ſeſe tam indigne, neve opprimi praeter ius aut fas permitteret. Verum ubi reiectis precibus, nihil omnino tyrannis remitteret, poſt ſpem exhauſtam profligata patientia iram accendit deſperatio; armaque ſumta, extrema vitae, ac publicae libertatis tutela. Arduum ſane id bellum fuit, & cui par, vix ſane dixerim, an priora ſecula viderint; nec fidem adeo habitura poſteritas erit; etiam quum in monumenta fide optima relatum leget. Ac profecto, ſi fateri verum volumus, quis aut arma animoſius intulit? aut conſtantius unquam pertulit? aut adverſa fortius excepit! Videte in Hannonia Montes; in Hollandia Harlemum, Alcmariam, Leidam, Oudevvatram, & Bommenedam; in Zelandia Zirizeam; in Brabantia Traiectum ad Moſam, & Antuerpiam; in Flandria Sluſam, & illam, quae exempla omnia ſuperat, Oſtendam. Omnes hae pro libertate fortia quaevis ſunt perpeſſae; & fecere etiam multae. Sed haec partium virtus fuit; nunc Rempublicam univerſam inſpiciamus. Romanum militem Veii x. Numantia XIV. Italia ſola Io. annos eſt remorata. Foederatorum vero arma nullae urbes ſemeſtre ultra ſubſtinuerunt, & VII. provinciarum libertas annis XXXIV. vindicata. Roma Africae, quod miſerat bellum, animoſe repoſuit, & Carthaginem exſtirpavit. Sic Hiſpaniae Foederati, Gadeſque diripiunt; nec hoc contenti, arma ſua ulterius navigare iubent, Indiaſque adeo ipſas petunt, Philippi aerarium; & Regem ante id tempus invictum, Europae univerſae terribilem, ad pacem obferendam impellunt. Sed rei initia proponamus.

QVum e Belgio diſcederet Philippus, Margaretam Parmenſem provinciis impoſuit, mulierem, rerum imperitam, ſed quae in adminiſtranda Rep. Antonii Perenotti Cardinalis Granuellani conſiliis uteretur. Obtinuerat id a rege homo ſolerter ambitioſus, ut penes ipſum, ſine invidia, rerum omnium ſumma eſſet; ſed dum immoderate potentiam habet, turbata valde quiete publica, & exaſperatis procerum ac populi animis, ut offenſae ſe ſubtraheret, in Sequanos abiit, moxque amota Parmenſis cum Ferdinando Alvareſio Albano praefecturam mutavit. Subdiſceſſum regis erat in limite miles Hiſpanus, quem removeri Ordines petebant, & rex promiſerat, ſed de inſtinctu Granuellani arbitratus, certum hic ſine illo principatum non fore, diu reſtitit; tandem, quum inſtare magis magiſque ordines videret, invitus acquievit; atque haec prima eius offenſa. Abſente rege, agitatum ut maiorum religio ſalva eſſet; eoque Inquiſitio requirebatur, & plures Epiſcopi. Hoc conſilium Belgii pacem, & Philippi in provinciis illis imperium, pene evertit. Magnam hic operam dedit Franciſcus Sonnius, Theologus Lovanienſis, qui Romam profectus Pontifici expoſuit, *quae Belgii magnitudo eſſet, quae populi frequentia, atque opes; in ſumma libertate magnam eſſe religionis negligentiam, unde haereticorum potiſſimum incrementum; cui occurri a ſede Romana neceſſario deberet*. Et orator non indiſertus in pietatis negotio facile cauſam obtinuit. Itaque quum Epiſcopi hactenus tantum quatuor eſſent, Cameracenſis, Atrebatenſis, Tornacenſis, & Vltraiectinus, augere numerum placuit, & quatuordecim alios adiicere, quorum electio ad regem, confirmatio ad Pontificem pertineret. His deſtinatae urbes maximae, Machlinia, Antuerpia, Silva ducis, Gandavum, Brugae, Ypera, Audomaropolis, Ruremunda, Daventria, Harlemum, Middelburgum, Leovardia, Groninga, ac Namurcum. Quin etiam III. archiepiſcopatus conſtituti; Vltraiectum, Cameracum, & Machlinia

nia; cum iniuria manifesta archiepiscoporum Colonienſis, ac Rhemenſis: nam ad illum Vltraiectum, ad istum Cameracum pertinebat Vltraiecto autem ſubiectae Daventria, Harlemum, Middelburgum, Leovardia, & Groninga: Cameraco Atrebatum, Audomaropolis, Tornacum, & Namurcum: Machliniae, Antuerpia, Silva ducis, Ruremunda, Gandavum, Brugae, & Ypera. Atque haec poſtrema, Granuellano adſignata, prima dignitate eſſet. Hinc populi querelae, & optimatum, collegiorum quoque, ac monaſteriorum; & pars privilegia libertatemque concuti, pars ſacerdotia in alios transferri, indignabantur; inde ſequitur capitale crimen, nobilium ſupplicatio; & veri praeludium, imaginarium bellum. Quamobrem quum, ingraveſcente tumultu, impar ſedando femina videretur, removere a Republica placuit. Ac quidem ſerio deliberat Philippus, conſiliumque Madriti primum, dein Segoviae etiam, habet, duplici conſultantium adfectu; *utrum venia, an vindicta uteretur*. Ruiſius Gomeſius Silva, Suareſius Figueroa Ferianus, & Bernardinus Freſneda, clementiam ſuadebant, ac *concedendam Belgis delicti poenitentiam*. Contra Ferdinandus Alvareſius Albanus, Spinoſa Cardinalis, & Inquiſitionis praeſes, *coerceri rebellionem, & in auctores animadverti* volebant. His Philippus rex accedit, & proximo vere bellum pronuntiat, exercitumque decernit, a ſe ducendum. Tenax illi offenſae animus; & occaſio videbatur, *obnoxia iam provinciarum libertate, munire principatum, per tot privilegia hactenus precarium*; itaque offenſam non ultra clam habet, & poenae initium a Montinio facit, ac Bergenſi, qui anno praeterito oratum miſſi ad mitiganda de Inquiſitione edicta, in hoc tempus dilati, in cuſtodiam adducuntur; ubi Bergenſis, iniuriae impatiens, moerore animi dubium, an veneno, deceſſit. Montinius poſtea extra Segoviam productus, ſecuri percutitur; vir magni animi, & adfectus in Remp. Bona utriuſque fiſco addicta, nec maiorum profuit religio, quam tuebantur; & Bergenſis, ut Regem placaret, per literas uxori mandaverat, quicumque pueri in ſua ditione a ſectariis luſtrati eſſent, hos ut denuo luſtrari iuberet; pro Montinio, quae adventabat, Philippi ſponſa, Anna Auſtriaca, deprecatura dicebatur; ſed illi ne gratiam hanc faceret invitus, maturato ſupplicio, interceſſionem excluſit. Iam Philippus in Belgium iturus de via deliberat. *Oceanum ingredi exiguo navigio, praeter dignitatem; cum magna claſſe, longi adparatus videbatur; & periculum in Hollandia aut Zelandia timebatur, ob Auriacum illic praeſidem, in turbatis provinciis fidei ſi non ambiguum, tamen ſubſpectum; per mediterraneum mare, longa via erat, & magnae impenſae; &, ut per Italiam iter non difficile, ita per Germaniam, propter Principes Proteſtantes, per quorum terras tranſeundum, non ſatis tutum*: quapropter per Sabaudiam, Burgundiam, ac Lotharingiam ire placuit. Haec brevior via, & periculo vacua, etſi non moleſtia: cui minuendae, quia, anno inclinante, per aſpera montium impeditus in Sabaudia tranſitus, a rege Galliarum petitus commeatus, ut ad forum Iulium copias exponere, ac per Provinciam, agrumque Lugdunenſem, ubi coelum clementius, traducere in Burgundiam liceret. Quumque is excuſaret, frequentes illic Proteſtantes eſſe, nec tutum ideo militum tranſitum; tandem decretum eſt, per Sabaudiam iter facere. Sed quia in ea commeatus inopia, ad ducem amicum, Philibertum Emanuelem, Ioannem Cunigam amandat, & Franciſcum Ibarram, ut venturo exercitui iſte tranſitum, hic annonam procuraret. Eadem de cauſa ad Lotharingiae ducem Antonius Mendoza mittitur, ac rata ſane legatio fuit. His peractis, quum in procinctu Rex ſtaret, alii, poteſtatis avidi, ſuadere *ne iret: caſtigandos eſſe Belgas, ipſum natura nimis benignum: inſuper, ſpectare poenas, principi indecorum*. Igitur mutare ſententiam Philippus, & legatum deſtinare, cum exercitu, ac plena poteſtate: inter haec diſpicit, cui negotium id committat: & hi Carolum filium ſuadent, cuius reverentia, ceu legitimi principis, facile Belgae ad obſequium redirent: alii Medinacoelium proponunt; alii Albanum, militiae clarum: cuius virtutem, coercendis perduellibus neceſſariam, magis extollere, qui remotum ab aula aemulum cupiebant: & obtinuit horum ſententia, indignante vehementer Carolo, qui benigne in Belgium adfectus, tranquillari illud, quam caſtigari, malebat. Mox evocatae Neapoli, Sicilia, Sardiniaque, legiones veteranae, & duplicatae leves armaturae, additaeque ex Hiſpanis turmis turmae duae, Lopeſii Sapatae, & Sanchii Avilae; equitum ſclopetariorum item II., Petri Montani, & Conſalvi Monteri; in Suevia, & comitatu Tirolenſi, Albericus Lodronius peditum Germanicorum habito delectu, ſigna XII., e militibus CCC. ſingula, conſcribit. Hoc adparatu, menſe Maio, anno CIↃ. IↃ. LXVII. cum filio utroque, Friderico, ac Ferdinando, Barcinone ſolvit Albanus; & febri pariter atque arthritidite correptus, curandae valetudini, Nicaeae cum IV. triremibus ſubſiſtit, ceteram claſſem Genuam praemittit. Inde ſubſequitur, viribus refectis; & ſeptimo die, quam diſceſſerat ex Hiſpania, Genuam adpellit. Ibi vexilla tironum ſelecta IV. veteranis miſcuit, in Belgium iturus; & Alexandriam profectus, Gabrielem Cuevam Alburquercium, Mediolanenſis ducatus praeſidem, obvium habuit. Mox ad Pontificem ablegat Mendozam, renovando conſilio, quod ſe auctore cum Regina ante biennium Baionae habitum; deinde, militem luſtraturus, Ambroſii fanum contendit. Id provinciae ſubalpinae eſt oppidum, prope montem Ceniſium, quo Ibarra advecta annona exercitum omnem convenire iuſſerat. Erant in eo ſub ſignis XLIX. peditum Hiſpanorum paullo minus novena CIↃ. quorum primi ductores, Alphonſus Vlloa, Iulianus Romerus, Sanchius Lodonius, & Conſalvus Braccamontius; & Vlloa quidem ſigna XIX. reliqui X. quiſque ducebant; his additi in fronte ſclopetarii maiores XV., ingens pugnae momentum, ut uſu compertum. Equites Hiſpa-

CIↃIↃ LXVII.

CIↃIↃ LXVII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVII. Hiſpani, Itali, Epirotae, in XII. turmis, CIↃCC. Luſtrato exercitu, & a morbo recreatus, Aſtam venit, atque inde Poerinum; ubi habito cum Sabaudo colloquio, Ambroſii fanum, quo militem praemiſerat, contendit; moxque Ceniſio monte, & Alpibus ſuperatis, Monflorium venit, in Burgundiae limite. Exercitum omnem trifariam diviſerat. Primum agmen ipſe ducebat; medium filius Ferdinandus; ultimum autem marchio Cetonae, Chiapinus Vitellius, vir belli egregius. In itinere magnae moleſtiae, per loca abrupta, & arduas convalles, quas Arva ſcindit, ſtreperum flumen, per confraga ſaxa in Iſaram illabens, ubi ponte iungitur. Ad haec alia quoque difficultas obiecta; quippe ſterili loco, ſine quiete continuanda diu itinera, militem fatigabant, fame moriturum, ſi eodem hoſpitio plus die egiſſet. Dum ita per Allobroges iter facit, vehementer ſibi timere Helvetii, maxime vicini Genevenſes, qui ad foederatos, pari metu conſternatos, auxilium oraturos mittunt; item in Heduos ad Condaeum, communi periculo ut arma capeſſeret, atque opem ferret. Sed hunc metum Albanus ipſe ſtatim exemit, quum, nuſquam moratus, in Belgium feſtinat. Dum in Burgundia eſt, adiunxere ſe copiis ſclopetarii c. cataphracti CCCC. a Philippo conſcribi iuſſi. Iis praeerant, comitatus praeſes Vergius, & nobilitatis principes, Chevereaulxius, Mommartinus, & Clarovallius. Monflorio digreſſus, duodecimo die Fontenaium adtigit, Lotharingiae oppidum, in limite poſitum; inde quum villam Theodonis veniſſet, in principatu Lutzemburgenſi, a Parmenſi miſſi Barlamontius, & Noircarmius, mandatorum a Rege exemplar petunt. Eo exhibito, quum tranquilla omnia in Belgio eſſe illi referrent, equitatum Germanicum, in limite praeſtolantem, auctoramento ſolvit. Obvium illic Egmondanum habet, qui dicis ergo adventum gratulatur. Hunc ut eminus venientem vidit, ad praeſentes converſus, clara voce; en haereticum, inquit, magnum! Audiebat elogium Egmondanus, animumque turbatum vix compoſuit, quum blande exceptus ambiguum dictum benigne interpretatur. Lodronii legionem Antuerpiam praemittit, & Belgarum XVI. ſigna urbe excedere iubet. Bruxellas, ſalutandae Parmenſi, Ibarram deſtinat; eumque ſubſequutus cum cetero milite XI. Kal. Septembris illuc venit. Ibi legionibus praeſidia diſtribuit. Sardoam Auguiano, Neapolitanam Gandavo, Langobardicam Lirae, Ferdinandum filium cum quammaximo equitatu Dieſtae imponit; ſolam Siculam ſibi reſervat, & per metatores hoſpitia adſignat; tum Parmenſem magno comitatu in palatio ſalutat, ac mandata Regis explicat; quibus illi & armorum ſumma, & religionis arbitrium, ius denique omne in magiſtratus vel caſtigandos, vel mutandos, praeterea vitae ac necis ſuprema poteſtas committebatur. Sola rerum civilium adminiſtratio Parmenſi relinquebatur; &, ne quid controverti poſſet, in dubiis negotiis, uni ipſi interpretandi ius dabatur. Poſt haec a Rege literas profert, quibus ſcribebat, iuſſa Albano etiam quaedam ſecreta dediſſe, in tempore revelanda. Haec quae eſſent quum interrogaret; renidens ille, oblitum ſe dicere; ſed mox, quum occaſio foret, in memoriam revocanda. Satis contemtim reſponſum videbatur, ſed prudens femina offenſam diſſimulat, tempuſque operitur, quo, commeatu impetrato, provincia decedat. Calumniae de ea apud Regem fuerant, *conniventia ſua, & lenitate, muliebri foviſſe turbas, ſeveriter compeſcendas*. Has abſentia refellere ſtatuebat, &, tam diſpari ſucceſſore ſaepius deſideranda, in meliore Belgarum adfectu ſolatium ponebat. Protinus iuſſa exſequitur Albanus, & anni ſuperioris libello pro Rege reſpondet; tum Caroli, & Philippi, de religione inquirenda edicta reponit; deque ordinum conventu ſpem conturbat; provinciis, quae Rex mandaſſet, per literas denuntiat; ſimul ad obſequium hortatur, pacemque, & veterem ſacrorum cultum; etiam diploma regium, auctoritatis firmamentum, typis vulgat. Arcanum mandatum erat, punire proceres fidei incertos. Hoc, quum Parmenſi ingratum ſciret, clam habere Philippus iuſſerat; & colloquio ſatis id compertum, quum adſeveraret, *ſi clementer haberentur, conſtantes obſequii omnes fore; experiundo didiciſſe, Belgarum ingenia impelli non poſſe; ſi blande agat, fide inter ſe certaturos; ſi vim intendat, pro libertate quidvis auſuros*. Sed ille inſtitutum nihilominus urget, ac urbano magiſtratui claves adimit, indignantibus, cunctis, minui ius ſuum, Gandavenſes, quibus plus animi, per Egmondanum, provinciae praeſidem, de iniuria conqueri auſi, reſponſum accipiunt; *continerent ſeſe: ipſum, quod Regi expediret conſulturum eſſe*. Ordinatis rebus de Inquiſitione edicta reſtituit; hinc Ordinum loco XII. viros rebus iudicandis inſtituit, qui ſub ipſo praeſide, imminuta curiarum auctoritate, & Senatus Belgici ſupremi, contra provinciarum privilegia, de perduellibus, ac turbatae religionis reis, cum plena poteſtate cognoſcerent. Huic Senatui deſtinati initio promiſcue provinciales, & extranei; Arenbergius, Barlamontius, ac Noircarmius; Hadrianus Marius, Gelriae cancellarius; Arteſiae praeſes, Ioannes Porta, Iacobus Heſſelius, Ioannes Vergas, Ludovicus Derlio, Belinus Bieſius, Ioannes Boſius, cognitor regius; & Iacobus Torraeus, qui ab actis eſſet. Albani vicem praeſidis partes Vergas ſubſtineret, propudium hominis, &, uti fama erat, ob vim illatam virgini propinquae, Hiſpania exſul; cuius ſaevitiam ipſi quoque Hiſpani teſtati, dignum Belgii carcinomate cultrum dicebant. Primo trimeſtri comparere ipſe Albanus, ac pro libidine ſolus ius dicere; ſenatui cetero tantum conſulendi poteſtas eſſe; eaque iniuria mox commeatum petere nonnulli; alii tyrannidem deteſtati, ſponte ſua emanere. Itaque ex XII. vix III. reperti, qui damnatorum ſententiis ſubſcriberent, Vergas, Delrio, ac Torraeus: tam inſigni omnium odio, ut hi TVRBARVM, illi SANGVINIS SENATVM adpellarent. Quumque principio decretum eſſet, non aliis litem intentare, quam nobilibus foe-

CIↃIↃ LXVII.

de-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVII. deratis, abſentibus, ac profugis, concionatoribus quoque, conſiſtorianis, quos vocabant, iconomachis, & perduellibus; alia his capita adiecerunt, quibus obnoxii quicumque tenerentur, ii Regis maieſtatem laeſiſſe, boniſque omnibus excidiſſe, iudicarentur: tam lata quidem interpretatione, ut nemo non crimini propinquus videretur. Hic Senatus, iſta auctoritate munitus, decreta Hiſpanica exſequi paullatim coepit. Auriacus, Egmondanus, Hornanus, Hochſtratenus, Bergenſis, & Montignius, animum Regis offenderant maxime; nec poena amplius differenda. Quamobrem negotium ſimulare Albanus, ac Bruxellas proceres evocare, de ſumma rerum conſulturus; conventum indicit ad v. Eid. Septembris in domo Culemburgica, quam, occupato a Parmenſi palatio, ipſe inſederat. Vbi conveniſſent, Senatum ignarum armis obſidet, & de arce Antuerpiae imponenda conſultans, quum diem exemiſſet, ſub veſperam demum conſilium dimittit. Inter exeundum, ut minore tumultu res gereretur, ſeorſim emiſſos, Egmondanum Sanchius Avila; Hornanum Hieronymus Salinas, comprehendit. Egmondanus, animi egregius, quum gladium ponere iuberetur, quo tam fortiter aliquoties pro Rege uſus, nequicquam ordinis ſui ius obteſtans, aegre diſcinxit. Hornanus autem, circumſtantes de eo percunctatus, quum nemo reſponderet, ſublatis coelum verſus oculis, alte ſubſpirans; *nimirum*, inquit, *aequum erat, ut cuius me conſiliis permiſi, eius quoque fortunam ſequerer*. Id vero, providus futuri Auriacus, in ſupremo Willebroci colloquio, vates nimium verus, eventurum utrique praedixerat quippe ominatus erat, ipſum Egmondanum pontis vicem futurum, per quem Hiſpanus, libertatem peſſum daturus, in Belgium tranſiret; ſed vir diligens retinendae dignitatis, & gravem ſine ea vitam habiturus, dum aliter ſalvam non fore exiſtimat, fato quodam in exitium trahitur. Captivis adpoſitus miles Hiſpanus. Re patrata, per Barlamontium, & Manſveldium, Parmenſi nuntiat, *hoc fuiſſe in Regis literis intellectu obſcurum, quod explicari tunc haud conſultum; factum, ut, ſi turbaretur, derivata in ſe invidia, ab odio populi, quem ipſi regendum Rex commiſerat, & periculo immunem praeſtaret*. Animum feminae, cum ingenio ſexus ſui, tum potentia imminuta, ſatis irritabilem, pupugit eiuſmodi excuſatio, qua illudens in dubium traheret tot rebus geſtis perſpectam fidem; &, provincia decedere iuſſae, tamquam adhuc gubernatrici, inſultaret. Nec his contenta Albani ira, ultra pergit. Moxque Ioannes Caſembrotius Backerſelius, ut conſiliorum, ita fortunae pars herilis, carceri mancipatur; & Lodronius Antonio Straleno, conſuli Antuerpiano, opibus ac gratia inter ſuos inſigni, in via Machlinienſi manum iniicit; bona in commentarium referri, aedeſque obſignari mandat. Praeter hos capti plures alii, loco & ſorte diſpares. Carolus Mansfeldius, qui cum foederatis principio fuerat, ſive exemplis territus, ſive innuenti clanculum patri obſequutus, ex aula ſe ſubtrahit, non tutum ratus, aut regis gratiam, aut praefecti ſeveriſſimi, amicitiam experiri, Hochſtratenum caſus ſervavit; nam in aulam quum proficiſceretur, Albani iuſſu conſilia collaturus, laeſo forte per viam crure, emanendi cauſam invenit. Ingens terror Belgas invaſit, utque innocentiam tutam haberent, hi trans mare in Britanniam, illi in finitimam Galliam, ac Germaniam, iſti ad urbes Anſiaticas paſſim diffugiunt. Captivos proceres ſub cuſtodia IIIclↃ. militum Gandavum mittit, in arce aſſervandos; iuſſo prius Egmondano teſſeram a praefecto repoſcere, & Alphonſo Vlloae tradere, qui cum praeſidio illic eſſet. Nobilitas reliqua, pars Vilvordiae, pars Bruxellis, in carcere habita: poſtea Antuerpiam veniens Albanus, in ſuburbio Kiliano, meridiem verſus, diruto muro, ac turre vetuſta, porta Cronenburgica, arcem ordinat, arduo opere, & impenſa quaterdecies centum clↃ. florenorum; e quibus cccc clↃ. Antuerpienſibus imperata, ex centeſima, viceſima, & decima recipienda. Praeponitur fabricae Paciottus, ſimili in Taurinis opere artis clarus; operae IIclↃ. laborem continuantes brevi tempore ad finem perducunt; propugnacula v. circumpoſita, ac priori Albanus a ſe DVCIS, ſecundo FERDINANDI, tertio TOLETANI, quarto ALBAE nomen imponit; quintum in artificis memoriam, PACIOTTVM vocat. Inde cum cccc. equitibus ipſe ingreſſus, opus inſpicit, ac praeſidium Gabrieli Serbellono mandat; tormentaque bellica urbi erepta illic collocat: magiſtratum denique lectos, & cetera praeſidio neceſſaria, curare iubet. In urbe cum legione Germanica Lodronium relinquit; eo facto Bruxellas repetit. Interim, commota denuo Gallia, Carolus rex auxilia ab Albano poſcebat, ex foedere debita, quod Baionae cum Regina clam contraxerat. Legatur fano Quinctini praefectus, cum tribus aliis e primaria nobilitate; nec irrita legatio fuit; quin Albanus, ceu rebus iam in Belgio pacatis, ipſum ſe ducem ultro offerre; ſed ſubſpectus Gallis tam obvius favor, & *in regni penetralia talem venire, exploratio verius, quam auxilium* putabatur; quamobrem gratiis actis reſpondent, *tutius alium copias auxiliares ducturum; ut enim ipſe adſit, & Belgium deſerat, neutri Regum expedire*. Tum Arenbergium deſignat cum equitibus clↃ lↃ. peditibus clↃ clↃ. Hiſpanis, ac Belgis, qui, declinandae Albani ſaevitiae, in militiam ſeſe dederant. Iam rebus in Belgio conſtitutis, adfuturus Philippus credebatur: ac initio ita ſtatuerat; ſed turbae in aula, ac regno, retinuerunt, Carolus filius, veluti rerum novarum ſtudio, in cuſtodiam datus, uxorque Elizabetha accita morte e vivis ſublata; tum in Baetica compeſcendi motus Maurorum. Albanus ubi comperiſſet, plurimos Belgas in Galliam profugos contra regem arma induiſſe, edicto eos, menſe Septembri promulgato, revocare conatur; moxque Octobri proximo iterat, vetans *quemquam patria excedere, aut extraneo principi militare; ſi qui negligerent, iis extremum crucis ſupplicium, & bona publicanda denuntiat*. In praeſentes paſſim ſaevitum, & brevi

CIↃIↃ LXVII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVII. & brevi tempore carnificis manu interfecti amplius clↃ IↃccc. Hac re, qui ultro ſolum verterant, ſe beatos exiſtimare; exiliumque, ac paupertatem, graviore aliorum miſeria, multo libentius tolerare. XIV. Kal. Ianuarias regius cognitor, Ioannes Boſius, publice in iudicium vocat Gulielmum Auriacum, Ludovicum Naſſovium, Antonium Lalanium Hochſtratenum, Gulielmum Bergenſem, Florentium Pallantium Gulemburgenſem, Henricum Brederodium, alioſque: intraque proximas VI. ſeptimanas adeſſe Bruxellis iubet. Auriaco beneficia commemorat, & honores a Carolo ac Philippo collatos; tum, obiecta ingratitudine, non uno crimine perduellionis reum agit. Hochſtrateni, & ceterorum eadem fere accuſatio. Parmenſis, impetrato commeatu, ordines Belgii ſcriptis V. Eid. Decembres literis valere iubet; *in regem fidem, in ipſos adfectum*, ſerio teſtata; ſimul hortatur, *uti maiorum religionem, & regis ſui cultum, porro conſtanter tuerentur. Animo angi ob biennii praeteriti turbas, quas tamen ipſa Dei gratia, & fideli ſubditorum opera, diſpoſitis per oppida obnoxia praeſidiis, compoſuiſſet; nec reſtare aliud quicquam, quam ut, malis poena compreſſis, Rex de ceteris pro arbitrio conſtitueret; huc conſilia ſua contuliſſe; ſperare autem, eam curam adhibiturum, qua priſcam felicitatem provinciis reduceret; optare item, quam coram illis poteſtatem accepiſſet, ibi quoque deponere poſſet; ſed mandato expreſſo prohiberi, & nolle regem, niſi ſe praeſente, conventum haberi*, Non multo poſt in Italiam diſcedit, proſequente aliquouſque Albano. Deſiderium ſui in animis Belgarum femina reliquit, potentiae prae ſucceſſore moderata. Rex provinciae bene adminiſtratae gratias agit, & aureorum tricena clↃ. atque annua vicena mercedem decernit; alii quadragena memorant. Captivi proceres, mox avecti, angere omnes, & exempla tam illuſtria nemini veniae ſpem permittere. Sabina Bavara, Egmondana uxor, adeo violento caſu conſternata, dato Nicolao Landae negotio, liberare virum cuſtodia nititur. Conatus irrita, *ſaltem ut aurei velleris equitem, aut Brabantiae terrae baronem, haberi* ſupplicat. Itaque pluribus libellis agit, *at collegis, pro ordinis iure, iudicandus permitteretur; id uſitatum ſemper fuiſſe, & Novocaſtello, Montagae, Romonio, Gruythuſio, Raveſteinio, Haultbordino, aliiſque factum: quos perduellionis itidem reos a principibus ſecundum ordinis ſui ſtatuta habitos; nec quemquam unquam aliter acceptum, niſi prius, de principis, & collegii ſententia, ordine motum; quo ſi excidiſſet, tum ei, per Brabantiae privilegia, Regis iuramento firmata, quae reum provincia exportari prohibent, dandum iudicem ordinarium*. Feminae principi, pro marito recte ſupplicanti diſtinctione ſuperba Albanus illuſit; & regem ſegregans, *pro Belgii domino, non velleris praeſide, de cauſa cogniturum* reſpondet. Porro Landam abſtinere iubet. Hic Sabina, de liburnicis paratis fama, metuens, ne e Brabantia pridem avectum mox quoque in Hiſpaniam transferrent, provinciae Ordines enixe orare, *darent operam, ne quid praeter ius faſque pateretur*. Illi rati tam aequa poſtulantem deſeri non oportere, apud Albanum intercedunt, *ne migraret leges populi, aut datam a rege fidem violaret*; iſque reſpondet, *ex aequo, & bono rem curaturum; nec in nomina tam illuſtria, fideique in regem & meritorum ante praeclara, temere quicquam commiſſurum*. Eadem adniti, cum Hornani matre, apud Caeſarem, Imperii principes, ceteroſque eius ordinis equites, in Hiſpania, Italia, Germania & alibi. Interim cuſtodia nihilo liberior; & IV. Eid. Novembris, iuſſu Albani, Vergas, Delrio, Pratiusque, Hornanum adeunt, ac reſponderi ſine exceptione ad interrogata poſtulant, ſi detrectet, ceu in contumacem actum iri. Ea res quatriduum exemit; dein anno clↃ IↃ LXVIII. ad diem IV. Eid. Ianuarii, coram Franciſco Monteſio, & Antonio Avila, LXIII. accuſationis capita Pratius tradit, quibus intra V. diem reſpondere deberet: Idem Egmondano factum. Auriacus, futuri prudens, Dillemburgum in Germaniam evaſerat. Hochſtratenus in Vbiis erat; uterque ſcripto crimen removent; *fidei ſemper in regem certos componendis turbis omnia tentaſſe; falſo in ipſos culpam verti, quam Inquiſitioni iure imputarent; illum Hiſpanorum aſtum eſſe, qui libidine dominandi antiqua regionum iura convellere adniſi, anſam quaererent ſumendis armis, & opprimendae per vim libertati; ideo creatos novos epiſcopos, & promulgatum Concilium Tridentinum, impulſore maxime Granvellano, qui Belgii procerum infeſtus hoſtis, proſapiae obſcurus, illuſtriſſimum quemque potentia ſupergreſſus, eaque ambitioſe uſus, rempubl. omnem pervertiſſet; non iudicium declinare, ſi idoneum, & ſecundum ordinis equeſtris ſtatuta, daretur*. Aliorum alibi, in eodem reatu, par reſponſum. Interim Auriaci filium invadunt, Philippum Buranum, miſſo Verga, qui Lovanio eum adduceret, ubi ſtudiorum cauſa agebat; nec vel aetatis innocentia, vel implorata a Rectore Academiae privilegia, vix tredecenni profuerunt. Paſſim etiam in vincula coniecti provinciarum, urbiumque, advocati, & ſyndici; omnes crudeliſſime habiti; inter ceteros Iacobus Endius, Hollandiae advocatus, ſaevienti Albano miſerrime obiectus; virum gratiae, & fidei inter ſuos inſignem: Boſſuvius, abſente Auriaco provinciae praeſes, ad coenam vocaverat, eaque finita abiturum, apud ſe detinuit; inde domum eius Sandium mittit, ipſi ab epiſtolis, unaque Gulielmum Berendrechtum, actuarii curiae adiuvam, qui ſcripta ſchediaque eius omnia in indicem referrent; tum noctu per praetorem, addita aliquot militum cuſtodia, Bruxellas captivum mittit. Illic, confectus moerore, anno poſt in carcere periit. Innocentiam viri Ordines tueri adniſi erant, Antuerpiamque, ubi tunc cum Senatu ſuo eſſe Albanus, miſerant e primaria nobilitate Aſſendelfium, ac Matheneſium, & aliquot primarum urbium conſules; addituſque Ioannes Treſlongus, vir forenſis eloqnentiae clarus, primuſque poſtea in ſupremo Hollandiae ſenatu praeſes; is acrius bonam cauſſam agebat; ac libera oratio pene exitium patro-

no

MDLXVIII. no attulit; nam totum diem in cubiculo domus adſervatus, nemine ad colloquium admiſſo, cum ſilentii iuramento vix dimittitur: tanto ceterorum metu ne prehenderentur, ut mutatis ſtatim hoſpitiis, re infecta, urbe excederent. Sub hoc tempus rex Philippus, de re Belgii animi incertus, ad Inquiſitores totam defert, ex eorum ſententia deinde acturus; iique XIV. Kal. Martias reſpondent: *Belgas omnes, cuiuſcumque ordinis aut loci, divinae pariter ac humanae maieſtatis reos eſſe; ſolos exciſi, qui in probationibus indicarentur; hos aperte Dei, eccleſiae, & regis ſui reverentiam exſuiſſe; illos, cum reprimere ſectas turbaſque debuiſſent, per initia exiguas, tolerando vires addidiſſe; eidem culpae nobilitatem affinem videri, quae, quietis publicae praetextu, populum per libellos ſupplices concitaſſet.* Ratum regi hoc conſilium; igitur per literas Iu. Kal. Albano imperat, ut in ſectarios, ac perduelles e S. Inquiſitionis praeſcripto quaeſtionem habeat; iſque, ne deinceps, quorumdam mollitie, in ſententiis ferendis fluctuaretur, abrupti rigoris iudices delegat; qui ex conſilii, quod SANGVINIS appellatum diximus, praecepto, de noxiorum poenis arbitrarentur. Horum licentia quum in innocentiſſimos quoſque graſſaretur, neque ſanctione tam laxa quiſquam omnino eximius haberetur, metuere ſane vehementer, qui dignitate, aut opibus praecellerent; nemo non ſuum periculum putare; & metum augere quotidiana miſerorum ſpectacula, gravia in praeſentes ſupplicia, bonaque abſentium publicata. Tam inclementi rigore paſſim plurimi patria exacti; parsque in Flandria occidentali Silvis ſeſe abdidere, unde facta manu erumpentes, in ſacerdotes monachoſque noctu irruunt. comprehenſis bona eripiunt, & ea, quam paſſi erant, immanitate, nares aureſque foede obtruncant. Quibus coercendis miſſus miles quum fruſtra eſſet, vicatim ruſticos Albanus ſui quemque cutionis curam gerere, ac bona erepta, a iudice aeſtimanda, reſtituere edicto iubet; deinceps vero pro vita eorum, ac facultatibus cavere, nullo privilegiorum obtentu. Auriacus, intellectis Albani conſiliis, tam inique ſe, ac filium divexari indignatus, apud Caeſarem, Electores, nec non reliquos Imperii principes de iniuria, ac vi conqueritur, & intercedi apud Philippum orat. At is literis & legato Caeſaris reſpondet: *rerum Belgicarum negotium Albano abs ſe creditum eſſe; huic ſe Auriacus ſiſteret, benigne audiendus.* Sed illum ſaevitiae fama deterruit; quamobrem ad Imperii proceres, & propinquos converſus offenſam iterum repraeſentat: *ſe defenſione prohiberi, boniſque everti; filium in Hiſpaniam abductum, conculcatis Brabantiae, & Academiae Lovanienſis privilegiis;* tum privatae iniuriae pubblicam addit: *anti quam Belgii libertatem oppreſſum iri; paſſim arcibus, luciſque munitis, Hiſpanos imponi, Belgii & Germaniae hoſtes; alibi arces novas fieri; infelices Belgas dum, tuendae libertati, Inquiſitionem avertere nituntur, in aerumnas graviores incidiſſe; nec Belgii tantum periculum verti, ſed illo ſubacto, in proximam ſolo & culpa Germaniam iram Hiſpani transferendam eſſe; itaque in communi cauſa operam conferrent, hominibuſque praeter fas oppreſſis auxilia decernerent multo maximum libertatis ſuae firmamentum.* Ea oratione flexi nonnulli, quos genus aut religio iungebat, militem promittunt; interim, innocentiae teſtandae, apologiam edit. Sub hoc tempus nobiles aliquot ſaevitiam Albani ulciſci ſtatuunt. Quadrageſima erat, & anni tempus pietatem ſuadebat; ad eamque exercendam Groenendalium, in nemore Sonio monaſterium proficiſci cogitabat. Id gnarum aliis occaſionem conſilio dedit. Riſoirius, & Carlous, e gente Vander-Notiâ fratres, duces ſe praebent. Carlous, ut periculum temporis evaderet, in monaſterium illud ſe abdiderat. Parati pedites circiter Io. equites pluminus Iocc. plerique in caſtello Ohanio occultati; & patrata res erat, niſi e militibus quidam inſidias prodidiſſet. Is Licquii pridem domeſticus ad ipſum defert, ille porro ad Albanum; qui propoſitum pietatis exercitium; quia non crederet, vix differre perſuadetur. E coniuratis unus, de cohorte Egmondani miles, quaeſtionem fortiter excepit, nec conſciorum quenquam prodidit. Ineunte quadrageſima eorum ſupplicia, qui concionibus interfuerant, Albanus deſtinat. Itaque paſſim per urbes ablegat, qui noctu oppreſſos in vincula abripiant; ſed plurimi, vel ſuo metu, vel monitu amicorum, mutatis locis periculum evaſere; & e praetoribus ipſis nonnulli, manifeſta mandati iniquitate, officium detrectabant. Inter alios Leidae Ioannes Berendrechtius erat. Adventabat in urbem Arnoldus Sasboutius, cives aliquot LXXX. comprehenſurus; ac perfeciſſet, niſi vir animi mitis, homines ſimplices, publicatis a Parmenſi literis, & regis clementia fretos, circumveniri indignum ratus, fugam monitis, aut latebras ſuaſiſſet; alibi tamen non ſine effectu imperium fuit; & oppreſſi multi non uno mortis genere perierunt. Vltraiectinis porro inſtat, ut Concilii Tridentini decreta recipiant; miſſique praeſes Machlinienſi, & decanus Bruxellenſis, cum loci Archiepiſcopo negotium adituri; ſed eccleſiaſticus ordo hic diſcrimen aliquod facere: *fidei quidem catholicae profeſſionem, errorum reformationem, caetera omnia libenter admittere: at quae de extraordinaria iuris dictione capita eſſent, & quaedam alia ambigui ſenſus, ea nullo modo poſſe; ante biennium factam eſſe a Parmenſi interpretationem; hac ſe uſuros;* Quumque urgeret Archiepiſcopus, deprecatum Bruxellas mittunt, quibus ſevere Albanus reſpondet: *omnino gerendum morem eſſe, idque ita regem velle; nam quae nuper a Parmenſi conceſſa dicerent, ea iniquam temporis conditionem extorſiſſe.* Ad reſponſum litteras addit; & archiepiſcopum mandata exſequi, clerum illico parere iubet. In Germania Auriacus amicos, & exercitum parare, cum foederatis clam conſilia ſua habere, & vix exſpectante Albano pluribus ſimul locis impreſſionem moliri; a profugis quoque in Anglia, Clivia, & alibi diſperſis, opem ac pecuniam rogare. Ludovico fratri, & Gulielmo Bergenſi affini mandata dare, providerent ne quid reſp.

de-

MDLXVIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVIII. detrimenti caperet. Theodorus Sonoius cum fiduciariis literis ad foederatos contendit, rogatum singulos, ut loco praescripto ad XIV. Kal. Maii adesse velint; & stitere se nonnulli; aliis ancipitis consilii eventum opperiri placuit, pro fortuna animum habituris. Dum haec fiunt, Ludovicus Nassovius apud Embdanos hoc agit, ut militem collectum navigio imponere illic liceret; sed illos, etsi faventes clanculum, palam difficiles Albani respectus reddidit. Est in propinquo Wedda castellum; hoc statuerat occupare, & inde in agrum Groningensem, reliquamque Frisiam, & Hollandiam Borealem copias mittere. Id consilium ubi per Embdanos impeditum, nihilo tamen segnius rem gerit, & confestim ad Westalienses Sonoium mittit, ipsis sponsoribus arma quam plurima paraturum; nec cessare Gulielmus Bergensis, qui, collecto passim milite, Crispinum Zeltbrugium in Gelriam mittit, agrumque Zutphaniensem; atque is Herenbergam capit, & praesidium a Megensi impositum expellit; sed festinato ab Albano auxilio, ne hostis, debellari per initia facilis, mora sese communiret, misso cum legione Longobardica Sanchio Lodonio, tueri locum non potuit. In Gugernis quoque copiae convenerant; iamque erant CIↃ CIↃ. sed sine armis: Haec cum incremento exspectabantur; sed in alieno solo temere securi praeter spem oppressi fuerunt. Conventum Albanus intellexerat, quem statim perturbandum ratus, Sanchium Lodonium cum V. signis legionis suae Namurcum proficisci iubet: eiusque copiis Sanchius Avila, Nicolaus Basta & Petrus Montanus, suas iungerent; ac Avila quidem stipatoribus praefectus, Basta equites Epirotas, Montanus sclopetarios ducebat. Hi via deflectere iussi, Traiectum Mosae iter faciunt; ibique viae fessi, quum se paullum recreassent, ex Eberstenii legione IV. Germanorum signa adsciscunt; cum his Ruremondam movent, ad Rurae, & Mosae confluentes, in Cliviae Gelriaeque finibus oppidum munitum. Id dolo pridem foederati, atque aperta vi aggressi frustra fuerant; itaque suburbio direpto, ac templo, retro cedentes, ponte tumultuario Rura transmisso, per Wassenburgum Herculenum versus viam habebant. Avila gnarus ubi agerent, cum equitatu propere insequitur, Lodonium cum peditatu subsequi iubet. Hic coacti pugnam capessere foederati, aciem ordinant: sed homines non bene armis instructi, & subito Hispanorum adventu consternati, cum magna clade pedem referunt, ac Dalemum vicinum se recipiunt; idque mox VII. Kal. Maii, auctis per Lodronium copiis, impetu facto expugnatur; capiuntur signa VII. trucidantur CIↃCC. Villerius & Dueus capti Bruxellas abducuntur; ex Hispanis vix XL. desiderati. Franciscus Verga, operae in eo conflictu egregius, vulneratur. Lodonius, re praeclare gesta, cum V. signis Ruremondam venit, ibique captivis aliquot laqueo gulam fregit; inde per pestem digressus, Venlonae ac Graviae militem imponit; signa alia V. Vilvorda & Tornaco missa, per vicina loca distribuit. Ad nuntium cladis, miles, qui circa Bergensem, dilabi; & Westalienses, metu perculsi, concessa prius viris IↃ. arma abnuere; eaque res irritum conatus Sonoium fecit; inde, cum rumor increbesceret, novas in Gelria copias cogi; Albani iussu profecti contra eos Megensis provinciae praeses, & Andreas Salazarius, arcis Panormitanae in Sicilia praefectus. Consalvus Braccamontius e sua legione signa VIII Silva ducis advocata, & reliquum Aldenardae praesidium adiungit. Caesar Avalus, marchionis Piscariae frater, cum tribus equitum turmis, ad Graviam itidem adesse iubetur; quam in Gelriae Cliviaeque collimitio positam mutato loco foederati cum occupassent, mox rursum metu obsidionis deseruerunt. Artesiae limitem ex Atrebatibus, Flandria, atque Anglia adiacente coactus miles infestabat, non obscuro Condaei consilio. Duces bello admodum clari, Cocavillius, Valens. & Amandus; id Albanus indignatus, per Philippi oratorem apud regem de vi expostulat; qui Condaeum per literas scitatus, an, pace constituta, talis militiae ipse Cocavillio auctor; cum is negaret, Cossaeum mittit, equitum tribunum, ut latrocinia coërceret; nec segnis ille cum Picardiae proximae praesidiis negotium suscipit; & Cocavillium ad Valerii fanum adsequitur. Erant sub signis eius pedites non plus IↃC. equites CC. hos cum duce in urbem compulsos obsidione cingit, & deiecto per tormenta muro, dum ruinam muniunt, admissis ex alia parte Cossaeanis, deserere stationem, & se in vicinas aedes recipere cogitur; ubi cum Amando ac Valente captus, Lutetiamque abductus, cum infelicis militiae sociis capitis damnatur. Inter haec plurimae Albano molestiae, ac sub nundinas Francofurtenses Fridericus Palatinus aureorum centum quinquaginta CIↃ. militum in Belgio stipendiis destinata, Manhemii detinet, ubi in Rhenum Nicer illabitur; ob id factum regis sui nomine conqueri Albanus, & mercatores Itali plures, commendatitiis ab Emanuele Sabaudo adiuti. Adlegare Palatinus, ante annos IX Imperii decretum, *ne qua pecunia Germania exportaretur, insuper fraudem vectigali factam*; tandem, Caesare etiam implorato, prius merces, mox pecunia quoque dimittitur; eam rem magna clades excepit. Ludovicus Nassovius, infelici initio, contra fortunam animum firmans, collectis copiis Friliae incumbit; in promtu ipsi equites pauci; pedites instar VII CIↃ. titulus armorum, *patriae, & conscientiarum libertas*: vexillaque inscripta, AVT RECVPERARE, AVT MORI. Weddam, Arenbergii arcem, situ, ac munitione peridoneam, per L. delectos capit; militem omnem Groningam convenire iusserat; illic, & vicinis locis, aliquot dies commoratus, Damum, Ommelandiae oppidulum, contendit: ubi copias iunxit frater Adolphus; inde, vocatis provinciae ordinibus, per Tiallingum Eissingam iureconsultum, arma, ac pecuniam postulat, subsidia belli, si benigne dare recusent, per vim impetranda; cum moram

CIↃIↃ LXVIII

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVIII. ram rogarent, & conſulendo Groesbequio tempus, qui per Arenbergii abſentiam pro praeſide eſſe, ut ſtudia obſtringeret, haud gravate indulſit. In metu erant, ne ſubſidiorum faciles, in provincia undique aperta, & praedae obnoxia, iram regis concitarent; iccirco conſulentibus reſponſum datur, ne quid temere paciſcerentur; at pecuniam in tam manifeſto diſcrimine, damno avertendo concederent: eo magis, quia impediendi nulla poteſtas; quippe paucis ante diebus Groesbequius Wittewerum, ad primum a Damo lapidem ſitum, cum cccc. feſtinanter profectus, militem necdum auctoratum, & inermem magna parte opprimi facilem arbitratus, omnia contra expertus fuerat. Interim Naſſovius, adlata pecunia, copias auctoravit; & per Groesbequium monitus Albanus, Arenbergium mittit, provinciae praeſidem, recens advenam, pace in Gallia conſtituta; addit Braccamontium, & Sardoam legionem, cum Germanorum IV. ſignis, ac ala equitum Curtii Martinengi; his accedere Carolus Brimeus Megenſis iuſſus, qui equites Hiſpanos & Epirotas cccc., pedites CIↃIↃ. ducebat. Arenbergius per Hollandiam iter maturat, & ſignis Belgarum V. advocatis, Groningam, inde Wittewerum contendit, VI. tormenta bellica minora ſecum trahens; vixque advenerat, cum Naſſovius, gnarus Megenſis abſentiam haud exiguum victoriae momentum, antequam iungeret, hoſtem invadit. Loco idoneo CIↃ. ſclopetarios diſpoſuerat, per quos acriter velitatum, donec nox inſecuta dirimeret; tum Weddam verſus caſtra movet; ac poſtridie fugam eum agitare ratus Hiſpanus, ne elaberetur, nulla ducis prudentia retineri potuit; tanto perſequendi ardore, ut in cunctantem convitia iacerent, ſectarium interdum dictitantes, & regi ſuo parum fidum; ille loci peritus, exſpectare Megenſem ſuadebat, vix diei itinere ſeparatum; cuius si vires ſuis adiungerent, ſine diſcrimine victoriam fore; ſed conſilii, quam animi meliorem impetus militis in praeceps abripuit; itaque inſequitur, praelii aleam experturus; cum Winſchotam veniſſet, proximum Damo pagum, eminus aciem bene ordinatam, & pugnare certam, prope Heiligerleum offendit; paribus utrinque animis pugna committitur; ſed Naſſovius explorato, penes Arenbergium vix ccc. Martinengi equites eſſe, Germanos c. adverſum mittit; ex inſidiis ſclopetarii cccc latus invadunt, atque diſſipatis ordinibus in fugam vertunt: multos praelium, plures loci paludes hauſere. Arenbergius fortiter pugnans glorioſe occubuit; & cum eo ex Hiſpanis viri illuſtres, Alvarus Oſorius, Ioannes Pereſius a Soto, Petrus Caprarius, ordinumque ductores VII. e gregariis CIↃ IↃC deſiderati. Qui evaſerant, Heiligerleum ſe recipiunt. Id in propinquo monaſterium, dum expugnatur, Adolphus Naſſovius, inter primos animoſe rem gerens, occiditur. Poſt eam cladem, direptis caſtris, ingens victori praeda ceſſit; & Arenbergio Heiligerslei, Adolpho Naſſovio Weddae funus factum. Illa ſtrages Groningenſium animos perculit; & magiſtratus, turbarum metu, in S. Walburgis aede arma ponere cives iubet; ac poſtridie Megenſis adeſt, cum Chiapino Vitellio, adducens equitum turmas V. peditum ſigna VIII. adhaec in urbe IV. erant, praeſidio relicta; itaque ſatis tuti iam oppidani videbantur. Naſſovius gnarus recentem hoſtium conſternationem egregiam rei gerendae occaſionem, ut victoria uteretur, non cunctanter copias Groningam ducit, & coenobio proximo militem immittit. Illic dum leviter interdum pugnatur, equo ſuffoſso, in extremum diſcrimen Martinengus venit. Megenſis ictu ſclopeti ſaucius, eo ex vulnere poſtea obiit. Quam cladem ulturi ſui, expugnato mox coenobio, praeſidium omne contrucidant. Arenbergii caede, & exercitus ſtrage, aſperior Albanus, ocius Namurcum Hiſpanos fere omnes, Traiectum Moſae CIↃ CIↃ. pedites, equites IↃ. proficiſci iubet. Maximiliano Hennino Boſſuvio, Hollandiae praeſidi, aliorum locorum tutelam mandat; inde ad poenas animum vertit, ob religionem Belgio profugos edicto revocat, ac non redeuntes, graviorum metu, perpetuo exſilio, bonaque eorum fiſco addicit, quumque novos motus audiret, & quotidie maiores timeret, ne qui porro quicquam auderent, ſupplicitis deterrere animum induxit. Igitur extremo Maio, Gulielmo Auriaco, Ludovico Naſſovio, Antonio Lalanio Hochſtrateno, Florentio Pallantio Culemburgenſi, Gulielmo Bergenſi, & Henrico Brederodio, qui citati non adeſſent, exſilium indicit; & Bruxellis dirutas aedes Culemburgenſis ſolo aequat: nam illic congregati proceres, de libertate defendenda conſilia ceperant, & libellum porrecturi Parmenſi inde proceſſerant. Igitur poenam meruiſſe viſae, in area columna ingens marmorea poſita, quae quadruplici inſcriptione facti cauſam teſtaretur. Haec poſt annos aliquot comminuta, tam manifeſto Albani odio, ut abducta quiſque fruſta, aliquod praeclarae operae teſtimonium, obſtentaret. Kal. Iuniis in captivos gladium expedit, eoque Bruxellis percuſſi XVIII. e primaria nobilitate viri, Gisbertus & Theodorus Batemburgici, fratres; Petrus Andelotus, Philippus Wingelenus, Maximilianus Cocus, Philippus Trieſtius, Ioannes Bloiſius Treſlongus, Bartholomaeus Vallaeus, Arturus Batſonus, Harmannus Galama, Siffridus Beiema, Iacobus Ilpendamus, Firminus Peletarius, Conſtantinus Bruxellus, Ioannes Rumaltius, Ludovicus Carlerius, Petrus Waterlezius Altzius, & Philippus frater; atque ex his Batenburgicus uterque, Andelotus, & Cocus, qui generis dignitate ceteros antecellerent, extra portam Scarenbergenſem, contra hierocomii ſacellum, ſine loculis bini tumulati; reliquorum corpora palis fixa, & ſubſpenſa ſupra capita, quum producerentur, ne vel iuſta querela, vel generoſo adloquio, ſpectantis populi miſericordiam, aut virtutem, atque Albani odium excitarent, pulſata magno ſtrepitu tympana audiri quenquam prohibebant; intermiſſa, ſi quis ſilentium, aut fidem maiorum polliceretur; denique, turbis inhibendis

CIↃIↃ LXVIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVIII. dis, circumpoſita morientibus Hiſpanorum ſigna IX. Poſtridie eo ipſo in loco ſimili ſupplicio adfecti Villerius, & Dueus, infelici ad Dalemum pugna capti. Praetor etiam Anguiani, Quinctinus Benedictus, ac Cornelius Menius, eloquentiae in concionibus clarae. Tot nobilium mortes proceribus praeluſere. III. Non. Egmundanus Hornanuſque curru Gandavo advehuntur, illuc antea, ſub diverſa cuſtodia, in carcerem miſſi; captivos equitum turma I. peditum ſigna X. ducebant. In advectos ſententia mortis poſtridie fertur; crimen utrique par intentatum: *fidei ſuae negligentes interturbaſſe, cum Auriaco, ac ceteris proceribus, foederi ſubſcripſiſſe; libertatis tutandae praetextu S. Inquiſitioni reſtitiſſe, nobilitatis ſeditioſae patronos fuiſſe: provinciam non recte adminiſtraſſe; audaciamque ſectariorum, magno religionis Catholicae detrimento, impie diſſimulaſſe.* Cauſa exitii maturandi, odium maxime in Egmundanum, ut dignitate & meritis parem, ita gravem; tum quia nutantem clade nupera Friſiam confirmare, armiſque Naſſovii omnibus copiis quamprimum occurrere oporteret. Inde metus, ne oppreſſa per vim provincia, abducto milite, per abſentiam tumultuaretur, & effracto carcere tantis belli ducibus uteretur, quamobrem illis ſublatis, tum ſe ſecurum, ac ceteris omnibus terribilem fore. Venire in urbem iuſſus erat Martinus Riethovius, Iprenſis Epiſcopus, iſque audita Albani ſententia, quum ſupplex deprecari vellet, indignanter reiectus, mortem Egmundano nuntiare iubetur. Igitur invitus, fruſtra tentata clementia, ſub noctem mediam tam triſte nuntium captivo defert; qui initio attonitus, interrogare, *an nulla gratiae ſpes reſtaret*; quum negaret Riethovius, operamque nequicquam impenſam referret; *ideo veniſſe, ut morituro extremum pietatis officium praeſtaret; ergo*, inquit, *gratias Deo, & Albano, quod eiuſmodi mortis conciliator mihi obtigerit*. Tum animum obfirmans; *atqui nec iam me nocentem putabam, aut tantopere offenſum regem; cui quando ita videtur, unum oro, ut, me vita & bonis exſuto, iram finiat: uxorem autem, & innoxiam liberorum aetatem, miſeretur*: inde ad Regem, & Albanum literas ſcribit, enixe petens, *pro meritis omnibus, ut innocentiae ſuorum parceretur; ſe in regem fidei certum, & obſequii ſemper vixiſſe; quicquid contra factum videretur, id a neceſſitate expreſſum; virtutem ſatis olim probaſſe, a qua ſi nuper aliquantum deflexiſſet, iniuriam temporis, non malitiam ſuam fuiſſe; quando tamen ita exiſtimaret, mortis legem patienter accipere; idque extremum egregiae voluntatis teſtimonium haberet*. Quum ſcripſiſſet, obſignatas Riethovio tradidit, additis precibus, ut recte curaret; quod ille non gravate recepit; inde conſilium petenti, quod mox in pegmate ſequeretur, idem ſuadet, ſermone ad populum abſtinere; neque enim a multis intellectum iri, ob frequentiam circumſtantium Hiſpanorum: & verendum eſſe, ne quis verba non bene excepta male interpretaretur. Inter has curas noctem egit. Poſtero die, qui pervigilium Pentecoſtes, a Iuliano Romero, & Franciſco Salina, ad ſupplicium producitur. Euntem comitabatur is, quem dixi, Martinus Riethovius, pio adloquio ſolaturus. Erat in foro exſtructum pegma, iniecto nigro panno velatum; & in eo puluilli ſerici nigri II. & ſpicula totidem; item abacus, in quo poſita crux argentea; ſubter quaeſitor Spellaeus, cum lictore, quem fama erat a pedibus fuiſſe; circum XIX. Hiſpanorum ſigna ſtabant, ne quid populus benignior turbaret; adhaec III. alibi diſpoſita; unum omnes urbis plateas, reliqua II. palatium ſervabant. Sub meridiem in pegma adſcendens, & inambulans paululum, *utinam*, inquit, *pro Rege meo, & rep. mortem hanc oppetere liceret*: Tum Romero interrogato, an ſpes nulla gratiae eſſet; quum is negaret, dentibus frendens, proiecto in terram indignanter pallio togaque, poſt pauca cum Riethovio verba, in genua procumbit, crucemque argenteam, quae in manibus, ſubinde veneratus, fortiter lictorem excipit. Abſciſſo capite, pannus trunco, & effuſo ſanguini, iniicitur. Tum productus item Hornanus, multiplicem Dei offenſam faſſus, ac bene adſtanti coronae precatus, quum in Regem peccaſſe, quo rogabatur modo, conſtanter negaret, in puluillum ſubiectum itidem inclinatus, gladio percutitur. Capita utriuſque, per horas II. ſpiculis impacta, triſte populo ſpectaculum praebuerunt; tum loculis plumbeis condere corpora miniſtris permiſſum: & ſolemni pompa illud ad Clarae, hoc ad Gudelae, fanum deponitur. Poſtea Sottegemum, ſuum in Flandria oppidum, Egmondani; Campiniam Brabantiae Hornani avehitur. Vidit ſupplicia haec, uti fertur, capto loci alicuius ſecreto, Mondolcetus, qui tunc regis Galliarum negotia illic procurabat; & Regi illico nuntium miſit: *eius ſe ſpectaſſe necem, cuius virtute bis concuſſa Gallia univerſa contremuiſſet*; nimirum clades innuebat, prius ad Quintini fanum, inde ad Grevelingam acceptas. Inſignia luctus, more in Magnatum funeribus uſitato, proforibus aulae domeſtici ſtatuerant; ſed ea Albani iuſſu amota, nec miſeris palam lugere licuit. Ingenti moerore perfuſa civitas, & plerique deteſtari abruptum rigorem; omnes infelicem procerum ſortem commiſerari; quinnonnulli tincta effuſo ſanguine ſudaria, odii & vindictae olim irritamentum, adſervare; maxime omnium dolere miles ereptum ſibi Egmondanum, virum animi excellentem, & clariſſimum belli ducem; quin & populi pars magna, ad occiſi loculum effuſa, dum in Clarae fano eſſet, cum lacrimis oſcula certatim dabat. Interim in Friſia gnavus operae Ludovicus Naſſovius, in diesque fama victoriae auctae copiae; iamque cum equitatu Germanico Iuſtus Schouwenburgicus acceſſerat; quo rerum ſtatu Groningani Ioachimum Panſerum legere ſignum ſubſidiarium iubent: ſed id mox Bartholemaeus Enteſius Hareni oppreſſum noctu adgreſſus, captis plurimis, aut interfectis, diſſipavit. In Germania ab Auriaco, & Hochſtrateno, item laboratum; ſed iis varia impedimenta; & Sonoius, Ioanne Baſio ac Reinero Cantio adiutanti-

CIↃIↃ LXVIII.

CIↃIↃ LXVIII. tantibus, etsi via ab Erico Brunsvicensi obsessa, Nassovii ad Groningam copiis clo ccc. sclopos curat. Inde Franciscum quoque Bosshusium, qui cum VIII. navibus in Amasia flumine commeatum prohibebat, in fugam propellit. Dum haec fiunt, ne mora Nassovius robur contraheret, Albanus ipse in Frisiam proficisci statuit, ac Chiapinum Vitellium cum X cohortibus praemittit, praelio abstinere iussum; addit Germanos clo Io. qui sub Erico Brunsvicensi Daventriam convenerant; & VI. alias duce Roblesio: item militem ab Hiergio lectum; mox ipse sequuturus Hispanorum XVII. signa legionis Neapolitanae Gandavo advocat, relictis tantum arcis praesidio II. vexillis; alia XX. e Sicula, & Longobardica, Bruxellis ac Traiecto Mosae Silvam ducis ire iubet; & Noircarmius, accepta levis armaturae praefectura, equites clo. in Burgundia pararet. Croius, ac Blondus, curato Valentinianis praesidio, in Hannonia & Atrebatibus peditem recenserent. Creilonerius Machlinia, ubi publicum provinciarum armamentarium, tormenta bellica XVII. submitteret; inde Silvam ducis iturus, eo consiliarios omnes, de Frisiae auxiliis consilia daturos, adesse iubet; nam quamvis huius belli gloriam sibi destinaret, tamen, ceu varie impeditus, quo minus ire ipsi liceret, voluntatem dissimulabat; ut vel vano rumore negligentiorem hostem, ceu abfuturo ab exercitu imperatore, facilius vinceret: vel, ut per adversa rerum apud regem maius operae pretium faceret. Itaque Bruxellis V. Kal Quinctiles profectus, quum postridie Antuerpiam venisset, VI. urbi signa ex Lodronii legione, arci II. sub Serbellono imponit; inde Silvam cum universa manu contendit. Hic quum nuntium accepisset, de expugnata per Bergensem Herenberga, Lodonium mittit; isque cum equitum Epirotarum ala I. & cataphractis L. ac machinis V. profectus, locum a praesidiariis desertum recipit; tum Ibarram Daventriam ire iubet, curandae annonae, & navigiis conquirendis, ad transmittendum peditatum, qui Isela, Mosa, Vahali, & Rheno distinebatur; Quae res, etsi auctis aquis imbrium frequentia, feliciter festinata. Igitur tandem Daventriam venit, obvio equitum ccc. Germanicorum ductore, Ioanne Bernardo. Ibi Lopesio Acunae mandat, ex Hispanico levis armaturae equite alam conscriberet. Baptista Montanus, Aurelius Panormitanus, & Georgius Macucas, tantundem facerent ex Italis, atque Epirotis, qui pridem in Gallia exauctorati. Postridie Coverdiam movet, inde Groningam; apud Coverdiam eum Vitellius, cum equitatu Brumsvicano excepit; & mox in itinere Megensis. Groningam advenit pridie Id. Quinctiles; cum Priore Melitensi. Id gnarus Nassovius Gemingam versus, ad Amasiam flumen, castra movet, locum metatus aduehendo e Frisia Orientali commeatui satis opportunum. Illic opperiri hostem certus, aditus omnes propere munit: ac parte ab una fossa ingenti, ab altera se Amasia tuebatur; & in via passim emissaria pontesque disiecerat, ut impeditior hostis sequeretur. Interim cum navibus captis Delfsiliam Sonoius adpellit; & intellecto, Groninga digressum Nassovium ad Gemingam castra posuisse, quum Cnocum venisset, non procul Embda; neque maiores naves flumen ferret, lembo vectus ad eum properat: iussusque annonam procurare, ocius perfecit; ac dum hoc agit, ab Vnico Manninga, praefecto Embdano, per Gulielmum Niveldium Arentsbergium monetur, uti sub arcis urbisque moenia naves duceret, sua opera tutam illic stationem habituras; oblatoque opportune beneficio usus, minoribus Gemingam missis, maiores illic reponit. Albanus pleno ad praelium impetu ferebatur; ac quamvis impediret, abruptis ubique pontibus, & restagnantibus aquis, difficilis via, tamen XIII. Kal. Sext. Nassovium adsecutus est. Mane erat, & multa nebula obscurus aer, quam mox clarior sol discussit; atque explorato per Sanchium Avilam, quo loco res essent, ipsum, ac Monterum, cum sclopetariis aliquot pugnam tentaturos mittit: quibus reliqua acies succederet, ita distincta, ut in fronte Hispani essent, inde Germani, post hos Belgae, quos sequebantur ccc. cataphracti, & Ioannis Bernardi ala I. omnes agmine quadrato singulatim incedentes alter alterum sequebantur; nam & angustum iter esse, & plerumque aqua mersum, per quam miles umbilico tenus interdum ambularet. Erat canalis, in Amasiam se exonerans, ponte stratus; hunc deiicere, atque aggere effosso aquas immittere, Nassoviani moliebantur; quos Avila, Salazarius, Verga, Mendoza, aliique nobiles fortiter aggressi, opus inceptum deserere coactos, intra castra compulerunt. In hoc ingens pugnae momentum erat; quamobrem Nassovius, recuperandum ratus, illico sclopetariorum IV clo. submittit. Ii sociorum turpem fugam correcturi acrem denuo pugnam instituunt; seu animo meliore, quam fortuna; nam Hispani, initio pauci, occupatum locum acriter defendentes, mox per auxilia auctis animis, hostem fatiscentem in fugam vertunt. Illo conflictu Gabriel Manrices Olorius cecidit. Iulianus Romerus, & Sanchius Loconius, qui in prima acie, victis instant; quos sequuti sclopetarii clo cc. sub Roderico Sapata, & Didaco Carvaiali. Nassovii copiae in agmina II. divisae erant; ac dexterum quidem latus eques, sinistrum Amasia flumen claudebat. Frons obversa hosti erat; & ante eam tormenta disposita. His explosis, quum ad manus veniretur, Hispanorum paucitate audentiores Nassoviani, extra fossam temere proruunt: sed repulsi a Lopesio Figueroa, suo pavore reliquos percellunt; ac trepidantibus cum equitatu Avalus incumbit; Mendoza, & Medivilla, cum sclopetariis; inde totas copias inducit Albanus, turbatosque iam ordines penitus profligat. Reliquiae praelii Avalo mandatae, & Martinengo; qui fugientes ad IV. usque milliaria persecuti. Hac in pugna Nassovium destituit suorum virtus, qui in ipso principio refractarii incondito clamore stipendium postulabant, nihil saltuaribus

CIↃIↃ LXVIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVIII. ribus ducis monitis, nihil proprio periculo moti. Ipse certè, animi egregius, ut ceterorum socordiam excitaret, pugnae exemplum alacriter dabat; & omnia militis munia capessens, incumbentem hostem aliquandiu substinuit; sed quum frustra victoriam tentari, tam obstinata suorum ignavia, seque cum paucis in acie restare animadverteret, explosis supremum sua manu machinis omnibus, non tam victus, quam desertus, pugna excessit; parvoque navigio in proximam Frisiam orientalem evasit. Iustus Schouwenburgicus initio praelii, ubi turbare militem animadvertit, cum pleroque equitatu se subduxerat. Tam turpis omnium ignavia erat, ut armis abiectis pars pecudum more trucidarentur, pars in proximo flumine mergerentur. A meridie in vesperam continuata caedes, & vix nocte diremta, postridie renovatur. Viae cadaveribus, & armis oppletae. In quodam Amasiae aestuario Insula erat, in quam se Germani aliquot receperant; hos Figueroa, Hiergius, & Roblesius, ad internecionem caedunt. Vniversim instar VIIClↃ. periere; capta item signa XX. & impedimenta omnia, etiam Hochstrateni, qui biduo ante, ad Auriacum profectus, a castris abierat. Ex Hispanis vix LXXX. desiderati. Geminga, ac pagi Reidani, misere direpti; abacta pecorum aliquot ClↃ. rustici passim crudeliter vexati; feminae, ac virgines ad libidinem habitae; cuius rei Albanus ut invidiam amoveret, legionem obnoxiam auctoramento solvit. Frisiae orientalis comes, Embdanique, valde anxii, ne persequendorum hostium obtentu invaderentur, per oppositum Amasiae aggerem subditos cum armis disponunt; urbisque praefectus, qui non ita pridem navium tutelam in se receperat, per adversa fidei negligens, Sonoium, ac navarchos ceteros ad se vocatos, torvum obtuens acriter increpat; ipsos pariter, navesque raptas, ac Nassovium, aerumnarum causam praebere; & mox, securior Albani discessu, abire iussis, damnum alibi acceptum obiicens, naves praedamque omnem detinuit. Victor Albanus, ceu hostem fugientem insequuturus, transmittere Amasiam in animo habebat; sed navium egenus, relictis antea Groningae pontibus, qui per aquosa loca advehi tempestive non poterant; tum etiam crebris nuntiis monitus, cum ingentibus copiis adventare Auriacum, mutata sententia, retro pedem Delfsiliam flexit, ubi cognito loci ingenio, portum maris opportunum ratus, urbem condere omnino constituit; eo magis, ut Embdanorum, qui sectariis palam favere, commercia diverteret. Itaque statim fossa murisque designatis, urbem futuram Marsburgum appellat, & per Ioannem Cnivium, Groningensem episcopum, templo locum consecrari curat. His peractis Groningam tendit, ubi convocatos provinciae Ordines adventum suum praestolari iubet; ac felicis apud Gemingam pugnae nuntium Philippo regi Andream Salazarium, Pontifici Carolum Merlum mittit. Ioanni Hoio, episcopo Monasterienſi, per literas victoriam denuntiat; simul de Frisiae orientalis comite, atque Embdanis graviter conqueritur, qui Nassovio commeatum procurassent. Quum Groningam advenisset, Ommelandiae ordinibus, ac senatui urbano significat, *inobedientia ipsorum, sectatorum introductione, concionibus publicis, ac sacrorum contemptu, laesum regem; adhaec nobilium multos, tam in urbe quam per provinciam, contra religionem Catholicam, regiamque maiestatem, foedera cum Nassovio agitasse; quin etiam arma cum perduellibus ceteris communia habuisse; quam in rem cum Rex pecuniae vim ingentem, Arembergius vitam, ipse laboris tantum, ac molestiae impendisset; bono iure, ceu bello subactis, privilegia adimi posse. Quamobrem statuisse, ne negligentia malum invalesceret, mature occurrere; idque sibi negotium dedisse: idcirco velle, uti Ioannem Cnivium, pridem a rege & pontifice destinatum, praesulem acciperent; placuisse insuper, nova de causa religionis edicta promulgare, ac remp. denuo ordinare, bonorumque salutem & securitatem arce communire. De cetero autem Megensi, qui Arembergio in praefectura successor datus, & sacrorum antistiti Cnivio, morem gererent.* Ad haec omnes, ius in armis dicentem veriti, consternati animis silentium tenuerunt; & arcem quidem Vitellius, & Paciottus, Antuerpiensi similem, sed ambitu minore, statim delineant, quamvis in annum proximum dilatam. Quumque intellexissent, Delfsiliam in urbem commutatum iri, multis precibus, Megensisque intercessione, ac Albernosii, qui Albano ab epistolis, gratia apud illum insignis, vix impetrarunt, ut consilium magis ipsis, quam Embdanis, noxium omitteret. Id tamen placuit, ut propugnaculum a Nassovio inchoatum perficeretur, ac destinato urbi nomine, Marsburgum diceretur; quod obtinuit, quam diu potitus Hispanus praesidium illic tenuit. Hisce rebus exacto biduo, per Amstelodamum & Vltraiectum rursum in Brabantiam iter maturat. Ac Amstelodami quidem in tribunos, & ductores legionis Sardoae, Arembergianae cladis pridem auctores, animadvertit. Vltraiecti dum moratur, advenit filius Fridericus Toletanus, peditum ClↃClↃlↃ. adducens, & stipendium in aliquot menses; quo mox peditatui praefecto, lustratoque exercitu, peditum XXXClↃ. equitum VI. sub signis comperit; & collaudata magistratus fide, ut terrorem populo iniiceret, Diemenam, praedivitem matronam, annosque LXXXIV. natam, quia hospitium concionatori praebuisset, gladio percussit. Quae in pegma ad supplicium producta Praetorem interrogat, *ecquis veniae locus esset*: illo negante, satis aperto avaritiae convitio, *video*, inquit, *quid rei geratur; nimirum pinguis vitulus est, ideo mactari eum oportet*: inde ad carnificem versa, tanquam in aetatem iocata, cui reverentia aut venia debebatur, virilis animi femina quaerit; *an bene gladium acuisset, nam lentam sibi cervicem esse*. Vt primum Bruxellas rediit, de Straleni, ac Backerselii, causa cognoscere adgressus, ex senatus sui sententia utrumque supplicio adfecit; ac Stralenum, ob egregia pridem merita,

CIↃIↃ LXVIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVIII. rita, venia dignum ipſi iudices pronuntiave rant; ſed apud immitis animi virum, quem proprium in Belgas odium, regia voluntate munitum, crudelem fecerat, nulla meritorum ratio fuit. Additur poenae Alfonſus Lous, Hornano ab epiſtolis, & conſiliorum omnium particeps; deinde edicto interdicit: *ne quis cum profugis, ac proſcriptis, pecuniam, aut literas commutaret; in quibus ſi quid regem ſpectaret, aut publicum bonum, infamiam mortis, & bonorum publicationem, poenam fore; ſin minus vero, tum de cauſa iudici arbitrandum; item profugos, ac perduelles, quicumque ſciret, iis aut manum ipſe iniiceret, aut nomina ad magiſtratum deferret.* Nobiles quoque, qui foederi ſubſcripſerant, anno LXVI paſſim in provincia latitantes, dolo adgreſſus ut proderentur, gratiam facti publicis literis denuntiavit: quibus tamen, per tot ſaevitiae exempla, nemo temere credendum putavit. Contra multi, quibus vindex patriae libertatis animus, variis ſcriptis, ac libellis, odium populi adverſus eum concitarunt. Inter cetera clam vulgata capita XVIII. in ſchedis Vergae praeſidis reperta, quaslibet criminum ſpecies complexa, tam immani rerum interpretatione, ut Belgarum nemo fere extra noxam eſſet. Alia XIII. a Granuellano prolata, in quibus conſilia, de conſtituendo Hiſpani per Belgium dominatu; ſed huic licentiae edicto occurrit, animum benignum, & bonam fidem, ſpecioſo elogio apud populum teſtatus. Interim Auriacus, collectis in Germania copiis ingentibus, amicorum opera, oratores ad Maximilianum Caeſarem mittit, qui excuſarent: *eo rerum neceſſitate compulſum; rogarentque, ut Auſtriacae familiae dignitate princeps, commiſerari potius, quam iraſci, vellet; atque afflicto graviter Belgio ſuccurreret, unde ipſe quoque genus ducebat. Florentes olim provincias, tranquillaſque ordinum moderatione, Hiſpanorum adventu valde turbatas. Inquiſitionis nomine proceres pariter atque opulentos peſſime vexatos; neque ullum ſaevitiae, libidini, aut avaritiae modum factum. Saepius ſupplices ſemper reiectos, deprecatoribus aut deluſis, aut occiſis; hac de cauſa, quum fruſtra apud regem preces tentarentur, verſa in iram deſperatione, arma ſumſiſſe, extremam vitae, ac libertatis, tutelam; quae deponere paratus eſſet, ſimul vim atque oppreſſionem Hiſpanus omitteret: oratum etiam demiſſe velle, ut pro miſeris apud Philippum patruelem intercedens, una ea ratione tranquillari Belgii turbas poſſe oſtenderet, ſi remoto milite extraneo, & graviſſimo Inquiſitionis metu, libertas publica reſtitueretur.* Auriaci preces non neglexit prudens ac benignus princeps; &, ceu univerſi id Imperii negotium eſſet, quamprimum cum Philippo agendum decrevit; utque legatio momentum aliquod ex perſonae dignitate acciperet, Carolo fratri, privatis de rebus in Hiſpaniam proficiſcenti, negotium commendat; qui non illibenter ſubſcepit, ſive natura pacis amans, ſive quod, diſtracto per Belgii motus patruele, adverſus Turcam minus praeſidii Imperio futurum praevideret. Itaque in Hiſpaniam profectus, quum id negotium ſerio ageret, reſpondet Philippus: *integrum non eſſe, ut Albanus, aut Hiſpanicus miles revocaretur; cepiſſe conſilium id praeter foederatorum principum ſententiam; cuius ne tam cito poenitentiam oſtendat, famae intereſſe.* Annoque ſequenti, ut invidiam amoveret, quam graviſſimam apud Imperii ordines contraxerat, ſcripto publico facti rationes propoſuit. Ludovicus Naſſovius, poſt pugnam Gemingenſem, collecto undecumque milite, ad Auriacum fratrem conceſſit; qui, etſi turbatis recenti clade conſiliis, copias coactas ſedulo movere, quas Belgio liberando ducebat. Ad harum ſtipendium eccleſiae Belgicae reformatae, procurante Marco Perezio, CCCIↃ. dalerorum polliciti erant, exhibenda quum primum exercitum collegiſſet. Extremo Iulio, quum iam in procinctu eſſet, libello edito, belli contra Albanum ſuſcepti cauſas exponit: *gloriam Dei, ac commodum regis propoſitum eſſe; item Caeſaris, filiorumque, qui Philippo ſanguine proximi: nihil aliud abs ſe agitari, quam ut immaniter ſaevientem Albanum innocentis populi, & per vim oppreſſi, cervicibus depelleret; ad tam praeclarum inſtitutum omnes rogare, uti favorem atque auxilium conferrent.* In caſtris eius Germanorum peditum ſigna XLIV. erant; quibus ductores, Nicolaus Hadſtadius Alſatus, vir antiqua nobilitate, & belli clarus: Vitus Schonerus, Balthaſarus Wolfius; equitum autem VII CIↃ. ſub Haſſiae tribuno Friderico Rollenhauſeno, militiae in Gallia actae egregio; Theodoro Schombergio, Iuſto Schouvvenburgico, Alberto Naſſovio, Burchardo Barbio, Othone Malsburgio, Hermanno Rudeſalio, & Adamo Welſio; XVI. Gallorum turmis, & ſclopetariis CIↃIↃ. praeerant Franciſcus Hangeſtus Ienliſius, Ludovicus Lanoius Morvillierius, Ioannes Raguerius Sternaeus, Arcturus Valdraeus Movius, Anglurius Autricurtius. & Rantius; peditatum Poietus ducebat; ex Belgis aderant, Naſſovium ſequuti, Antonius Lalanius Hochſtratenus, Batemburgicus, cuius fratres pridem Bruxellis gladio percuſſi, Warrouxius, Riſoirius, Carlous, Hamelius, Boxtelius, Lonnervallius, Ohanius, Opdamius, Sonoius, alii; mox etiam Gulielmus Lumaeus Marcanus acceſſit, cum inſtructo equitatu; qui affectu in Egmondanum, Hornanumque, comam ſe non poſiturum iuraverat, niſi vindicata utriuſque morte. Tormenta illi bellica X. campeſtria VI. maiora IV. vexilla quorundam inſcripta erant; PRO LEGE, REGE, ET GREGE; aliis effigies pelecani erat, ſanguine ſuo pullos nutrientis; nonnulli in galeis roſas ferebant, vetus Britannorum inſigne, ceu reginae Elizabethae auxilium teſtati. Cum his copiis ſub initium Septembris, caelo pluvio, expeditionem capeſſit habitoque ad Romerſdorfiam in Treveris delectu Rhenum traiiciens, Viti fanum, ſuae ditionis pagum, devenit; ibique ſubſiſtens, a Clivenſi commeatum petit; quo negato, Naſſovius frater Arenbergam capit, & praeſidium Hiſpanicum obtruncat; tum Eppenam etiam, Duram inter & Agrippinam, arcem

CIↃIↃ LXVIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVIII. arcem item Carpenſem, Hormeſonam. Wi-
themumque, atque in Rheno naves XVIII.
cum mercibus Italicis, quas mox inſtitores
redemere. Aquiſgrano pecuniam imperat,
caeſaeque ad Noitemum aliquot cohortes.
Ad harum rerum nuntium Albanus, tam va-
ria expeditione conſiliorum incertus, quum
haerentem illic videret, ac modo in Galliam
iturum putaret, modo Belgio, aut agro Lu-
xemburgenſi imminere, ne quid Sequani pa-
terentur, etſi ex foedere ad eorum tutelam
Helvetii tenerentur, praeſidi Vergio curata
per nummularios pecunia, ſi uſus foret,
poſtridie Noircarmium, ac Mondragonium,
cum copiis omnibus ad ſuppetias adeſſe iu-
bet; tum Robleſium cum ſua legione ſubmit-
tit. Antonio Berrio, Didaci Carvaialis ſigni-
fero, cum Hiſpanis L. arcem Limburgenſem
mandat. Ipſe munitis ad Traiectum Moſae
caſtris defenſionem parat, ac flumen ponte
ſternit, facilius excurſurus quocunque, &
itinera vel obſeſſurus, vel vaſtaturus; utque
fluminis tranſitu prohiberet, vadoſis locis paſ-
ſim murices diſperſerat. In caſtris peditum
XVICIↃ. habebat; ex his Belgarum ſigna XV.
Hiſpanorum XL. Philippus Lanoius Bellova-
cus VI. ducebat; Carolus Arſillius, & Iaco-
bus Briacus, ille Landrecii, iſte Marienbur-
gi praefectus, ſinguli V. Hiergius X. Mon-
dragonius V. totidem Robleſius, cui etiam
deſtinatum Ruremundae praeſidium XX. Ger-
manorum Albertus Lodronius, & Philippus
Eberſteinius. Adhaec foſſorum ingens manus,
e propinquis Eburonibus: item tormenta,
naves, commeatus. Auriacus omnibus mo-
dis in praelium pertrahere Albanum nitebā-
tur; ſed prudens belli imperator, cunctan-
do frangere hoſtem certus, dubiam aleam
detrectare. Sciebat enim, tam varium mi-
litem, ſine ſtipendio, non diu concordem,
aut obſequentem fore, dein timebat, ne mi-
les Germanicus, eiuſdem cum hoſte religio-
nis ſectator, aut in praelio deſereret, aut eo
abſtineret; nec in ipſis proceribus Belgicis
plus fiduciae, qui metu magis, quam adfectu,
obſequentes, victore Auriaco, facile in par-
tes eius tranſituri timebantur. Iis de cauſis
cunctante Albano, quod praeviderat, ſeditio
militum in Auriaci exercitu orta, gravi eum
periculo involvit; quippe, dum pacare labo-
rat, ad latus gladii capulus decutitur: Mal-
burgius, aliique a tumultuantibus occiduntur.
Compoſito tumultu, verſus Eburones caſtra
movet, & a Leodienſibus auxilium ſperans,
Laurentii & Margaretae ſuburbia, pontem-
que Afrodium occupat; ſed pridem Alba-
nus, agri vaſtitiem interminatus, oppida-
nos, ſatis ceteroquin pronos, deterruerat;
ac quamvis pars adiutum vellent, tamen me-
tu, & Groesbequii epiſcopi opera, ad ſecu-
ritatem urbis ſignis VI. conſcriptis, conatus
oppreſſus eſt. Igitur hac ſpe quum excidiſſet,
huc illuc exercitum circumductans, ut in-
certum Albanum teneret, tandem Non. Octo-
bris ad Stochemum, non longe Maſeca, Mo-
ſae appropinquans vadum tentat, atque a mu-
ricibus iniectis purgat; inde equitem denſa-
tum, agmine uſque ad ripam adverſam con-
tinuato, in flumine conſiſtere iubet; quo CIↃIↃ LXVIII.
commento impedito eius impetu, quum in-
ferius iugiter defluens decreſceret, ac pediti
pervium eſſe inciperet, exercitum univerſum
tranſmiſit, obſtupeſcente rem inopinatam Al-
bano, adeoque trepidante, ut quidam exiſti-
ment, ſi e veſtigio recta in eum copias du-
xiſſet, hoſtem imparatum, metuque conſter-
natum, oppreſſurum omnino fuiſſe; atque
ipſe quoque recenti terrore utendum cen-
ſebat; ſed feſſus miles, & traiecto flumine
madens pugnam detrectare; hunc refectum
mox in hoſtem fruſtra duxit, qui intra ca-
ſtra militem continens, mora, quam pugna,
vincere malebat: certus fore, ut per immi-
nentem hiemem, ſine commeatu, & ſtipen-
dio, eius copiae ultro diſſiparentur. Tum tu-
bicinem ad Traiectinos mittit, quem Albanus
comprehenſum, ne qua conſilia oppidani
clam miſcerent, in furcam egit. Poſt quam
aliquoties velitatum, nec ad pugnam provo-
cari Albanus poſſet, exiguo commeatu, in
Tungros movet, Eburonum oppidum ſatis
munitum; ubi excluſus, fanum Trudonis re-
trogreditur, inſequente ſemper Albano, &
poſtremum agmen vexante. Hic pugnatum
acrius fuit, atque egregium virtutis ſpeci-
men Marcus Toletanus dedit. Inde Thenas
contendit, ab Hiergio occupatas, quem Al-
banus noctu praemiſerat, ut vel laborantem
Brabantiam tutaretur, vel nutantem in offi-
cio contineret; ipſe Albanus in propinquo
caſtra munit; quatriduo poſt prope Tilmon-
tium diviſas copias Auriacus partem ultra
flumen ire iubet, partem ad collem occupan-
dum mittit; quem dum communire feſtinat,
Albanus per ſuos interturbans eum extor-
quet; quocirca relicto ad dextram Tilmon-
tio, propter amnem Geteram, in Braban-
tiae & Eburonum collimitio, iter faciens
traiicere exercitum inſtituit. Id ubi Albano
exploratum, Fridericum Toletanum, ac
Chiapinum Vitellium, cum IVCIↃ. ſclopeta-
riis, & equitum aliquot turmis in tranſeuntem
impetum facere iubet: ipſe cum cetero exer-
citu ſubſequitur; quumque anguſtum iter eſ-
ſet, ſilviſque obſeſſum, Monteſdoca & Sali-
nas cum ſclopetariis Ↄ. anguſtias occupant;
Fridericus & Chiapinus cum aliquot Hiſpa-
norum, Gallorum, Belgarumque ſignis, &
nonnullo equitatu, ſilvas, circumiectas inſi-
dent. Sed eo die, declivi ſole, etſi urgente
praelium Hochſtrateno, res dilata eſt ob vi-
cinam noctem; quam exercitus uterque, exi-
guo tantum colle diſiunctus, in ſtatione egit.
Poſtridie incedere agmen Auriacus iubet: at-
que Albanus, quo tenderet ignarus, ordina-
ta ocius acie, levis armaturae militem prae-
mittit, quem Fridericus filius cum omni pe-
ditatu ſubſequebatur. In extremo agmine
Germanicorum equitum turmas VI. locat;
inde armaturae leves colle occupato, unde
in hoſtem deſpectus, captoque ſigno, pugnam
inchoant; ac praemiſſis reliquis copiis, quum
Germanicus eques adpropinquaret, viſum
Chevereaulxio ſclopetariorum equitum duci,
ut, quamvis abſente adhuc peditatu, in po-
ſtremum agmen invaderent, facili victoria,

poſt-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVIII. postquam hostis amne Getera separatus. Sed utile consilium imperitia loci differrens Albanus, dum exploratorem mittit, egregia occasio poene elabitur. Itaque Avila, & Braccamontius, cum cIↃcc. delectis angustias occupare, Gaspar Roblesius cum legione Belgica hostem adoriri iubetur. Acri aliquamdiu pugna, tandem victor Albanus evadit, exigua suorum clade; ex Auriaci copiis supra cIↃcIↃ. ceciderunt. Lonnervalius captus postea Bruxellis gladio percutitur. Post hanc cladem auxiliis Gallicis Auriacus se Iodoniae iungit. Ea erant cIↃcIↃcIↃ. pedites, IↃ. equites: quibus copiis non ei vires, sed annonae penuria aucta; ac cum his facto per agrum Luxemburgensem itinere, Andagiensi monasterio direpto, & incenso Huberti fano, urbibus passim adversis, castra in dies mutans, frustra occasionem praelii quaesivit. Itaque commeatus egens, & stipendii, cum ex ccc. dalerorum cIↃ. vix XII. accepisset, exorto tertium in Gallia bello civili, adiungere se Condaeo statuit; maxime Gallorum instinctu. Id dum prosequitur, ac Quesnaeum iam veniisset, agro Cameracensi imminens, subsequente Albano, in eum conversus, deletis X. Germanorum signis, VIII. Hispanorum, & levis armaturae turmis III. non exiguam stragem edidit; inque eo conflictu Rodericus Lopesius, Sanchius Avila, & Franciscus Toletanus, vulnerati. Caesar Avalus caesus; inde arcem Cameracensem adgressus est, quam egregie, etsi consternatis oppidanis, Mollinius defendit. In Galliae limite Cossaeus erat, cum sclopetariis cIↃcIↃ. & peditibus cIↃcIↃcc. ac quamvis rex negotium dedisset, uti Auriacum Gallia arceret, tamen is supra Quinctini fanum, Somona transmisso, Suessiones venit; & per Fanellium Serium adventus causam regi significat; qui nuntium antevertens per Casparum Schombergium legatum scitatur, *qua de causa cum tantis copiis in Galliam adveniisset. Mirari vehementer, pro veteri militiae more, non praemißum fecialem; quod si in Germaniam transitum peteret, quemadmodum rumor erat, non negaturum, modo ne se pro hoste gerat.* Ad hanc legationem pridie Non. Decembris Auriacus respondet. *Consilii sui certum pridem regem feciße; nec adeo vecordem, aut rerum imperitum esse, ut cum rege tam potente armis experiri velit; quin immo quantascumque duceret copias, si ita videretur, pro ipso militaturas; cui honorem, & obsequium humiliter obferret; sed eorum, qui puram religionem amplexi, infestis plurimis, in praesenti exitio versarentur, periculo succurrere necessarium putaße; quamobrem orare, ut pro digna suo fastigio clementia, hominum misertus, quibus Dei gloria, vitae tranquillitas, & fidele in regem obsequium, inprimis cara, promulgata semel edicta violari ne permitteret.* Rex Schombergio in mandatis dederat, quo libentius copias Auriacus reduceret, ut stipendium militi promitteret; isque dum in eo est, exploratis ductorum animis, cum quibus illi notitia intercedere, proposita rerum difficultate, clanculum plurimos ad defectionem sollici-

tat. Itaque paulatim ad expeditionem segnior miles; & aperta mox querela, *male duci se infesta anni tempestate, sine stipendio, adversus regem, quem nulla iniuria obnoxium reddiderat.* Quumque Auriacus instaret, ut Condaeo se adiungere maturarent, fidenter pernegabant, & *contra Albanum dumtaxat factum auctoramentum* obtendebant, *praeterea cur se, nulla omnino spe stipendii, perditum irent; quod quum repraesentare non posset, aliquot iam mensibus debitum, saltem patriam redderet, e qua eduxerat; unum id facile, rege nondum lacessito.* Hoc dissidio concitato Schombergius recedit. At Auriacus gravius aliquod discrimen metuens, si persisteret, concedendum tumultui ratus, in Germaniam iter vertit; exauctoratisque ibi copiis, coacta e supellectile pecunia, ut prompta in posterum studia haberet, pro trimestri militia equiti solvit; in reliquum stipendium principatum Arausiensem obpignorat, intra proximos XII. annos liberandum; inde se Wolfgango Bavaro Bipontino, in Galliam eunti, cum cIↃcc. equitibus iungit. Exauctoratos magnam partem aspera anni hiems confecit. Reliqui aut Bipontino nomen dederunt, aut in Galliam retrogressi regi militarunt. Hic belli exitus dupliciter Auriaco infelix fuit; nam & Angliae regina, Caleti recuperandi occasionem rata, consilia cum eo communicare, & opera uti constituerat. Sed dum famulus legati, qui in aula regis commorabatur, literas ad ipsum Cardinali Lotharingo prodit, isque responsum contrarium reddit, commutanda scriptione elapsum tempus hoc consilium penitus evertit. Igitur pulso hoste securus Albanus, in hiberna militem dimittit. Romeri legio Bruxellis datur, & Machliniae: Lodronii Antuerpiae, & Valentinianis. Alfonsus Vlloa Graviam, Bertinium, Silvam Ducis, & Traiectum Mosae accipit. Groningae Caspar Roblesius Billius, Daventriae Mandragonius imponitur: Bommeliae, Vltraiecto, & Gorcomio, Sanchius Lodonius. Tum ex arce Cameracensi, quo insequutus Auriacum erat, x. Kal. Decembris Bruxellas literas ad Senatum mittit, reique gestae seriem, ac successum, exponit; dein regi quoque, & ceteris principibus. Belgis suis passim per urbes supplicationes decernit, occulto plurimorum dolore, etsi palam laetitiam ostentarent. Item decursus ludicrus ordinatur; atque in eo Haurechius crure graviter sauciatus. Vbi haec procerum populique voluptati dedit, tum ad se ornandum animum convertit; igitur tot victoriis clarus, gloriae suae apud posteros monumentum, per Iacobum Iongelingum in arce Antuerpiensi statuam ponit, e tormentis pridem ad Gemmingam captis; ea forma ac statura ipsum referre, nudo capite; ceterum corpus armis indutum; sub pedibus calcabatur homo gemino capite, manibus quatuor; in quarum prima fax accensa, in secunda malleus fractus, tertia clavam nodosam, quarta securim tenebat; e collo eius adpensa bulga, e qua serpentes proserpebant; subter larva conspiciebatur, ad cuius aures mendicorum gemina

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVIII. mina paropſis; inde inſcriptum, IVNGELINSI OPVS EX AERE CAPTIVO; inferius paulo, in lamina topho innixa; FERDINANDO ALVAREZ A TOLEDO ALBAE DVC. PHILIPPI II. HISP. APVD BELGAS PRAEFEC. QVOD EXTINCTA SEDITIONE REBELLIB. PVLSIS RELIGIONE PROCVRATA IVSTITIA CVLTA PROVINCIAE PACEM FIRMARIT REGIS OPTIMI MINISTRO FIDELISS. POSITVM. Vniverſi operis altitudo pedes xv. Ab una parte ara erat, inſcripta; DEO PATRVM NOSTRORVM; atque in baſi, PIETAS; utrinque, tanquam belli ſpolia, variae armorum ſpecies cingebant; ab altera opilio ſpectabatur, ad paſcua gregem educens, quem lupi ac leones fugerent; item aurora noctis tenebras diſpellens, cum inſcriptione Graeca; ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΣ ΗΩΣ. Huius ſtatuae ingens invidia apud plurimos fuit, etiam Hiſpanos, qui Regi potius debitam dicere, cuius armis, ac ſtipendio omnia geſta; & coniecturae de ea variae, pro ingenio cuiuſque, aut adfectu; ac effigiem bicipitem ſubiectam, alii Egmondanum Hornanumque, nuper interfectos, interpretari; alii Gulielmum Auriacum, ac Ludovicum Naſſovium, fratres, Belgio exactos; erant qui ordines Belgii putabant, in nobilitatem & plebem diſtinctos; quos imminuta libertate conculcabat. Arſcotanus, vir liberrimae in aula urbanitatis, & gratioſae, cum Albano eam aliquando ſpectans, ac rogatus quid videretur, per riſum illuſiſſe dicitur: *eorum vultus, quos calcaret, irae manifeſtos, ſi reſurgerent, vindictam minari:* idque dictum oraculi inſtar multis habere viſum fuit. Et poſtea Antuerpienſes, recuperata libertate, tam inſigne opus confregerunt, alii memorant a ſucceſſore, Ludovico Requeſenſio, magni ordinis Alcantarenſis magiſtro, tolli iuſſum. Sub id tempus Haurechius, ſuo vulnere, aut veneno in vinum iniecto, diem obiit III. Eid. Decembres; dolente Auriaco, rebus adflictis eripi virum, animi & conſilii inſignem. CIↃIↃ LXIX.

RERVM BELGICARVM

LIBER SECVNDVS.

CIↃIↃ LXIX. VM novo anno, poſtquam Auriacus in Germaniam receſſerat, ceu tranquilliore imperio uſurus Albanus, nunc id tempus exiſtimabat, quum obſequii faciliores Belgas habiturus eſſet; itaque paſſim exploratum mittit, ſi qui cum eo conſilia contuliſſent, aut turbis ſe immiſcuiſſent; tum etiam, ut in officio ſubditos retineret, de variis paſſim arcibus agitat; & Amſtelodamenſes, non ferre id commerciorum rationem queſti florenorum cc clↃ. immunitatem redemerunt. Groningae quoque, & Fliſſingae, opus interceptum; alibi perfectum; inde epiſcopos, dato ſingulis adminiſtrandae dioeceſeos praeſcripto, ſedibus novis imponere adgreſſus eſt. Caroli Brimaei Megenſis opera, qui Arenbergio in Friſia ſucceſſerat, curia adiutante, etſi Ordinibus repugnantibus, Cunerum Petri Leovardiae conſtituit; qui vel odio populi ingratus, vel impar dignitati, mox ludibrium publicum fuit. Plus moleſtiae Ioanni Gnivio Groningae obtigit; ſed is prudens, & poteſtatis exercendae modicus, gratiam ſibi conciliavit. Monaſteria II. Wittewerum, & Adewartum, maxime adverſa habuit; atque illud quidem mox minacibus Pontificis & Albani literis ceſſit, in B. Mariae cathedralem eccleſiam verſum; iſtud vero fortius reſtitit, opulentum admodum, neque impenſae parcum; quumque luxum monachorum epiſcopus argueret, neceſſario corrigendum; & hoc potiſſimum telo pugnaret ipſorum Abbatisque Clarocampii rogatu, iniuriae propulſandae, e Burgundia Morimontius venit, ſupremus ordinis Ciſtercienſis inſpector, vir auctoritatis primariae, & virtutis, ac doctrinae, clarus; iſque, ut praeterita corrigeret, amoto Abbate Arnoldo Laurzio, Arnoldum Kemningum, Muntii ad Amaſiam Abbatem, adminiſtrum ordinat, qui mox quoque defuncto ſucceſſit. Inde, adiuvantibus provinciae Ordinibus, acriter ſe Cnivio obponit; tandemque id effecit, ut adſignatis florenorum vicl. annuis, contendere porro deſiſteret. Nec hic deſiit cura Albani, & poſtquam de epiſcopis egiſſet, concilii Tridentini decreta ubique promulgare inſtituit; &, quanquam interdum obiecta difficultas, imminutis alibi provinciarum, urbium, aut monaſteriorum privilegiis; nemo tamen, metu ne a maiorum religione deſciviſſe videretur, opponere ſe auſus fuit. Varia deinde edicta facit, urbeſque praecipuas privilegia omnia ſua conſilio ſanguinario exhibere iubet; tum interdicit, *ne quis Belga in extranea Academia, praeter Romanam, aut profeſſionem, aut ſtudia exerceret; praeterea actuarii, notarii, aut tabelliones, de rebus turbas praeteritas ſpectantibus acta publica nulla conſcriberent; qui negligeret, is exſilio perpetuo, & bonorum publicatione multaretur. Vxores etiam, quae ad maritos profugos conceſſerant, ne redirent, aut poenae ſubiacerent, in eos pridem conſtitutae, qui conſilia miſcuiſſent cum perduellibus, aut eorum neceſſitati ſubveniſſent; copias item nullus conſcriberet, niſi regis aut ſuo permiſſu, & nec nomen miles daret, niſi inſpectis mandati literis.* Tum ad ſupplicia converſus, paſ-

CIↃIↃ LXIX. passim captivos, aqua, igne, cruce, aut gladio, varie puniendos tradit, tam ingenti populi terrore, ut dilapsis fere omnibus exiguo tempore vastum pene ac desertum Belgium fieret; & opificia, antea frequentissima, alio transferrentur. E profugis plurimos Britannia excepit, ob communem sacrorum cultum, libertatemque conscientiarum, gratum hospitium: & Oceano interiecto, ac prono Elizabethae favore, tutum adversus vim Albani perfugium; hique cum magna Belgii iactura in Anglos hospites varium lanae tractandae artificium transtulerunt, tanto numero, ut infrequentes admodum urbes, & tantum non collapsas, restaurarent; in quibus Noruica, Sanduica, Colchestria, Maibscona, Hamptona, & aliae. Sic du centis ante annis, nimia inundatione in eandem insulam compulsi, incolas, agri tantum & pecoris gnaros, pannorum texturam docuerunt. Porro Albanus huc illuc delegatos mittit, qui reos absentes ad supplicium poscerent, & auxilium a magistratu requirerent: idque nonnulli, offensae timidi, praestitere; alii, quibus paulo plus cordis, privilegiorum obtentu, difficiles se praebuere. Inter ceteros id mandati Arnoldus Sasboutius, curiae Hollandicae senator ordinarius, accepit; ac quum exsequi Leidae vellet, re in senatu deliberata, magistratus abnuit, indecorum arbitratus, alieni iudicii ministrum videri; idque Sasboutio repraesentans privilegia bina ostendit capitali sententiae alibi latae, & bonorum publicationi contraria: unum Gulielmi Hollandiae comitis, anno cIↃ cccc. xv. datum: alterum Ioannis Brabantiae Ducis, anno cIↃ. cccc. xviii. prius illud *soli iudici urbano in cives suos sententiae ferendae ius* permittit: alterum statuit, *ne quis civis, vel gravissimi criminis reus, plus florenis* LX. *multaretur*; insuper consuetudinem valde veterem adlegare, *ne quem, licet criminis manifestum, morte adficerent; nisi extra vincula & tormenta reum confitentem haberent*. Igitur sic Sasboutium dimittunt. Albanus tamen, nullo privilegiorum respectu, in captivos quosque grassari; adeo contra ius fasque nitens, ut vel defensione permissa, vel iudice ordinario, multi causam obtenturi fuerint. Vnum memoriae posteritatis est tradendum. Quidam Bruxellis in vincula coniectus propter commune temporis crimen, indicta causa, nec sententia iudicis damnatus, iuris contemtu, an errore, cum ceteris ad supplicium producitur; aliquanto post quum disquireretur crimen, ac sistendus reus foret, non duntaxat interfectum, sed quoque nulli culpae adfinem comperiunt; hancque ob rem perculsis iudicibus, ut animum firmaret Vergas, *vix esse*, inquit, *cur magnopere angerentur; viri innocentiam animae eius profuturam*. Groningae, post debellatum in Frisia Nassovium IV. Germanorum signa in praesidio a discedente Albano posita. Ea, quum se superbe gererent, ad querelam magistratus mense Februario Billius permutare iussus, VI. alia Gallorum introducit, minus quidem populo invisa, sed quae gravius tamen incumberent, impe-

A

B

C

D

E

F

ratis in septimanam cIↃ cc. florenis, quorum tamen necessitatem mox Ommellandiae Ordinibus imposuit. Consules quoque, ac ceterum senatum, magistratu abire prohibitum, totos VIII. annos continuavit; fabis nigris albisque ereptis, quibus in electione solenni utebantur. Postea in Frisiam occidentalem mittitur Carolus Quarraeus, curiae Brabanticae adsessor, de turbis proximis quaesiturus, & obnoxiis animadversurus; ibique dato regio cognitori negotio, Groningam profectus, Albani mandatum magistratui exponit, dari sibi collegam postulans, ne quid imprudens in privilegia loci committeret, aut ipsi se despectos putarent. Destinatur munus consuli Ioachimo Vbbenae, satis praeter animi sententiam, tam praesenti civium odio. Et initio, cum aliquot operis, Ioannes Barnenda, urbis fabricensis comprehenditur; qui pridem templum Franciscanorum magistratus iussu purgaturus, collisarum imaginum reliquias substulerat. Id crimen capitale erat, quod etsi publica auctoritate commissum, tamen a ministris sumendum supplicium videbatur, declinante invidiam magistratu, qui industrie futuri cautus, mercedis causam in rationibus publicis dissimulare quaestorem iusserat. Id Barnenda ubi compertum habet, effracto carcere, cum duobus obiecti criminis sociis, periculum evadit; alii, varie divexati, & per tormenta culpam fassi, gladio feriuntur. Ea re ingens populi odium magistratus excitavit, indignantibus cunctis, quod sua imperia, & civium obsequium, inique punitum iret; & auxere viduarum ac pupillorum adsidua lamenta; quibus minuendis, ceu commiseratus, ex aerario publico alimenta miseris clam adsignat. Quarraeus, diligens mandatorum profugis diem dicere pergit, & nisi intra III. septimanas praesentes se Albano excusent, vita bonisque exsuendos denuntiat. Inter hos plurimi e primaria loci nobilitate; iique ad rei actae nuntium privilegiis se tueri conati, quae extra pomoerium, aut territorium, evocare quemquam prohibebant, per literas magistratum exhortantur, operam apud Albanum daret, ut eorum ratio haberetur. Sed quum ille offensae metu, segnius publicae libertatis causam ageret, per libellum ab Albano patriae leges, iudicemque ordinarium, supplices petunt; a quo responsum, nisi praesentibus ius non dicturum: si emanerent, ceu contumaces, ad causam dicendam postea non admissum iri; iterumque citati, ubi nemo compareret, ipsi perduellium instar poenae capitali, bona fisco, addicuntur. Igitur vim manifestam ad Caesarem, & Germaniae principes, deferre placuit; quando vetus Imperii membrum provincia esset, eiusque tutelae adhuc nuper a Carolo V. commendata, anno seculi XLVIII. sed hoc quoque consilium non successit. Postquam Quarraeus discessisset, statim Roblesius ad arcem instaurandam animum vertit; quae superiore anno a Vitellio & Paciotto ita designata, ut e propugnaculis V. in finitimos Tubantes III. in urbem II. obverterentur; circum fossa C. pedes lata duceretur; rursum autem,

CIↃIↃ LXIX.

im-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXIX. impensae defectu, opus intermissum. Hoc in Belgio rerum statu, Bipontino in Galliam paranti, cum utroque fratre, Ludovico & Henrico, comitem se Auriacus iungit; idque gnarus Albanus, ut regis animum magis obstringeret, suppetias ei Petrum Ernestum Mansfeldium mittit, & cum eo equites CIↃ CIↃ. peditum signa XXV. Sub idem tempus, III. Eid. Febr. egregio inter tot probra iustitiae exemplo, Ioannem Grovelsium Spellaeum, praecipuum rerum criminalium ministrum, concussionum reum, in furcam egit; cui aliquando extrema comminanti Gemma Frisius infelicem vitae exitum praedixerat. Pontifex Romanus, Pius V. virtutis collaudandae, Albano ensem inauratum, & galerum gemmis ornatum, rituque solenni consecratum mittit, non nisi ab episcopi cuiusdam manu, post peractos sacrorum ritus, accipiendum. Adferebat munus tam insigne Carolus Ebulus Neapolitanus, oblatumque exquisita caeremonia in manum tradidit Archiepiscopus Machlinienſis; ac bonorum laeta Albanus ludis spectaculisque publicis est testatus. Non ita pridem, firma, ut videbatur, Belgii pace, ab Anglia turbas Elizabetha dederat; navis e Cantabria veniens, & minores aliae IV. pretiosas merces, ac pecuniam ingentem vehebant; quumque Galli piratae persequerentur, in Angliae portus confugerunt; & neque illic tuti nautae, incumbentibus Gallis, & discessum observantibus, legato Hispanico, Gerardo Espesio, periculum suum exponunt; isque statim reginam accedens rem narrare: *in illis navibus exercitus Belgici stipendium esse, Albano tunc pernecessarium; & orare, in suis portubus periculum prohiberet; deinde Antuerpiam usque commeatum daret, vel saltem vectoribus arma permitteret*: nec gravate princeps aequitatis & amicitiae tuendae constans, postulata concedere; sed dum Albano nuntium mandat tardiore responso, a Cardinali Castellionaeo edocta, ad mercatores quosdam Genuenses, non ad Philippum, pecuniam istam pertinere; cui Albanus solvendis stipendiis manum iniicere statuisset, ipsa praevertit, suosque in usus educere e navibus iubet, ac Londinum in aerarium deferre. Ea summa CC. aureorum CIↃ. excedere credebatur, cistis LIX. inclusa. Vbi factum Espesius legatus intellexit, graviter de iniuria conquestus, a regina responsum refert: *in Philippi fratris gratiam factum, ut Gallorum imminentium rapinam prohiberet; quando autem compertum haberet, mercatorum potius Genuensium, quam regis sui pecuniam esse, extenuato per id tempus aerario, cum bona dominorum gratia honesta usura mutuam sumere decreviſſe; idque ius principibus usitatum*. Ita dimissus, ocius rem Albano nuntiat. Is irae praeceps, ut excelsa pariter ac prospera fortuna offensae plerumque facilis est, non dissimulandam regis sui iniuriam ratus, neque Ordines consulens, nec periculum attendens commerciorum, sine quibus opes Belgii non constarent, comprehensos per provincias mercatores Anglos in domo publica Antuerpiae sub custodia habet, bona describit, & mox hastae subiicit. Idem in Hispania decretum. Vicissim in Anglia Elizabetha, ut indemnes suos faceret, Belgas quoscunque retinere, bonaque sequestrare permittit; & tum iustam facti causam scripto palam testatur; cui Espesius, perstrictum se in eo sentiens, aliud opponit; inde in Hispaniam legatum mittit, qui de Albani iniuria conqueratur: *causam non esse, cur in Belgio regni sui mercatores cum facultatibus attinerentur; se quidem id pecuniae fecisse, quam Hispanicae naves advexerant, in suos portus a piratis Gallis actae: eam autem Genuensibus, ad quos pertinere existimabat, post aliquot menses cum usura redditurum; nam ut in ullam regis pecuniam manus iniiceret, id nunquam in mentem venisse; & legato quoque eius, ut aequum erat, declarasse; adeo tamen humanitatis, aut veteris amicitiae oblitum Albanum, ut Anglos suos tam proterve invaderet. Porro, si rex pecuniam exhiberi omnino vellet, quamvis Genuensium propriam, facturam quam primum, dum suos modo in Belgio subiectos, bonis omnibus restitutis, Albanus dimittat; &, integro utrinque commercio, amicitiam deinceps rectius colat: ut regem offenderet, numquam sibi consilium fuisse*. Interea Albanus erroris poenitens, cum translatis Hamburgum commerciis, nihil Anglis, plurimum Belgis noceri videret, ad reginam Christophorum Assonvillium mittit, quem illa sine mandato regis admittere nolens, neque ut legatum habens, contemtim ad Senatum reiecit; quumque indignum id is censeret, irritus legationis domum rediit. Ea re irritatior Albanus, pridie Kal. Apriles edicit, ne quisquam, donec aliter caveatur, ulla cum Anglis commercia habeat: naves quoque, nisi armatae Oceano abstinerent; in delinquentes poena adiicitur, publicatio bonorum; &, ut ratum edictum foret, delatores constituti, quibus praemium bonorum publicatorum dimidium foret. Sed munus odiosum, praeter exsules Anglos, nemo fere suscipere voluit. Inter hos erat Ioannes Storius iureconsultus, sub Maria Inquisitoris officio functus, homo egenus, & ob mutatam religionem odio in suos praeceps, datusque vicarius Gulielmus Parkerus, qui mox certa gratiae spe dominum prodidit; quippe in navem introductum, mercibus Anglicanis onustam, dum explorat, nullo fraudis alicuius metu, magister navis Cornelius Eiekenus, egregio pro patria facinore, expansis velis in Angliam avectum Reginae sistit: ubi fracta laqueo gula, ceu coniuratus patriae hostis, pro praemio infamiam mortis retulit. Albanus XIII. Kal. Maias convocatos Bruxellas Ordines hac oratione compellat: *nescium nulli, ideo se a rege missum, ut provinciarum motum componeret, ac quietem deinceps certam constitueret: hac de causa, simul remp. attigisset, in auctores turbarum inquisitos animadvertisse; id autem maturius factum voluisse, ut regi suo satisfaceret, & gratiam ceteris conciliaret, quorum simplicitatem illi circumvenissent; sed praeclarum hoc consilium homines seditiosos perturbasse, quorum arma ut propulsaret, maximam anni partem sub pellibus egisse; quando vero con-*

CIↃIↃ LXIX. *consideraret, plurimum illos in mutata religione momenti posuisse, quam plerumque ingens populi insolentia, & magistratuum contemtus sequeretur; ideoque contra leges, per quas antea resp. tranquilla, nefaria consilia agitasse; nihil ipsum prius habuisse, quam ut ex manduto regis reddita quamprimum antiqua religione, leges quoque ac statuta restitueret; idque etiam praestitisse, ab episcopis, & ceteris sacrorum praesulibus, adiutum egregie. Quam in rem quum rex impensae nulli parcus aerarium graviter attrivisset, deinceps providerent, ne paci publicae ipsi deessent, ac subsidia necessaria decernerent. Multa cohortibus ordinariis, & reliquo militi stipendia restare; locorum communitiones, militarem annonam, & tormenta bellica, magnam pecuniae vim exigere; plurimum esse quod mercatoribus deberetur; nihil in casum praesto esse; perpendisse diligenter, quibus subsidiis usa quondam resp. fuisset; nec iustius quicquam aut convenientius deprehendisse, quam quod rex suo in has provincias adventu proposuisset. Id quia haud intellectum minus processisset, nunc operam dedisse, ne quis veluti ambiguum nimis, aut obscurum, detrectare merito posset. Quamobrem placere, ut rerum mobilia, quotiescumque venum irent, decimam; quae soli essent, vicesimam penderent: utraque autem indistincte semel centesimam exhiberent; & quo singula commode fierent modum praescripsit.* Ea petitio Ordinibus permolesta accidit: & grave aliis divitias suas, aliis probrosum videbatur paupertatem profiteri; universis invisa exactio; tamen centesimam a plerisque metus expressit, quam mox Gelri Frisiique redemerunt; in decima & vicesima cur minus acquiescerent, causas libello comprehensas repraesentarunt, ac communis fere omnium querela fuit: *commercia interverti, potissimum reip. nervum:* seorsim etiam Brabanti, Hollandi, Zelandique, *sibi gravissimam decimam* questi, *quum propter haleçum reliquamque piscium capturam; tum propter salem, vinum, pannique texturam, & merces Balthicò mari advehi solitas; quin tributum potius annuum peteret, quamvis supra veterem modum, pro side in regem, & obsequio, libentius solvendum; ad vicesimam quod attineret, eam plane ferri non posse; quippe usu saepe futurum, ut ob eundem agrum, domumve, intra annum vertentem sexies centesima solveretur.* Harum rationum Albanus, animi obstinatus, nullam admittens, decimam & vicesimam urgere non destitit; *non certum sibi remp. pessundare, sed felicitatem eius firmam ac stabilem reddere; igitur concedere, ut onera sua per libellos testentur, benigne deinde arbitranda; in praesens vero velle regem, uti postulata concedant: si recusent, aut cunctentur, aliud quicquam tentaturum; nihil esse cur ita grave existimarent; in Hispania usitatum, ubi una sua Alba instar* L. *aureorum* CIↃ. *annua redderet.* Provincialium causam prudenti moderatione Viglius praeses ita tuebatur, ut nec se obnixe viro proposiri rigido opponeret; *considerandum diversum regionum statum. Hispaniam late diffusam, agricultura, & soli feracitate, aestimari: in limite nullos vicinos; montibus tantum, & mari terminari. Belgium contra angustum esse, pannificioque, ac commerciis, censeri: deinde pluribus populis circumfundi, ad quos ea, si tributis onerentur, commigrarent. Id prudenter valde Philippum Burgundum, Belgicae felicitatis auctorem, praevidisse; eoque diligenter cavisse, ut portoria ac tributa levia essent, vilisque annona; mercatoribus etiam peregrinis hac de causa privilegia indulsisse; nunc si contra ipse nitatur, arceri peregrinos, expelli indigenas; ac commercia plane interverti; quod si exstruere arces vellet, aerarii rationem haberet: neque tam novas fieri necessarium: quam, quae olim in limite fuissent, reparari; nunquam tributa provinciales continuasse; tantum rogas, quas appellabant, dedisse, quales vel requirerent principes, vel facultates suae ferrent. Quibus in pace, nimia exactione, nulla ad belli casum subsidia relinqui, omnino non expedire. Si subventum agricolis vellet, propterea ne mercatores opprimeret; porro de reditibus Albae, ut longe maximis, ita plurimum gratulari.* Ita Ordines, amplius deliberaturi, in suas quisque provincias recedunt. Interim datis ad praesides literis instare proposito singulos iubet; *se quidem ea moderatione usurum, qua in obiectis difficultatibus par esset; id in sua manu situm; & vel omnia intermittere posse, si ratio commerciorum flagitaret;* nonnullis quoque interminari, *nisi concederent, vim adhibiturum; atque hoc omnino regi videri; motibus nuperis obnoxios esse; hancque culpam promto nunc obsequio luendam.* Hannonios, Atrebates, ac Namurcenses, eius noxae immunes, ut exemplum ipsi ceteris darent, blanditiis, & promissis ingentibus, impellere clam tentavit, reliquis praesidiorum metum iniecit; idcirco territi nonnulli, ut iram eius, & imminentem tot militum insolentiam evaderent, quibus animus per stipendia debita ferox, & occasio praedae quaerebatur, ea lege tributum promittunt, si ceterae quoque provinciae exhibeant; orant praeterea, *ut expensis querelae momentis, clementer statuat, quod publice utile sit futurum.* Hollandiae nobilitas, & urbs primaria Dordracum, prima consenserat, ad quam mox reliquae civitates accesserunt. Tantum Amstelodamum recusare initio, & causas seorsim adlegare; subscripturum nihilominus, si ab aliis acquiesceretur; plus difficultatis apud Vltraiectinos fuit; ii Albano responsum mittunt: *serio omnia petitionis suae membra examinasse, nec modum invenire potuisse, quo satisfacerent; exiguam admodum provinciam esse, e qua, ubi se quam latissime porrigit, duabus horis exire liceat; mediam partem ingenio loci sterilem valde, alteram vix cum magna impensa fructum ferre; proximis* XL. *annis, quibus in Caroli Caesaris potestatem cessisset, praeter alia quoque tributa, aes alienum ad* C *florenorum* CIↃ. *contraxisse, cuius usurae etiamnum premerent; insuper praeteritis turbis valde adflictos in tutelam cogere militem debuisse, cuius stipendio exhaustum aerarium; inde desertam civibus urbem, & commercia imminuta, ne in pace quidem frequen-*

CIↃIↃ LXIX.

CIↃIↃ LXIX. *quentia; agrum etiam subiectum, in transitum copiarum apertum, amicisque pariter & hostibus expositum, fortunis plurimos evertisse. Huc accedere maxima agriculturae incommoda, exesa passim a muribus fata, aut aggeribus ruptis mersa: item pecoris mortalitatem; nunc si tributum intolerabile porro flagitet, publicam paupertatem fore. Olim regem Philippum, florentissima adhuc provincia, quum centesimam rebus soli, mercibus quinquagesimam indixisset, intellecta territorii angustia, & tributi ordinarii gravitate, tantum* XXVIII. *florenorum* CIↃ. *in proximum octennium distributa imperasse, ac sperare, tam laudabile indulgentiae exemplum hoc quoque tempore sibi propositurum. Quia tamen, adfectu in Belgium, eius tranquillitatem, ac religionem avitam, maximis impensis conservasset, ut ingens beneficium adgnoscere viderentur,* LXXII. *florenorum* CIↃ. *in sexennium proximum obferre, ea conditione, ut* XII. *iam expensa ei summae deducerentur: & intra id tempus tributi ceteri immunes forent. Praeterea etiam, si aggeres alibi tempestas dissiceret, tum illius anni portio in sequentem prorogaretur.* Non contento is conditionibus Albano, iterum oratum ablegant: *magno turbas proximas stetisse, & ad* C. *florenorum* CIↃ. *expensa: ut obsequium fidemque in regem tueri liceret; quam ut porro testarentur, concedere paratos, quantum nulli principum suorum unquam fecissent; ea propter, praeter* XII. *illa* CIↃ. *quae solvissent, alia adhuc* C. *offerre, sexennio proximo persolvenda.* Sed quum vir propositi rigidus, ne sic quidem placatus, *nisi parerent, datam a rege potestatem, & arma* non obscure minaretur, tertium deprecatores mittunt: *eam sibi spem fuisse, ut honestam orationem obtinerent, praesertim tum ingenti pecunia, quam obsequii in regem proni, nunquam antea concessam, in summa erarii necessitate decrevissent; supra illam nihil posse:* Seorsim etiam quinque collegiorum praesules repraesentabant, *suorum bona, sine summi pontificis consensu, sub laicorum commercio neutiquam comprehendi; & in coenae Domini bulla, eos qui tributa permittunt, non minus quam ipsos exactores, usu sacrorum prohiberi; item proximo cum Carolo V. tractatu, quando ius in illum rerum temporalium transferretur, a tributis gravioribus expresso pacto immunes habitos; nequaquam ignaros, a pontifice regi concessum, ut suarum ditionum ecclesiis dimidiam bonorum partem imperaret. Quae res quum gravius multo ipsos, quam secularium quenquam premeret, manifestam iniuriam enixe deprecari.* Aegerrime exceptionem Albanus tulit, & bullae eius adlegationem, quam de oppressoribus loqui inquiebat, non de veris ecclesiae patronis, inter quos locum sibi minime posterum deberi. Inde accito Antuerpia typographo, cum Senatu permittente excusam intelligeret, graviter illi succensere; moxque certior factum negligentia Torraei: prius eum aliquamdiu publico, deinde in annum munere semovit. Vt autem Vltraiectinos cogeret, quorum exemplo alii quoque iam recusabant, legionem illuc Longobardicam mittit, in qua x. Hispanorum signa; quibus promiscue, nullo ordinis ullius respectu, hospitia sua cives praeberent; neque excusaretur quisquam, praeter episcopum, templi Martiniani Decanum, & Wyckerslotium, ad D. Mariam Canonicum, cuius frater regia cubiculo erat. Eorum effraenis insolentia eo gravior civibus incubuit, quia, si non Albani mandatum, certe destinatio fuerat; idque illis minime ambiguum flagitiorum impunitas magis prodidit; sed immite consilium constanti patientia fregerunt; & extremo Novembri quum praesidii angustiam ipse miles quereretur, signa II. Amersfortiam translata. Quia vero gravem omnibus decimam & vicesimam videret, ut invisa nomina mutaret, differre propositum velle ostendit, si earum vicem universim in annos singulos VI. sequentes vicies centena CIↃ. promitterent, initio facto a die X. Kal. Septembris, quo decima ac vicesima concessae fuissent; insuper, quando tantilla pecunia vix sumtibus subfectura videretur, elapso sexennio, altera centesima aerario subvenirent. Huic rei deliberandae mensem dedit; & initio aequior quibusdam visa fuit, sed expediendi tamen ratio, gravi pridem aere alieno, difficilis censebatur. Alii opinari, *temere plenum consensum dici, quandiu Vltraiectini detrectarent; quum non aliter promississent, quam si omnes pariter acquiescerent:* Erant etiam qui *leviorem decimam & vicesimam* existimarent, *per tot profugos, & dissidium Anglicanum, detritis vehementer commerciis:* Nonnulli privatim *amplius rato exigi ab se* querebantur; *nam olim institutum, ut pecuniae a principibus rogatae Flandriae trientem, Brabantia quadrantem solveret. Hollandia Flandriei tributi quadrantem; Artesia, Hannonia, ac ceterae provinciae sextantem singulae penderent; quibus temporibus bellum contra Galliam gestum, placuisse, ut limitaneae tributi expertes haberentur: nunc pacatis valde iniquum, ut Flandriae trientis necessitas, Brabantiae quadrantis maneat; rectius tributum omnibus legitimum distinctum iri.* Contra Artesii, Hannonii, Insulani, Duaceni, Orchienses, ac Namurcenses contendebant, *a vetere instituto non recedendum.* His dissidiis difficilior rerum status, ac provinciarum diversa studia novas postea turbas dederunt. Quin, augente indies Albani odio, plurimi mutationem optabant; etiam illi, quibus cordi religio maiorum. Publica passim querela erat, & perpetuae servitutis metus; ac persuadere sibi plerique, post decennium bonis omnibus evolutos, nondum tamen a tributi gravissimi onere liberos fore. Angebat magis, quod, subspecta cuiusque conscientia, curas, nusquam profiteri ausi, animo occultare cogebantur; quippe emti delatores, qui hominum se colloquiis inserentes, innoxia saepe verba proderent. In tam iusta populi querela, aut occulta indignatione, deploratas Belgii res ad Auriacum defert quidam; qui aliis ab Hollandiae Ordinibus Bruxellas legatis collega datus, quum domum ceteri reverterentur, simulato Antuerpiae & alibi negotio, clam Dillemburgum diu noctuque iter festinat; ibique

CIↃIↃ LXIX.

CIↃIↃ LXIX. que Auriacum adloquutus, iniquam Albani pertinaciam, & Belgarum communem offensam multis exponit. Inde biduo quam venerat discedens, suosque quantocius subsequutus, non multo tardius in Hollandiam redit; atque ex eo tempore crebra illi cum Swetano ac Calslagio consilia, & occulta non nunquam in Albinianis, ubi aedes Calslagius habebat, colloquia fuerunt. Exorientis dissidii fama ingens profugis spes adfulsit, brevi fore, ut mutatis rebus patriae ac bonis rederentur. Auriacus vero nova de Belgio liberando consilia agitans, omnia rerum momenta expendit, prioris propositi fortunam correcturus; & ut certior successus esset, cunctandum aliquantisper ratus, interim Lancelotum Brederodium, Albertum Egmondum, Adrianum Menningum, Bartholomaeum Entesium, Embisium, Ruichaverium, aliosque, naves bellicas parare iubet; classemque universam Adrianus Bergesius Olhanus duceret; qui dum mare passim infestat, tempestate in Flevum actus, advenientes e Dania ac Svecia prius LX. naves, mox alias XL. adgressus expugnavit, mercibusque direptis terrore ingenti commercia concussit. Eadem aliis quoque mandata; insuper ipse, nullius laboris parcus, passim omnes, quos causae suae favere crederet, orat atque obsecrat: *oppressam graviter libertatem provinciarum uti ne desererent*: per literas quoque ubivis locorum profugos hortatur, *ut tam egregiam voluntatem pecunia adiuvarent, sine qua frustra quicquam tentari, nec patriam liberari posse*. In hoc proposito praeclaram illi operam navabant Didericus Sonoius, Albertus Vchtenbroucquius, Adrianus Swetanus, Iacobus Wesenbecius, Ioannes Basius, Reinerus Cantius, aliique; quin ut tuto literas mutarent, inventae arcanorum notae, quae neque interceptae consilia proderent. Elizabetha Angliae regina *Henricus Philippi* dicebatur. Daniae rex, *Petrus Petri*, Navarrae, *Antonius Iacobi*, Ferdinandus Albanus, *Paulus Albasius*. Gulielmus Auriacus, *Martinus Gulielmi*. Megensis, *Vultur*. Didericus Sonoius, *Daniel Santenus*; aut, *Nathanael Calcarienſis*. Albertus Vchtenbroucquius, *Adolphus Sonnius*. Drunaeus, *Gerardus Traiectinus*. Dein urbibus quoque, ac provinciis, novata nomina; & adpellata Hollandia, *Aes*. Enchusa, *Triton*. Horna, *Pollux*. Medemlacum, *Castor*. Alcmaria, *Pluto*. Amstelodamum, *Saturnus*. Edamum, *Hercules*. Monachodamum, *Rhadamanthus*. Brila, *Vulcanus*. Ager Vornensis, *Aeacus*. Delphi, *Apollo*. Haga, *Iupiter*. Leida, *Mercurius*. Woerda, *Satyrus*. Dordracum, *Ianus*. Gouda, *Mars*. Roterodamum, *Aeolus* Delfshavia, *Achelous*. Muda, *Phoebus*. Flevus, *Titan*. Texela, *Boreas*. Vltraiectum, *Proserpina*. Durostadium, *Thetis*. Gelria, *Chalybs*. Transisselania, *Stannum*. Bommelia, *Ida*. Daventria, *Venus*. Zutphania, *Ariadne*. Campi, *Iuno*. Zwolla, *Pallas*. Arnhemium, *Io*. Noviomagum, *Ino*. Groninga, *Astraea*. Embda, *Brunsvicum*. Hamburgum, *Hedelburgum*. Dillemburgum, *Dantiscum*. Wesalia, *Hafnia*. Ad haec XII. Zodiaci signa totidem anni menses erant; dies *gradus* nuncupabantur. Albanus interea graviter Vltraiectinis succensens, quorum pertinaciam provinciis aliis exemplo esse aegerrime ferebat, cum insolenti valde praesidio assensum extorquere frustra speraſſet, medio Decembri ad causam dicendam coram Senatu adesse iubet. Id quum constanter aliquoties feciſſent, multorum precibus, qui gratia in aula, & auctoritate valebant, offensam mitigare conati sunt; insuper ad C. illa CIↃ. quae obtulerant, alia L. adiecerunt; sed ille neque sic placatus, sine exceptione parere iussos, *etiam ante actorum veniam supplices postulare* voluit, *ac suae gratiae arbitrium exspectare; aliter non ius remissurum, aut praesidia deducturum*. Quod ubi intellectum, etsi haud occulta iudicium iniquitate, patientiae obstinati iure porro experiri, nec integra conscientia infamiam tantam in se suosque admittere statuerunt. In ceteris provinciis id effecerat, ut e vicies centenis CIↃ., in biennium proximum tribuendis, singulae partem ratam promitterent; paucis aliquot permissa redemtio, quae pridem sub Philippi dominatum venerant; ac Gelria quidem quingenta quinquaginta CIↃ. Frisii CXXVIII. Transiselani, & Tubantes. XCIV. Groningenses LX. in certos annos distincta penderent. Linganis decem CIↃ. dalerorum imperata; per haec annus exspiravit. Indies vero crescente in Albanum odio, vix ultra obscurus adfectus erat; & clam agitari plurima, mox per occasionem palam tentanda. Sed Auriacus explorato, per aerarii inopiam pridem se consilii frustra fuisse; nonullos etiam parum fidei constantes, qui simul in Belgium cum exercitu adveniſſet, urbes se aliquot tradituros, aut auxilio adfuturos promiserant; incerta casuum iterum experiri haud consultum putans, symbolam prius ubique rogavit, mensibus singulis & septimanis colligendam, etiam in ipsis Albani provinciis, ubi terrore cuncta oppleta. A Sonoio iussi hanc operam concionatores quidam praestare, qui per Hollandiam agrumque Traiectinum ignoti verſabantur, atque occultis apud religionis suae socios domiciliis usi, magnam pecuniae vim corradebant; quippe in communi negotio, quod recuperandae conscientiarum libertati institutum, non alii magis efficaces: quum homines fortasse non indiserti, si non eloquentia, tamen pietate, facile animos commoverent; & fuerunt, qui non pecuniam, sed seipsos, ac sanguinem suum, Auriaco obferrent. Idem mandatum Leidae acceperat Petrus Adrianus Weruvius, & cum eo Georgius Epo, qui cum in sua urbe, tum Dordraci, Roterodami, Delphis, Hagae, atque alibi, non contemnendam symbolam impetrarunt. In Frisia e selecta nobilitate, Petrus & Asinga Ripperdae, ac Pompeius Vfkensius, ad diem Kal. Febr. Sonoio nuntiant: *nulli se antea foederi obnoxios, neque ut essent quenquam petiisse: nihilominus tamen bonis exsatos, ceu noxae communes; itaque patriae & libertatis ergo, ad vim propulsandam, Auriaco deinceps auxi-*

CIↃIↃ LXIX.

CIↃIↃ LXX.

CIↃIↃ LXX. *auxilia ferre certos, quae etsi nulla tunc ipsis in promtu, in proximam tamen Pentecosten sclopos trecentos parare velle*. Interim ad remp. ordinandam Albanus fertur, ac Dordraci monetae praefectum, aliumque adulterandae administrum, in carcerem coniicit; & illi quidem poena capitalis indicta, huic ob imprudentiam aetatis, multorum interventu gratia facta. Vtque porro fraudem prohiberet, Id. Martiis edicto cavet, ne argenteae monetae cuiuscumque usus sit, nisi quae Philippo auctore cusa, aut signata. Res utilissima publice visa, magis privatim ipsi quaestuosa. Inde ad religionem animum advertens, libris vetitis abstinere iubet; & Theologis Academiae Lovanienſis dat negotium, uti notatis auctorum locis, quae maiorum pietatem laederent, indicem conficerent, editum postea hac cautione, ne quis in eo quicquam, sine praefecti, aut senatus auctoritate mutaret. Additur curae isti Arias Montanus, vir egregia literarum fama, qui mandata a Philippo Bibliorum editione, recens ex Hispania advenerat. Tum typographis quoque, & ludi literarii magistris leges perscribit. Cameraci & Machliniae synodos habet, in quibus episcopi multa decrevere, secundum concilii Tridentini statuta, a quibus discedere quemquam fas non esset; item de iudiciis criminalibus multa constituit, in speciem non iniqua, quae nullo privilegiorum, legum, immunitatum, aut consuetudinum, respectu tantisper observarentur, donec de iis scripto repraesentatis plenius cognovisset. Formulam quoque sacramenti proponit, iis sequendam, qui ad iudicum officium, aut aliud aliquod munus publicum promoverentur. Per hoc tempus quum Spirae Nemetum comitia Maximilianus haberet, profugi Belgae, communicato cum Auriaco consilio, de vi, & oppressione Albani conquerentes, Caesarem atque Imperii principes supplices orant, ut suo nomine apud Philippum intercederent. Idem Culemburgenſis, Bergenſis, Hornana, & Batemburgicus fecerunt, debitum Imperii clientibus patrocinium implorantes. Et faventes sane e principibus multos habuerunt, qui causam adiutare, & orare Caesarem, *quando pars Imperii Belgium esset, misertus aerumnarum, pacem religionis, qua Germania frueretur, ipsis quoque procuraret: iam semel apud Philippum egisse, nec tam laudabile propositum desereret; pergeret pacis studium praeseferre, ac regi persuaderet, ne in fidei negotio vim conscientiis ullam faceret, aut vita ac fortunis subditos supplices everteret*. Et inclinabat in rem aequam Maximilianus, quum legati Albani, & reliqui Catholicae religionis principes, optimum Caesarem in contraria impellerent: *licere regi in rebelles pro arbitrio animadvertere, neque hanc curam ad Imperium pertinere*. In Vltraiectinos tunc lata sententia, qua suffragii ius in comitiis postea nullum clero permissum, aut nobilitati; magistratui urbano, aliisque civitatibus tertii ordinis, etiam privilegia omnia adempta; iique hoc quasi fulmine percussi ad regem provocant; quae res Albani iram accendit. Igitur in Hispaniam deprecatum mittunt Guglielmum Veuselium, ad D. Petri templum Decanum, antiqua pietate, & praestanti eruditione virum; quamvis periculosa legatio crederetur; tam recenti Montinii, Bergenſis, aliorumque exitio; isque cordate iniuriam, ab Albano factam, regi supplex repraesentat; sed Albanus, contempta provocatione, per literas Vltraiectinis nuntiat: *Etsi post sententiam latam omnium illic munerum penes regem potestas esset, tamen singulis magistratum prorogare, donec aliter facto opus videretur; interim providerent, ne quid in iure dicendo, aut civibus regendis, Resp. detrimenti caperet*: Tum provinciae quoque praesidem, ac senatum comitia deinceps ulla habere, aut ordinum munere defungi verat; Franciscum Bothium, aerarii quaestorem, rationes publicas Bruxellas transmittere, pecunias vero fisci quaestori tradere iubet. Huius quoque rei certiorem regem faciunt, & quoscumque faventes sibi in aula eius existimabant. Interim, quia intoleranda Hispanici praesidii ferocia vexabantur, omnibus modis satisfacere Albano, & iram viri placare student; sed illi rei Florentius Thinnius ter ablegatus re infecta domum rediit; & obtulerant, si comitia pristina permitteret, ac praesidium evocaret, florenorum CLXXXM, Rex Philippus, pontificis consensu, & Albani ac senatus consilio, anno superiore Madriti diploma dederat XVI. Kal. Decembres, quo turbarum veniam Belgis promittebat, sed tam lata exceptione, ut paucorum beneficium videretur; id hactenus dilatum nunc Antuerpiae promulgat, XVI. Kal. Sextileis. In foro maximo ante curiam theatrum ligneum erectum erat, aliquanto sublimius, panno oppansum; in summo solium magnifice instratum, quo regis locus repraesentabatur; in hoc consedit, fastu hactenus legatorum nulli usitato; ad utrumque latus, depressiore paulo sedili, feminae duae Antuerpianae, praestanti forma: quod populo indicium, placatum iam esse regis animum, ipsumque in posterum clementer habendum. Prodeuntem ad gradus usque stipatores deducebant; forum miles obsidebat. Ita cum magno armorum terrore pacem pronuntiat, & delictorum gratiam minus acceptam, quia paucis utilem, omnibus dubiam; quamobrem rari confidere ausi domum redierunt, homines nullius fere loci, quos & fortunae suae tenuitas, & numeri infrequentia, illaesos praestitit. Mense Augusto Anna Austriaca Philippi matrimonio destinata in Belgium venit; proficiscentem fratrum minimi Albertus, ac Wenceslaus, & selecta nobilitas comitabatur. Deducendam Caesar dederat Ioanni Hoio, episcopo Monasterienſi, & Borussici ordinis praefecto. Sub adventum profugi Belgae Emerica exacti, ubi tunc Arscotanus ac Noircarmius erant, honoris ergo obviam missi, & Auriaco per literas Sonoius significabat, modo voluntatis suae gnarum, facile iter in aggere Bergenſi impediturum fuisse; quum Noviomagum regina adpulisset, solenni ritu in Albani manum tradebatur.

CIↃIↃ LXX.

Illic

CIↃIↃ LXX. Illic Gelriae, Hollandiae, Vltraiecti, Frisiae, Transisselaniae, Groningae, Ommellandiae, ac Tubantum legatos obvios habet; qui matrimonium novae nuptae gratulati egregia quoque munera obtulerunt. Inde Albano deducente Antuerpiam abiit; ubi regio plane adparatu excepta, a ceteris Belgii sui provinciis, ultra Mosam & Scaldim positis, vota itidem ac munera accepit. Hinc in Zelandiam profecta classem Flissingae conscendit, ducente Maximiliano Bossuvio, maris praefecto. In Hispaniam eunti comites ab Albano dati, Ferdinandus Toletanus filius, Rodericus Toletanus, & Christophorus Mondragonius, cum legione sua eam ob causam Daventriam evocatus. Ipse Albanus, quum & antea successorem sibi a Philippo dari postulasset, hoc maxime tempore illud agebat, ut novam dominam ad regem maritum deducere liceret; sed obtinere commeatum non potuit. Dum haec fiunt, sedulo Auriacus de restituendo Belgio agitare; pridem naves plurimae eius iussu mare commerciis infestum reddebant; nunc de urbibus quoque capiendis cura erat; itaque clanculum per Sonoium Enchusam ad deditionem sollicitat: isque pene rem perfecerat, occupatis civium plurimorum animis, quum tamen obortum aliquod ex improviso impedimentum, summo, quod admireris, consilii secreto, in sesquiannum differre coëgit. Interim in Hollandia Septentrionali, duorum maxime concionatorum opera, per plurimos pagos symbolae institutae, & conventicula item crebra, nullo Albani metu, habita. Illi ad populum commeare frequenter, & periculi vices alternare: literas etiam ferre ac referre, quae interceptae ne consiliorum arcana proderent, de frumento tantum, aut simili commercio, agere videbantur. Id vero commercium urbes erant, Horna, Enchusa, aut Medemlacum; pariter in australi Hollandia de Dordraco occupando, Brila, Roterodamo, ac Delphis agitatum; in Transisselania, de Daventria, Campis, ac Swolla. Sed haec consilia impedita, aut non tentata, irrito in hunc annum conatu, fuere. Quia autem naves bellicae insolentius piraticam exercebant, ut belli sui infamiae occurreret, dato illis praefecto Lumbresio, edictis pluribus licentiam adstringit. Inter cetera, laudabili virtutis exemplo, *procul ambitione & avaritia, boni tantum publici curam habere* iubet; *nec militem legere, nisi famae integrum, & crimini, aut lictori, non obnoxium*. Tum concionatorem singulis item navibus imponit, qui pietatem, & sacras preces exerceret. Non multo post, diversis temporibus, naves circiter L. varie onustas invaserunt. Ductores dati, Lancelotus Brederodius, Adrianus Menningus, aliique Valentinianis III. Germanorum CIↃ. in praesidio agere, & stipendium diu debitum per seditionem flagitantes, Lodronio, ac ductorum nonnullis vincula iniicere; eamque rem indignatus Albanus, stipendii parte per legatum, & venia data, in auctores clam inquirit; mox Antuerpiam in spem reliqui evocatos, quum haud longe ab urbe abessent, immissis Hispanis, separata seditionis capita ante arcem gladii, aut laquei, poena adfecit. Reliquos omnes exauctoratos, sine stipendio ac commeatu, Belgio excedere iussit. Hoc gestum mense Septembri. Novembri proximo, gravissima tempestate ruptis aggeribus, plurimum passim per Belgium aquarum exundavit, multiplici hominum ac pecoris strage; mersa passim templa, domusque, & ager pene universae Frisiae, vix urbibus salvis, quae aquis undique circumsessae. Tristis rerum facies erat, & pluribus interceptis, nonnullos aedium quarundam tecta, aliaque fastigia, aut trabes innatantes servarunt. In tam magna calamitate egregium pietatis specimen Caspar Roblesius Billius dedit, provinciae praefectus, qui Groningae tunc erat; quippe praeclaro in miseros adfectu, hic illic natantibus, aut excelsa quaeque complexis, navigia submisit, quibus a morte praesentissima tristissimas fluctuum reliquias reduceret. Insuper reip. misertus, quae aggeribus aut cataractis reparandis satis premeretur, anni sequentis tributum remisit; & homo Lusitanus tam insigni beneficio animos omnium sibi obstrinxit, antea odio gentis invisus. Vix aestimari clades possit, & periere in sola Frisia hominum fere XXCIↃ. nec immunis Flandria fuit. Grevelinga, Dunkerka, Neoportum, Ostenda, Watervlietum, pagique alii plures experti; concussae vehementer Brugae eversa cataracta Gandendis, quae Sassa vocatur; & Gandavum ipsum usque, ad Caesaris portam, aqua excurrit. Minus periculi Brabantia habuit, si Antuerpiam excipias, & pagos aliquot Scaldi vicinos. In Zelandia, praeter reliquam pecorum, & aggerum cladem, hominum CIↃCIↃCIↃ. absumta. Gravissime vero Hollandia quoque laboravit, Dordraci, ac Roterodami, aliisque in urbibus, ad tertium pedem aqua plateas supergressa est. Ad Papendrechtum, & in insula Crimpensi, septem locis disiectus agger incredibile quantum hominum pecorumque abripuerit. Pagos mari adiacentes eadem procella invasit, ac potissimum Scevelingam, ubi eversae aedes CXXVIII. naves in littore stabulantes statione eiectae per vicos ceu Oceano vectae ferebantur; & ingressa templum aqua, plus tertium pedem alta, in ipso sacrario gravem e ferro cistam subvertit. Immane damnum Amstelodamum etiam accepit, &, qui Mudam ducit, agger tredecies perforatus. Partem cladis provincia Vltraiectina sensit, & Hollandia Borealis, insulaeque adiacentes. Zypae e CIV. aedibus vix quicquam superfuit. Caninam silvam, miraculum loci, rupto exteriore aggere, periclitantem vix immanis interior moles servavit. Luctuosus certe Belgio casus, & qui praeter ceteram iacturam hominum plus centum CIↃ. absumsit, Hispani iustae Sanctorum irae rem imputare, quorum imagines Belgae violassent. Ipsi Belgae simplicius iudicare, nec eos vindictae cupidos arbitrari; nulli tamen dubium, irati ob peccata Dei indicium fuisse. Multum ea res Auriaci consilia perturbavit, quippe de Enchusa, & aliis Hollandiae

CIↃIↃ LXX.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXX. diae urbibus capiendis cogitabat; iamque in Amasia flumine naves, copiaeque paratae, & in Anglia item Lumbresius classem instruebat; sed quia tempestas aliquot naves valde afflixerat, & egressae ripas aquae incertum nautis alveum fecerant, dilatum necessario propositum; mox aliud quoque impedimentum obiectum. Ioannes Basius, qui literas ad senatum, & mandata adlaturus exspectabatur, vix IV. Non. Decembris Embdam venit; quo tempore Euro flante obortum gelu intensum fuit; & Lancelotus Brederodius, qui negotio in se recepto cum quibusdam navibus praecesserat, Texelam insulam occupaturus, eiecta ex imo mari glacie, irritus profectionis aegre rediit. Entesius, Mentheda, & Ruichaverius, quo evasissent, aliquamdiu ignoratum; ac Ruichaverius, in Flevum delatus, naves quinque obvias invadens, redemptionem vectoribus imperavit. Hinc Embdanus, ceu damno suae ditioni illato, offensam praetendens, naves XI. detinuit, ac cum iis nobiles Frisios, Mepsium, & Iensemam, abbatemque Heumelium, quem e Frisia captum abduxerant. Insuper Theodoro Bremano vincula iniicit, & arctam navibus custodiam apponit. Hoc rei eventu, ut impensae minuerentur, retentis navibus militem dimittere placuit; sed non spem occupandae Enchusae, quae in occasionem dilata. Adhuc arcana consilia erant, nec ad Albanum quicquam emanaverat; eoque enixius occultata, ne ille aliqua subspicione interea praesidium imponeret, ac spem successus omnem eriperet. Embdani factum Sonoius Auriaco per literas exponit: interimque ex Haio & Vnico Manningis fratribus, uno Embdae, altero Nordae praefectis, *rem a Caesare mandatam* intelligit, *& dilaturum etiam Embdanum fuisse, nisi per Monasterienssem episcopum certo comperisset, eas Albanum invasurum, aut gelu impeditas exusturum fuisse; ideo praevertendum putasse, quum primum salva nominis existimatione posse videretur: maxime si proximo circulorum conventu rata Auriaci mandata haberentur. Graviter conquestum Albanum, quod piratis fuisset; & septem libellos accepisse, quibus parare responsum deberet; insuper, non observatam usquequaque militiae disciplinam, & nulla ductorum reverentia in amicos pariter atque inimicos incursatum. Id autem Basii potissimum culpa evenisse, a quo auctorati promiscue, in paucas saepe septimanas, homines per egestatem flagitiosi, quique arma in praedam verterent. Quumque de illato damno sacri Imperii subditi conquerentes restitui sibi bona sua postularent, hos feroci responso dimissos; illos, ne responderet, latebra elusos.* Mense Decembri Hermannus Ruterus, pridem institor boarius, insigni vir audacia, solis tribus comitatus, Lovestenium, ditionis Clivensis arcem, prope Gorcomium in Insula Bommelienssi sitam, ad Mosae & Vahalis confluentes, sub vesperam habitu Franciscano ingressus capit, ac praefecto caeso aliquamdiu tenuit, dum speratum a Bergensi auxilium adesset, quod gelu impeditum. Interim cum XXIV. commilitonibus locum munit. Ad rei nuntium missus a Roderico Toletano Silva Ducis Laurentius Perea cum sclopetariis CL. & hastatis X. isque ubi ad arcem adveniisset deditione postulata, quum negaret Ruterus, adductis tormentis vim tentare. Suorum virtutem egregia oratione Ruterus accenderat, certumque omnibus extrema pati; & honestam potius in armis mortem, quam infamem lictoris manum experiri. Primo adventu, quum nullae pro muro excubiae agerentur, petitis e loco vicino scalis duplice, quae interiacet, fossa clanculum superata, praesidiarios intra arcem Hispani compulerant; inde impetu facto comminus utrinque pugnatum est; tandem ex altera parte per scalas adpositas in arcem irrupere, obvium quemque obtruncantes. Ruterus se in conclave recipere, sparso in aditu pulvere tormentario, ac romphaea diu multumque pugnans irruentes substinere, ut viri fortitudinem ipse hostis miraretur. Ad extremum, edita ingenti strage, vulneribus obrutus iniecto in pulverem igne ambustis oppugnatoribus, gloriosa morte occumbit. Mortui caput Silvam adlatum patibulo adfixum fuit; e sociis XVII. capti Antuerpiam adducuntur; moxque ex iis XV. subspensi, II. in rota excarnificati. Consilium Rutero erat Gorcomium etiam, ac Worcomium, fluminaque occupare; & coniurarant civium nonnulli, qui valde angi ne proderentur; sed morte Ruteri, apud quem nulla chartarum indicia deprehensa res occultata. Adiuverat negotium inter primos Hadrianus Hovelius, vir consularis, tunc in Cliviam profugus, & Vchtenbroucquio Wesenbecio, Sonoio, Cantio, aliisque, arcanorum particeps. Circa id tempus res ridicula plane accidit, in qua Albanus animi moderati signum dedit. Lovanii quidam declamator, quum Albani laudes, ceu, ob Belgas, Germanos, Italos, Gallos, atque Mauros debellatos, putide satis ad auditorum nauseam diceret, iique hominem ingratae eloquentiae incondito strepitu interpellassent: quia res cum contumelia Albani coniuncta videbatur, Academiae professores anxii, ut offensam atque iram declinarent, Elbertum Leoninum, & Ioannem Wanesium, primi loci ac nominis iureconsultos, ad eum mittunt; qui quum factum pluribus verbis anxie excusare niterentur, edito ab adstantibus strepitu vicissim turbati, ab Albano dimissi fuerunt; nec ulla ultra ira contumeliam ille vindicavit. Anno sequente, explorato quid Sonoius & Godefridus Haestrechtius molirentur, apud Cliviensem eiusque senatum per literas queritur: *homines noxios, & turbarum contra regem per Belgium irritamenta, in sua ditione tolerari.* Megensis quoque, Gelriae praeses, senatui nuntiat, *captivos aliquot per tormenta fassos, Sonoium ac Drunium Herembergae & Vltae expugnationem adiutasse; illum vero etiam pecunias bello contra regem gerendo colligere; quamobrem rogare, uti poena crimen compescerent; aut, si negligant, se quod facto opus curaturum.* Hac de causa veritus Clivensis, ne Emericae, ubi agebat Sonoius, invadendae consilium Albanus caperet,

CIↃIↃ LXXI.

MDLXXI. rat, Stephanum Stenium, urbis praetorem, capere Sonoium ac Drunium iubet; isque noctu postrid. Eid. Febr. quinque lictoribus comitatus rem adgressus, neutrum in aedibus comprehendit. Sonoius a Maria Malsenia uxore monitus, ut periculum evitaret, urbe aliquantisper emansit: graviter apud Cancellarium, Gulielmum Leium, aulae praefectum, & Ioannem Laurimannum conquestus; *se indigenam, & equestri dignitate virum, nulla principis sui offensa, praeter ius fasque temere opprimi; permittendum omnino fuisse, ut beneficio anni isto seculo decimi iuxta alios frueretur: hanc vero tam iustam querelam ad ordinem equestrem comitiis proximis deferre statuisse.* Intercedere etiam Hermannus Nuenarius, & literas cum ad senatum universum, tum ad Cancellarium, & nonnullos senatorum seorsim scribere; quibus effectum, ne quid ad tempus in Sonoium sequius tentaretur. Mense Martio naves grandiores xxx. quarum VIII. commeatum a Ludovico Nassovio impetraverant, piratae invadunt. In Flandria Miegenus & Blommartus per Petrum Ryckium clam officia sua deferunt, copiis in agro Aldenardensi comparandis auctoramentum postulantes: *magnam in promtu praedam esse, tanta opulentissimarum abbatiarum aut monasteriorum per agros circumiectos frequentia. Ronsae S. Hermetis capulum* c. *florenorum* clo. *aestimari; in propinquo ingens nemus, ubi occultari copiae possent, tum illic parari faciles, tum Schorssae, Marcae, Meldae, Edichovii, Quarmontii, & Sulsecae, quibus locis conciones clandestinae habebantur. His accessuros quoque alios, qui Gandavi, Tornaci, & Aldenardae, clam patriae libertatem agitarent.* Sed hic conatus, & si dato ab Auriaco auctoramento, sine successu postea evanuit. Petrus Arlerius itidem secreto, iussu Auriaci, de Camporum, Daventriae, Swollae, Zutphaniae, aliarumque urbium deditione cum civibus earum agere: quae non ita difficilis foret, ipso mox cum magno exercitu adventuro; atque ut is consilia eo dirigere posset certiore eventu, pecuniam, aut obsides darent. Sonoius & Vchtenbroucquius Vltraiectinorum animos tentant, admonentque: *considerarent gravissimas aerumnas suas, quas iugo excusso cum libertate commutarent. Id praestare, quam tam durae servituti sese ac posteritatem obnoxiam habere. Ab Albano nil aliud agi tam immani tributorum indictione, quam ut omnibus in extremam egestatem deiectis, resurgendi postea potestatem adimeret. In procinctu Auriacum esse, qui Hispanis urbem arcemque eripere velit, & rationem pridem ostenderit, libenter obsequuturus, si quid rectius aut facilius ipsi excogitassent.* Eiusdem mandato Nicolaus Camerlinus in Hollandiam profectus Iacobum Duvenvordium Warmondanum, Othonem Egmondum Kenenburgium, Benthusium, aliosque e nobilitate pariter ac cives rogat, in sua idem provincia facerent, ubi cum exercitu Auriacus adesset. Haec consilia non sine ingenti periculo agitata, ita tamen clam Albanum fuerunt, ut postea egregio eventu imprudentem oppresserint. Sed Vltraiectinis, arce munitissima, & praesidio valido insessis, audacia defuit: omnia extrema patiebantur, concussiones, contumelias, stupra, latrocinia; quodvis flagitium impune erat; saepius apud Albanum questi, quum nihil agerent, tum ad regem ecclesiastici querelam deferunt, utque semel tantum liberentur supplicant; sed ab eo ad Albanum reiecti, frustra se esse animadvertunt. Iam xx. totos menses quidvis passi, nec spes ulla miseris reliqua, quum ecce Deus e machina subito casu oppressos liberat. Augeri indies naves bellicae Auriaci, & infesto mari ingentem saepe praedam abducere. Eam ob causam metuens Albanus, ne aliquem in littore locum occuparent, cohortes aliquot desinente Martio Leidam & Alcmaniam ire iubet; moxque reliquas postridie Non. Maii evocatas Delphis imponit, & quia navibus bellum inceptari, ipse suas quoque opponit. Ex his unam egregie armatam Sigebertus Franciscus Medemlacenus, & Eligius Rudanus, Auriaco tradunt; qui explorato, augeri quotidie Belgarum in Albanum odia, iterum cum illo experiri statuit, postulato ab omnibus per Imperium amicis auxilio, & variis navibus auctoratis, quarum classe satis instructa laudabile quoddam facinus edere potuisset, si, quod enixe operam dabat, imperia eius valuissent; sed homines odio & licentia efferati, leges & ductores contemnere, ac veterem disciplinam conculcare; eoque effectum, ut quivis dignior corruptae adeo militiae praefecturam adspernaretur. Sperans autem, si beneficio cuiusquam principis liberum alibi portum impetraret, in quo restaurare naves liceret, tunc rem navalem se ordinaturum, connivere, & poenam differre coactus fuit. Etiam a principibus quibusdam per legatos adversus vim Albani auxilia petiit; in Gallia fratre Ludovico Nassovio usus est. In Daniam & Sveciam Didericum Sonoium, Hermannum Merium, & Ioannem Clusium misit, vetitos tamen Daniae regem quicquam rogare, nisi id legato Gallico, Carolo Danzaeo, videretur. Hique quum Hafniam VIII. Kal. Iunias adpulissent, ut iussi erant, Danzaeum consulunt; isque edocet: *nihil a Dano exspectandum, qui Petro Oecksio ab arcanis uteretur; nec spem esse, qui militi extraneo, iam intra regnum agenti, commeatum negaret, eum aliunde advenienti concessurum; maxime quum pridem, firmandae veteri amicitiae, ab Hispano legatus adfuisset; quin etiam armare naves, quae adversus piratas suum mare, cuius fines quam latissime extenderet, tutarentur:* quamobrem auctor ipsis esse, uti discessum maturarent, quem adiutans navi Rupellanae eos imposuit; avectique in Sveciam, Stocholmium, ubi aula regis, postridie Kal. Iunias venerunt; quumque ab urbe rex abesset unaque cum eo Pontus Gardius, cum quo consilia communicare iussi erant, Sonnebenum, Gardii pagum, quo vocatum ad epulum regem post biduum adfore intellexerant, abierunt; ubi quid venissent effatos, ceu minus idoneo epuli tempore, Stocholmium

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXI. mium rursum, quo rex brevi reversurus, discedere suadet: solum Clusium apud se retinet; IV. Eid. missus a Gardio Ioannes Moinius ipsis nuntiat: *certum de legatione regem, sed decernere nihil posse, nisi gnarum quo loco res Moscoviae essent: & bellum illa, an pacem agitaret. Ab ea sua consilia pendere, nec militem alias necessarium dimitti integrum. Difficile insuper, annonam navibus procurare; cum fratre Carolo tamen conferre, eiusque adfectum clam explorare velle; & quando nuper ab Hispaniae rege atque Albano legatus amicitiam orasset, tutius fratri persuasurum, ut Auriaci causa negotium totum in se reciperet.* Pro hoc beneficio prolixe Gardio gratias agere Moinium rogant; & nonnulla, utiliter apud regem differenda, subgerunt; ac si palam Auriacum iuvare anceps putaret, quod periculi minus haberet, fratre Carolo, aut aliis uteretur. Ad haec literas ad Gardium adduntur. Interim quum Sonnebeno Gardius rediisset, nec diligenter satis rem curasset, per Moinium conqueruntur; illudi sibi, frustraque tempus eximi in negotio tanti momenti, & maturando. Id postquam ei relatum, ut culpam amoveret, XV. Kal. Iulias Swertzium eos ad regem adduxit. Illic admissos rex interrogare, clam an palam audiri vellent; quumque clam malle respondissent, iusso secedere comitatu, praeter Mareschallum & Gardium, literas ab Auriaco exhibent; quas quum legi orarent, rex respondit: *se legationis testimonium adgnoscere, iamque ante edoctum, ab Auriaco oratores advenire;* tum Latine adloquutus, si quid vellent, paucis enuntiare iubet. Itaque data fandi potestate supplices exponunt. *Maiestatis suae virtutem effecisse, ut rem aequissimam, & orbi Christiano utilem, Auriaci mandato orare auderent; non dubium esse, quin de Albani, primi antea Maurorum inquisitoris, in Belgas crudelitate audiisset; advenisse cum magnis copiis Hispanorum, & militum exoticorum, quibus oppressas Belgii provincias tam graviter vexaret, ut nullum saevitiae genus esset, quod non passim intentasset, nullo populi aut procerum discrimine; tyrannidi autem, ut tanto licentius grassaretur, violatae religionis culpam praetexere; atque hoc crimine regi suo imponere; quin etiam, firmandae tam iniquae dominationi, in urbium plerisque praesidia aut arces posuisse; contra Belgii iura ac privilegia, quae rex a maioribus tradita sacramento confirmasset. Igitur coactum summa necessitate optimum principem, quando tentatus saepius Philippi animus nullum rationi aut precibus locum faceret, occurrere Albano, &, restaurandae libertati, arma adversus tyrannum sumere; quando autem M. suae erga remp. Christianam adfectus & cura in aperto essent, eamque ob causam facilem adflictis ac benignum fore confiderent, supplicatum ipsi venisse, ne desereret tam iustam piamque causam, quae ad omnes orbis Christiani principes pertineret. Quippe Albanum, subacto Belgio, cetera quoque, quamvis longe dissita regna, eodem religionis praetextu, invasurum; idque ex foedere Baiocensi anni* LXII. *satis manifestum esse.* Ad A haec verba rex respondet: *& amare se Auriacum, & Belgii calamitatem deplorare. Existimasse autem, Hispaniarum regem, principum aliorum monitu, clementius acturum fuisse; quod quando aliter evenisset, cum Carolo fratre deliberaturum, sine quo decernere nihil posset: ac responsum intra octiduum Stocholmium missurum. Interim, si ita videretur, ipsi ad Carolum proficiscerentur, & cum eo consilia conferrent; nec id sibi ingratum fore.* Illis dicentibus, hoc quoque Auriaci mandatum B esse, atque ad ipsum literas ferre, rex argumentum interrogare; quumque responderent, commendatitias tantum esse, honeste dimissos e familia sua nobilem, arcisque praefectum, comitari iubet. Iamque in procinctu erant, quum per aulae praefectum mandat: *si quid ultra iussi essent, ipsi exponerent: aut, si mallent, per literas significarent, quo rectius negotio animum adverteret;* igitur ad regem scribunt, *quum antea legationem summatim tantum narrassent, id nunc pluribus facere certos; ac denuo submisse regem orare, C si palam ipse auxilia mittere inconsultum putaret, Carolo fratri partes traderet, qui illustri virtutis exemplo egregiam famam in prima aetate ad exteros transmitteret. Idem proximis Galliae bellis quosdam Germaniae principes feciisse; quod si neque hoc expedire regni sui rebus videretur, hominibus extraneis, quorum certa fides, consilium permitteret, a quibus naves impetrarent; tum militem quoque peregrinum, & portum Elsburgensem concederet:* X. D Kal. Iulii Novicopium ad Carolum venerunt, ac postridie ad eum admissi, eadem, qua apud regem fratrem, oratione utuntur: *notam orbi Albani tyrannidem, cui obiicere se Auriacus pararet; sed tam egregiae voluntati impari potestate, auxilia ab ipso oratum misisse, quem bene sibi velle, & reip. Christianae ex animo studere confidebat.* Collaudabat orationem Carolus, &, *gratum sibi esse Auriaci iudicium. Iamdiu Albani superbiam ac ferociam fama accepisse, & Belgii aerumnas commiseratum, E quas si quid lenire posset, cum rege fratre consulturum, ad quem iter instituebat.* Quum recessissent, eo ipso die redire iussi, ac mandata plenius referre, postridie apud Carolum verbis pluribus legationem repetunt; ac seorsim plus horis duabus Sonoius cum eo colloquium habuit. Quum Stockholmium venissent, Carolum illic exspectaturi, Gardium iterum, & Carolum Mornaeum Varennium accedunt; quibus ante discessum, datis ab Auriaco literis, negotium commendaverant. Ibi quum F Mornaeus diceret: *constare sibi voluntatem, nec bono publico quicquam anteferre:* Gardius interpellavit: *vidisse capita quae misissent, & multum de iis cum rege sermonem fuisse, cui naves concedere visum non esset, ob Erici praedecessoris aes alienum, quod in regni perniciem contractum. Deinde &, si Scotis naves in solutum daret, e vestigio alios quoque debitum flagitaturos, atque hunc contrahendi modum cum suae M. contemtu esse coniunctum, tamen naves permissurum, si de pecunia in diem certum repraesentanda mercatores caverent. Ad commeatum quod attineret, eum curare minime*

CIↃIↃ LXXI. *poſse; ita pridem, quum in Prutenos duae mitterentur, penuria reverti coactas. Quod portum Elsburgenſem peterent, cum bona fide promittere*: Poſtridie reverſis, *non ſe propoſitum mutare* Mornaeus adfirmat, *& adfuiſſe ductores Scotos, qui rogarent, efficeret apud regem, ut ſtipendii reliqua*, LXXX. *dalerorum* clↃ *perſolverentur; reſpondiſſe autem, percontaturum ipſos, ſi naves tres quatuorve rex daret, an, quod Scotis placuiſſet, transferri in ſe illas vellent*. Biduo poſt nuntiare Gardius, *nolle regem ipſis naves dare, velle Scotis. Igitur cum illis primum agerent; ac niſi inter ſe convenirent, ne eos quidem etiam accepturos;* dicente Sonoio, *in alieno territorio, ſine principis voluntate, legere militem non licere, eoque prius veniam a rege impetrandam;* reſpondere ille, *hanc eius voluntatem eſſe, ut cum Scotis tranſigerent*. Itaque cum iis actum, ut ſi tres quatuorve naves bello inſtructae in portu Elsburgenſi ſiſterentur, has acciperent eo pretio, quod Stocholmii a delectis utrinque arbitris aeſtimaretur, Auriaco deinceps militaturi; & equites IↃc. pedites cccc. imponerent; ac illis quidem, qui plerique e nobilitate, etſi pedeſtri militia, equeſtre tamen IX. in menſem dalerorum ſtipendium daretur: itidem peditum ductori, eiusque optioni; quippe tale a Sveco habuiſſe; & ſingulis trimeſtribus exhiberetur, quum primum urbem aliquam, aut portum occupaſſent. Sed poſt colloquia pluſcula, quum promiſsis multiplicibus varie res protracta fuiſſet, tandem Erbovillius, aulae Caroli praefectus, & Lubbertus Covellius conſiliarius, XIII. Kal. Auguſti, Caroli nomine denuntiant; *dolere ipſi, quod deſtinata Auriaco auxilia negare cogeretur; perturbatas res Livoniae, quibus ſuccurrendum; imminere etiam cum Poloniae rege bellum; quibus de cauſis naves militemve auxiliarem dare non poſſe*. Ad verba ſua Caroli etiam literas adiungunt, quibus ſe ille apud Auriacum excuſare. Poſtero die ad Petrum Brahaeum Wiſſinxburgium, & Nicolaum Culdenſternium cancellarium, vocati accedunt; ibique ſegregato comitatu, Wiſſinxburgius illis exponit: *accepiſſe nuper regem de adflicto Belgii ſtatu, cui ſublevando ſuppetiae ab Auriaco petitae; nec alienum ab his animum; ſed tam bonam voluntatem antiquum cum Hiſpaniarum rege foedus impedire, quod necdum ſibi violandum putaret; huc accedere ingruens bellum, per quod iuſta excuſatio; cetera benigne erga Auriacum adfectum eſſe*. Sic dimiſſi, de portu tamen Elsburgenſi quum ſerio laborarent, eius uſus per tempeſtatem, aut aliam quamvis cauſam honeſtam, vix permiſſus. In diſceſſu Cluſium illic reliquerunt, cum Thalaſſiarchi vicario acturum, qui per Iohannem Coloniam centurionem Auriaco fidem atque obſidium obtulerat: Ita irrita legatio fuit. Nec ceſſare tamen Auriacus, & auxilia ubique ſolicitare; ac ſane nonnulli, Albani odio, ſi exercitum ad urbes adduceret, ut facilior expugnatio ipſi eſſet, aedibus ſuis ignem ſe iniecturos promiſerant. Gulielmum Bloſium Treslongum, qui poſt praelium ad Gemingam in Edſardi Embdani familiam ſe dederat, duas naves armare iuſſit; isque petito ab Edſardo commeatu, Embdam profectus, & ab Anglo quodam navem inſtructam vcIↃ. florenis mercatus, cum miſſo in Angliam Robollio, qui inde adduceret, ipſe Embdae rebus ordinandis haereret, magiſtratum urbanum per literas Edſardus comprehendere hominem iubet; qui ocius obſequens in vincula coniectum Lerortium mittit; ibi XIV. ſeptimanis arcto admodum carcere detentus, ſpondente Agatha Beninga Oplewertia, iniuſſu Edſardi Embda non exiturum, vix dimiſſus, poſt alias totidem ſeptimanas, iniuriam & vim fieri teſtatus, quia cauſa non iudicaretur, clam diſceſſit. Ante urbem aliquot Auriaci naves erant; has maris praefectus Boshuſius invadit: & urbani Lumaeum quoque eiecerunt. Vltraiectini, etſi evocato praeſidio, metuebant tamen ne ſub hiemem, profligatis Auriaci navibus, reduceretur; quod futurum rumor ferebat. Hanc ob cauſam, ut periculum anteverterent, quando occluſae Albani aures, per Veuſelium nuper in Hiſpaniam profectum, id ne fieret ſupplices a rege petunt: *obſequio in ipſum, & patrem Carolum, gratiam faceret, cuius exſtarent praeclara exempla; ac pridem Megenſem cum univerſa legione tutelae cauſa ultro in urbem recepiſſe; poſtea Albanum Longobardicam impoſuiſſe; cuius licentia ac ſuperbia omnino ſumma, quam flagitiorum impunitas etiam auxiſet. Impenſa in hanc* cc. *florenorum* clↃ. *adeoque aerarium attriviſſe, ut cetero tributo par non eſſet. Praeterea in urbe longe a limite remota, & quam arx munita ſatis in officio contineret, praeter praeſidium ordinarium aliud nullum opus eſſe; itaque ne innoxiam ipſorum fidem gravius premeret*. Et rex iuſtis precibus motus Albano mandat, *ne ſubditos ſuos ſine iuſta cauſa praeſidio vexaret, maxime Vltraiectinos, quibus ea res perniciosa. Id pergratum ſibi fore; ſi neceſſitas tamen exigeret, negotium omne praeſentis ipſius arbitrio permittere*. Ante biennium pro imperata decima & viceſima vicies centena florenorum clↃ. in annos duos obtinuerat. Id tempus quum nunc fere elapſum, conſilia priora revocare ad animum ſtatuit. Explorata quidem illi Belgarum odia, ſed vir rigidus, & offenſae, dum metueretur, ſecurus, propoſitum urget; recuſandi audaciam tot iam arcibus & praeſidiis ſatis coërcitam arbitratus, Igitur pridie Kal. Sextileis idem edictum, ſed in ſpeciem moderatius, denuo proponit. Id cum ſumma querela exceptum; quam annonae rerumque omnium maxima caritas exaggerabat; &, quo tempore vitam tolerare perdifficile erat, tributa intendi, iniquiſſimum videbatur. Exiſtimarant decimae loco vicies illa centena clↃ. ſuffectura; ſed dicere Albanus: *id in Hiſpania aliter acceptum; magiſque regi conceſſam ſemel decimam placere*. Hic quum Viglius, Schetus, aliique reponerent, *non abſolute ab Ordinibus conſenſum: inſuper periculum eſſe, ne hac ratione ſecundae centeſimae quadragies centena* clↃ. *amitteret*, ſtomachatus *verum illos dicere* negavit; iterato aliquoties iuramento,

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXI. to, *invitis omnibus exacturum. Conſiliarios, qui populum contra concitarent, aut defenderent, inſtar perduellium eſſe. Intereſſe regis, ne, noxio principibus exemplo, illuſiſſe populus maieſtati ſuae, & per ludibrium mutaſſe promiſſa cognoſceretur. Daturum conſilio ſanguinis negotium, ut ceu de perduellibus cognoſceret; magnam omnibus, ac potiſſimum Flandriae Ordinibus, qui Auriaco aut Egmondano non minus peccaverant, factam gratiam; placando regi decimam fuiſſe, quam promiſiſſent. Longe maiorem pecuniae ſummam conquiſiturum, ſi, quod iure optimo poſſet, bona cuiuſque ſub haſtam miſiſſet.* Plurimum ea res Hollandiae Ordines anxios habuit, & indictis Hagae comitiis deliberarunt, quo pacto Albanum a propoſito divertere poſſent. Amſtelodamenſes, admittere promulgationem primo dubios, tamen Albani metus impulit; nihilominus referri per apparitorem curant: *edictum publice univerſis, ſibi privatim maxime grave; ex quo in poſtremam indictionem conſenſiſſent, damna plurima terra marique a praemiatoribus & piratis, tum ab aquis anno ſuperiore menſe Novembri accepiſſe; praeterea extraneos quoque principes naves mercesque varie detinuiſſe. Ad has clades accedere rerum caritatem, & reliquum aeris alieni, adhuc pendendum, ut ab arce & milite Hiſpano liberam commerciis urbem praeſtarent. Praeterhaec ſi decimam & viceſimam etiam exigere pergat, civitatem ſuam ſalvam amplius eſſe non poſſe; quamobrem promulgationem alia lege admittere non poſſe; quam ante biennium cum ceteris Hollandiae Ordinibus feciſſent.* Id Albanum offendit, & ad provinciae curiam in ius vocatos aliquot florenorum clo. mulctari voluit. Egerunt cauſam Ioannes Treslongus, & Nicolaus Diertius, uterque celebri tunc in foro facundia: ſed per iudices metu obnoxios ſecundum Albanum lis pronuntiata, & reis XXV. florenorum clo. mulcta indicta. A qua ſententia quum ad ſenatum Machlinienſem provocarent; isque ad Albanum eos reiiceret, conſultum non rati, eundem actorem & iudicem experiri, negotium intermiſere; ſed tam rigidam Albani voluntatem obortae ſtatim turbae mutarunt, aut impedierunt. Ceterarum provinciarum eadem querela erat; & per legatos deprecari ſingulae; *ne propoſitum exſequeretur; quod ſi faceret, brevi remp. nullam habiturum; potius aliud tributum imperaret, minus publice perniciоſum;* & exceptione uti nonnulli, *non aliter ſe indictioni acquieviſſe, quam ſi communis conſenſus foret; nunc quando Vltraiectini recuſarent, nec ſe teneri.* Vrgere nihilominus edictum Albanus, & ſuccenſere vehementer Vltraiectinis, cum quod novo tributo ſe oppoſuiſſent, tum quod de ſententia lata ad regem provocaſſent; & de ipſo pariter ac praeſidio Hiſpanico, conqueri apud eum auſi fuiſſent. Praeterea ſoli etiam legatos ad haec comitia mittere neglexerant; quod graviter interpretari, ceu exemplo audaciam aliorum excitaſſent: quum tamen illi conſilia nuſquam contuliſſent, & aliam provinciae ſuae rationem crederent, quae nuper ſponte in Caroli V. poteſtatem certis conditionibus veniſſet; itaque ſine regiarum literarum reſpectu, quibus parcere illis iubebatur, quamvis nullo circa urbem hoſte, & infeſto per Auriaci naves littore Hollandico, Harlemo, Delphis, Leida, Brilaque evocatos Hiſpanos Vltraiectum commeare iubet. Erant univerſim ſigna VIII. ſex priora e legione Ferdinandi Toletani, ſeptimum Conſalvi Braccamontii, octavum Roderici Toletani. Haec per literas ad diem V. Kal. Novembris recipere in urbem, & cives profugos revocare praecipit. Itaque redit antiquum praeſidium XIV. Kal. Decembreis. Binis literis deprecati, reſponſum accipiunt: *imperatam militi modeſtiam, quam ſi migret, in prompu poenam fore:* etſi tamen ille non minori licentia poſtea graſſatus. Queri Vltraiectini, *& aerarii publici, & civium ſuorum egeſtatem, neque exhauſtos ſuppeditare neceſſaria poſſe. Deinde periniquum, quatuor pridem urbium praeſidia, quarum aliquae magnitudine pares opibus ſuperarent, uni ſuae per vim imponi.* Sed obſtinato conſilii Albano, quum nihil niſi perniciem manifeſtam exſpectarent, iterum fruſtra apud regem conqueruntur; manſitque ad III. Non. Aprileis anni ſequentis, quum Brilae recuperandae emitteretur. Auriacus ubique ſuppetias rogare, & firmata in Gallia pace, Colinium maris praefectum, cum proceribus religioni reformatae addictis, fratris Ludovici opera, in ſuas partes pertrahere; quin eo ventum eſt, ut ad regis quoque conſcientiam res deferretur, non inviti, ut praeſeferebat; iamque, ceu vetere gentis odio, honeſtus belli praetextus querebatur; & iuſta ſatis cauſa videbatur, vel recuperatio urbium Belgicarum, quas olim Galli tenuiſſent: vel contumelia nuper facta in morte ſororis, quam Philippus veneno procuraſſe certis teſtibus ferebatur. Ludovicus Naſſovius, ut rem promoveret, quae parum tuta literarum fide, niſi coram rege agi non poterat, quaſi in Belgium iter adornaret, mutata veſte, cum Franciſco Lanovio, Carolo Telinio, Ioanne Hangeſto, in aulam venit. Erat tunc rex Luminii in Bria, venationibus intentus. Hic cum eo de bello Belgico totos VI. dies privatim occultis colloquiis differit; eius gerendi utilitatem, ac neceſſitatem, deinde etiam rationem oſtendit; ac placere oratio regi; ſed quando inconſulto Colinio, quem belli ducem deſtinabat, ſtatuere nihil poſſet: *maturare reditum* iubet, *ac Colinio ſuadere, ut ad ſe accederet:* tum Auriaco literis valde benignis mandat: *legeret militem quemcumque in Germania poſſet, nec quicquam Belgio liberando neceſſarium omitteret.* CIↃIↃ LXXI.

RE-

RERVM BELGICARVM

LIBER TERTIVS.

CIↃIↃ LXXII.

NEVNTE anno a Daniae rege ad Edſardum Embdanum legatus venit Pontus Gardius, cuius ſupra mentionem fecimus, XVI. equitum & III. rhedarum comitatu. Is Edſardus Sveiae regis ſororem duxerat, & ſponſale pactum erat, ut Embdanus comitatus ipſi cederet; ſed id compoſitum inter fratres videbatur, quo facilius regalium nuptiarum honore alter potiretur: quandoquidem illis celebratis ius ſuum Ioannes in fratrem transferre nollet. Haec initio legationis cauſa putabatur; quum vero tres amplius ſeptimanas apud Epiſcopum Monaſterienſem moraretur, & Saxoniae Electorem, quem unum opinio erat impediiſse, ne Auriaco ab rege Sveciae, ac fratre Carolo, auxilia ulla ſubmitterentur, gravi ſuſpicione adventus hominis laboravit, cuius verſutum valde ingenium compertum haberent; tum etiam, quando per Belgium in Galliam iturus ferebatur, ipſo rem hanc adiuvante, metus erat, ne in tranſitu Auriaci conſilia, & legationem nuperam, nimis mature Albano aperiret. Igitur diu, quidnam agitaret, anxie exploratum; ſed cognoſci nihil aliud potuit, quam quod palam fama ferret. Vltraiectinos praeſidium revocatum nihilo, quam pridem inſolentius adfligebat; & nec magiſtratui parcebat. Ioannis Tatii Amerongii conſulis filius in ipſa excubiarum ſtatione graviter vulneratus: ipſe domi ſuae pene occiſus, quum ubique periculum timeret, apud ceterum magiſtratum cauſam teſtatus, ut ſaluti conſuleret, urbe exivit. Haec incommoda quum minuere Albanus deberet, augere inſuper, & tot iniuriis novam aliam graviſſimam addere, privilegia urbis & ſtatuta poſtulando, archetypa omnia per praeſidem exhibere iuſſis. Id, quia iniquiſſimum foret, quum negaſſent, iterum iuſſi deſcripta obferunt; quae quum praeſes recuſaret, literas ad Albanum mittunt, per quas factum excuſarent. His Albanus irritatior, omnino mandata exequi iubet: & niſi parerent, militem praeſidiarium adhiberet. Tribuno etiam Hiſpanico mandat, adiuvaret praeſidem, ſi uſu veniret, quumque etiam ſic obluctarentur, ad terrorem congregari miles coepit; iamque vim tentaſſet, niſi delinito praeſide in diem poſterum res dilata fuiſſet; tunc quum vincula cunctis parata, & invitis extorquenda omnia intelligerent; metuentesque ne inſolens miles, cui iam fere XIX. menſium ſtipendium deberetur, urbis diripiendae occaſionem invaderet, aegre tandem minis armiſque coacti ceſſerunt. Tam egregia tamen nonnullorum conſtantia fuit, ut extrema omnia pati, quam iniquiſſimo imperio obſequi mallent.

A Inter plures Henricus Valckenarius fuit, cuius ea ſaepe vox audita: *vitam potius, ſi obnoxium regi putarent, quam privilegia ſua amitterent*. Inſtrumenta omnia in arce Vredenburgo repoſita, in Ludovici Requeſenſii adventum, qui Albano datus ſucceſſor, adſervata; iſque regis iuſſu reddidit. Per ceteras provincias decima ac viceſima non minore ſeveritate exigebantur; & quanquam varie Ordines deprecari, difficultatem publicam quiritantes, ac vicies centena clↃ. annua continuanda obferre, nihilque tamen B obtinerent, nonnulli ad regem ipſum oratores mittere; quos Albanus, ne auderent proficiſci, capitis ſupplicio deterrere conatus fuit; quumque in urbe Bruxellenſi, quam ipſe quum tot Hiſpanis inſideret, promtiſſimum per arma obſequium ſperaret, praeſentiſſimo tamen periculo odium eius, amorque libertatis praevaluere. Igitur quicunque panem aut cereviſiam coquerent, clauſis officinis, ab opere ceſſare. Lanii quoque macello abſtinere, nec alii inſtitores merces ullas venum dare; quamobrem coërcendis vim C adhibere ſtatuit, ac noctu praecipuos tumultus auctores e foribus aedium, aut feneſtris, quemque ſubſpendere; iuſſusque lictor cum laqueis XVII. & ſcalis decempedalibus praeſto eſſe. Et iam in armis miles erat, ac Fridericus Toletanus Viglium acceſſerat, pronuntiatam in reos mortis ſententiam relaturus; quum ecce de Brila capta nuntius admodum inexſpectatus, eoque magis animum percellens, cruentum conſilium mutare coëgit. D Vt increbuit rei fama, inviſus ante hac Albanus, nunc contemni etiam coepit; iamque verba paſſim libera magis palam audiri. Id Auriaco non ignarum, qui clam copiis contractis inopinato invadere moliebatur: neque armorum adparatus Albanum latuit, ſed ille ſecurus negligere hoſtem, tanquam ſemel debellatum; &, ſi reſurgeret, opprimi facilem. Ac paratae Auriaco quidem copiae idoneae, ſed adhuc ſtipendium E deerat; nam pecuniae, quas collegerat, etſi magnae, aegre recenſendo militi; & auctorando, ſubficiebant; nec reliquum quicquam futurum erat ad ceteram militiam; huic difficultati a rege Galliarum ſubventum, a quo, bello Belgico maturando, cc. aureorum clↃ. mutuo primum, mox dono accepit. Guglielmus Treslongus iuſſu Auriaci navem unam ſibi inſtruxerat, quam Flevo egreſſus IV. Eid. Febr. in inſulam Texelam ducere ſtatuerat: ſed gelu obortum ad Wieringam in Mar- F tium proximum ſtare coëgit. Id ubi Boſſuvius reſcivit, Auriaci loco ab Albano Hollandiae praeſes datus, Ioannem Rollium cum ſignis IV. navem expugnare miſit; isque adeo improviſus ſupervenit, ut Treslongum, qui cum maiore militum parte in inſulam exſcende-

CIↃIↃ LXXII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. derat, fere interciperet; sed evasere tamen omnes praeter unum, qui sua sponte ad hostem dilapsus inde navem adgressus dedi postulat. Sed Treslongus, vir animi militaris, impetum facientes fortiter reppulit; longe hostis numero superabat, & obsessa glacie navis tantum non captiva tenebatur; sed illo acri tormentorum explosione reiecto, hac aperta, uno tantum suorum amisso, integram istam in mare, ac vicinam Angliam, eduxit. Quo tempore collecta ibi sociorum multitudo in Albani gratiam a regina Elizabetha insula prohibetur. Inde maior illi spiritus, itaque ad evertendam Belgii libertatem animum firmat, ne ulla deinceps privilegia aut iura obtendere posset; & egregie pacem muniisse arbitrabatur, quum ecce arma sumuntur, totos XXXIV. annos continuanda; quippe bellum, hactenus vix anxiis miserorum votis, & consiliis metu occultis duntaxat agitatum, robusta audacia palam coeptum est; ac ceteris provinciis libertatis vindicandae, excusso iugo, prima signum Hollandia sustulit. Causa rei maturius tentandae Elizabethae edictum; nam ubi perfugium denegatum est, in virtutem desperatio vertit. Primi libertatis patriae vindices sub Lumaeo fuerunt; is, quem dixi Guglielmus Treslongus, Bartholemaeus Entesius Mentheda, Iacobus Cabeliavius, Gulielmus Gravius, Nicolaus Ruichaverius, Marinus Brantius, Omius Heddingus, aliique. Hi in navibus XL. interdicto littore solventes in Texelam iter dirigebant, XIV. aut XV. Albani liburnicas illic profligaturae. Et in via II. ex Hispania adventantes intercipiunt; alii Hollandiam borealem, & Enchusam cogitabant; aut ubicunque exscendere commodum; sed vento adverso in Mosam acti, ubi iunctis Rheni aquis Oceano incidit, in ipso ostio Kal. Aprilibus contra Brilam classem adplicant. Mirati primo adspectu oppidani mercatores esse credebant, contrario vento illuc compulsos; nulla cogitatio erat bellum advehi. Maselantsluса, qui pagus Brilae obpositus flumine interluitur, Ioannes Petrus Coppestocus in urbem adversam mercatores aliquot ducens, conspecta navium multitudine, id quod erat ratus, sociis desertis, recta in classem navigium vertit; ibique de Treslongo sciscitatus, in adspectum adductus, adventum gratulatur. Is Lumaeo hominem sistit, commendatque ceu rebus suis per quam utilem; itaque ad Brilanos mittitur; annulumque Treslongus addit, satis notum a patre Caspаro, qui praeturam oppidi & insulae pridem gesserat. Advenienti porta reclauditur, & ad curiam contendentem circumfusus populus comitatur, cupidus scire quid nuntiaret. Inter eundum varie habent, pro ingenio quisque suo; pars benigne adloquuntur, pars convitia homini dicunt. In curiam, & ceterum magistratum quum venisset, a Lumaeo & Treslongo nuntiat, *binos extra urbem ad conloquium destinarent, idque innoxium ipsis fore; nam ideo venisse, ut graviter obpressos a decima pendenda liberarent;* simul, ut fides verbis esset, notum omnibus annulum ostendit; ac rogantibus copiarum modum, inconsulta libertate in immensum extollens, esse plus minus V. CIↃ. dicit. Ea re consternatis cunctis, vix inventi, qui in colloquium prodire auderent, quos Lumaeus in Auriaci manus, regii per provinciam praesidis, urbem seque dedere iubet; tum deliberando duarum horarum tempus concedit, atque ita inlaesos, uti promissum erat, remittit. Tantus autem omnes metus invaserat, ut propere convasatis rebus per portam australem tumultuaria fuga erumperent; interim e navibus exscendere miles, & urbem accedere; quosque in muris oppidanos conspicerent interrogare, utrum portas aperire, an vim exspectare mallent. Cunctanter respondere magistratus; quippe quum civium potiores dilaberentur, aliique recipere liberatores advenas vellent, illorum metu, horum studio, ipse quoque impulsus diffugit; adeo ut vix universim L. remanerent. Elapso deliberandi tempore quum adhuc tardarent, veritus Lumaeus ne se communirent, nihil morandum arbitratus, copias bifariam dividit; ac Treslongus ad portam australem partem ducit, ibique Ioannem Duvenvordium, aerarii quaestorem, e fuga comprehensum retrahit, virumque a vi militum defendit; borealem Robollius exurit, & effringit; ac per hanc Lumaeus ingreditur. Qui urbem occupaverant CCL. erant, ceteri classem servabant. Civium nulli vis inlata, tantumque sacrum ordinem invadunt, odio quod calamitas temporis in animos hominum profugorum iniecerat. Postridie in templis comminutae, aut direptae imagines sanctorum, reliquaque ornamenta. Praedam omnem in naves imponunt, ceu discessuri; & visus Lumaeus nihil, aliud consilii habuisse, quam ut urbe insulaque direptis iterum abiret; nam Hispani impetum, mox adfuturi, tantillis copiis substineri a se non posse; sed Treslongo, ac centurionum nonnullis, quibus cognitum, locum bello inchoando opportunum, alia mens fuit. Igitur suadent, dandas ad Auriacum literas, & suppetias postulandas; tum de oppido defendendo foedus ineunt; & tormenta bellica e navibus inferunt. Nullum loco praesidium erat, duo antea Hispanorum signa fuerant, quae aestate superiore cum aliis aliquot evocata Albanus Vltraiecto imposuerat, nulla quidem necessitate, sed ut urbem contra decimam magno animo nitentem gravius vexaret. Gratus rei nuntius Bruxellanis, apud quos summa tunc vi Albanus decimam exigere conabatur; iamque turbantibus supplicia parabat, quum hic casus viri praecipitis impetum tardavit. Itaque praesentem poenam, dum differre cogitur, illi evadunt. Igitur Albanus, etsi oppiduli unius iactura haud valde moveri, gnarus tamen exigua quamvis principia, si neglexeris, incrementum, & robur saepe magnum mora accipere, Maximilianum Henninium Bossuvium, qui tunc praesidium Vltraiecti habebat, cum cohortibus Hispanicis X. quibus Ferdinandus Toletanus praeerat, belli initia profligare iubet. Sic una Brila, tenue per id tem-

CIↃIↃ LXXII.

CIↃIↃ LXXII. tempus oppidulum, duas Belgii maximas urbes, Bruxellas & Vltraiectum, illas decima, hoc graviſſimo Hiſpanorum praeſidio liberat; ac Bruxellae, ubi ipſa principis aula, & terroris domicilium, tam egregio libertatis praeludio concuſſae fauſtum patriae vindicandae omen fuerunt. Vltraiectinis, quod variae ac diuturnae praeces, item CLXXXM. florenorum pollicitatio obtinere nequaquam potuerat, caſus inexſpectatus dedit; idque valde opportune; nam miles, qui XVIII. menſium ſtipendium flagitabat, clam creato novo Electo (ita vocant, quem in eiuſmodi turbis ipſi ſibi praeficiunt) tribuno, ac centurionibus capitis diripere urbem conſtituerant. Id conſilium eo ipſo die detectum, quo Albani literae, quae migrare iuberent, adferuntur; quamobrem, ubi res comperta, nocte proxima Electum futurum comprehendunt, moxque crimen confeſſum ſtrangulant; inde ſub diei auroram ante curiam corpus collocant, & Hiſpanica lingua elogium addunt, quod mortis cauſam pronuntiaret. Mos vero Hiſpanis illa nocte, quae feriam quintam maioris hebdomadae ſubſequitur, vicatim diſcurſantes, multis ad cereos deducentibus, nuda terga pietatis ergo flagellare; adeo ut perforata cute largus ſaepe ſanguis emanet. Illud tempus ad incoeptandum facinus deſignatum; ſed meridie, qui hanc noctem antecederet, exire ad Brilam recuperandam iuſſi, etſi coniuratione detecta nihil amplius auſuri viderentur, magno urbem metu liberarunt; x. univerſim cohortes erant. Eae quum Maſelantsluſam ac Schiedamum perveniſſent, flumen tranſgreſſae, navibusque in Berniſſa relictis, in inſulam Vornenſem, ubi Brila ſita, nullo reſiſtente exſcendunt. Lumaeani numero longe inferiores, quum aditum in inſulam prohibere non poſſent, urbem tueri ſtatuerunt; quod ut facilius ipſis eſſet, ad portam auſtralem igne iniecto ſuburbium exuſſerunt. Hiſpani recta Brilam petiere, ſed oppido adpronpinquantes diſpoſitus per arbuſta ſuburbana miles ſclopetis excepit: ac civium quidam in profluentem inſiliens, novi agri emiſſario effracto, tantum aquarum intromiſit, ut planitie deſerta in aggerem editiorem recipere ſeſe cogerentur. Quumque nihilo ſegnius ad portam auſtralem oppido incumberent, exploſis intus crebris tormentis fortiter repulſi diſceſſerunt. Dum haec geruntur, Treslongus & Robollius clanculum egreſſi, naves Berniſſae relictas, quibus in inſulam Hiſpani tranſmiſerant, partim incendunt, partim perforatas ſubmergunt, alias in flumen propellunt. Quod ubi Hiſpani reſcivere, quum immenſum aquae creſcerent, veriti, ſi manerent, ne per eas pereundum ipſis foret, temere ſe in fugam dedere; ac pars navibus adhuc reliquis in ulteriorem Beierlandiam evaſere, pars amotas, atque in aquis fluctuantes, nando conſectati; alios gurges lutumve hauſere. Ac ſtragem ſane magnam nullo negotio Lumaeani edidiſſent, niſi civium, & profugorum ex agris hominum, incerta fide, egredi oppido inconſultum putaſſent. Hac victoria, uti adſolet, animi illis, & copiae crevere. Itaque poſtridie Paſchatis, habito inſulanorum cenſu, fidem inter ſe obſtringunt, atque Auriaco, regio per Hollandiam praeſidi, ſacramento dicunt, in eius fide atque obſequio oppidum inſulamque ſtrenue propugnaturi; & prior quidem iurare Lumaeus, quem mox omnes ſunt ſequuti; tum lembos ad praedandum inſtruere, quibus flumen percurſarent, inſigni quotidie praeda; campanas etiam tota inſula turribus detrahunt; nec multo poſt aliquot monachos, ad IX. uſque milliaria evagati, iuxta Worcomium comprehendunt: ac ſtatim viris innocentiſſimis, homines arma & ſanguinem ſpirantes, impotenti Albani odio, indigna contumelia ad mortem protractis, gulam frangunt. Vbi Brilam captam Auriacus intellexit, etſi rem quam maxime optaret, Lumaeum tamen eo tempore iniuſſu ſuo tentaſſe nolebat; namque bello necdum inſtructus verebatur, ne prodita intempeſtive conſilia ſua Albani ſocordiam excitarent; quia tamen loci ſumma utilitas erat, auxilia promittit, & alicunde etiam ab amicis procurat; ac Lumaeo, undequaque profuga nobilitate conrogata, copiae indies augebantur; quibus Delfshaviam, portu opportunam, in adverſa Moſae ripa capit, nullo in habitatores delicto. Hiſpani autem, poſtquam turpi adeo fuga Brilam & inſulam circumiectam deſeruiſſent, feſtinato itinere confecti, dein ab aquis, per quas evaſerant, madidi, lutoque obruti, Dordracum venere; ſed negato in urbem introitu, Boſſuvius veritus, ſi e tractu illo diſcederet, ne urbes vicinae, Albani odio, itidem deditionem facerent, Roterodamum contendit. Sed illic quoque vix admiſſus, circumvento per fraudem magiſtratu, praeter fidem per vim ingreſſus urbem occupavit; nam metuentes oppidani, ne quid praeter voluntatem paterentur, arma ſumſerant, ut copias adventantes excluderent. Id gnarus Boſſuvius, quia vi admitti poſſe deſperabat, ingenium ad dolum convertit; itaque cum nobilibus paucis intromiſſus petiit a magiſtratu, ut militibus ſuis tantum tranſitum permitterent, alio enim ducere velle. At oppidani, recte dolum ſubſpicati praeter urbem tranſire poſſe reſpondebant; tandem, ubi deliberatum, id videtur, ut manipulatim tranſmitterentur. Itaque ingreſſo primo manipulo, quum occludi porta deberet, reliqui omnes impetu facto irrupere. Erant ad portam exiguae excubiae, nec reſiſtere ſatis validae; in his faber ferrarius quidam, vir manu promtus, quem prae ceteris repugnantem ſtricto pugione Boſſuvius occidit. Id quaſi audendi ſignum eſſet, nobiles, qui circa eum, ac milites alii, in excubitores verſi portam invadunt; ac partem caedunt, partem extra urbem propellunt; deinde in obvios quoſque graſſati, civium pene CCCC. interficiunt; ſexum ſequiorem pro libidine habent, tam nefaria ſane licentia, quamdiu urbem tenuerunt, ut felices ii putarentur, qui primo impetu interfecti, nec aerumnas patriae videre, nec ſervitutem viris graviſſimam experiri, cogerentur.

CIↃIↃ LXXII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. tur. Hoc facinore Bossuvius, vir primariae inter Belgas nobilitatis, satis hactenus populo gratus, omnium odia irritavit. Roterodamo sic potiti, paucis post diebus Delfshaviam, paullo ante a Lumaeanis captam, noctu invadunt, summa in victos saevitia. Loco capto praesidium imponunt, & Caesparum Vream praefectum; circumiectos quoque pagos depopulati. Exeunte Februario, quum Vltraiectini de inexorabili Albani rigore diu regem interpellassent, ad eundem reiiciuntur, ex aequo & bono ius dicturum; quod nisi fieret, tum de singulis iterum monerent; operamque daturum, ne quicquam a ratione alienum paterentur. Sed displicuit responsum, nulla spe iuris obtinendi apud praefectum adeo offensum, ut nemo causam oppressorum agere auderet. Tamen anxii supra modum iterum in aulam mittunt, qui negotium cum quibusdam communicarent. In his Viglius, vir multae prudentiae, ac moderationis, indicat datum Albano successorem, Ludovicum Requesensium, brevique adfuturum; quamobrem tantisper rem differrent. Brila capta, Flissingam Zelandiae urbem arce communire statuit; itaque evocatas e Brabantia VIII. Hispanorum cohortes sub Osorio Angelo mittit. Iam fundamenta iacta erant, eaque re magis in se civium animos concitavit; sed ille odia & querelas pariter spernens, maiore praesidio rem gesturus, quum tantum pauci illic Belgae essent, metatorem misit, qui Hispanis mox venturis hospitia curaret. Id valde indignati cives; & palam nonnulli dicere: *servitutem longe pessimam sibi parari; nec ulli Belgii urbi magis arcem, aut militem, gravem fore.* Advenerat paucis ante diebus Ioannes Cuyckius Herptenus; qui se passim civibus immiscens, si qui rebus novis studerent, eorum audaciam clam accendere, & ad libertatem vindicandam instigare; hortarique: *palam edicerent, non se ultra Hispanum militem recepturos; praesto esse vindicem Auriacum cum magnis copiis; qui adversus Albani tyrannidem Belgium assereret.* Nec ingrata multis oratio, qui periculo exaggerato viri conatum adiuvare; adeo ut tandem postridie Non. Aprileis Belgae praesidio expellerentur; quumque in portum eo ipso die Hispani adnavigarent, orto tumultu, idem Cuyckius omnes hortari: *nunc virtutis suae meminissent; quod si Hispanos admitterent, de vita & bonis omnibus actum cuncti scirent; eiecisse semel praesidium, ac laesam hoc crimine maiestatem regis, nec gratiam sperari in posterum posse. Egmondanum Hornanumque ob oculos ponerent, ut dignitatis, ita meritorum claros: quorum quando ratio nulla habita fuisset, ne quid temere sibi promitterent.* Inter haec verba quidam e turba potu largiore audacior, si quis duos cerevisiae cantharos praemium daret, in adventantes machinam aliquam e muris urbis explosurum se pollicitus, tribus a Cuyckio florenis acceptis, rem perfecit; idque ita Hispanos perturbavit, ut abruptis retinaculis vela dantes Middelburgum protinus naves dirigerent. Antonius Burgundus Capellus, provinciae praeses, ubi rem gestam intellexisset, Middelburgo illuc profectus, qua erat auctoritate, comprimere initia turbarum statuit. Itaque convocato ad curiam populo, vir non indisertus, blanda oratione demulcere conabatur: *nihil ita praeter spem ipsi accidisse, quam hunc motum; cuius culpam poenitentia eluere possent; quamobrem ad obsequium redirent, facili adhuc apud benignum regem venia; promittere etiam, id se effecturum, ut delictum Albanus dissimulet.* Et fortasse suadis verbis nonnullorum animos impulerat, quos post tumultus temeritatem regiae potestatis aspectus percellebat; sed immixtus turbae Cuyckius, ad astantes: *egregium*, inquit, *oratorem, qui isto verborum lenocinio hoc unum agit, ut simplicitatem vestram fallat:* ita irritati quum interturbarent, impetrato iterum silentio, prosequi orationem caepit: *considerarent rem praesentem; ingens nimium facinus esse, urbe expellere missum praesidium, & excludere; ignorare potentiam regis, cui, si animos obstinarent resistere nullo modo posseni; neque enim impune laturos; deinde vires suas expenderent; nulla belli instrumenta, nullum militem, aut stipendia in promtu esse; ac, si essent, incertam tamen belli aleam urbes saepe potentissimas, & provincias evertisse.* Plura conantem, iram vultu ostentantes, & verbis etiam interminati, illico urbe facessere iubent. Inde eiectis, qui novam arcem moliebantur, initia invisi operis, quod quartum iam pedem supra terram exstabat, protinus diruunt. Mox in urbem Paciottus venit, ratus Hispanos, qui praemissi ab Albano, ab oppidanis receptos esse simul in terram egressus esset, navem qua vehebatur invadunt, ac diripiunt. Id inopinatum hominem perculit, nam de rebus anteactis nil fama acceperat; inquirenti de Hispanis, nemo respondet. Dederat in mandatis Albanus, ut praesidio atque arci praeesset. Dum autem privatum eius instrumentum scrutantur, fertur inter schedarum occulta repertus index, qui designatas adhuc per Belgium caedes proderet. Eo rerum statu Cuychium ad se magistratus vocat, &, quis modus adserendae libertatis consilium rogat; isque auxilium a Lumaeo petere auctor, ad ipsum missus quum Dordracum adplicuisset, e vestigio per fidum quendam tabellarium, primo Wesaliam, inde Dillemburgum, deferenda ad Auriacum tam laeta rerum principia curat; tum Brilam pergens a Flissinganis literas Lumaeo tradit; qui initio difficilior causabatur: *exiguas sibi copias esse: novitium militem, qui indies adflueret; parum adhuc armis instructum*: sed quum Cuyckius responderet; *viros daret, ipsos arma curaturos*; submissurum, si usus foret, auxilia promisit; nec multo post Treslongum mittit, qui tribus navibus cc. aliquot subvehebat, homines templorum spolia indutos, & quibus casiolae pro loricis; aut similis sacrorum ornatus; quippe illa temporis istius fortuna erat, ut homines magna pars profani, impetu magis quam consilio, religionis libertatisque restaurationem per sacrilegia ac rapinas, conarentur; sed divi-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. divinae providentiae uſitatum, in illis rebus, quas ſine conſilio homines gerunt, ſua ſaepe conſilia oſtendere. Quum ad urbem adceſſiſſent, datis armis, habitoque delectu, in praeſidium recipiuntur; ac ſtatim Treslongus Paciottum in furcam agit, & ſupplicii ſocios duos Hiſpanos addit. Aegre mortem Paciottus accipere, & vitae pretium ingens offerre; ſed Treslongus, morte fratris aſperior, quem Albanus anno ClↃ IↃ LXVIII. capitis ſupplicio adfecerat, ut iniuriam ulciſceretur, nullum gratiae locum reliquit; & maxime ſe Albanum laedere exiſtimabat, ſi ſummum munitionum artificem, egregium belli miniſtrum, etiam propinquo ſanguinis nexu, tempore tam alieno eriperet. Is ad mortem quum duceretur, furcae ignominiam ſuppliciter deprecari, *nobili ſe proſapia natum, itaque gladii ſaltem honorem morituro permitterent*. Claudius quidam, e civium numero, capti gladio latus cinxerat; & quum e ſcalis tam anxie ſupplicem eminus audiret, ratus hunc ab ipſo repeti, homo facetus; *at tu, domine*, (ita contemptim Hiſpanos Belgae appellabant) ſecuro inquit, *crucem adſcende: ego illum recte ſervabo*. Subſpenſo quum detraheretur veſtis, torques aureus ſubter occultatus decidit, quem Treslongus a Roberto Coco Nerinio quaeſtore redemit. Iam alea iacta quidvis audendi pro libertate recuperanda; itaque gnari non impune facinus fore, cuncta hoſti excipiendo neceſſaria parant; ociuſque in Germaniam ad Auriacum, in Galliam ad Ludovicum Naſſovium, rerum geſtarum nuntium mittunt, & auxilia ſimul poſcunt. Interim feſtinatis operibus, quantum pote, ſeſe muniunt. Mox Hieronymus Tſerartſius, e familia Auriaci, eiusque ſtabuli praefectus, a Naſſovio e Gallia cum aliquot Gallorum copiis, Walacriae praefuturus, ſubmittitur; & ab Anglia miles aderat. Per haec itaque adeo illis animus crevit, ut bellum exſpectare iſtis viribus non contenti, plus auderent; ac vicinis, qui Albani partes ſequerentur, ipſi inferrent. Ceperant Brilani piſcatores quoſdam Verianos; hisque per literas libertatem ſine pretio Cuyckius obtinuit; ac praeterea commeatum Lumaeus dedit libere exercendae capturae; & beneficium id ceteris etiam piſcatoribus indultum adeo omnium animos flexit, ut exſuto Albani obſequio in Auriaci fidem recipi optarent. Quod ubi Tſerartſio & Cuyckio compertum, ambo Veriam, inſulae totius armamentarium, cum militibus LX. poſtridie Kal. Maii abeunt; ac, relicto ad portam comitatu, oppidum ingreſſi, a magiſtratu petunt, uti ſe vindici libertatis Auriaco dederent, & praeſidium aliquod admitterent; illoque negante quum Tſerartſius diſceſſiſſet, Cuyckius in hoſpitio remanens, & convocatis, quibus pridem libertatem impetraverat, eadem veſpera id effecit, ut horum opera piſcatores alii perſuaſi oppidum promitterent; nec res differtur. Poſtero die, adducta ad terrorem cohorte, ipſi quoque armati, nequicquam reſiſtente magiſtratu, deditionem faciunt; rebusque ex tempore ordinatis, quum praeſidium non ſubficeret, petitum ex Anglia ſupplementum virorum CXXV. quos eccleſiae illic Belgicae ſtipendio Cuychius legit. Fama rei Albanum perculit, etſi vir prudens, atque animi ingentis, metum diſſimularet; quippe domi odia provincialium noverat; foris in Germania Auriacus, in Gallia Naſſovius, foedera quotidie nova tractabant; ubique praeludia magni motus. Itaque copias ſedulo parare, quas conatibus tantis obponeret: & ſolicite explorare, quid Naſſovius moliretur. Amſtelodami, & Enchuſae, per Boshuſium naves aliquot bello inſtruit, ut Moſa flumine occupato, & Lumaeum coërceret, & nutantem Enchuſam adſereret. Id oppidum in auſtralis freti faucibus poſitum, ubi obiectam Friſiam habet, & in ea Staveram, olim commerciis florentiſſimam, qua naves Dania, & toto illo tractu advectae, tranſire debent; aditumque in fretum ſubiectum aperit; quia maximum belli momentum videretur, vario conatu, ac valde obluctante magiſtratu, aegre tandem pronis civium ſtudiis Auriaco deditur, cuius iuſſu tradita Sonoio praefectura; iſque Brema Embdam profectus, feſtinatis diu noctuque itineribus Enchuſam ingreſſus, magno per viam prope Medemlacum diſcrimine, ne a Gallis auxiliaribus interciperetur, ſtatim rebus ordinandis animum adpellit, & oppido quadrifariam tributo excubias diſponit; tum ad Auriacum nuntium mittit, & ſuppetias poſcit, quibus reliquum borealis Hollandiae tractum, facili adhuc per initia ſucceſſu, in tanta animorum aut conſternatione, aut favore, ad partes traduceret. Inde rumor, hoſtem molas extra urbem incendere velle, ac proditionem agitari. Idcirco Ioannes Coltermannus, rem exploraturus, noctu emittitur; dumque inquirit quid geratur, ab excubiis in brachio vulneratur; mox ubi tuta ſatis omnia, ad urbes vicinas animum adplicat, ac centuriones Cabeliavium, Ruichaverium, Robolliumque, & cives aliquot Medemlacum mittit, qui magiſtratui perſuaderent, uti ſe Auriaco adiungeret. Sed arcis praefectus, Cornelius Riſwicus, rem impedivit. Paucis tamen poſt diebus urbem capiunt; quumque in arcem cives fugerent, illinc vim facturi eam quoque obpugnaturi victores, uxores eorum liberoſque in fronte contra collocant. Quod ubi obſeſſis conſpectum, ut pignorum ſuorum periculo occurrerent, facta deditio. Deinde III. Eid. Iunias, etſi ſucceſſu perdifficili, armatis contra ſe oppidanis, Hornam quoque Sonoius capit; ac mox reliquas illic urbes, Alcmariam, Edamum, Monachodamum, Purmerendam. Tum praefecturas ordinare inſtituit; & Medemlacum Cabeliavio, Hornam Ioſuae Alveringo Hoffwegio, Alcmariam Gulielmo Moſtardo, Edamum Gulielmo Gravio decernit. Ipſe a Lazaro Mullero tribuno adiutus, qui cum inſtructa legione advenerat, quotidie cum hoſte manum conſerere; quippe Boshuſius cum claſſe urbem infeſtabat, quamvis irrito conatu; cum III. cohortes in Auriaci partes tranſirent. Per hoc tempus Auriacus cum rege Carolo, & reformatae religionis proceribus, per fratrem Naſſo-

CIↃIↃ LXXII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. Naſſovium foedera inierat, de propulſanda Hiſpanorum tyrannide; idque Albanus non ignarus, qui cetera contemneret, magnopere verebatur; & ſedulo per exploratores conſiliorum arcana captabat; ac quamvis de milite conſcribendo nulla publice fama eſſet, illud tamen unum Naſſovius agebat, ut Albani potentiam frangeret, tanto quidem rei ſecreto, ut Montes in Hannonia prius cepiſſe, quam Lutetia diſceſſiſſe, nuntiaretur. Impulerat Carolum, ut vulgo iactatum, quod ea ratione in Belgium arma transferret, regnumque ſuum in pace tranquillum a belli incommodis liberaret; tum etiam animum commoviſſe putabatur iniuria ſorori Elizabethae facta, quae a Philippo, cui nupſerat, diu contumelioſe habita, tandem etiam violenta morte ſublata eſſet. Augere offenſam, quod qui Gallos ſub ductore Ribaldo militantes in terra Florida, Americae regione, interfeciſſent, facinus ſuum impune haberent. Id vero actum erat, ut, ſi bene conſilia evenirent, victor Carolus armorum pretium maximam Belgii partem acciperet, qua ſe id cis Rhenum extenderet: Hollandia, Zelandia, Friſia, Vltraiectum, Auriaco cederent; in eam rem ipſe militem in Germania legeret; Alenconius, regis Caroli fratrum minimus, cum Colinio archithalaſſo, ac delecta ſuorum manu, e Gallia impreſſionem faceret. Hunc conatum claſſis quoque Broagii inſtructa ſub Philippo Stroſsa, & Polinio Garda, adiutura putabatur; item Florentiam in Etruriam miſſus Ioannes Galeacius Fulgoſius ad Coſmum Medicem, qui Senae ſuae ab Hiſpano metuens per hanc occaſionem diſtractis eius armis ſecurior futurus, cc. aureorum clↃ. mutua daret. In Germaniam profectus Caſpar Schombergius, cum Imperii principibus ad vim pariter inferendam repellendamque foedus icerat, ea lege, ut Germanicas copias Friderici Palatini Septemviri filius Ioannes Caſimirus, duceret: &, Chriſtophorus natu minor honorarium, ordine ſuo & familia dignum, acciperet. Idem negotium tribunus equitum Momorantius in Anglia apud reginam Elizabetham egerat; & decreta utrinque auxilia, vel ſi religionis cauſa arma ſumerentur. Per haec Naſſovius confidentior, cum Lanovio & Ienliſio de Montibus opprimendis delibarat. Ea urbs Hannoniae prima, auguſtis aedibus, curia provinciae, & antiqua arce inſignis; moenia ſolida e lapide quadrato, atque in illis turres crebrae, & propugnacula circum foſſa triplex ambit; ab hac initium audendi factum, ut quantum animi ad vindicandam libertatem adferret, illuſtri exemplo in ipſo ſtatim principio oſtenderet; & de reliquo conatus egregii ſucceſſu provincialibus ſpem, aut coniecturam daret. Et acceſſerat pridem Antonius quidam Olivarius, fecialis, pictorque; qui impetrata ab Albano venia, ceu res Gallicas exploraturus, animum eius ſolicitaverat; adſeverans, ſi cum copiis ſaltem exiguis ad urbem accederet, fore oppidanorum plus IↃcc., qui ſe adiungerent. Igitur cum equitibus levis armaturae IↃ., ſclopetariis clↃ., clam ſub veſperam ad urbem venit, copiisque in ſilva vicina occultatis, duodecim aliquot ſelectos milites, caſum tentaturos, emittit: qui diſſimulato habitu, ceu vinarii mercatores, idem diverſorium ingreſſi inter coenam hoſpitem rogant, quae portae aperiendae hora; eſſe ipſis vini plurimum, ob ſolis aeſtum noctu advehendum; atque is, ignarus doli, quartam dicit; attamen, ſi maturius vellent, aliquid cuſtodi promitterent, qui tempus non gravate praeverteret. Ita ſummo mane hunc accedentes, quum ad ſpem pretii portam maturius aperuiſſet, hominem obtruncant, claveſque eripiunt; inde urbem e veſtigio cum equitibus L. Naſſovius invadens, eos per vicos diſponit, ac, ſic ubi oſtia aut feneſtras aperiri conſpicerent, illuc ſclopos explodere iubet; & vociferari interim, *ne timerent, aut hoſtile quicquam tentarent; adeſſe libertatis auctores, & Auriacum in propinquo, qui decimae tributum, graviſſimasque Albani exactiones averteret.* Id aliquot horis tam incondito clamore actum, ut vel milleni in armis eſſe viderentur. Vrbe capta, dum ſic domus obſidentur, neque reliquae copiae procederent, ocius ſe Naſſovius proripit, cogniturus quid morarentur. Itaque per ſilvam oberrantes equites IↃ. qui ſingulos a tergo pedites veherent, in urbem ducit; inde curia occupata portas claudit, ac per vallum excubias ſtatuit; tum magiſtratum convocatum blande adfatur: *non hoſtem, ſed amicum veniſſe: proinde illaeſam urbem habituros; adventare Auriacum fratrem, cuius nomine rem tam magnam inceptaſſet; nihil aliud animo agitare, quam ut florentiſſimum pridem Belgium contra vim Albani adiuvaret.* Ea oratione deliniti, ſe ſuaque omnes illi ultro permiſere. Deinde incertis obſequii civibus arma adimit; alios conſueta artificia, aut commercia, exercere per tubicinem iubet; ſuos proterve agere vetat. Inventa ibi arma multa, & cetera belli inſtrumenta; aerarium ingens; ſed, ut in urbe limitanea, commeatus exiguus; gaza plurima, plurimum ſacrae ſupellectilis, & ex auro argentove imagines ſanctorum; quas vicinae abbatiae, & monaſteria, fama captae per Lumaeum Brilae territa, ceu in loco maxime tuto adſervandas depoſuerant. Triduo poſt ſclopetarii clↃclↃ. acceſſere, feſtinantem Naſſovium ſubſequuti, mox Iunio menſe, ſub Lorgio Mongomerio, equites clↃcc. pedites clↃccc. Eodem tempore capta a Lanovio & Famarſio Valentiniana; ſed quod in arce praeſidium erat, valide repugnare; eique ſuppetias ferre iuſſus Ioannes Mendoza, levis armaturae praefectus duas equitum turmas, Aldenarda evocatas, & quas Cheverauxius colligebat copias, eo ducit, ac armato propere tirone pridem conſcripto, ſumtis ex armamentario Tornacenſi armis, in arcem II. Belgarum ſigna introducit; reliquos in adverſo colle ponit; utque maior oppidanis, qui adſpicere inde poterant, numerus videretur, lixas ac calones miſcet; tum, ceu Hiſpanicae copiae eſſent, more gentis tympana pulſare iubet; eaque res terrorem obſeſſis iniecit; quamobrem

CIↃIↃ LXXII.

CIↃIↃ LXXII. obrem Famarsius digresso pridem Montes Lanovio, quum iustae illi vires deesscnt, & oppidanorum studia deficerent, irruentibus praesidiariis; deserere urbem, & vi erumpere coactus fuit, ac fugam eius plebs consternata tam frequens sequebatur, ut in exitu, angustia portae, plurimi obtererentur. Albano gravis Montium iactura visa, propter ingens loci momentum; & magis turbabat tam inexspectata clades; quippe Nassovium non ita pridem Lutetiae visum, ac pilae lusu se oblectantem, per exploratores intellexerat; & nuntium cladis tam impatienter accepit, ut detractum capiti pileum, irae immodicus, conculcaret. Culpam rei in reginam matrem, Catharinam Mediceam, conferebat; stomachatus, *ab Etrusca muliere se delusum, cuius lilia Florentina Hispanicis sentibus brevi mutaret*. Sed hanc offensam laniena Parisiensis mox placavit. Colinius hoc initium valde rebus gerendis opportunum ratus, urgere vehementer regem: *invaderet tam bonam occasionem, & bellum Hispano denuntiaret; quod, quamdiu occultum, minus strenue gereretur; timentibus e nobilitate plerisque, ne per praeliorum incerta comprehensi pro latronibus transfugisque punirentur*. His rationibus in speciem victus, quum rei spem ab initio fecisset, & ad occultanda consiliorum secreta plane necessariam putaret; nec indicere tamen bellum, aut Philippum regem lacessere, animus esset: ne recusatione suspectus affectum alienum proderet, quod inter offensam & suspicionem medium, eximere callide tempus statuit; ac praeseferre: *nihil isto bello gratius; tamen, declinandae invidiae, cupere ut senatui probetur; quamobrem rogare, ut sententiam scripto complexus inquirendam ei proponeret, ne quid in tam gravi negotio nimis praecipitanter actum homines maligni suggillarent*. Ille igitur prolixas ad regem literas scribit, quibus consilii sui rationes exponit; easque rex collaudatas, ut nulla fraudis suspicione cunctaretur, Ioanni Morvillerio, viro augusti collegii principi, quem Colinio adversum sciret, serio expendendas tradit; isque acceptas mense Iunio, quum ad castrum Bononiense rex veniisset, tertio ab urbe lapide, accurata oratione refutat. Qua disceptatione dum res protrahitur, commeantibus ad Colinium internuntiis, qui Castellione ad Loniam erat, de deletis Ienlisii copiis nuntius fertur. Id sibi acerbum rex egregie simulare; & ad Claudium Mondulcetum, qui tunc res eius apud Albanum procurabat, statim scribere: *daret operam: ut capta eo praelio nobilitas Gallica dimitteretur*. Colinium autem, qui interim, etsi praeter amicorum consilium, fiduciae plenus in aulam venerat, in limite copias, quantas vellet, conscribere iubet. Nihil ultra bellum Belgicum Carolus iuvit, pernicioса Galliae suae simulatione, magno antea studio incitatum. Albanus, quamvis manifesto iam satis plerorumque in Auriacum favore, rebus omnibus relictis, quamprimum Montes recuperare, & Nassovium opprimere statuit; tam egregium belli ducem coërcere sibi maxime glorioсum, ceteris omnibus terribile ratus. Ac dum haec in Hannonia fiunt, in Hollandia multae indies urbes desciscunt; & tantum non sponte apertis portis Auriaci nomine praesidia recipiunt: Tam gravi enim odio Albanus laborabat, etiam apud eos, quibus certum a maiorum religione non discedere, ut decimae causa rerum novarum occasionem optarent. Iam Hollandia borealis, praeter Amstelodamum, tota defecerat; in australi prima Audewatra, urbs ad Iselam flumen sita, ad Auriaci partes accessit; quam XIII. Kal. Iulias Adrianus Switenus cum exigua manu cepit; diesque paucos commoratus, quum novas sibi copias parasset, relicto illic exiguo praesidio, cum L. aut LX. aliquot militibus Goudam petit; ac per fautores porta aperta urbem ingressus forum occupavit. Oppidani excubias in curia agebant; ex quibus quum vim tentandam quidam putans explodere in illos sclopum vellet, inhibentibus aliis statim citra ullum sanguinem facta deditio. Switenus ductor in prima suorum acie versari, eumque sequi Vtenengius, e nobilitate Vltraiectina iuvenis, & Wenceslaus Tzerclasius Hagiensis. Ducto circum curiam agmine, quum initio vix sexageni essent, pronis in patriae causam civibus, adeo statim auxit numerus, ut mox fere locc. essent. Convocato magistratu, in Philippi regis, & Auriaci praesidis verba singulos iurare iubet; inde ad praefectum arcis, Cornelium Mylium, Gerardum Franciscum Kegelingum, & Cornelium Reinegomium, intimos viri amicos, mittit postulatum, uti ad urbis securitatem ad XXV. praesidiarios, quos Albani mandato habebat, totidem alios a se acciperet; nisi faceret, alia necessario ausurum. Is autem ubi captam urbem acceperat, famulum clam ex arce dimissum Vltraiectum properare iusserat, qui rem illic nuntiaret, & suppetias simul posceret; sed hunc oppidani retraxerunt. Igitur initio difficilior cunctando protrahere tempus nitebatur; at quum famulum interceptum, & vim parari intelligeret, quamquam invitus, conditionem accepit; placuitque, ut liber omnibus accessus esset. Mox quum plebs tumultuaretur, nec ultra ei praefecturam credi permitteret, ex arce in urbem commigravit; inde per aedes singulorum investigatum, quantum quisque annonae haberet; quumque vix in octiduum suffectura inveniretur, missi illico metcatores, qui necessariam a Dordracenis pretio obtinerent; & illi, etsi adhuc Albani partes sequerentur, vicinae urbi non gravate subvenerunt; Quumque Hispani, qui Roterodami praesidium agere, Iselae ostium obstruxissent, adpositis ad securitatem liburnicis suis, Crimpenum usque frumenti plurimum navigio devexerunt; unde Goudani curribus impositum porro in urbem adduxerunt. Interim necessaria omnia Switenus curare, & sacramento fidem oppidanorum obstringere, ac praesidium loco ordinare; tum ductis Leidam copiis; quum non ita pridem, misso a Sonoio Gulielmo Gravio Gaudavensi,

CIↃIↃ LXXII.

CIↃIↃ LXXII. si, hominem extraneum recipere magistratus noluisset, opera Pauli Busii syndici, aliorumque civium, statim admissus Ioannem Eilosium Groningensem cum cohorte urbi imponit. Dordraceni, iam dudum adfectus in Auriacum proni, quia impetu quorundam praecipitata consilia infeliciter cecidissent, palam eius partes amplecti hactenus distulerant; sed hoc rerum statu non ultra deserendam remp. rati, advocato Bartholemaeo Entesio, qui in propinquo sub Lumaei auspiciis cum bellicis aliquot navibus agebat, VIII. Kal. Iulias Albanum hostem renuntiant; statimque iis ab Auriaco Maximilianus Hornanus Boxtelius, cui etiam comitatus Burani, Leerdami, Bredae, & Iselsteinii cura commissa, praefectus destinatur. Paullo post Harlemum quoque ad partes venit, Gerardi Berkerodii, Ioannis Coltermanni, & Petri Kiesii insigni opera; illi enim quum mandata Auriaci ostendissent, restare initio magistratus, & deliberationem petere; qua negata, quum civium studia animadverterent, hisce legibus urbem dedunt: *ut sacramentum, Philippo olim & Auriaco praesidi datum, ne mutarent; magistratu, saltem ad Auriaci adventum, nemo amoveretur. Albanus vero hostis publicus haberetur; cunctis vita ac facultates salvae essent; clero, aut monasteriis, nulla vis fieret; milesque nullus, extra Ruichaverii cohortem, nisi arbitrio magistratus, urbi imponeretur.* Tam fausta foederatorum initia Gorcomium auxit, & se quoque VI. Kal. Iulias dedit; atque arce per vim expugnata, eius praefectum cum uxore ac filia captum Brilam adduxerunt; inde, dilapso per metum praesidio, castrum Lovesteinium capitur; & per noctem oppressa Leisveltia; tandem Schonhovia, & Woerda quoque armis Lumaei cedunt; iamque Hollandia tota in Auriaci partes transierat, nec praeter unum Amstelodamun quicquam restabat. Id in Albani obsequio perstitit, aegre avulsum anno demum LXXVIII. Dum haec in Hollandia a Lumaeo geruntur, Gulielmus Bergensis, Auriaci affinis, in proxima Gelria sumptis armis comitatum Zutphaniensem invadit; & quum passim sine praesidio oppida essent, plurima cepit. Inter haec Zutphaniam ipsam, Dotecomium, & Dusburgum. In Velavia eius legatus, Zacharias Glisenbergius, Harderwicum VII. Eid. Iulias cepit; moxque etiam Herenbergam, Hattemum, Elburgum; in Tubantibus Oldensaliam, Goriamque. Per haec Bergensis, ubi laetum consiliorum eventum, & propensa populi studia comperisset, occasione utendum ratus, in ditione Transiselana Campos obsedit; eam in rem missa a Sonoio auxilia, & triremes VII. cives nonnulli cum Andrea Arlerio pacti erant, urbem sese dedituros, simul cum copiis Auriacus adesset: & effectum horum opera, ut deditio promissa fieret. Swolla, Hasseltum, & Stenwica, exemplum secutae; etiam Gelmuda, ac Vollenhovia; arx Tautenburgum per centurionem a Sonoio missum capitur; mox, translatis in Vltraiectinam dioecesin armis, Amersfortia occupatur; unde excursionibus crebris totam ditionem infestarunt, saepe ante ipsas Vltraiectinae urbis portas abducta praeda. Postquam autem pars magna Gelriae etiam defecit, odio Albani, aut foederatorum armis; in Frisiam quoque occidentalem transitum est. Ibi Doco Martina cum nobilitate profuga de occupanda Leovardia, provinciae metropoli, consilium ceperat, & mandatum id ab Auriaco acceptum exequi hactenus non potuerat; nunc autem opportunum ratus, a Sonoio, Hollandiae borealis praefecto, cohortes IV. aut V. poscit; sed is, quia missis Bergensi auxiliis, & variis praesidiis, copias distraxerat, unicam tantum Frisiorum cohortem Holzone Buma ductore submisit. Bergensis autem Nedervvormterium, Frisiae agrique Groningensis praefectum, supplere defectum iussit; isque centurionibus aliquot constitutis brevi cohortes tres quatuorve comparavit; ac cum iis Cundertam aggressus, diffugientibus Belgis, qui in praesidio, sine negotio occupavit. Quo successu auctis animis in Frisiam perrexerunt. Hiergius, quem in Frisiae praefectura Megensi successorem Albanus dederat, Arnhemii in Gelria morabatur; & ab Auriaco, qui cum magno tunc exercitu advenerat, ac plurimas illic urbes ceperat, obsessis viis, praefectura excludebatur; quamobrem Casparum Roblesium Billium Lusitanum, qui Groningam cum legione Belgica tenebat, Leovardienses, ut provinciae laboranti succurreret, per literas evocarunt; isque quum advenisset, inprimis urbem communivit, & mutato arcis praesidio, pro Germanis Gallos imposuit; in Harlingae ac Staverae arces e legione sua lectos misit. Wilhusium venerat Adolphus Holsatus, qui Albani iussu militem auxiliarem collegerat; & stipendii inopia quum ulterius progredi non posset, destinatam sibi ab Albano pecuniam submitti postulabat; & quando, longo loci intervallo, consuli absens Albanus non posset, moraque longior periculum allatura videretur, e Megensis thesauro, qui in arce adservabatur, mutua sumere IX. florenorum CIↃ. placuit, ex pecunia ab Albano adsignata mox refundenda. Sed quum illic vix VCIↃ. reperirentur, quod reliquum, aliunde subfectum est. Iam animi alieni signum Sneca dederat, atque timeri coepit, ne in novas partes inclinaret. Placuit ergo ut animos Billius exploraret, aliquid fortasse auctoritate viri valitura; isque cum Petro Fritema, curiae senatore, eo profectus intromitti postulavit, hac ex re de oppidanorum affectu coniecturam facturus. Et praemissus Fritema, ut eventum tentaret; ex quo quum adfuturum mox Billium intelligerent, clausis portis armati omnes in moenia prorumpentes, saltem cum domesticis recipi postulantem reiecerunt; quin auditae voces quorundam, qui sclopeta minarentur. Fritema vix blanditiis obtinuit ut dimitteretur. Per id tempus ambigua etiam Bolswerdiae fide, ut experiretur Billius, literis benigne scriptis quaerit, *an non in tutelam urbis aliquod praesidium cuperent*: sed illi eadem humanitate viro respondent: *gratam sibi pro salute publica*

CIↃIↃ LXXII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. *ea curam, ceterum praesidio opus non esse; daturos operam, ne quid detrimenti caperent.* Hoc responso satis manifestus adfectus; tum de Franekera etiam laboratum; sed neque quemquam eo mittere, aut literas dare visum fuit, antequam ipsorum Leovardiensium studia cognoscerent; idcirco decretum, ut exquirerent, an in antiqua erga regem fide oppidani perseverarent; inde in urbem annona plurima, & commeatus belli illatus, edictumque, ut quicquid in subiectis agris, aut monasteriis, abbatiisve, esculentum, id in urbem comportarent; & consulibus mandatum, ut si quos civium minus certa fide existimarent, eorum nomina in indicem relata exhiberent; tum repetito sacramento arma omnibus imperata, additaeque cohortes v. Germanorum; quibus ut stipendium esset, senatorum collegio, & ditissimis aliquot provinciae nobilibus, VI. florenorum CIↃ. indicta; eique continuando conscripti provinciae delegati indictionem recusarunt: *nimium hactenus impensae fuisse; ac supra tributum ordinarium, pro quo obstricta regis ad provinciam tutandam fides; extra ordinem* V. *prius, mox* VI. *etiam* CIↃ. *dedisse; inde honorarii vicem* CXXVIII. CIↃ. quumque publica necessitas adlegaretur, nihil minus pernegarunt: *neque enim in sua potestate rem esse, plenis comitiis pertractandam; hoc tamen anniti velle, ut constituta provinciae quiete, in cohortium* V. *stipendium, quas nunc parassent,* XXIVCIↃ. *curarentur.* Porro cives L. obsequii invitos, aut incertos, eiecerunt; ultimum supplicium comminati, si postea praeter curiae voluntatem redire auderent. Snecani, legato excluso, certi offensae, ne annona deesset laborarunt; itaque e vicinis abbatiis, ac monasteriis vi abreptam in urbem transtulerunt; nec multo post a foederatis praesidium admiserunt; & exemplum mox sequuti Bolswerdiani Nederwormterium advocarunt; tum Doccomium, auctis per haec copiis, invaserunt. Erant in praesidio urbis Belgae aliquot, & hostibus facile superiores, nisi cives conspirassent: ii fortiter repugnantes, e fenestris aedium suarum sclopis terga ferire adgressi, incusso metu, in fugam propulerunt; atque ita in victoris potestatem urbs venit; sed homines militiae ignari, & qui per tumultum, arma sumserant, nec timere hostem didicerant, neglectis excubiis, mox iterum a victis per noctem oppressi, nullo adhuc victoriae fructu, urbem amiserunt; ac interfecti fere L. ceteros tenebrae eripuerunt. Victores irati recentem contumeliam rapina & incendio vindicarunt; & quia munitionem adiuvare rustici pridem negassent, in pagos quoque proximos saevierunt. Adiunxerant se foederatis nobiles eius provinciae plurimi, inter eos, Doco Martina, Sidius Botnia, Titius Hottinga, Siffridus Galama, Petrus Camminga, Augustinus Oetsma, aliique, quibus cognita locorum regio, & occulta civium multorum in nonnullis urbibus studia. Eorum opera ad australe fretum Stavera, Enchusam adversam spectans, occupatur, sed arcem e legione Billii Belgae tenuerunt; hanc obsidentes

A B C D E F

tormenta admovere, Sneca, Bolswerdia, & Franekera advecta; & auxilia a Sonoio missa. Dum ita arcte obsidentur, adflicta valetudine Billius, convocato ad se senatu: *momentum loci, & necessitatem obsessorum* repraesentat; simulque hortatur, *ne tam egregiam militum fortissimorum fidem, ac virtutem, desererent; sibi auxilia praesto esse; sed, educto per hanc rerum necessitatem praesidio, absente ipso operam darent, ne quod urbi incommodum eveniret; tum etiam docerent, qua via tutissime militem duceret.* Igitur placuit: *ut copiae per legatum quidem Coudomam aut Bolcum navigio subveherentur, ipsi autem urbe ne exiret; id neque morbum eius ferre, nec civilis prudentiae legem: Per belli incerta, si quid accidat adversum, gravius multo periculum fore; in eius capite salutis publicae summam verti*: Quamobrem missae v. cohortes Belgarum, II. Germanorum, adventu inexspectato adeo obsessores terruerunt, ut metu longe maiores copias adventasse existimantes, turpi fuga arcem simul urbemque desererent. Postea quum se iuxta Galedanum collegissent, iterum irruentes hostes caesis CL. reliquos dissiparunt. Coudomam autem, quo confugerant, populati idem Staverae mox fecerunt; ac deinde igne iniecto exusserunt; machinas captivas in arcem liberatam transtulerunt; atque ita cum ingenti praeda Leovardiam laeti redierunt. Interim Leovardienses maxima annonae caritas premere, coactis rusticis circumiectis frumentum omne in foederatorum urbes convehere; quamobrem Billius Franekeram inopinato invadere statuit; aut, si consilium non successisset, Berlicomium, opportunum situ pagum, opere & praesidio communire; inde Biltam copias ducere, & quicquid illic frumenti esset, Leovardiam devehendum curare. Igitur noctu cum cohortibus v. egressus, alias Harlinga accedere iubet, statuta hora ab una urbis parte arma concitaturus, ut, seductis illuc praesidiariis, ab altera facilior irruptio esset. Sed, obseptis itineribus, cum conatu excidissent, ad Angumam, Berlicomium, & Lidlumam castra metati, loca opere festinato munierunt; utque incommodum aliquod Franekeranis Billius daret, opplere fossam Snecanam iussit. Circa id tempus cum cohortibus VIII. Germanicis in Frisiam Iustus Schouwenburgicus venit, ab Auriaco praeses provinciae, ac Groningae, agrique Groningani destinatus. Posito vero Franekerae domicilio, multa a Nederwormterio statuta immutavit. Deinde curiam iuri dicendo novam instituit, ad quam Sneca, Bolsvverdia, aliaque loca, quae foederatorum partes amplexa, pertinerent. Varie utrinque velitatum est, & pagi aliquot, monasteriaque praedae obnoxia, armis & flamma deleta. Albano autem undique nuntii minus grati perferuntur; quibus etsi angeretur, egregie tamen curas dissimulat. Vexabat animum successoris cogitatio, cui se, ut pridem iactaverat, tranquillam provinciam tradere posse desperabat. Insuper de Galliarum rege, ac regina matre querebatur, a quibus Nassovio clam

auxi-

CIↃIↃ LXXII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. auxilia deſtinata, aut permiſsa; neque aliunde magis ſibi metuebat. Itaque inprimis obſidere Montes ſtatuit, antequam plures copiae accederent, aut Auriacus cum exercitu adveniret; tunc enim vires adhuc integras varie diſtractum iri; quamobrem conſcriptis III. legionibus Belgicis Fridericum Filium cum IVClↃ. peditum, CCCC. equitibus, obſidioni inchoandae praemittit; ipſe, ſimul res alias ordinaſset, cum copiis maioribus ſequuturus; & is Iulio deſinente profectus, proximum urbi monaſterium Bethlehemum ſtatim occupat, atque adverſus vim communit. Oppidani nihil territi urbem ſeque hoſti excipiendo parant. Premebat Albanum aerarii anguſtia; nam & plurimum Hiſpanis debebat, quorum iam militia uti cogebatur; & copiis inſuper novis opus: neque decimae aut viceſimae ſpes ſupererat; quamobrem, quod temporis ratio poſceret, invidioſum tribunum differre ſtatuit, dum qui in Hiſpaniam miſſi a provinciarum Ordinibus in impetranda indulgentia laborarent; utque animos adeo alienos demulceret, remittere decimam ac viceſimam velle edixit, dum modo alias pecuniae colligendae rationes oſtenderent. Idque etiam Hollandiae Ordinibus Boſsuvium praeſidem proponere iuſſit; & ſeorſim ad eos quoque literas dedit, quibus in XVIII. Kal. Sext. comitia Hagae habenda indiceret. Sed eo iam illic loco res erant, ut mandatum contemneretur; tamen in praeſcriptum diem Dordraci in primaria Hollandiae urbe, conventum ordinant; ubi de rep. deinceps adminiſtranda decernerent. Eius rei Auriacum certiorem faciunt; & legatum, qui interſit, mitti poſtulant. Vbi praeſcriptus dies illuxit, convenere ad libertatem vindicandam ex equeſtri ordine Iacobus Wingardus, & Arnoldus Duvenvordius, Lumaei legatus: ex urbibus delegatos miſerunt. Dordracum, Harlemum, Leida, Gouda, Gorcomium, Alcmaria, Oudevvatera, Horna, Enchuſa, Medemlacum, Edamum, & Monachodamum; reliquis voluntas, vel audacia, defuit. Interim in Hiſpania res decreta; & poſt longam ſupplicationem facta tandem indulgentia. Hopperuſque convocatis regis nomine haec denuntiat: *ita eum erga Belgium adfectum, ut nihil privati commodi cauſa unquam tentaverit; ſed hoc tantum voluiſſe, ut reſp. illis quieta, ac religio ſalva maneret. Id ſibi omnino perſuadere, ſemper Ordines fidei atque obſequii praeclaros, in rebus omnibus, & conſiliis, Dei gloriam, publicamque utilitatem ſpectaſſe; quamquam autem in reſponſo decimae, ac viceſimae indulgentia claris verbis non exprimeretur, haud aliam tamen ſententiam eſſe; involucro ideo uſum, ut apud ſubditos ipſi maieſtas, legato auctoritas, integra eſſet.* Poſt haec verba, qui curandae rei miſſi, pro adfectu tam benigno magnas ſeſe regi gratias agere dicunt; idque reduces apud Ordines teſtaturos. Iam Auriacus iuſtas ſibi copias paraverat, in tres menſes auctoratas, aut quam diu uſus foret; ea militiae conditione, ut, quia pecunia in ſtipendium non ſubficeret, pignoris vicem urbes acciperent, quibus ſolvenda adſignaretur. Collegerat equites bene inſtructos VIIClↃ., pedites XV. cum his adiungere ſe Naſſovio fratri animus erat; ac quandoquidem Hollandiae Ordines ad deſtinata in medium Iulium comitia legatum poſtulaſsent, Philippum Marnixium Sancto-Aldengondium mittit, multa rerum peritia virum, qui conſilia adiuvaret. Is cum XV. Kal. Sext. adveniſset, poſtridie mandatis exhibitis, ita Ordines adloquutus eſt. *Satis Auriaco, a quo miſſus, cognitum pridem ipſorum adfectum, & nunc re manifeſtum eſse, quando tanta animi conſtantia cum ipſo, legitimo provinciae praeſide, ſe Albano obponerent, ad vindicandam patriae libertatem, quae ab Hiſpanis aliquot iam annos obpreſsa; quorum libidini, aut ſaevitiae, necdum adhuc factum ſatis: Orare vero, ut tam praeclaram voluntatem ne mutarent; egregia ſemper erga Belgium fide fuiſse, ac Hollandiam potiſſimum, & ceteras curae ſuae provincias. Idcirco doluiſſe vehementer, tam immania dudum paſſas; neque maius votum habuiſse, quam ut antiquam felicitatem reſtaurare aliquando poſſet; ideo non labori, aut impenſae peperciſse; quin trienium nunc eſſe, cum exercitu collecto, meliore animo quam fortuna, vindicare libertatem publicam tentaſset; ex eaque clade quicquid facultatum reliquum, id nunc poſtremum patriae impendere; neque per ſucceſſuum adverſa quicquam de libertatis ſtudio deceſſiſse; eundem illi animum manſiſse, qui diu noctuque per haec conſilia hactenus inquies continere ſe non potuerit, quin paratis denuo copiis virtute invicta iterum eventum tentaret. Quando autem tam diu obpreſſi antiquum animi robur revocaſſent, hoſtemque Albanum pronuntiaſſent, nihil ſane prius habuiſse, quam ut ſpiritus tam generoſos porro incitaret, & auxilium poſtulantibus praeſtaret; quumque exhauſto patrimonio tam bonae voluntati vires non reſponderent, promiſsumque ab ipſis eſset, ſi exercitum modo adduceret, ſe ſtipendia curaturos, id nunc tempus eſse ſcirent; in promtu militem, ſed ea conditione lectum, ut priuſquam moveret, prioris trimeſtris pecuniam praeſentem acciperet; aut ſi fieri id non poſset, repraeſentato ſaltem unius menſis ſtipendio, de cetero vel nonnulli principes, vel quaedam Belgii urbes caverent. Horum prius impoſſibile; alterum difficile omnino, neque utile; namque, ſi ad Galliae Angliaeve regem, aut reginam irent, periculum eſſe, ne obnoxias hac ratione provincias ſibi ſubiicerent: quippe, niſi datis pignori urbibus, ne teruntium expenſuros; itaque apertum aditum iri, aegre poſtea poſſeſſu dudum locu relicturis; quod exemplis manifeſtum; quamobrem nihil aliud reſtare, quam ut ductoribus ac turmarchis urbes aliquot fidem obſtringant; inſuper* C. *aureorum* CIↃ. *ſtatim expediant. Haec ab Auriaco exponere iuſsum; & ſperare, pro adfectu in remp. quam in primis ſalvam cuperent, non gravate conceſsuros:* quamobrem, quia urgeret neceſſitas, & maturato opus foret, illico decretum, *ut* C. *illa aureorum* CIↃ. *a locupletioribus, reliquisque provincialibus mutua peterentur: & corrogaretur quicquid auri, argentive, aut ceteri mundi quiſque haberet;*

CIↃIↃ LXXII.

CIↃIↃ LXXII. *beret; tum tributa ordinaria tradere quaeſtores iuberentur, etiam deinceps continuanda, & invitis imperanda; item reditus templorum, monaſteriorum, aut collegiorum; & quae praeterea ornamento magis, quam uſui, occuparentur.* Deinde, *ut pro ſtipendio cetero urbes caverent*, convenerunt. Poſt haec Aldegondius alia quoque mandata exhibet; ad quae Ordines reſpondent: *Auriacum ſe Hollandiae, Zelandiae, Weſtfriſiae, & Vltraiectinae ditioni preſidem adgnoſcere, qualem olim rex ſtatuiſſet; & apud aliarum provinciarum Ordines operam daturos, ut, rege abſente, praeſidem ac patronum acciperent, ceu praecipuum Belgii principem, quique ad tutelam eius iure & ſacramento teneretur. Vt autem belli navalis ratio corrigeretur, omnis ei poteſtas traderetur, iſque exauctoratis omnibus Thalaſſiarchum ſummum ſtatueret, qui de urbium maritimarum conſilio centuriones novos legeret; quumque in praedam hactenus miles arma habuiſſet, nunc ſtipendium poneretur; ac conſtituerentur homines certi, qui de rebus maritimis cognoſcerent.* Tum ad Lumaeum magiſtratus Dordracenus, Leidenſis, & Enchuſanus ablegantur, qui terreſtrem militiam ordinarent, & licentiam lege adſtringerent, ne deinceps provinciales vexarentur. Placuit etiam archiva aperiri, quae in arce Goudana, & privilegia inſpici, reliquaque libertatis inſtrumenta ad Hollandiam pertinentia, & in indicem relata deſcribi, moxque magiſtratibus diſtribui, ut ſecundum ea deinceps reſpublica ex aequo adminiſtraretur. Hoc negotium, ſed Auriaco prius conſulto, & permittente, ex ordine equeſtri, Ianus Douſa Nordovicus, vir ingenio & litteris excellens; ex urbibus, ſinguli deſtinati ſubſcipere iubentur. Viſum etiam a Lumaeo petere, *daret ante omnia operam, ne quid camerae ordinum, rationum, commentariorum, aut curiae actuarii perturbarentur, inſtrumentaque omnia, reip. maxime neceſſaria, ſtudioſe adſervarentur* Inde foedus mutua fide utrinque initum: *neque Auriaco inconſulto, aut invito, Ordines quicquam; aut Auriacum praeter Ordinum voluntatem cum ipſo rege, eiuſve legatis, de rep. pacanda acturum.* Eam in rem fidei ſymbolum datae dextrae, & Aldegondius pro Auriaco, a quo legatus iuramento ſe obſtrinxit. Decretum praeterea, ut alias quoque urbes ſcriptis literis ad commune patriae liberandae foedus invitarent: quod quia vicini Delphi recuſarent, mandatum Leidenſibus, urbis ſitu opportunis, ut navigationem in Waterlandiam impedirent. Ad Amſtelodamum quod attineret, Auriacus ad Daniae regem urbesque maritimas literas daret, Ordinumque Hollandiae nomine peteret, *quando publicae libertati adverſa eſset, ne quae ei in poſterum merces ſubveherentur: ac Hornam potius, aut Enchuſam urbesque proximas; vel Dordracum per Moſam flumen transferrentur, ubi par commoditas foret.* Porro tunc quoque Aldegondius exponit, *eam Auriaco mentem eſſe, ut religio libera haberetur, & publice in iis locis, quae decerneret magiſtratus, ſine turbis exerceretur. Clericis autem nemo vim aut iniuriam* A *faceret, niſi contra remp. niterentur.* Inter haec Lumaeus etiam venit, & provinciae praefecturam ab Auriaco ſibi mandatam in comitiis exponit; quumque literas protuliſſet, lectis iis, ex praeſcripto geſturum admittere placuit. Sic arma ſub Auriaco praeſide pro libertate Hollandia ſumſit. Et Zelandiae quoque bona pars Albanum pro hoſte habere; Iamque audendi initium Fliſſingani fecerant, quibus miſſo in auxilium Tſerartſio aucta virtus, adeo ut infeſtis ſignis Middelburgum profecti hoſtem ultro provocarent; at quum is praelium detrectaret, neque tuta obſidio putaretur, retrogreſſi ſe per vicos diſtribuerunt, arcemque Souburgum, non procul Fliſſinga, occuparunt. Mox Middelburgenſes, ne timuiſſe viderentur, Souburgum verſus nocte intempeſta copias machinasque ducunt. In praeſidio Galli erant, qui in hoſtem animoſe erumpentes, fortiterque repulſi, cum fruſtra ſuppetias Fliſſingani duplici velitatione tentaſſent, arcem deſerunt. Eam Hiſpanus occupatam, imminentibus rurſum Fliſſinganis, quum defendi poſſe deſperaret, iterum dedit. Creſcere illis indies copiae, & per eas animi robur; itaque mari bellum inſtruunt; & Antuerpiam profectus Theobaldus Worſtius, pulverem tormentarium, quaeque praeterea bello neceſſaria, clanculum emit. Nec multo poſt, quum inſignis e Luſitania claſſis adveheretur, mercibus plurimis pretioſis auroque onuſta, turbarum ignara, & mutationis, vi adgreſſi naves exonerant, mercibuſque diſtractis ingentem inde pecuniam contrahunt, atque in ſuos uſus adplicant. Tum ut Middelburgum ſubigerent, urbem inſulae Valacriae primariam, liburnicis exſtructis commeatum prohibere conantur. Iamque bello CL. naves armaverant, quibus mare obſidebant; & infeſtis valde animis pugnabant; namque ut Albanus, nullo perſonarum diſcrimine milites, cives, mercatores, ceu perduelles ſupplicio extremo adficiebat: ita illi, quemcumque Hiſpanum capiebant, ſtatim in crucem ſublimem agebant, neque ullum vitae pretium erat; quumque plures captivi eſſent, colligatis brachiis, binos ex urbis propugnaculo in ſubiectum mare praecipitabant. Indigna quidem illa ſaevitia, ſed quam exemplum irritaverat. Veriae quum poſtridie Non. Iun. epulum magiſtratus haberet, in templum irruentes praeſidiarii, imagines ſacras, & altaria, hactenus illaeſa, ſubito animi impetu confregerunt; deinde in templi chorum progreſſi in equitum aurei velleris inſignia illic ſubſpenſa idem auſi. Quum res ad Tſerartſium deferretur, ille, ut epulo intererat, vino iram accendente, ſtatim ſe ad templum propipiens, ſtricto gladio duos improviſus occidit, porro alios occiſurus, niſi intervenientes quidam impetum viri cohibuiſſent. Id ubi cetero praeſidio gnarum, adeo omnium animos offendit, ut cum armis ante aedes convenirent, pontificium, ac latronem adpellantes; & paria illi facturi, ni Rollaeus praetor, Herptiuſque, motum ſedaſſent; ac profecto ex eo tempore inviſus militibus, tandem

CIↃIↃ LXXII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. dem quoque per tumultum interficitur. Flissingani, distractis classis Lusitanae mercibus, Anglicanos ad se mercatores plures militesque pertraxerunt, qui luculenta spe stipendii militiam quaerere. Itaque auctis valde copiis vicinae Flandriae arma inferre statuerunt. Ostburgoque & Ardemburgo occupatis, dedere se Burgenses iubent; sed oppidani, quia res ipsorum satis adhuc inordinatas, & in militia tumultuaria parum momenti existimarent, etsi inclinarent aliqui, necdum motum ullum audebant; quamobrem frustra hic conati, in templa, & monasteria proxima, arma vertunt; inde Gandavum progressi, quum nihilo illic felicior successus, veriti ne interciperentur, in Walacriam revertuntur. Ioannes Cerda Medinacaelius, Albano a rege successor datus, cum novis clↃ clↃ. Hispanorum copiis in Belgium adventabat. Id ubi Flissinganis cognitum, Balduinus Eobaldus, Ioannes Morus, aliique, circa Flandriae oram invadunt. Necdum Cerda intellexerat tantam Auriaco classem esse, eoque negligentior hosti se obnoxium fecerat. Ducebat naves LIV. ex iis XXVI. maiores Belgis ereptae: minores reliquae, quas Asslabres Cantabri dicunt. Has magno impetu adorti superant, fugantque; & ex XXVI. maioribus vix III. salvae. Cerda cum minoribus aliquot, copiisque elapsus Slusam adpulit; alii Rammekenum, & inde Middelburgum evaserunt. Victoribus ingens praeda obtigit, in auro argentove signato CC. aureorum clↃ. in mercibus IↃclↃ. aestimabantur. Slusa Cerda Brugas se contulit, inde Bruxellas ad Albanum, infausto per principia augurio minus avidus destinatae praefecturae, quam mox etiam deprecatus in Hispaniam recessit: quippe vir Albano dissimilis, & prudens rerum aestimator, qui turbatis bello provinciis non sine opprobrio decessurum animadvertebat, alienae culpae, quam corrigere non posset, suam existimationem involvere inconsultum ducebat. Nihilominus naves Cantabricas XX. bello parat, & Machlinia tormenta aenea XXIII. currusque aliquot cum pilis ac pulvere nitrato mittit: quae universa Flissingani in Flandria occupata in suum armamentarium transferunt; inde aliis submissis instructae naves ferente vento Slusa Rammekenum devehuntur, tribus in itinere interceptis. Illic quum essent, arcis praesidio, ut putabatur, satis tutae, Theobaldus Worstius, vir promptae audaciae, vi adgressus, nequicquam adiuvantibus arcis praesidiariis, omnes capit, incenditque; milites plurimi trucidati, pauci nantes evasere; ac tam egregio pugnae navalis successu, ut in rebus laetis solet, crevit animus Flissinganis, placuitque porro fortunam experiri. Est in propinquo Zuitbevelandia, & Tergoesa, insulae metropolis; inque ea aliquot clam amici. Igitur, quum pridem frustra Flandriam tentassent, ad hanc occupandam militem mittunt. Hieronymus Tserartsius aliquot cohortes cum II. machinis bellicis navibus imponit; quumque in insulam adplicuisset, praemissis in proximum pagum Gallis, oppressisque excubiis, reliquum militem obtruncare decreverat. Sed illi, cognito adesse hostem, per tenebras in urbem evaserunt; ad quam Tserartsius adductis copiis quum deditionem poscret, ab oppidanis rejectus, ut portam convelleret, tormenta admovit; sed laboris irritus, neque ad obsidionem instructus, sauciis paucis, retro cessit. Discedentem erumpentes praesidiarii sunt sequuti, ut postremum agmen carperent; at vero ordinate incedentem nihil laedere potuerunt. Animus Tserartsio erat, donec necessaria submitterentur, eminus obsidionem facere; sed falso rumore de Friderici Toletani adventu, qui magnas Antuerpia copias ducere ferebatur, metu potius quam periculo, insula excessit. Id vero adeo ingratum Flissinganis, ut redeunti portam occluderent, & rei infectae culpam imponerent. Inde per vicos circumpositos palans miles licentius agere, donec re composita, & stipendio numerato, in urbem admissi, iterum ad tentandam obsidionem emittuntur. Tunc ut certius consilium esset, petitis a Lumaeo auxiliis, cum IX. machinis, aliisque obsidionis instrumentis, insulam repetunt. Quum excendissent, atque ad urbem advenissent, ducto circum castra vallo, tormenta collocat. Erat urbs situ magis quam opere munita; & in ea praesidiarii Galli Hispanique IↃCCC. sub praefecto Isidoro Pacieco; qui virtutis egregius animum ad defensionem obfirmabat, & Albanum rerum suarum certum fecerat. Obsessor hostis verberatis aliquandiu muris, mediaque nocte facto in ruinam impetu, ab obsessis fortiter repellitur; dum ab una parte impetus fieret, & praesidium distraheretur, ab altera conscenso muro obruere pugnantes decreverat. Sed scalis brevioribus frustra hoc consilium fuit; sic hostium virtutem casus adiuvit. Iam septima hebdomas agebatur, & obsessis deerant multa, quum de urbe liberanda Antuerpiae consultatur; idque per aquas, si maturarent, obsessa navibus bellicis insula, perdifficile censebatur: si differrent, periculum erat, ne fractis animis, aut virtute oppressa, praesidiarii sese dederent. Mondragonius, vir animi ingentis, aqua recedente tentare liberationem statuit; nam olim iuncta continenti insula, cum inundatione diremta esset, vadum reliquerat; idque exploratum, etsi aliquot horarum intervallo, & trium amnium profundo alveo, laboriosum satis transitum habere iudicaretur, discrimen tamen virtus contemsit. Igitur gnarus, quantum apud militum animos exemplum ductoris posset, ne quid re insolita ceteri trepidarent, omnium primus vadum ingreditur; & transgressus, IX. tantum desideratis, quos devios interiecti amnes hauserant, excitatis ignibus Avilae felicem transitum, & obsesso Pacieco adventum indicat; tum madido & defesso militi reficiendo tempus datum; quo si eos obsessores adorti fuissent, in proclivi victoria erat; & post eam urbis deditio; sed id neglectum tanta securitate, ut initio ad famam rei ludos facerent; mox autem cognito hostem transmisisse, & IV. tantum miliaribus abesse, soluta obsidione in fugam effusi

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. tam trepide naves petierunt, ut vix tormenta bellica abducerent; quin plurimi, impedimentis desertis, dum inconsiderate properant, fluctibus mersi interciderunt; insequutusque fugientes Paciecus cum cccc. a Mondragonio submissis, Porresio, Balleio, & Salvaterra ducibus, in extremo agmine stragem edidit, & deleti ex foederatis IↃccc. Huius cladis tanta omnium offensa fuit, ut passim Tserartsius proditionis insimularetur, cuius rei pertaesus, abdicata praefectura, ad Auriacum concessit; & culpam excusans, iure, aut duello, decus suum tueri velle praese tulit; tum libello quoque edito quoscunque accusatores provocans sistere se intra mensem iubet, coram Auriaco causam dicturus; ac quamvis nemo compareret, non tamen odium publicum, aut calumnia cessavit. In Hollandia Hispani Roterodamum adhuc tenebant; quumque urbes vicinae, Auriaci partes amplexae, annonam interciperent, penuria pressi, Amstelodamo petere statuunt. Igitur Rodericus Sapata, Haga a Ferdinando Toletano missus, adsumto secum Ioanne Cepeda, cum delecta ccc. manu, & magno carrorum numero, Delphos Hagamque praetergressi, Scevelingam, pagum Oceano adiacentem, acie instructa contendit; inde qua littus duceret progressus, iuxta Harlemum transiens occupato Sparnodamo, ubi Robollium ductorem capit, Amstelodamum pervenit; ibique frumento conquisito, eadem qua venerat via regressus, Roterodamum illaesus rediit. In reditu pauci, milites pariter atque agricolae, tumultuaria turba, & armorum imperita, prope Catwicum tormentis minoribus duobus adductis, & lorica tenui in littore excitata, temere se obiicere ausi, mox hoste conspecto turpiter sane diffugerunt. Albanus, qui rerum suarum omne momentum in Montibus ponebat, urgere obsidionem; & ex Hollandia reliquas copias advocare. Itaque Roterodamo etiam, & Delfshavia mense Iulio deducta praesidia; quod Switeno, urbis Goudanae praefecto, Ienninus Rivius, urbi a secretis statim per literas indicavit; simul obtestans, *daret operam, ut boni cives, gravia multa ab Hispanis passi, clementer haberentur*. Is porro ad Lumaeum scripsit, qui non multo post urbem vacuam occupavit. Sub hoc tempus parum abfuit, quin Harlemum Hispanis proderetur, obnoxium insidiis propter vicinum Amstelodamum, quod in Albani fide permanserat. Praetor urbis epulum instituerat, eoque magistratum vocaverat; huic etiam, etsi invitus, Ioannes Coltermannus interfuit. Dum convivantur, hora decima vespertina accensus quidam esse ad portam Gravium nuntiat, qui intromitti in urbem vellet. Consul Theodorus Rampius ire in curiam hominem iubet, sub pulvillo, quem designabat, claves inventurum, quibus portam aperiret. Id Coltermannus, nisi se praesente, quum futurum negaret, aegre dimissus Gravium intra urbem admissum in diversorium deducit; inde excubias lustraturus, in portis Sparvvoudana & Schalcovicana, qui excubaret, unum tantum deprehendit; & haec quidem aperta erat; adventabantque cohortes v. a Bossuvio missae, ut urbem occuparent; ac fecissent, si hora praestituta adfuissent; qua neglecta, casus eam, & Coltermanni virtus servavit; quippe is excitatis civium proximis portam occlusit, & cohortem Ruichaverii in armis esse iussit. Itaque exclusi Hispani Sparnodanum recesserunt. Postridie vero convocato magistratu Coltermannus cum Berckenrodio & Kiesio collegis intervenit, restaurandis civium animis, eo magis perculsis, quod eodem tempore Rodericus Sapata, qui cum cohorte Hispanica Haga advenerat, prope urbem ad portam australem in silva esset. Visum autem, ut Coltermannus ad Sonoium auxilii petendi proficisceretur; & Berckenrodius literis ad Svvitenum datis cohortem unam submitti rogaret. Ac Coltermannus, quidem, ubi Enchusam ad Sonoium venit, auxilia obtinuit: missique suppetias milites IↃc. sub ductoribus Lazaro Mullero, ac Cornelio Everdingo; hisque se, praeclaro in patriam adfectu, cives multi Hornani, & Alcmariani, ultro iunxere. Quum Bevervvicum perveniissent, ad secundum Harlemo lapidem, Hispanos Haga cum curiae Hollandicae senatoribus, & magistris rationum, commentariis, instrumentisque omnibus, ac supellectile, ad urbem accessisse nuntiatur; quamobrem ocius a Sonoio copias maiores postulant; isque quas recenter e Transiselania accepisset, a Zacharia Glisenbergio collectas, illico submisit, dato rusticis vicinis mandato, ut annonam illuc comportarent. Postridie Mullerus sub auroram ad portam arenariam suos ducit; misso prius oppidanis nuntio, ut ipsi quoque se coniungerent. Vix advenerat, quum cohortes v. ba arce Clivienſi recta in eum tendunt, quas adgressus nulla fere suorum strage profligavit, ac Sparnodanum fugere compulit; sed hanc victoriam clades excepit; quippe qui in silva Hispani iam praelio fessos invadentes, etsi fortiter pugnante Mullero, vincunt, fugantque, eoque conflictu caesi instar IↃcc. victores Vltraiectum profecti, ubi cohortes aliquot Germanicae in praesidio. Sed oppidani, acerba pridem ab iis passi, recipere in urbem noluerunt; id aegerrime ferentes in suburbia, pagosque adiectos iram vertunt; igne & ferro omnia vastantes; sed ab Albano in Hannoniam revocati post dies aliquot discesserunt. Tum senatores curiae Hollandiae, & magistri rationum, qui cum iis venerant, in urbem immigrant, ibi domicilium habituri; quanquam illis pene sine functione munus, quum praeter Amstelodamum, Mudam, Wesopum, & in Brabantico limite Hesudam, tota provincia defeciset: his vero plus occupationum reliquum fuit, quum ad ipsos etiam Vltraiectinae ditionis, Frisiae, Groningae, & Transiselaniae rationes pertinerent. Interim Auriacus accepta e Gallia exigua pecunia, sed maiore ab Hassiae Landgravio, oppignerato patrimonio, in Germania exercitum conscripserat equitum VIIClↃ. peditum XV. insuper Belgarum IIIClↃ. Duces primarii Burchardus Barbius, Ernestus Mandesfous, & Henricus frater, erant. Hunc transmisso

CIↃIↃ LXXII.

in

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. in Gelria Rheno prope Dusburgum ad Aldekercam, & Eſſenam luſtravit. In Gallia Ienliſius, de Naſſovii, & ceterorum ducum ſententia miſſus, a rege auxilia & promiſſa obtinuit. Colinius copias in limite paraverat, quas ipſe duceret. Erant peditum IVCIↃ. ſub Rentio, Iumellio, & Belingervillio equites CC. cataphracti, & levis armaturae turmae II. praecurſoribus Petrobuferius Geniſſacus praeerat; reliquum equitatum Philippus Lanoius Bellovacus ducebat. Monitus erat, quum diſcederet iterumque mox per literas, a Naſſovio Ienliſius, *ut facto per agrum Cameracenſem itinere ad fratris Auriaci copias ſe adiungeret: nam ut recta Montes duceret, periculoſum valde eſſe, nec ſibi expedire.* Sed ille animi ferocior, quum ſuis ſe copiis liberare obſeſſos poſſe confideret, ne in iſtius gloriae partem quiſquam veniret, ceu contrario Colinii imperio, utile admodum conſilium neglexit. Interea temporis levibus ad urbem praeliis certatur; & cum V. Eid. Sext. ad meſſem colligendam praeſidiarii exiiſſent, cum magna ruſticorum manu, pugna ſatis atrox oborta eſt, in qua profligati obſeſſi, incumbente Bernardino Mendoza, amiſsis plurimis retro cedere in urbem coguntur. Ex obſeſſoribus caeſi pauci levis armaturae equites; Chiapinus Vitellius, & Rodericus Toletanus, leviter vulnerati. Iam augumentum caſtris adceſſerat, turmae equitum Arſcotani, Mansfeldii, Boſſuvii, Barlamontii, Noircarmii, & Altabrugii: ac e legione Rutiana cohortes VII. tum exſpectari quoque legio Nicolai Polvillerii; & e Neapolitana, quae Traiecti, ſigna V. Didacus Zunica, Philippi apud Carolum Galliae regem orator, qui eius conſilia ignoraret, ſaepius egerat, *ne auxilia perduellibus Belgis mitteret;* & acrius etiam expoſtulaverat, *foedus* obteſtans, *quod violatum ſupremi numinis vindictam irritaret; nec ita meritum Philippum, qui diſtractum bellis civilibus contra ſubditos perduelles adiutaſſet.* Carolus contra factum excuſare, &, *invito ſe admiſſum: idque haud obſcurum, proſcriptis nuper, qui in Belgium ſuppetias irent; ſed in regno necdum a turbis civilibus quieto, labefactata maieſtate, non omnia poſſe multa neceſſario diſſimulare, quae mox, potentiae iterum firmus prohiberet.* Ita ambiguo reſponſo gratiae & offenſae medius, Zunicam dimittit. Sed eodem tempore nobilis quidam ex aula ad Albanum Bruxellas miſſus, per viam ad Fridericum Toletanum deflectens, eum de Ienliſii conſilio copiarum numero, & itinere toto inſtruit; quamobrem ille triduo poſt CCCC. equites, & ſclopetarios IↃCCC. Cameracum verſus mittit, qui, viam inter urbem, & Landrecium inſidentes, hoſtium res explorarent. Ienliſius, quum recta Montes ire inſtituiſſet, per Boſſuvium iter habuerat, & inde Quieuregium, ſeſquimilliari ab urbe, non ſine fraude, quum viarum imperiti a ducibus proderentur. In eo itinere magna paſſim iniuria facta ruſticis Hannoniis: unde animi, antiquis odiis ſatis infeſti, longe magis exacerbati. Delatum ad Toletanum erat, Ienliſium ſecum equitum IV. peditum XCIↃ. ducere; id, ſive rumor finxerat, in talibus validus; ſive aſtu ducis divulgatum, ut hoſtem terreret. Intrepidus tamen Toletanus, qui & optime numerum copiarum Gallicarum teneret; &, ne ſine praelio in provinciam hoſtem admitteret, famae intereſſe putabat, adgredi advenientem ſtatuit; & verebatur, ſi detrectaret, ne metus aut deſperationis manifeſtus, conlapſam valde patris Albani auctoritatem porro deſtrueret, Auriaco ſine dubio, qui cum exercitu copioſo imminebat, nutantes paſſim Belgarum animos impulſuro. Itaque ut periclitantem Bruxellis patrem adſereret, & factu optimum, ac plane neceſſarium duxit, vel cum periculo belli aleam tentare. Hoc conſilio praemiſſis Bingium impedimentis, quum nuntiaretur intra Galliae limitem auxiliares receſſiſſe, ad XVI. uſque Kal. Sext ſubſiſtit; dein ubi compertum vix IV. milliarum ſpatio ſeparatos, poſitis prope Hanam caſtris, pontem moliri, legatum Bernardini Mendozae, Antonium Figueroam, cum XX. equitibus mittit, & Franciſcum Ferdinandum Avilam, arcis Groninganae praefectum, cum Garciae Valdeſii equitum ſclopetariorum turma, qui ſeorſim copias hoſtium & conſilia explorantes e veſtigio ad ipſum referrent; ipſe eos ſubſequutus eſt Belgarum, & Hiſpanorum peditatus omnis promiſcue incedebat, duce Iuliano Romero; cui Licquius, & Chevereauxius additi erant. Vitellius, etſi ex vulnere imbecillis, a foſſoribus in lectica portabatur. Pars equitatus tripartita ad dextram ire: reliquum tribus item agminibus diſtinctum in extrema acie eſſe; quam claudebant ſclopetarii Hiſpani CCCC. & ala Bernardini Mendozea, qui praeſidiarios, tergum forte invaſuros, ſuſtinerent; ita ad urbem uſque promotum; tum ordine mutato, qui in ultima acie eques erat, in primam vocatur. Sic itum ad Giſelini fanum; ubi cognito, nondum Gallos Hanam tranſmiſiſſe, confeſtim in eos equitatum Toletanus mittit, peditatum ſubſequi iubet. Primam aciem Romerus ducebat; qui ſimul hoſtem conſpicatur, Ioannem Salazarium Sarmientum cum ſclopetariis gravioribus LX. inter ſepem, & ſalicetum collocat; qui, dum utrinque veles concurrit, latus infeſtaret. Primo impetu ceſſere Hiſpani; quibus ſubmiſſi e legione Chevereauxii Belgae CC. quos ipſe Chevereauxius. & cum eo Delvalius, duceret: & mox totidem duce Licquio, cui comites Mota, Bergius, & Fremenantius: Hos levis armatura ſubſequi, cum peditibus Hiſpanis CC. ſub Franciſco Bovadilla, Ferdinando Agnaſco, & Didaco Carvaiali. Poſt eos cum reliquo peditatu ipſe Toletanus agmen claudere. Galli a tergo Alterragium vicum habebant, cui planities non magna ſubiecta, ſilva undique, & rivo cincta; quos a fronte adortae Hiſpanorum cohortes II. Alfonſi Monteri & Garciae Valdeſii, levi pugna praeludebant. In prima acie cum VIII. cohortibus Rentius erat, totidem medius Iumellius ducebat; poſtremum agmen, quia magis hoſti apertum, cum Rhingravio, & Geniſſaco, Ienliſius ducebat; interque du-

CIↃIↃ LXXII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. meta itinere valde anguſto incedens, equites c. duce Rentio de hoſte cognituros praemiſit. In hos, ſimul ſilva egreſſi, declivi iam ſole, cum ala ſua Lupus Sapata impetum facit, & poſt eum Philippus Noircarmius Sancto-Aldegondius cedentibus fortiter incumbens in fugam propellit. Itaque in ſuos verſi pedites, unde minus periculi Ienliſius putaverat, turbatis ordinibus exercitum ſolvunt, pontem verſus, quo Hanam tranſmiſerant, fugientes. Sed ne per hunc evadere poſſent, occupata ulteriore ripa, Antonius Figueroa prohibuit. Itaque tranſitu non permiſſo, per Tornacum, Condatum, & Athum, Valentiniana uſque effuſi, dum abiectis armis per ſilvas huc illuc paſſim palantur, infeſtis ruſticis, plurimi ſpoliati caeſique miſerrime perierunt. Eo conflictu cecidere amplius clↃ. cc in quibus Rentius, & Rhingravius, Ienliſius, Iumellius, & Schonevallius, capti in cuſtodiam adducuntur, ille Antuerpiam, iſte Tornacum, hic Aldenardam; ac lenliſius non multo poſt repente exanimis repertus in lecto, nullo morbo praecedente, etiam in funere ignominiam paſsus eſt. Iumellius autem ac Schonevvallius, diverſa ſorte liberati. Olhanius ſaucius cum c. circiter in urbem venit, nec multo poſt e vulnere moritur. Bellovacus noctis beneficio elapſus, in coenobio Spinelvienſi a Poieto praefecto excipitur. Ex Hiſpanis caeſi tantum Alfonſus Lombralis, & Antonius Zero, cum vi. peditibus, equitibus xii. Lupus Sapata gravi accepto vulnere evaſit. Duabus horis depugnatum eſt: In conflictu gregarius quidam miles egregium virtutis ſpecimen dedit; nam lancea transfixus, alia e terra adrepta, quae forte obvia, irruentem equitem intrepidus excepit, ſtrenue pugnans, donec eiecto per vulnus ſanguine, adhuc animi integrum, vires deficerent. Toletanus, revocatis ab hoſte copiis, ſub veſperam ad Giſelini fanum rediit. E pugna x. Gallicae cohortes ad proximam ſilvam ſe contraxerant, contra quas poſtridie multo mane Cheverauxium mittit; ſed mox relatis xxx. ſignis ſuos cohibuit. Hac ſuorum clade deiectos oppidanorum animos fore arbitratus, per tubicinem dedi ſibi urbem poſtulat; ſed reiectus, mandata Philippo Lalanio obſidione, Bruxellas ad patrem Albanum contendit. Quum ſtatim poſt praelium in caſtra veniſset Nicolaus Polvillerius, adducens peditum ſigna xiii. & Hiſpanos lↃ. Vltraiecto evocatos, cohortibus iv. ex Eberſteinii legione ſuffectis; inſuper iii. equitum turmae, quas Nicolaus Baſta, Aurelius Panormitanus, & Georgius Macuca pridem in Italia legerant. Albanus iii. Non. Sext. indictis Bruxellis comitiis pecuniam ab Ordinibus poſcit: *ex Hiſpania miſiſſe regem* cccc. *aureorum* clↃ. *nec praeter iſta exſpectari quicquam poſſe; qua cum ſumma ſi militiae ſuae onera compararent, nullo modo ſubfecturam deprehenderent; hinc ſtipendium ordinandum* xv. *equitum* clↃ. *peditum autem Germanicorum* xii. *legionibus, & cohortibus Hiſpanorum Belgarumve* cc. *Huc accedere ceterum belli adparatum, naves plurimas, ac tormenta. Igitur annua vices centena* clↃ. *& centeſimam expedirent; ſe ita inſtructum intra bimeſtre Belgio toto hoſtem profligaturum eſſe.* Mox cum Medinacaelio profectus Montes petit, ipſe urbem expugnaturus; & ad convellenda moenia tormenta maiora xxiv. minora viii. ſecum trahit. Bruxellas Arſcotano mandat. Ante urbem coenobium Spinelevienſe erat, quod cum cc. defenſoribus Poietus tenebat. Id tentatum acri pugna; atque egreſſae ex urbe cohortes a Franciſco Salazario fortiter repulſae; egregie tamen defenſus a Poieto locus capi non potuit. Itaque rurſum mox adorti Rodericus Sapata, & Alfonſus a Sotomaiore, tormenta admovent; editaque ruina, quum impetum facturi eſſent, praeſidiarii, non ultra vires periclitari a Naſſovio iuſſi, in urbem ſe recipiunt. Loco capto Molemius imponitur, cum Belgarum iv. ſignis e Chevereauxii legione. Eodem die, Eſpernio duce, xiii. peditum ſigna venere; ac poſtridie Albanus ipſe cum Medinacaelio, moxque Salentinus Iſemburgicus Archiepiſcopus Colonienſis cum equitibus clↃlↃ. Ioannes Roda cum ccc. & ab Archiepiſcopo Trevirenſi lↃc. miſſi. Vt primum advenit, Valentinianis, Aveniſque tormenta advehi, Chevereauxium Rutiumque cum ſuis legionibus vicum Menium inſidere iubet; ipſe vero caſtra undique communiri curat, ut adverſus obſeſſorum & auxiliatorum vim tuta eſſent. Dum vallum urgetur, leviter pugnatum eſt: vulneratique Alfonſus Meſſia, Criſtophorus Corverus, & Franciſcus Valdeſius; nocte proxima xxvi. tormenta admota. Interea Auriacus tranſmiſſo Rheno Moſam petit, poſitis ad Hellenradium prope Ruremundam caſtris; ubi petito commeatu quum oppidani recuſarent, incenſis portis pridie Non. Sext. urbem expugnat; in qua, indigna militum ſaevitia, plurimi trucidati. Inter illos oeconomus & hierophanta Carthuſianorum, cum presbyteris aliis duobus, aetate ſenecta venerandis. Paulus Waelvvicenus, qui epiſcopo ſacrorum miniſter, in coenobio crudeliter occiſus; adeoque in ipſo templo, nulla loci ſacri reverentia, diaconus quidam confoſſus; & ante ſacrarium Reinerus Linterius. Ibi dum paucos dies ſubſiſtit, venere ad eum Hollandiae Ordines, cc florenorum clↃ. adferentes, & de aliis item ccc. cavere. Quumque nuntiatum eſſet, in ea provincia indecore militem graſſari, maxime in monaſticum ordinem, edicto publico vim repreſſit; ſimul ad remp. totam illic conſtituendam animum advertit, praeſcripto edito ad diem viii. Kal. Septembris. Inde aperto in Brabantiam aditu, ineunte Septembri Lovanium verſus copias ducit; portaque incenſa obviam ab urbe legati venere, pecunia oblata vim & praeſidium redimentes. Inter eos, vir patriae diligens, Elbertus Leoninus, tunc iuris in Academia illa anteceſſor, & poſtea Gelriae Cancellarius; cuius etiam ante meminimus. Machlinia neutram partem amplexa, odium inter & obſequium, miſſum ab Albano praeſidium recuſaverat; nec Auriacum admittere audebat. Hanc Arnoldus Dorpius capit; &

CIↃIↃ LXXII.

Ber-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. Bernardus Merodius Rumenus cum VI. peditum signis, equitibusque Ↄ. praesidio imponitur; moxque aliae urbes, affectu aut metu, sese dedunt. In Hornani ditione subfossis muris Weertium occupant; cuius arcem Ioannes Montelius Caias, & Franciscus Mendoza servabant. Inde in Flandria Teneramunda, mox Aldenarda, Iacobi Blommartii astu, in potestatem redigitur; & Teneramunda Dorpio mandata. Aldenardae graviter saevitum est. Praetor, Iustus Cotrevillius, capta urbe, in arcem fugerat; qua expugnata, hominem multis vulneribus confectum per fenestram in flumen subiectum crudeliter praecipitant: tum quaesiti ad caedem sacrifici, & passim viri nulla iniuria obnoxii, avitae religionis odio, indigne interfecti. Ioannes Apostolus, Pamelae curio, qui periculo evitando huc confugerat, & eodem ex ordine XV. alii, manibus pedibusque colligatis, in flumen proiecti, submersique; praeter unum, aetate debilem, Iacobum Ambainum, qui forte in ripam adversam delatus mortem evasit; nec templis parcitum est, aut coenobiis, & vim passae imagines Sanctorum; etiam in sepulcra saevitum, nec quiescere mortuis permissum. Haec res infamem militiam reddidit; quique prius Albani saevitiam detestati, nunc etiam Auriacum odisse coeperunt; & quidem urbes multae in fidem eius se tradidissent, si id ei consilium fuisset; sed ille, relictis rebus omnibus, hoc unum praecipue agitabat, ut dissipato Albani exercitu, Nassovium fratrem liberaret. Quamobrem iter subsceptum urgens, dum in eo est, Diestam quoque & Tielmontium capit. Nivellae, quia spe suppetiarum transitum negaverat, commeatum, & annonam imperat. Chevereauxius cum legione sua, & sclopetariis Hispanis Ↄcc. Menium procedere iussus erat, ut illic aditum intercluderet. Sed quum Peronam veniisse hostem accepisset, qui vicus duorum milliarium intervallo Montibus abest, & vereretur, ne inde traiecto Hana per Genapum in urbem auxilia intromitterentur, Cheverauxium revocat, contractisque propius copiis magis obsidioni incumbens, vallum ad marginem fossae perducit; & undique castra anxie munit, certus praelio abstinere, solaque mora hostem debellare. Positis in colle VI. tormentis ad portam Bertemontiam urbem subiectam graviter verberat; reliqua binis locis distribuit, quae & portam Bertemontiam, & exterius propugnaculum infestarent; eaque biduum totum exposa proximas turres, etsi oppido perforatas, nondum tamen deiicere potuerunt. Dein in ripa collocatis VIII. tormentis murorum minas dextra laevaque versum deiicit; cetera exterius propugnaculum quatiebant; cuius parte anteriori tandem diruta, in posteriori, ducta fossa, aliquot praesidiarii mansere; etiam turris S. Andreae crebris ictibus perterebrata defensores occultare non ultra poterat. Contra urbani editam interdiu ruinam noctu rursum communiebant; & Lanovius ante murum in munitione CC. collocat; tum L. alios designat, qui reliquam propugnaculi diruti partem tuerentur. Ipse cum C. e nobilitate, & delecta hastatorum sclopetariorumque manu, ruinam defendendam capit; dein fossam interiorem ducunt, & excitatis utrinque tumulis tormenta V. ac colubrinas II. statuunt; quae sine intermissione in hostium tentoria exposa plurimum iis incommodi adferrent; insuper saepe erumpentes opera quoque interturbabant. Quum vero Albanus frustra aquam e fossa derivare tentasset, tandem obductas pluteis scaphas, quae contra sclopeta tutae essent, parari iubet; tum doliis plurimis asseres colligatos insternit, per quae pontis instar miles a scaphis in ruinam exscenderet; &, ne quem aditum auxiliares haberent, validis stationibus vallum firmat; collibusque geminis, in via quae Genapum ducit, militem imponit; in altero etiam munitionem quadrangularem, ad stellae instar, ex consilio Bartholemaei Campocassii Medinacaelius excitat: in qua posita signa II. Germanorum, & machinae totidem: datumque praeterea Romero negotium, si usus foret, ut cum II. itidem Hispanorum signis, & cohorte Salazarii, praesto ad suppetias esset. In subiectis vallibus equitatum collocat, iusso Chevereauxio fossam Menio circumducere. Polvillerio, Licquioque, ut stationem tuerentur imperat. Espernio, cum cohortibus Ebersteinii, tormenta custodienda adsignat. Tum dispositis ita agminibus, Hispanos pedites selectos Ↄc. qui laborantibus opem ferrent, ante ea procurrere iubet. Auriacus Perona progressus VI. Eid. Septembris cum toto exercitu sub meridiem in conspectum urbis venit; sed res tormentis e longinquo tantum gesta, laeso maxime ab urbanis Albani equitatu. Hoc praeludio extractus dies; insequenti eodem ordine iterum progressi praelium tentant. Albanus porro, qui Genapi muniturum castra Auriacum crediderat, occupando loco Fridericum filium cum Hispanis Ↄc. miserat; quod Auriaco insperatum; quumque graviter inde turbaretur, nec satis tuta copiis suis statio esset; peditem Gallicum, qui potissimum exercitus robur, in duo agmina distributum praecedere iubet; & Genapum iter capit; quo tunc etiam Sanchius Avila ab Albano missus venerat: ibi oborta acris pugna. Prodibant e vico Hispani. Ducesque erant Franciscus & Marcus Toletani, Rodericus Sapata, Ioannes Ayala cum delectis C. hos cum cohortibus aliis Texeda sequebatur, & cum eo Iulianus Romerus, ac Ferdinandus Toletanus; submissi deinde Petrus Taxis, & Salazarius, cum equitibus cataphractis LX. ac Ioannis Croii Rutii ala. Initio Avila Gallos propulsare; mox victoria alternante, incumbente cum equitatu Henrico Nassovio, victi Hispani, amisso signo alae Taxianae; inde restaurato praelio adeo anceps fortuna fuit, ut ipse Albanus, quique aderat Medinacaelius, sequestrata dignitate, ceu gregarii depugnarent; tandem datum receptui signum; & Auriacus, cui infesta valde munitio, rursus Genapum ire pergit; si forte Albanum ad certamen protrahere posset; sed is auxilia arcere

CIↃIↃ LXXII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. cere contentus, incertam belli aleam iacere non ſibi conſultum putabat; quamobrem Auriacus fruſtra eſſe hunc conatum animadvertens, eodem die caſtra movens Fermeriam abiit, tribus inde milliaribus diſſitam; ibique poſtridie commoratus, quia fanum Floriani Polvillerius tenebat, inde in urbem auxilia mitti poſſe ſperabat; verum eo ſtatim Albanus Bernardinum Mendozam miſit, cum III. equitum alis, & cohorte I. ſclopetariorum; quos mox ſequuti Marcus Toletanus, & Rodericus Sapata, cum ſclopetariis aliis LOC. & alis Hiſpanorum V. Auriacus iam a Floriani fano ſeſquimilliare abierat, quumque occupare Ariminium vellet, ubi Mendozam conſpexit, quoſdam praemiſit velitaturos, dum tentoria ponerentur; & paullo poſt Albanus adfuit cum Medinacaelio, Philippo Noirkarmio, & Iuliano Romero; ac Mendoza admonente, opportunum inſidiis locum, de invadendo per noctem hoſte conſilium capit. Igitur negotium filio Friderico mandat; qui clo. Hiſpanos, ut ſe dignoſcerent, interulas albas armis ſuperinducere iuſſos, eo ducit. Cheverauxius cum ſignis VII. Licquius cum peditibus CC in itinere vicum occuparent, quo ſe ſui reciperent, ſi conſilia hoſti explorata eſſent. Ipſe ut cum Noirkermio locum adceſſit, hortatur milites, *meminiſsent priſcae virtutis, nec occaſionem tam egregiam deſtituerent*. Tum non longo intervallo collocato Friderico Toletano, & Garcia Svareſio, cum CL. ſclopetariis, Iulianum Romerum, Marcum Toletanum, Ioannem Salazarium, Antonium Moxicam, & Rodericum Sapatam cum CCCC. in hoſtium tentoria impetum facere iubet. A Friderico Toletano, & Svareſio ad lo. circiter paſſus cum aliis CL. Chriſtophorus Quixada & Caſparus Vrea conſtituti; paullo propius Franciſcus Toletanus, & Martinus Eraſtus, cum CC. ante hos Rodericus Pereſius cum haſtatis L. Romerus, aliique, impetum primum facere iuſſi, hoſtem adorti ſtationarios trucidant. Inde exorte tumultu, antequam armati adeſſe ad ſigna poſſent, intra horam plus CCC. occiduntur; iniectus quoque tentoriis ignis, & inde datum receptui ſignum. Antonius Moxica cum LX. longius progreſſus, quam ut ſe recipere poſſet, interceptus obtruncatur. Exiſtimaverat Fridericus Toletanus non temere egreſsuros hoſtes, ratos omnem Hiſpanorum equitatum in ſe duci; eoque conſilio a Bernardino Mendoza plures tubicines ſimul canere iuſſi erant. Verum ubi per incendium excitatum colluxiſſet, deprehenſo aſtu, audentius in recedentes irruerunt; inde, quum noctem reliquam in armis egiſsent, poſtridie vaſis conclamatis Auriacus ſuos Machliniam reducit; moxque ad Rhenum exauctoratis, cum praeſenti vitae periculo ob ſtipendia non ſoluta, Campos venit, unde Enchuſam in Hollandiam tranſmiſit. Interim fratrem Naſsovium monet, quando urbi tam arcte obſeſsae auxilia nulla inferri poſsent, uti rebus ſuis conſuleret. Is tum aeger lecto tenebatur. Igitur Lanovius, ceterique Gallorum duces, A conſilia cum illo conferunt; viſumque cunctis, uti honeſtis conditionibus urbem dederent; idque factum XIII. Kal. Septembris; nec tam aut diſceſsus Auriaci, aut rerum anguſtia virtutem hominum fortiſſimorum impulit, quam adlatus e Gallia nuntius de latrocinio Pariſienſi: is Gallorum, quorum potiſſimum in praeſidio robur erat, animos deiecit. Interea autem, dum Montes obſidentur, Hollandiae Ordines Harlemi congregati, de provincia contra vim Albani defendenda ſerio deliberant; tum etiam de belli mediis, & Amſtelodami obſidione, quam magnopere Lumaeus urgebat, pronis illic multorum animis, qui ſe proderent, ſimul ea tentata foret. Petebat inſuper, promovendae rei, XL. florenorum clo. & promiſsum ab Ordinibus, quantum ſubfecturum putarent. Placuit autem ut obſidio terreſtris eſset; quum Sonoius, aliique, profligandas freto auſtrali naves putarent; quod, etſi utile, tamen ob aerarii anguſtiam, ceu ſumtuoſum nimis, omiſſum; quamobrem Lumaeus cum legione Lazari Mulleri, aliisque copiis, ad urbem adcedens, capto Cartuſianorum coenobio, caſtra munit. Id Boſsuvio, qui tunc Vltraiecti agere, obſeſſi nuntiant, & auxilia etiam petunt. Lumaeus literis perbenignis ad deditionem oppidanos ſolicitabat; ſed illi nec accipere eas dignati inſolenter in tubicinem ſclopum explodunt; tunc Lumaeo tormenta maiora XII. miſsa. At Boſsuvius, ſuppetias obſeſſis laturus, Vltraiecto cum cohortibus IV. venit; Nardeno unam, tres reſiduas Amſtelodami impoſiturus; ſed Nardeno iam propinquus, quum intromitti poſtularet, LX. ſclopetarii, e Bergenſis legione, qui paullo ante advenerant, excluſerunt; idque eum graviſſime offendit; quumque vim tentare non poſset, ſine bellico inſtrumento, ne cunctando tempus perderet, porro copias Mudam ducit, unde navibus Amſtelodamum mox devectae. His ſubnixi oppidani porta Vltraiectina erumpunt; ſed repulſi, ac capti XVI. At vero Lumaeus, quum de urbe expugnanda deſperaret, mox obſidionem ſolvit; de Ordinibus multum queſtus, qui pecuniam, & promiſsum commeatum non miſiſsent: nec ſolvendae obſidionis aliam ipſi cauſam eſse; ſed in ipſum, & negligentiam diſciplinae militaris, alii culpam referebant; animis omnium per ſaevitiam alienis, qua in clerum toties uſus, & priſcae religionis cultores. Eo ipſo menſe Auguſto, quo haec geſta, Hadrianus Duyckius, Woerdae praefectus, quae urbs in Hollandiae limite agro Vltraiectino obiacet, cum urbano magiſtratu in Auriaci partes tranſit. Montibus captis Vaulxius ab Albano imponitur, cum Belgarum ſignis IV. ceterae copiae Rutio ſe coniungere iuſſae; qui cum iis Aldenardam, Flandriae urbem, obſideret; & praemiſſus Teneramondam Mondragonius. Quum Bruxellas redux paullum modo divertiſſet, eductis IV. e legione Sicula cohortibus, Machliniam contendit; & praemiſſo filio Friderico in itinere Tilmontium, ac Lovanium recepit Machliniae IV. ſigna peditum, equites CC. erant, quos Auriacus diſcedens

CIↃIↃ LXXII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. dens praesidio reliquerat. Primo impetu capta suburbia, eoque conflictu vulneratus Ferdinandus Toletanus, quod Albani iram acuit; & tormentis advehi iussis vim parabat; cum dilapsum metu praesidium, nulla liberationis spe, urbe deserta noctu evadit. Postridie Kal. Octobr. clerus urbis sacro ornatu crucem vexillumque praeferens extra muros processit, ut miserae plebi suis precibus veniam impetraret; sed Hispani spretis precibus infulisque sacerdotum, pars per portas, pars moenia transcendentes, inrumpunt; tanta rabie, ut immania quaeque perpetrarent. In introitu caesi plurimi, imminutae virgines, etiam sacrae; nec matrimoniis parcitum fuit. Sub parentum etiam adspectu, & maritorum, expleta libido; nullus ordo immunis habitus; insuper direpta omnia; aurum, argentum, monilia, vestes, denique quaelibet supellex; nec quicquam miseris reliquum fuit; eaque praeda quadragies centum clo. florenorum aestimata, utque poena, non flagitium putaretur, pridie Nonas publicato Musae edicto causam Albanus proponit; & biduo post *eorum bona deferri intra triduum* iubet, *quicumque se praeteritis turbis implicuissent*. Tum Swevegemio praefecturam urbis dedit. Deinde Liram Ioannes Mendoza cum levi armatura; Germanici equites Lovanium in praesidium missi. At Mendoza, ubi Arscotum venit, cognito fugisse hostem, vestigia premens, in silvae introitu ultimum adhuc agmen carpsit; & Diestam dilapso praesidio vacuam recuperavit; Vrbi adversus vim iuvandae mulctam imperasse contentus. Teneramunda viii clo. florenorum se redemit. Aldenarda Rutium accepit; quique in praesidio fuerant Ostendam digressi, inde in vicinam Zelandiam, aut obpositam Angliam evaserunt. Embisius, navi in vadum impacta, quum in eo esset ut caperetur, in mare desiliens suffocatus est. Blommartus, Gravius, Rivius, alii, meliore via Zelandiam petentes, noctuque in hospitio obpressi, quum se in vincula dedere nollent, igne iniecto periere. Plures passim strangulati, aut gladio percussi. Antonius Vtenhovius, quia maiorum religionem mutasset, ad palum vivus igne circumposito exustus; sed Blommartus, saevitiae immanis, in urbe capta pridem crudelissime grassatus; Graviusque, avaritiae inexplebilis, nec templorum sacra reveritus, & ob flagitia carcerem in Hollandia passus, non indignum vitae exitum habuisse videri possunt; aliorum nulla, nisi adversae militiae, culpa. His peractis, Albanus Mosae Traiectum abiit, ibique Germanici equitatus maximam partem, ceu urbibus obsidendis inutilem, quod tunc agitabat, exauctoravit; tum tormenta Licquius cum cohortibus v. Mosa devehit; moxque ipse subsequutus, quum Vahalim adtigisset, reflexo contra Rhenum itinere, adverso flumine ad Mosam venit; ubi Graviae praefectus, Caspar Gomesius, pontonibus magnis adparatis, pontem struxit; ibique exercitu transmisso, & tormentis, terrestri itinere Noviomagum petit, Friderico filio in Auriacum ducere iusso, tormentisque

A adverso Vahali Arnhemium missis. Illic dum est, a variis urbibus legati supplicatum veniunt: *ignosceret crimini, cui necessitas, non voluntas, obnoxios fecisset; quippe Auriacum vel recipere, vel pecunia commeatuque adiuvare, per vim coactos: omnia amissuros, si cum armis imperanti pauca negassent; numquam animo defeciviſſe, & nunc fortunae meliori gratulari*. Is autem, necdum tempus poenae opportunum ratus, dissimulata in praesens offensa, delicti veniam omnibus dedit. In B Hollandia Franciscus Boshusius cum navibus suis valde Enchusam infestabat, & extra portam septentrionalem domos incenderat; eratque animus oppidanis infestam classem semel invadere; sed impetum hunc consilium repressit, quum prudentiores timerent, ne relicti intra urbem, qui Albano bene vellent, egressos excluderent; quin operam etiam piscatores obtulere; sed Sonoio periculum displicuit, qui Lazarum Mullerum misit Sanredanum, ut occupato emissario id muniret. C Deinde aggeribus Waterlandiae, Amstelodamo obpositis, milites custodes imposuit, novumque emissarium firmavit; Horna, Edamo, ac Monachodamo, missis triremibus, quae munitionem tuerentur; contra eas naves xvi. ab Amstelodamensibus missae, maiores x. minores vi. & ab urbe effusi multi, ceu certa victoria praelium spectaturi. Sed eventus spem fefellit; semelque victi quum pugnam postridie restaurarent, navesque iv. incensas triremibus exurendis immitterent, D peiore exitu, conatus irriti discessere; ac navium aliquae perforatae periere, quaedam ancoris tormentisque abiectis difficulter evasere. Hinc crevere victoribus animi; & bello naves instrui coeptae, quibus, occupato freto Australi Amstelodamensium commercia turbarent. Non multo post res foederatorum retro labi, Albani victoriis, & licentia militari, quam Lumaeus non compescere; iamque multis sub Hispanis pridem servitus non iniquior videbatur; & taedebat dominum E mutasse. Hanc ob causam rogatus Auriacus ut adventum maturaret, ac remp. corrigeret; tum urbani magistratus per subiectos sibi vicos singuli inquirunt, quid quisque proximis a Maio mensibus tribuisset; quidve a ducibus, aut militibus exactum fuisset. Porro de templorum thesauris percontantur, quibus eos tradidisent. vi. Eid Octobris nova repente stella exorta est sub Cassiopeae asterismo, quae nec fixa, nec erratica, crescere & decrescere visa, totos lo xxxii. dies apparuit. Id phaenomenon terruit omnes; evocatusque ab Albano Noviomagum Gemma F Frisius, vir tunc astronomiae clarissimus, a Christo nato nihil tale illuxisse dicebat. Alii ei stellae comparabant, quae ex oriente magos Bethlehemum duxerat; nec minus mira in Hispania Hieronymus Nunius, linguae Hebraeae & matheseos Valentiae professor; & in Austria Fabricius Polus, Thaddaeusque Hagesius, Viennae prodiderunt. Eo tempore Auriacus etsi in Hollandiam festinaret, varie tamen impeditus, minus voto iter promovet; itaque Sonoio xvii. Kal. Novembris

CIↃIↃ LXXII.

scri-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII.

scribit, *brevi adfore; & per Campos Enchusam venturum; interim urbibus animum firmaret; ac bene de rep. sperare iuberet*; etiam ad Ordines literas mittit, *ut, quum primum provinciam adtigisset, ocius ad ipsum convenirent, de re summa mature consulturi*. Paullo post cum famulitio, & exiguo equitatu, Campos venit; unde eum Enchusani cum triremibus accersitum magna animorum laetitia acceperunt; ibique paullum commoratus naves fabricandas ordinat, quibus classem hostilem freto australi expellerent; tum ad portam item australem propugnaculum novum excitare iubet; quod a civibus tanta alacritate actum, ut intra diem XVII. rigida hieme, totum absolverent. Inde lustratis proximis urbibus, rebusque illic constitutis, Harlemum abiit; ubi congregati ex praescripto Ordines advenientem summa cum gratulatione excipiunt. Dein *studia* ei *& fidem* commemorant: *quoque animorum adfectu, cum summo rerum suarum discrimine, patriae libertati vitam, ipsi obsequium devovissent; vix esse, ut hostem tam potentem, tunc etiam victorem, excipere possint: itaque adflictis admodum rebus solamen, & consilium daret*; isque adeo animos omnium confirmavit, ut *cum ipso extrema pati velle* dicerent. Et profecto opportunus adventus fuit, quum fracta pene cunctorum virtus; quique hactenus pro libertate quidvis ausi, deserere patriam destinaverant. Quapropter statim ad remp. animum vertit; & militiam, Lumaei negligentia valde corruptam, inprimis corrigit. Dein literas cum Hispanis mutare, & commeatum efferre vetat; tum provinciae quoque curiam, dilapsis Vltraiectum consiliariis, iterum ordinat: iurique dicendo constituti, Adrianus Houffius, qui solus provinciam munusque pristinum non deseruerat; Nicolaus Valckesteinius, Petrus Meranus, Theodorus Nieuburgius, Gerardus Wingardus, Cornelius Bronckhorstius; curia ipsa, quia Hagae minus tuta foret, propter ingruentia Hispanorum arma, Delphos urbem proximam translata; dicique illic ius coeptum anno sequente IV. Eid. Febr. Inde aucta quoque, additique Arcturus Berderodius, Hieronymus Borrhaeus, Leonartus Casembrotius; Iustus Menenius, fisci advocatus: Paulus Hovius, cognitor publicus constituti. Tum rationibus quoque desertis alii praefecti; & in Zelandiam, ordinandae ibi provinciae, Batenburgicus ablegatur. Interim in Gelria Fridericus Toletanus strenue rem gerere. Ad primum adventum Lochemum capit, & Dusburgum; inde Zuphaniam arma promovet. Ea urbs ad Iselam sita, opere satis munita erat, nec praesidium iustum deerat, sed discordia inter cives minus firmum: negata initio deditione, tormenta XIII. muris admovet; editaque ruina praesidiarii parsque civium noctu diffugiunt; ideo quum postridie dedere urbem ceteri vellent, obsessores rati egregiam praedae occasionem, hi per portas irruentes, illi per ruinam enisi, caesis obviis, iniectoque octo locis igne, captivam urbem misere diripiunt: cives crudelissime habitos alios ex arboribus subspendunt, alios in profluentem praecipitant; milites e fuga retractos prono capite in furcam agunt; trucidati plus Io. reliquis grave tributum imperant, tanta crudelitate exactum, ut felices illi denique viderentur, quibus occidi contigisset; etiam varia libidine virgines violatae, ac matronae. Christophorus Vasquius cum praesidio imponitur. Ea re territus Bergensis, cum uxore, liberis, supellectile, ac praesidio, Campis profugit in Westphaliam. Pari terrore vicinarum urbium munitionumque praesidia correpta; itaque homines non sua virtute, sed hostium absentia, antea audaces, abiectis armis animusque Gelria tota & Transisselania profugere; victorque Fridericus Toletanus, ut priorem infamiam deleret, urbes deditias clementer habuit; nec praeter mulctam quicquam indixit. Campisque quidem III. signa Germanorum; Swollae, ac Daventriae, cum suis cohortibus Pulvillerium imponit. Vicina Gelriae Amersfortia, in terrae Vltraiectinae finibus, etiam se Bossuvio dedidit; cui Vltraiecti agenti per tumultum claves urbis praesidiarii detulere. Erant praeter equites L. peditum II. signa Andreae Putmanni, & Gisberti Brouckhusii: pro quibus alia II. Bossuvius reposuit. Vrbe egressi, facto Nardenum versus itinere, illic intromitti postulabant; sed reiecti a magistratu Vltraiectum discesserunt. Idem in Frisia occidentali terror fuit, quam Iustus Schouwenburgicus tenebat. Is nuntiato adventare Albani copias, cum signis aliquot XIV. Kal. Decembris Franekeram deferens Maccumam abiit, vicum in littore freti australis; quem opere festinato munire statuerat, ut tutus inde in Hollandiam adversam recessus esset. Sed imperfecta adhuc munitione a Billio oppressus, in vicinos Tencteros fugit; mox quoque Bolswerdia & Sneca desertae; captusque praefectus Nederwormterius Leovardiam in arcem custodiendus adducitur; earumque urbium magistratus Leovardiam profecti claves Billio obtulere; qui cum singulas mox intraret, cives utriusque sexus in genua provoluti, iunctis manibus, veniam ante actorum petiere; quam vir animi benignus concessit, militemque Gallicum imposuit, Germanis vicatim distributis. Sed Albanus moenia deiici, fossasque impleri, per literas iussit. Ita Frisia, Gelriaque, quasi panico metu actae, sese Albano reddidere. Sed Hollandiae, ac Zelandiae, pro defendenda libertate, plus virtutis, ac constantiae. Invitaverant Enchusanos, aliasque in eo tractu urbes, Campenses literis valde blandis, ut ad Albani obsequium redirent; at illi latoribus, si redirent, laqueum minati. Medemlaci leviter turbatum, hac de causa. Iuvenis quidam moenia transcenderat; idque in urbe limitanea capitale interpretatus Iacobus Cabeliavius centurio, vincula iniicit; etiam intercedenti patruo, ac dimitti postulanti; quod atrocius cives rati, in arcem captivos adducere cupienti se opponunt; inde concitati milites arma sumunt: item cives; qui superiores facti, partim urbe milites expellunt, partim arma ponere iubent. Cabeliavium in curiam elapsum,

arce

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. arce praesidium deducere cogunt. Et discrimen habitura res videbatur; sed Auriacus, missis eo Hermanno Merio, & Nicolao Ruichaverio, priusquam ingravesceret, in principio tumultum compoſuit. Zutphania subacta, & cetero illo Gelriae tractu, Fridericus Toletanus, iam Amersfortia quoque tradita, in Hollandiam copias ducere; in cuius limite Nardenum erat, iuxta freti australis littus, oppidulum nec situ, nec munitione firmum; Kal. Decembris equites c. regis nomine deditionem fieri iubent, & Bossuvii militem admitti; responsumque ab oppidanis: *hactenus a se regi suo servatum oppidum, & servandum etiam deinceps*. Aderat in moenibus praemiator, ut alii ferunt, homo mentis parum sanae, qui tormentum illic positum sua sponte, non oppidanorum iussu, in eos explosit; illud crimen tot mox caedibus vindicatum. Postquam equites isti digressi, illico loci magistratus quosdam emittere, qui pulverem tormentarium emerent; item alios ad Sonoium, qui cum classe in propinquo freto australi, ut auxilia implorarent. A Bartholemaeo Entesio, Lumaei legato, qui haud longe cum copiis aberat, cohortes II. submitti petunt, & Auriaco Lumaeoque rerum suarum necessitatem indicari; nam, siquidem longae obsidioni impares essent, maturari auxilia debere; commode vero liberari se posse, si Mudam Sonoius, Entesius Wesopum occuparet. Missus quoque ad Mullerum nuntius, qui Schellincwoudam tunc tenebat; sed promissa ubique auxilia, nusquam promta; ideo delectis animis, ubi adventare cum omnibus copiis hostem intelligerent, cuius vim sustinere non possent, ad Toletanum mittere visum, qui urbem dederent, & gratiam praeteritorum peterent. Id negotium consuli, & senatori datum; qui Amersfortiam profecti, ubi tum Toletanus agere, colloquio prohibiti Bussemum ire, proximum Nardeno pagum, iussi sunt; illic responsum accepturi. Sed consul, dum redit, adparatu viso territus, rheda descendens, ceu onus alvi positurus, periculo se instanti subduxit. Id ubi senator vidit, valde indoluit, veruntamen vir animi praestans, qui uxorem, & pignora liberorum, civesque carissimos desere re nollet, optimus civis, maritus, pater, tristis rei nuntius perrexit; & Bussemum, ut iussus erat, Toletanum sequutus, cum interroganti Bossuvio, an milites oppido excessissent, adfirmaret; alios postridie oratores ad ducere iubetur, atque ita dimittitur. Igitur ipsis Kal. Decembris venere in castra Lambertus Hortensius, rector scholae, vir doctrinae fama clarus; aliique e senatu, & populo; qui quum Toletanum adloqui vellent, ad Romerum reiiciuntur, cui is omnem potestatem dedisset. Cum illo igitur paciscuntur, oppidum se Toletano tradituros, ea lege, ut civibus vita facultatesque salvae essent; tantum denuo fidem iuramento obstringerent, solique ex Hispanis c., quantum semel sumere possent, oppido efferrent; ultra nulla praeda esset. Haec ter porrecta Hortensio dextra rata fore pollicitus Romerus, cum eo, aliquot xx. Hispanis comitatus, oppidum ingreditur. E vestigio ad tympani sonum cives iusiurandum daturi in templo hospitalis convocantur; & convenerunt pene omnes; quum homines antiquae simplicitatis, innocentia sua, & fide ab hoste data, securi, nihil sibi mali metuerent; pauci quidam, quod evenit praevidentes, inter templi laquearia, locisque abditis, se occultaverant. Interim Hispani, desertis moenibus, & constricta glacie fossa, transscenso etiam vallo frequentes intraverant; dumque miseri cives conveniunt, futurae lanienae ignari, uxores eorum militibus advenis convivia curabant. Aliquamdiu ante templum cum Hispano sacerdos quidam inambulabat; qui mox ad cives conversus, moriendum illis edicit; illicoque apertis foribus irruentes milites inermes homines pecudum instar miserrime trucidant. Toletanus ipse, ut suo exemplo plus miles auderet, consulem caedit. Dein igne iniecto reliquos comburunt; & vicatim discurrentes obvios mactant, totumque oppidum tantum non in sanguinem & cineres vertunt. Quidam, olim oppidi praetor, consulque, homo annos LXXII. natus, qui diu e morbo decubuerat; alterque, textor linterarius, ex hydrope aeger, in lecto confossi; in Xenodochio, praeter duos, senes omnes annorum erant LXXX. aut XC. nonnulli seculum superabant; nec, aetatis habita ratio, sine discrimine interfecti omnes; in mendicum quendam stultum, & mutos duos etiam saevitum. Aegre Hortensium Bossuvius servavit: qui tamen filium Augustinum, organistam, crudelissime obtruncari, & occiso cor evelli, ante oculos vidit. Qui inter templi laquearia se absconderant, illinc quoque ad caedem protracti; quamvis facile illi quidem evasissent; si modo ianuam, per quam aditus, obserare ausi fuissent: sat tuti futuri tenebris loci, & angustia; quam unus aliquis contra plures nullo negotio, aut periculo, defendere potuisset; sed homines tristi suorum spectaculo consternati, omnem salutis spem amiserant; parsque nolle tot caris nominibus superesse. Postquam viri latrocinio defuere, iram, & libidinem in feminas vertunt; quarum plures vario cruciatu enecant; quandam gravidam strangulatam mox in puteum praecipitem agunt; aliam, quae pepererat pridie, cum partu suo oppido expellunt; puellae XII. aut XIII. annorum constupratae; & in mortuos quoque saevitum; nudaque occisorum cadavera, passim per plateas desecta, ne humare quisquam auderet, poena indicta; itaque per XX. dies insepulta iacuere. Insuper omnia miserorum bona direpta: nec relictae segetes quidem nondum excussae, quas Mudam avexere. Narratur etiam aliud quiddam valde crudele, & miraculo sane adfine: Ex oppidanis quidam locupletior putatus, ut celatas opes proderet, crudelissime divexatus, quum se occultasse quicquam pernegaret; quod cruciatu omni maius, uxor eius ante oculos violatur; quam iniuriam multo maximam ubi convitiis, quae sola misero arma supererant, vindicaret; in conspectu uxoris occiditur; eam-

CIↃIↃ LXXII.

CIↃIↃ LXXII. iamque tunc adgreſſi, ingenio ſexus mol- A
liorem, ideoque tormentis minus parem, ut
quod ſcire vellent, extorquerent, manibus in
tergo vinctis, pronoque capite, ex pede al-
tero ad palum adligant, coram filio admo-
dum puero; qui caedis paullo ante paternae,
& maternae iniuriae ſpectator, etiam vinctus
nec ſuccurrere illi poterat. Sed quum neque
ſic proficerent, & in femina ſupra ſexum
conſtantiam experirentur, tormentorum feſ-
ſi, ceu mox fame morituram, ita ſubſpenſam
relinquunt; iamque biduum totum pepende-
rat, & cruciatu, ac inedia, tantum non ene- B
ſta erat. Puer quoque deficiebat; nec ſpes
vitae ulla reſtabat; quum ecce egregia forma
iuvenis nihil tale exſpectantes ſolatus vinculis
liberat, & exhibito pane refectos in Deo con-
fidere iubet: brevi ipſis melius fore. Atque
haec talia Toletano nondum ſatis ſupplicii
viſa. Boſſuvio imperat moenia demoliri, &
praefecto arcis Mudanae, Paulo Loo, negō-
tium dare, qui ruſticorum ad hoc opera
uteretur; quumque initio differretur, repeti- C
tis ter quater literis, tandem extremo De-
cembri ſcribit: *niſi fieret, cohortes aliquot im-
miſſurum, quae pagos circumiectos exurerent.*
Itaque, nullo ultra morae praetextu, diſie-
cta moenia, & ſolo aequata. Hoc crudelita-
tis exemplo, contra quam Albanus putave-
rat, nihilo magis timeri coepit; quin effectum,
ut Hollandi Zelandique, obſtinatis deſpera-
tione animis, quod graviſſimum inter oppreſ-
ſos vindictae genus, iuſta contra eum odia,
nec unquam deponenda, ſumerent: tanta qui- D
dem omnium offenſa, ut Turcis quidem, ſi
fors ferret, quam Hiſpanis ſervire mallent.
Ipſe clerus, quique maiorum ſacra colerent,
cum religionis, aut innocentiae, nullum fuiſ
ſe diſcrimen acciperent, pari adfectu ſaevi-
tiam tantam exſecrari. Per hoc tempus na-
ves bellicae, quas Hollandiae borealis urbes
inſtruxerant, necdum in ſtationes reductae
impediebant, ne quae Amſtelodamenſium
egredi poſſent; idque ut magis etiam face-
rent, quasdam longo uſu inutiles ante ur- E
bem in Yâ amne ſaburratas demerſerunt; mox
exortum acre gelu ingens iis periculum ad-
tulit, nam & glacie quaſi captivae invaſioni
obnoxiae eſſe, & annonae egeſtate fremere
miles, ac deſerere eas velle; ſed mox ſub-
miſſus commeatus, & vocati undique ruſti-
ci, qui, quod factu vix poſſibile, diffiſa gla-
cie educere eas niterentur. Tentatum varie,
vana opera; aliquando conſilium erat, tor-

menta educta in aquis mergere, ne in hoſtis CIↃIↃ LXXII.
poteſtatem ea venirent; iamque fere huma-
nae opis nulla amplius ſpes reſtabat, quum
e machina Deus iuvit; ortus repente vehe-
mens boreas auctis ſupra modum aquis, alias
certe defecturis, glaciem diremit, viamque
aperuit, per quam naves educerentur; quod-
que magis mirari omnes, e veſtigio reſlante
vento, ut praeſentem Deum adgnoſcerent, ite-
rum ſubſidentibus aquis glacies coiit. Circa
hoc tempus res longe indigniſſima accidit.
Cornelius Muſius, coenobio D. Agathae apud
Delphenſes praepoſitus, vir optimus, inno-
centiſſimusque, & literarum laude egregius,
annos LXXII. natus, dum Hagam proficiſci-
tur, a militibus Lumaeanis interceptus, Lei-
dam adducitur in Cornelii Venii aedes, quas
Gulielmus Oldevlietius, tabellio publicus,
inhabitabat; eoque duo a Lumaeo miſſi, cum
ipſius concionatore, quaeſitore, & carnifice,
torquendo viro locum poſcunt; quumque ſe
Oldevlietii uxor obponeret, & huic rei pu-
blicum urbis carcerem eſſe dictitaret; homi-
nes ebrii, incitante vino proterviam, per
vim facinori locum capiunt; & tormentis
plurimis pene enectum, nulla iuris obſervan-
tia, cauſaque indicta, ad horam quintam veſ-
pertinam introductum ante nonam propere
ſtrangulant; inde furca ſtatim deducunt in
Lochorſtianas aedes; tum pudendis ampu-
tatis ventrem diſſecant, &, ut corpore erat
obeſo, abdomen eripiunt, ne ad ſaevitiam
quicquam deeſſet. Id Lumaeus, cum iſti or-
dini maxime infeſtus, tum gravi privatim in
eum odio, imperaſſe ferebatur; utque flagitio
culpa aliqua praetenderetur, vulgo iactatum,
veneno Auriacum tollere voluiſſe; quod cri-
men tamen inter tormenta exquiſitiſſima con-
ſtanter ipſe pernegavit, neque bonus quiſ-
quam credidit; & ipſe Auriacus, ſimul cap-
tum intellexit, Leidamque ad Lumaeum ad-
ductum, quod evenit veritus, confeſtim ab-
legat, qui dimittere virum iuberet; at vero
ille, ubi adeſſe ad portam ab Auriaco nun-
tium accepit, ut mandatum anteverteret,
aperiri eam, niſi facinore perpetrato, non
permiſit. Quod Auriacus, Ordinesque, gra-
viter ferre; quumque poſtea id captivo in-
ter cetera obiiceretur; *iure factum videri* re-
ſpondit; *hominemque, qui iureiurando ſe ob-
ſtrinxerat numquam urbe egreßurum, nec mi-
nus tamen cum theſauro ingenti ad hoſtem tranſ-
ire auſus eſſet, ceu periurum & perduellem,
delicto proprio, non ſuo odio, poenas dediſſe.*

RE-

Digitized by Google

RERVM BELGICARVM

LIBER QVARTVS.

CIↃIↃ LXXIII

FRidericus Toletanus, Nardeno capto, Amſtelodami interquieſcens, de Harlemo obſidendo conſilia capit. Ea Caninefatum metropolis, magnitudine nulli ceterarum inferior; templo, curia, foroque inſignis; ſtruduraque aedium ſatis decora; mediam Sparnus amnis perluit, qui ex Ya profluens, haud longe infra urbem in lacum vicinum ſe effundit; boream verſus ad primum lapidem Oceanus adiacet; unde abundans piſcium captura magnum civibus commodum adfert; ad meridiem lacus ingens, qui ab urbe vulgo Harlemenſis dicitur; in propinquo elegans ſilva; circum ager fertilis pariter & amoenus. Igitur illam Toletanus, ut dixi, obſidere voluit; priuſquam tamen adgrederetur, animos experiri placuit; quocirca qui dam ab Amſtelodamenſibus miſſi cum literis, qui pro vicina, & vetere ſua amicitia, officii eos admonerent, redirent ad obſequium regis; quumque animi magiſtratus angeretur, res ampliſſimo ſenatu III. Non. Decembris acta; & conſilia varia erant, prout ſtudia. Pars *auxilia ab Auriaco advocanda;* pars *petendam ab Albano veniam* cenſebant, *quando gratiae ſpem haberent; neque enim Auriaco vires eſſe, quas potentiae Hiſpanicae obponeret;* & pervicit haec ſententia, placuitque; *ut ad Toletanum ablegarentur qui deliberando quatuor quinque dies peterent; interim rerum ſuarum ſtatum Auriaco exponendum curarent.* Legati ergo Chriſtophorus Scagius, vir primariae nobilitatis; Theodorus Friſius, conſularis; & Hadrianus Aſſendelfius, urbis ſyndicus: qui clam profecti, id ubi Ripperdae praefecto gnarum, eo ipſo die a meridie in hortum ſagittariorum cives convocat; quibus adfuere Lancelotus Brederodius, Adrianus Ianſenius, praetor urbis; Gerardus Stuverius; aliique civium ductores. Tum, manu imperato ſilentio, omnes compellare: *veniſſe Amſtelodamum Fridericum Toletanum, obſidionemque agitare; ac literas ad magiſtratum dediſſe, quibus, ſi illico ſeſe dederent, veniae ſpem ſupereſſe nuntiaret; atque illum quidem, etſi iuratum, nihil quicquam ſe, ac* VII. *primis ductoribus, ipſisque omnibus inconſultis tentaturum, Theodorum Friſium alioſque clam ablegaſſe, qui de urbe tradenda agitarent, ac veniam ſupplices impetrarent; quae quidem qualis futura eſſet, facile ſane conſiderarent, ſi Machliniam ſibi proponerent, aut Zutphaniam, vel vicinum denique Nardenum, adhuc fumans; perque triſtes viduarum ac pupillorum eiulatus coelo Deum ultorem invocans. Hortari igitur, ne ſe decipi paterentur; nihil aliud agere hoſtem; quam, quorum virtutem armis vincere deſperaret, eorum antiquam ſimplicitatem ut verbis compoſitis circumveniret: Adhaec memores ſacramenti eſſent, quo Auriaco pridem dixerant; id migrare, ſemper inhoneſtum; ſaepe etiam perniciоſum. Ad ſe quidem quod adtineret, pro ipſis publicaque libertate, guttam ſanguinis ultimam impendere paratum eſſe; hoc ſuum ſtudium, ſeque ipſos ne deſererent.* Quum finiiſſet, plerique alta voce acclamare; *extrema omnia pati malle, quam perfidi hoſtis incertae clementiae ſe permittere.* Ita virtute oppidanorum excitata, Auriaco per literas praeſentem rerum ſtatum indicat; dein a Mullero petita auxilia; qui pridie Non. e ſua legione cohortes IV. Iacobi Steinbachii, Chriſtophori Vaderi, Lamberti Wirtembergenſis, & Martini Pruſii in urbem mittit; cum VI. reliquis Leidam profectus. Hoc praeſidio oppidani egregie animati, quicquid urbi defendendae neceſſarium adparare. Quod ubi Amſtelodamenſibus cognitum, deſerta hac occaſione caſtra, & Sanredamum quoque recuperant; tum apertum maius templum, & amotae divorum imagines, religionemque reformatam amplecti coeperunt. Ipſis Nonis Chriſtophorus Scagius, Hadrianuſque Aſſendelfius, e legatione redierе. Theodorus Friſius, ſive reſponſum a collegis exſpectaturus, ſive futurorum metu, apud Toletanum manſit; ac reduces quidem comprehenſos Ripperdae iuſſu, Gulielmus Bardeſius, aliique Leidam primum, inde Delphos ad Auriacum adducunt; & Leidae Scagius negligentiore cuſtodia habitus, facile evadere potuiſset; ſed vir animi innoxius, quique negotium a ſenatu demandatum non ſe detrectare debuiſſe exiſtimabat, eoque ſecurus, effugere noluit; at vero aliter Auriaco viſum; qui clanculum id, Ripperda primiſque VIII. ductoribus ignaris, & praeter iuſiurandum factum, vehementer indignari; moxque Aſſendelfius IX. Kal. Ianuarias gladio percuſſus, ſpiculoque impactum caput per horas II. populo ſpectare datum. Scagius, uti ferebatur, per tormenta expreſſam animam in carcere reddidit. Auriacum, Ordinesque, res Harlevicenſium ſolicitos habere; quippe urbem, qua non alia tota Hollandia magis contra vim invalida, ſubſtinendis Albani copiis, niſi cum ingenti praeſidio, imparem norant: & a magni praeſidii onere alienos oppidanorum animos fore metuebant; ergo per literas exhortantur: *fortiter hoſti ſe obponerent, ac iurisiurandi meminiſſent, quo ſeſe cum ſociis urbibus pridem Dordraci obſtrinxiſſent: ipſos viciſſim auxilia, omnia & quod liberandis neceſſe, curaturos; tum impenſae quicquid ex illo tempore feciſſent, aut facturi porro eſſent, id omne ex aerario publico reddituros.* Poſtridie Nonas Sparewoudam

CIↃIↃ LXXIII.

CIↃIↃ LXXIII. hostis venit. Non longe ab urbe ad Yae ostium, ubi Sparnus sese eripit, pagus iacet, inde Sparnodamum dictus, quod aggere obiecto, & emissariis, obruituram alias aquam depressioribus campis arceat. Is locus adeo opportunus, ut, nisi eo expugnato, vix urbem obsidere possent; quamobrem arduo opere munierant, & quia praesidium minus firmum, Martinum Prusium cum ccc. propere imponunt. Deinde alios quoque mittunt, qui, ut obsidio difficilior hosti esset, perfosso aggere aquam in campos circumiectos immitterent; sed eum non satis perforatum Hispani statim repararunt. VI. Eid. venit legatus ab Auriaco Philippus Marnixius Aldegondius; qui postridie magistratum mutare adgressus est, primo testatus: *non se quicquam contra privilegia niti; atque hoc tantum propositum esse, ut praesenti reip. necessitati occurreret.* Idcirco datis in custodiam, qui implorandae veniae auctores ad Toletanum mittendum censuerant, magistratum urbis ordinat. Quae nox sequuta est, ea tam rigidum gelu fuit, ut constrictae aquae omnes gravissima etiam pondera ferrent; itaque Hispani occasionem optimam nacti, tentatum pluries Sparnodamum, anni hieme caeloque adiuti; iterum animose obpugnant. Fecerat glacies, ut invadere undique possent; quae res praesidium ubique occupatum tanto magis fatigabat. Videbant eminus oppidani, & laborantibus graviter sociis cohortes II. submittebant; sed antequam subvenire illae possent, iam munitionem hostis ceperat. In eo certamine Martinus Prusius, vir belli egregius, fortiter occubuit: & com eo milites plurimi; multos quoque fugientes aut insequens hostis, aut hians alibi glacies intercepit. Ceteri Beverwicum, aut Assendelfium, aliove evasere; auxilia submissa in urbem illaesa recessere. Ex Hispanis, quando acriter praesidiarii repugnarent, caesi non pauci. Rodericus Sapata, cuius ductu captus locus, sinistrum brachium ictu tormenti amisit. III. Eid. urbem Hispani circumsedere; & a Didaco Carvaiali cum Ic. sclopetariis valetudinarium Lazaro sacrum occupatum est. Tum deditio postulata; sed oppidani, dubia Hispanorum fide, consensu unanimi obstinati: *potius pugnando pro aris focisque gloriose cadere, quam in turpem lanienam pecudum instar sese dedere.* Ergo propius copias movet, ac castra disponit, tutiore per nebulam opere. Erant in exercitu toto signa peditum LXXV. Hispanorum XXXVII., Belgarum XXII. Germanorum XVI., quae ductore Eberstei nio Hemstedam ac silvam tenebant. Toletanus Cliviam arcem occupaverat; equites Teutonici tantum cc. & sclopetarii alii totidem. Evocatae insuper alae Ioannis Paceci, & Antonii Toletani, quae Alcmariensem viam, ac proximum littus, insiderent. Ad capti Sparnodami nuntium Leida egressus Lumaeus copias aliquot in urbem ducere, ac silvam occupare voluit, ignarus hostem praevertisse; qui adventu eius cognito, peditum aliquot IIIClↃ. equites Ic c. obviam mittere; iique incautum derepente adorti in fugam vertunt, & Ioc. amplius caedunt. Munitis castris tormenta adducta XIV. quae qua parte disponi deberent, & ubi pulsanda urbis moenia, aliquandiu consultatum, ac peritioribus visum, *ut ab ea parte, qua silva adiacet, decussatim illud fieret; quia & murus ibi infirmior, & facilior multo adscensus; sed incommodum, quod tormenta transferri, & mutari hospitia deberent; nec enim tam aspera hieme sub dio, aut tentoriis, militem haberi posse.* Vtile consilium Toletanus non tam rei difficultate, quam contemptu hostium, omisit; quippe sic existimabat, homines militiae rudes, per mollitiem impares fore obsidioni, & labori militari: praesidium vero, aliorum exemplo, simul tormenta admovisset, dilapturum. Sed vir Hispanus, qui gentem suam nimis aestimaret, perque tot victorias ferox, quam male de Batavorum animo ac virtute iudicaret, eventus docuit; quum obsidio, quam dierum non multorum fore arbitrabatur, in VIII mensem protracta est Igitur nulla ducta fossa XIV. tormentis ad S. Crucis portam, & munitionem obversam verberare moenia incipit; totoque triduo continuati ictus CIↃ. IↃXV. Deinde edita ruina, sedulo eam oppidani repletis lana saccis, lectis, lignis, saxisque aggestis reparare. Ante omnes operae egregius consul Vlietius, qui cum famulo laborare ipse maxime, & civibus suis animum addere. Post concussa triduo moenia impetum in illa facere placuit: &, quamvis dissuadente Romero, nec pilis ferreis, nec pulvere tormentario instructi, XIII. Kal. Ianuarias Hispani ac Belgae, ducente Francisco Varga, bis animose irruentes, egregia oppidanorum virtute repelluntur. Bartholemaeus Campocassius pontem artificiosum struxerat, per quem in murum enisi plures cum Steinbachio depugnabant, interque eos Alfonsus Galeacius. Ex obsessoribus caesi plurimi fossam urbis, & pomeria proxima implebant: & dispersa passim arma, cassides, gladii, sclopeta, sarissae, magnam partem in oppidanorum potestatem pervenere. Interfectus Lucas Soinagus cum signifero Andrea Brotio; Romerus, Varga, Lama, Tovilla, Benavides, Galeacius, vulnerati; ac Varga quidem in fossa relictus vix postridie educi potuit; ex obsessis vix XII. cecidere; plures saucii; & Steinbachius in manu accepto vulnere, nihilominus suos excitare: *urgerent praelium, ac viri essent: se quidem, nisi corde perfosso, numquam ipsos deserturum.* Hic successus, ut prospera initia plurimum valent, obsessis animos incitavit; & Hispani per tres proximas septimanas nullam amplius vim tentarunt; tum recolligentes sese, tum vallo ac cuniculis intenti. Sub finem mensis Hieronymus Tserartsius sclopetarios auxiliares IↃL. introduxit, quos Cognatus, Michaëlius, Vimiusque ducebant. Per hoc tempus legati in Angliam abiere, Ianus Dousa Nordovicus, Gulielmus Niveldius Arentsbergius, aliique: qui reginae Elisabethae patriae aerumnas repraesentarent. *Albanum praeter ius omne fasque Belgium oppressum ire, ideoque arma sumpsisse, ut se, uxores, liberosque, contra vim ac li-*

CIↃIↃ LXXIII.

CIↃIↃ LXXIII. *ac libidinem tutarentur, ac supplicatum advenisse, uti sortem tam iniquam commiserata milite adflictos, & stipendio adiuvaret.* Anno proximo turbae a Lumaeo, & Bartholemaeo Entesio datae; qui annonae ab eo praefectus, Delphis conqueri: *militibus non stipendia solvi, neque annonam procurari:* dein ad querelam convitium addere, & *proditores* Ordines appellare; cuius rei quia Entesius causa fuisse cognosceretur, ne quod gravius malum accideret, placuit Auriaco, ut Lumaeum, Entesiumque ad se vocarent, & modestiam utrique imperarent. Idque factum; sed Entesius maiore verborum licentia usus, nulla Ordinum reverentia, attineri in urbe iussus est; quod Lumaeus ad se revocans, vi educere eum voluit. Benigne Auriacus rem compositam maluisset, praesentis temporis, & futuri, prudens arbiter. At vero Lumaeus nil rationi consentaneum velle, nec auctoritatem, uti par erat, Ordines amittere; ergo Non. Ianuariis mandato publico armati cives manum utrique iniecere; moxque varia Ordinum accusatione, in ordinem redactus, dignitate ac munere suo Lumaeus amovetur; & mandata eius omnia edicto publico revocantur. Mense Maio postquam e custodia emissus, per milites aliquid iterum machinati adversus Ordines exploratum est; igitur denuo comprehensus in arcem Honingam, Roterodamo vicinam, compingitur; e qua elapsus Roterodamum sese contulit, remque Ordines dissimularunt. ix. Kal. Sext. de iniuria ille quiritari: *eum se nimirum esse, qui suis impensis copias, naves, & reliquum belli adparatum, in Hollandiam intulisset, qui Brilam etiam occupasset; &, post Deum, primus libertatis publicae auctor fuisset; cuius exemplo aliae quoque in Hollandia & Zelandia urbes Albano sese subtraxisent: quamobrem etsi gratiae ei immensae deberentur, contra tamen evenire; ac turpissima ingratitudine contumeliam, carcerem, infamiam denique pro tantis beneficiis reddi: nec legitimo tamen iudicio crimen ullum pronuntiatum.* Hanc querelam scripto consignatam propter curiam in frequentissima civium corona per tabellionem publicum recitari iubet; inde magistratui offert; qui respondens, nihil ad se negotium pertinere, rei gestae Auriacum certiorem facit; isque seditionem veritus accedere ad illum iubet, utque armis positis, & amoto famulitio, quibusdam civibus in custodiam se permitteret, imperare: quod tamen ille recusavit. *Vix enim credere, tam alieno a se animo Auriacum esse, qui id mandaret; at vero quando elevare magistratus fidem non omnino posset, merito indignari; satis hactenus contumeliarum fuisse. Praeterito Ianuario, incognita causa, munere, quod gerebat, exsutum, & mutato aliquoties carcere, ceu nullius loci hominem, ac nefarii criminis reum, in custodia indigne habitum; & nunc etiam in urbe agere, quae imperio eius pareret: ubi, si quis criminis cuiuscumque reum ageret, iure secum experiretur; quamvis quidem adempto iam legati munere, ceu Romani Imperii comes, non ultra ulli obnoxius esset.* Sed Ordinibus iure agere neutiquam visum; non quod nec dum nocentem satis arbitrarentur; sed quod tali rerum statu meritas de eo poenas sumere non conlutum existimarent. Culpae variae ferebantur; inprimis contemtus Ordinum, & verborum magna superbia; nam iactaverat, *esse militum* CIↃ CIↃ CIↃ. *& liburnicas* LXXX. *quibus cogere in voluntatem suam Ordines posset;* tum eosdem, quia iniqua petentem reiecerant, proditores adpellaverat; etiam crudelissime provinciales divexaverat; & sacerdotes, hominesque alios innocentes, nulla causae cognitione, morte mulctaverat; inter quos Cornelium Musium, & Iustum Tollium, utrumque virtutis, & fidei in patriam praeclarissimos; adhaec nefaria militum flagitia nulla poena coercuerat. Ob haec talia etsi gravia quaeque meritum, Ordines tamen discedere impune perniserunt, intercessu maxime Auriaci, qui illustri viri familiae parcendum ratus, ac custodiam diuturnam pro supplicio imputandam. Itaque abiit, & subfectus in locum eius Gulielmus Bronchorstius Batemburgicus. Dum Lumaeus remp. turbat, intentus in occasionem Bossuvius ad Delphensem consulem scribit: *gratum nuntium de Lumaeo capto accidisse; quamobrem petere etiam atque etiam, uti in fide erga regem perseveraret; daretque operam, quo pacto Auriacum comprehensum sub certa custodia in castra ad Harlemum mitteret; praemium ipsi, adiuturisque magnum fore; & delictorum omnium gratiam.* Literas has captivo militi curandas tradit, qui eas Batenburgico defert; isque apertas, atque lectas, recta illico Delphos ad Auriacum mittit; at ille confestim hominem vocat, literisque a Bossuvio lectis; *at qui*, inquit, *non ego te talem, consul, putaram, qui hostem ante patriam poneres*, respondenti, *non in sua manu esse, quid Bossuvius, aut cui scriberet sibi quidem fidem in ipsum, & remp. semper certam, igitur*, ait, *id operam dato, ut Bosuvium per insidias capiamus.* Quod ubi negare conscientiam suam permittere: iterum Auriacus; *nec Iuditham tamen, ut Holofernem, hostesque Dei, perdere posset, extremum discrimen detrectasse.* Quum pernegaret, domi manere captivum iubet. Interim coeptam Harlemi obsidionem urgere hostis, cui quo pacto succurrere posset, serio Auriacus deliberare: utque obsessoribus commeatum prohiberet, missas Saxenhemum copias castra ibi ponere, & Sonoium ab altera parte cum iusta manu insidere viam iubet: ne quid tamen temere tentet, interdicit. Hispam primo impetu fortiter ab obsessis repulsi, quum spes dedendae urbis fefellisset, ut operae pariter ac tempori consulerent, suasu Campocassii architecti fossam rectam ducere instituunt, & defixis utrinque palis transversa tigna, & refertos lana saccos, superimponunt, duplici artificii usu, ut contra tela defensorum tutam latebram miles haberet; &, si opus, pontis instar aliquando esset; ex eadem fossa aliae duae producebantur, e quibus machinae continuatis ictibus explosae. Vallo iam ad urbis usque fossam ducto, quum adeo in propin-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIII. pinquo obſeſſores, obſeſſique eſsent, ut commodius inter ſe manu rem gererent, adiectum S. Crucis portae propugnaculum de induſtria oppidani deſeruere. Vt autem commeatum Auriacus adiuvaret, primis xv. diebus rhedas frumento, & pulvere tormentatio onuſtas CVII. ſubmiſit, & auxiliaria ſigna II., ſub ductoribus Mandareſio & Caſparo. Vltraiectini Toletano pilas ferreas aliquot CCC. & vaſa tormentarii pulveris XXXVI. via Amſtelodamenſi mittebant; ſed Woerdani praeſidiarii intercepere, & maximam partem Auriaco miſere. Ringi vero Toletanus, victorem ſe hactenus hic ſuſpendi, & ſuccenſere Theodoro Friſio, qui deditionem, aut expugnationem longe facillimam pollicitus eſſet; atque ille iram eius veritus, ut periculo ſe ſubduceret, clanculum conſcenſa navi Hamburgum abiit. VI. Eid. oppidani, ut annonae ſubvenirent, leges frumentarias condunt, pretiumque pani & pondus ponunt, vetantes emi plus quam quiſque opus haberet; qui migraret, ei mors ſupplicium eſſet. Nocte proxima valde obſcura miſſi auxiliares CIↃ. CIↃ. quum denſae nimium tenebrae eſſent, nec viam tenerent, aberrarunt; parsque ad arcem Cliviam venere, pars in propinqua ſabuleta deflexere; plerique ad caſtra retrogreſſi: pauci admodum, igne in turri animadverſo, auditoque campanae ſonitu, in urbem aegre pervenere; tum per portam Scalcovicanam erumpentes, multos caedunt, vulnerantque; & complures fugientes Sparno merſi; XVII. Kal. Febr. caput quoddam a corpore abſciſſum in urbem Hiſpani inſolenter iaciunt, cum elogio: *id Philippi Regii eſſe, qui cum* CIↃ. CIↃ. *auxiliaribus liberator advenißet*. Hoc facinoris alio longe immaniore mox obſeſſi vindicarunt; captivis XII. in furcam actis; XI. capita, barba comaque ad mendicorum modum raſa (quando ita vulgo foederatos per convitium appellabant) in vas compacta, e propugnaculo in Hiſpanorum caſtra deiiciunt, cum hac inſcriptione. *Siquidem ob decimam non ſolutam bellum hoc Albanus gereret, ipſosque oppugnaret, iſtud illi vaſculum ferrent, in quo* X. *capita haberet; & pro uſura, ne de mora quereretur, additum undecimum*. Tum de rebus ſuis literas, & obſeſſae urbis typum Auriaco mittunt; ac poſtridie advenere cum frumento rhedae LXV. quas cum auxilio Schramus Brunſvicenſis ducebat; quamobrem inſtauratis animis, facta per portam Scalcovicanam eruptione, Ruſtemburgum, quae munitio Germanorum, invaſere; ac primum moletrina aquatili occupata incenſaque, reliquam quoque caſtrorum partem diripuere; caeſis omnibus, aut fugatis; Ex obſeſſis ſignifer quidam alteri hoſti ſignum prius de manu extorſit, inde etiam hominem confodit; mox deſerto propugnaculo, quod ad portam S. Crucis, maiorem molem forma ſemilunari excitant, cuius cornua vetere urbis muro haererent. Idque opus valde arduum ſummo ſtudio ocius promotum; quippe promiſcue adiuvare conſules, ordinumque ductores; cives, milites, viri, feminae, ſenes, iuvenes, opulenti, egeni; univerſim nemo laborem detrectare; nec aetas, ſexus, dignitasve quemquam abſtinere. Inde ex aedilium ordine ablegatur ad Auriacum Hadrianus Berckenrodius, qui annonam, resque alias procuraret. Additi comites, qui deducerent, equites aliquot, & loc. ſclopetarii; qui per viam vicis quibusdam iniecto igne excubias illic poſitas diſturbarunt; & diverſa parte egreſſi alii in crepidine lacus domos amplius CC. exuſſere. Inde in urbem pluribus diebus ad menſem extremum CCIX. circiter rhedae commeatum intulere; quibus additae cohortes IV. Simandi, Balfurii, Margotini, & Verdurii. Magiſtratus urbanus veritus ne per longam anni hiemem annona deficeret, avenam, ordeumque, ſecalae miſcere conſtituerat, ſed id indignante populo intermiſsum; deinde pretium bovillae carni conſtitutum. Mox vicinae urbes, Delphi, Leida, Gouda, aliaeque, egregio humanitatis exemplo, per literas petunt, ſi qui illis aetate, ſexu, aut morbo ad bellum inutiles eſsent, eos ut ad ſe tranſmitterent, paratos alere, ac curare. Pridie Kal. ductis cuneis iterum impetum facere viſum eſt; atque ita quidem inſtructa acies. Ferdinandus & Rodericus Toletani, ſinguli cum cohortibus V. ad dextram laevamque muri verberati partem invaderent; eosque ceterae legionum ſuarum cohortes ſequerentur, ac ſupra foſsam, pontis inſtar conſtratam, tranſirent. Dein Braccamontius & Romerus ſuas etiam legiones ducere iuſſi; ad S. Ioannis propugnaculum Caſpar Billius ordinatur. Eberſteinius cum Germanis atque Belgis ad ſilvam ſtaret; peractis precibus ſignum datum eſt; & Rodericus Toletanus, ac Laurentius Perea, primi irruunt; iamque in propugnaculum evaſerant, quum id cuneis ſubter ductis oppidani igne iniecto evertere; qua ruina plurimi periere. Pari ſucceſſu Billius fuit; eoque conflictu cecidere Didacus Pereſius, Alfonſus Magius, Laurentius Perea, Stephanus Illavius, militeſque delecti CCC. Rodericus Toletanus graviter vulneratus; ex obſeſſis ſauciatus Lambertus Wirtembergenſis mox e vulnere diem obiit. Et obſeſſis duplex quidem victoria obtigit; nam eo ipſo pugnae tempore alia parte CLXX. rhedae in urbem illaeſae pervenere; quas CCC. ſclopetarii, equitesque LXX. deducebant. Quae iuxta ſilvam copiae Germanorum erant ad praelium inſtructae, obpugnare commeatum; ſed conatus fruſtra fuit. In Brabantia hoc ipſo menſe triſte diluvium Lovanio accidit. Dilia fluvius auctis aquis alveum egreſſus ſupra muros urbis excrevit; & perrupto tandem aggere ſtragem ſane immenſam edidit; quippe magnum aedium numerum plane evertit: aliae ad XII. ulnas exſtantes aquas difficulter ſuſtinuere. Ingens paſſim pavor erat, omnesque in ſumma aedium eniti; murosque ac tabulata perfringere; & ſcalas navesque incondito clamore ſibi poſcere; feminae ac pueri triſtibus lamentis cuncta implere; ubique tectorum arborumque ruentium horrendi fragores audiri; domorum contignationes totae, capſae, menſae,

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIII. fae, lecti, culcitrae aquis ferri; & imagines templis erutae, ſepulcrisque effuſa mortuorum oſſa, ac ſane periculum ingens erat, ne urbs tota abſorberetur; quum effracta altera porta magno cum ſtrepitu ſe exonerat. Portenti inſtar res haec habita, ut & micans exhalatio, quae ceu chaſma in coelo adparuit. Februario toto nihil ab Hiſpanis fere geſtum ad urbem obſeſſam; & toties repulſi non ultra vim tentare ſtatuunt, melius arcta obſidione oppidanos ad deditionem compulſuri; & plerisque videbatur diſcedendum; ſed Toletanus patris monitu, qui famae intereſſe cenſebat, perſeveravit. Idcirco, ut naves urbe arcerent, ad VII. moletrinas munito loco Sparnum occupant, & tormenta campeſtria II. cum excubiis ponunt; oppidanique iterum tunc annonam ordinant, ac panibus e ſecale, & ordeo, pretium minus triente ponunt; dein incendio reſtinguendo ſcalas, hamas, ceteraque inſtrumenta adparare, lumenque pernox habere iubent; & quum rumor percrebuiſſet, ad coenobium S. Bernardi in crepidine lacus poſitum ab Hiſpanis pontem parari, quo commeatum advehendum prohiberent. Egreſſi urbe XXXVI. equites cum Ioc. ſclopetariis, comperto nullum illic hoſtem eſſe, captivis duobus, aedibuſque aliquot incenſis, receſſere. Mox in cuneos iniecto igne graviter obſeſſores affecere; ipſi autem commeatum CXIII. rhedis accepere. Nec multo poſt ubi gelu remitteret, ſolutis aquis, praemiſsa pridie navi ſingulari, XL. duplicarii CIↃCIↃCCXL. frumenti modios deduxere; iterumque navis I. maior, & minores XXVIII. annonam aliam advexere, deducente Chriſtophoro Gunthero cum duplicariis militibus CCCC. tum Dordracum tormenta VII. alia XII. pilasque, & pulverem Leida ſubmiſit; XII. Kal. Mart. triremem pedes LXXXIV. longam oppidani in lacum ſubiectum produxere, quum de ſucceſſu obſeſſores deſperarent. Sed contra ab Albano ſubmiſſa legio Polvillerii, & e Sicula cohortes IV. quas Toribius Zimbro ducebat. Mondragonius totidem e ſua mittere iuſſus. Adhaec Boſſuvio datum negotium, ut inſtructis bello navibus, quaſcumque comparare poſſet, lacum invaderet, eiusque uſum obſeſſis eriperet; quumque perfodere alibi aggerem tentaſſet, fortiter obſeſſi repulere. IV. Kal. acriter pugnatum; quippe miſſae ab Amſtelodamenſibus XIV. naves in lacum venerant: quod ubi eminus conſpexit Gerardus Iunius, maioris triremis praefectus, nimis temere ſolus oppugnare auſus, tandemque victus, ac cum paucis vulnere accepto ſcaphae ope vix elapſus, triremem ſuam in hoſtium poteſtate reliquit. Id ubi ceteris ducibus gnarum, ſummo impetu univerſi, ac potiſſimum qui minori triremi praeaerat, Iacobus Antonius in hoſtem feruntur; & captivam duas horas navem, victoribus victis, fortiter recuperant. Inſuper aliam, dum fugientes inſequuntur, ipſis eripiunt; eoque praelio caeſi plurimi, pauci tantum aliquot capti. In iis vir nobilis, domo Lovanienſis, Raveſcotus; victores Fucam concеſſere, & aggerem aperiri ab hoſte coeptum obſtruxere. Rigida valde haec hiems fuit, & ab ea obſeſſoribus multum incommodi; quos & aëris inclementia, & labores continuati fatigare. At Toletanum nil haec talia permovere, non diſcedere, niſi capta urbe, certum; & vir animi elatioris, hactenus victor, indignari multo magis; urbem invalidam, quam uno octiduo expugnaturum ſe iactaverat, iam tres menſes reſtitiſſe; quapropter navibus, quod iam dixi, rem etiam gerere inſtituit; & Auriacus contra niti, ac Sonoio dare negotium, quando incertus belli exitus, ſine mora Alcmariam muniret, in quam hoſtis, ſi Harlemum caperetur, ducturus copias videbatur. Tum naves quoque inſtruere iubet, quibus commeatum arceret; ipſique obſeſſi triremes binas emiſere; & Sonoius exiſtimabat; perfoſſo aggere, qua Ya amnis per emiſſaria interiecta in lacum illabitur, munimentum aliquod ab Auriaco excitatum iri, ad urbem liberandam multum momenti habiturum. Sed id factu impoſſibile eventus docuit. Sonoius caſtra Egmondae habebat, & vicinis aliquot pagis, ſed ſuorum immenſam licentiam vix compeſcere ſatis poterat; quamobrem ipſi, & ductoribus quoque ceteris mandare Auriacus, ne diſciplinam militarem profligari paterentur. Inter omnes Michaël Crocus ferocia alios antecellere; quem ſaepe monitum, quum praeter verba nil praeſtaret, & Scagenſem curionem inſuper occidiſſet, accuſantibus cohortalibus, & ductorem ultra indignantibus, comprehendere ocius iubet, inde capitis ſupplicio adficit. Per hoc tempus pertaeſus morae, & impenſae Albanus, quando vi res non procederet, aliam viam tentare ſtatuit, an blanditiis urbes quaſdam ad obſequium reducere poſſet. Igitur ad S. P. Q. Amſtelodamenſem literas mittit: *clementiſſimum regem eſſe, quem calumnia impudenti perduelles traduxiſſent: idque perſuaſas urbes plurimas fidei ſe eius ſubduxiſſe; contrarium tamen ſatis clare apparuiſſe in proximo agro Vltraiectino, tum Friſia, Gelria, & Tranſiſelania, quae benignitatem expertae, Idem illis, ſi exemplum ſequantur, certo promittere; falli autem, ſi eas ſibi vires putarent quibus regi, omnium principum potentiſſimo, reſiſtere poſſent; ac peſſime ſibi conſultum ire, ſi, iniuriae pertinaces, ultima exſpectare vellent.* Harum literarum exempla ad vicinas urbes tranſmiſſa; iisque publico ſcripto reſponſum: *numquam male de rege ſenſiſſe: ideoque nec vim legibus factam, aut privilegiis, imputaſſe; immo contra exiſtimaſſe, optimum principem, iurisque & aequi obſervantiſſimum, numquam permiſſurum fuiſſe, multo minus imperaturum, ut homines peregrini Belgii ſui felicitatem conculcarent; cuius populum, ſupra ceteros ſubiectos, fidum eſſe exploraſſet; & maxime nupero bello Gallico, quod quadringenties centum millibus florenorum adiuviſſet; idcirco credere, regis nomen falſo ab Albano praetendi; nec verum eſſe, per calumniam eum peti; quippe in urbibus univerſis, quae deſciverint, neminem ſane reperiri, quin pro dignitate eius defendenda facultates*

omnes

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIII. *omnes ſuas, ac vitam denique impendere ſit paratus. Tantum hoc propoſitum fuiſſe, ut Albani & Hiſpanorum crudelitati ſe obponerent, idque facturos ad extremam uſque ſanguinis guttam:* tum exempla multa adlegant, quae deterreant, *quod vero certiſſimo promittere videri velit, ludum eſſe, & fraudem meram; neque ipſos adeo fatuos, ut fidem omnino ullam habeant. Potentiam regis quod proponeret, eam longe maximam ſcire, nec ſe profecto pares putare: at nec illum tam iniquum, ut clientes ſubditosque obſequii devotos perditum ire* B *inclementer velit*: porro cives exhortantur, *ne remp. ſuam deſerant, immo contra adnitantur, ut acceptam a maioribus libertatem poſteris tradant*. Dum haec ad Harlemum geruntur, ſaepius in Zelandia pugnatum; gensque ad patriae libertatem adſerendam animoſa, navalibus praeliis multa fortiter cum felici exitu auſa eſt. Quadam nocte Antuerpiam devecti, naves aliquot ad crepidinem fluminis adligatas, catenis diruptis, abduxere; dein Middelburgum, & Rammekenum, C obſedere. Quumque Albanus liberandis Sanchium Avilam claſſem adornare iuſſiſſet, iſque imperata exequens cum LVI. navibus deſinente Februario oram ſolviſſet, adventantem ingenti praelio fuderunt; eaque pugna naves minores fere omnes periere; quae maiores, aegre Antuerpiam refugere. Tam inſignis victoriae nuntium, datis VII. Kal. Mart. literis, Auriacus Hollandiae urbibus mittit; gratum omnibus, & Harlemenſibus opportunum, quibus animus per haec firmior; & D ab iis ineunte Martio res tormentis agi coepta. Ante urbem magnam molem obſeſſores excitaverant, valde ſane obſeſſis infeſtam; ſed hanc Ioannes Cuningamus Scotus, Balfurii legatus, crebris ictibus die non toto universam diſiecit, XI. Kal. April. inſtar CIↃCIↃ CIↃ. frumenti modii navigio in urbem importati; ac triduo poſt e praeſidiariis erupere IↃCCC. & cum iis egregii adfectus cives aliquot; qui hoſtem pluribus locis adorti magnam ſtragem ediderunt, caeſis amplius IↃCCC. & tento- E riis incenſis plus CCC. abducta inſuper ingens praeda; tormenta bellica minora VII. pulveriſque copia magna; ſigna IX. equi XXX. ceteri pecoris magnus numerus. Veſtes plurimae; & argentea atque aurea ſupellex; item arma omnis generis, militibus multis ſuffectura. Inter caeſos Carvaialis, & Creſſonerius, rei tormentariae praepoſitus, cui ſucceſſit Valentinus Pardaeus Mota. Vulneratus Franciſcus Toletanus; ex oppidanis tantum VIII. deſiderati; in his Derdenius, ordinum F ductor, manu ſtrenuus: ac biduo poſt legatus Lanceloti Brederodii, Theodorus Braſſemannus. Quum vero iam ſoluta glacie ad urbes vicinas exitus reditusque difficilior eſſet, Mutinenſium olim exemplo, columbis uti incepere; quae exportatae, cum literis ſubter alas adfixis revolarent. Vt autem obſeſſis, ita quoque obſeſſoribus gravis obſidio, & diſcedere caſtris certe voluiſſent; verum Albanus urgere graviter, & Toletanum filium magis etiam confirmare, miſſo Cheverauxio cum ſua legione, ad haec promittere aliam Lopeſii Figueroae, & XXV. ſigna Hiſpanorum; id enim regem Ducatus Mediolanenſis praeſidi, Ludovico Requeſenſio, imperaſſe; nec multo poſt Lopeſius Acuna venit cum legionis Longobardicae ſignis XII. & aliis XIII. Figueroae; cum etiam Bernardinus Mendoza adfuit, ab Albano miſſus, qui eius iuſſu in plena militum corona Toletanum ad coeptam ſemel obſidionem forti animo exſequendam concitaret: *nam ſi deſereret, ipſum ſe, quantumvis aegrum, mox in caſtris adfuturum; &, ſi valetudo vetaret, uxorem ſuam, eius matrem, ex Hiſpania evocaturum; potius quam expugnandae urbis gloriam amitteret. Igitur virtutis memor patrem cogitaret, & tot trophaea, quae ne per ignaviam nunc corruptum iret*. Exin crebrae eruptiones, & everſi cunei plurimi, cum multa obſidentium ſtrage; ac ſic occiſi Ioannes Verga, primus centurio legionis Neapolitanae, Sanchius Lodonius Braccamontianae, Stephanus Quixada, & Bartholemaeus Campocaſſius, ingenii clarus, & caſtrorum muniendorum inſignis. Vulnerati Goignius, Noircarmius, & Ioannes Ayala. IV. Kal. ab Amſtelodamenſibus inſtructae naves XLIV. lacum occupant, perfoſſo aggere, ubi in eum Ya influit. Praeterea ad Fucam, ut ſtatio illis tuta eſſet, locum muniunt, ac Guletae nomen faciunt; quamobrem obſeſſi, ut viam aliquam vi aperirent, triremem tertiam, ducibus Binchorſtio & Maureginaldo, Cagam mittunt; unde poſtea V. Eid. Aprileis Auriaci naves C. numero Fucam venere. Quumque oppidani XII. ſuas emiſiſſent, adverſo conatu, aegre milite reducto, eas hoſtibus permiſere. Nec magis tamen conſternati quartam mox triremem inſtruunt, CVIII. pedes longam, eamque XVII. Kal. Maias produxere. Interim Auriaci claſſis Hemſtedam venit, ubi quum militem exponendum oppidani rati eſſent, miſere, qui ſuppetias ferrent, IↃCCCL. ſed hoſte fortiter repellente, quum accedere propius non liceret, receſſere. Quo certamine Steinbachius ac Vaderus a ſuis vulnerati; nec multo poſt alio loco CIↃCIↃ. expoſiti. Sed quum tardius oppidani erupiſſent, re infecta iterum diſceſſum eſt. Sed hoc egregio Balfurii facinore mox penſatum: is noctu egreſſus cum Scotis ſuis, civiumque nonnullis, camiſiis ſupra arma indutis, Ruſtemburgum expugnat, victorque ſigna captiva IV. in urbem refert; & poſtridie anniſi locum recipere Hiſpani maiore etiam ſuorum ſtrage repelluntur; nec ſucceſſu meliore iterum biduo poſt conantur. Extremo menſe, quum cuneus incenſus obſeſſores aliquot ſuſtuliſſet, exploſis viciſſim tormentis, interfecti Hadrianus Ianſenius, ordinum ductor, nobilitatisque vir primariae, Chriſtophorus Scagius; ac poſtridie, facta eruptione, ſtipatorum Auriaci ductor, Margotinus. Per hoc tempus nummos argenteos obſeſſi cudunt, & inſignia urbis ſuae, gladium binis utrinque ſtellis interſtinctum, in antica parte exprimunt; in poſtica ſymbolum ſuum, VINCIT VIM VIRTVS. In pervigilio Penteçoſtes rurſum obſeſſores caput a corpore ſepa-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIII. paratum trans moenia iaciunt, & inscribunt: *Antonii Olivarii esse, qui ad Montes invadendos Ludovicum Nassovium solicitasset*; is ab Amstelodamensibus interceptus, dum aggerem, qui Nardenum ducit, ne subvehi inde commeatus posset, perfodere cum delectis aliquot moliretur; & pretium necis ab Albano positum fuerat, idque Toletanus solvit. Iam angusta annona erat, intercluso commeatu; igitur ostiatim inquirunt, quid quisque domi occultaret. Deinde vero etiam ordinant, ac diëtim viris quidem libram panis; feminis, puerisque, selibram decernunt: scortilla, ac lixas, placentas e buna edere iubent; quibus reliquam quoque famem alii saturarent; dein cereviſiae pretium ponunt, & floreno meliorem coqui vetant. Nec tamen propterea illis animus fatiscere, donec postea Auriaci classis profligata, captae que naves XXI. huc accedere, quod in Anglia pax firmata inter Philippum, & Elizabetham, spem auxilii in ea insula impetrandi perturbaret. Tum in Fucam versa arma; quam egregie diu defensam, ter repulsis ob sessoribus, cum commeatus pulvisque tormentarius deficeret, nec suppetiarum spes restaret, aegre tandem dediderunt. Auria cum valde res angebat, & cura adsidua de solvenda obsidione. Hanc ob rem Ioannem Clusium ad Sonoium cum literis mittit, omnemque operam navare iubet; atque is, ut in remp. erat egregius, parere promtus, cum copiis aliquot, & fossoribus, Diemenum aggerem, qui Amstelodamum & Mudam interiacet, improvisus hosti occupat; & convulso emissario, magnaque utrinque ducta fossa, milites Ↄcccc. imponit. Tum fossores multos addit, qui locum opere festinato communirent. Deinde relictis in praesidium triremibus V. & navibus aliis, confestim Edamum abit, auxilia iusta, fossoresque, & commeatum curaturus; ac dum id agit, Amstelodamenses, qui rei nuntium iam acceperant, gnari quantum in eo loco momentum esset, & impeditum obsessoribus commeatum deinceps fore, cum XXII. navibus hostem aggressi, triremes II. navesque alias IV. capiunt, reliquis fuga vix elapsis, ac sub aggere se tuentibus, & auxiliarium tormentis. Quamvis illi graviter quoque oppugnati, dum via Amstelodamensi signa III. Mudensi I. a fronte & tergo fortiter incumbunt, ac latus utrumque naves invadunt. Sed his Sonoius, graviter eos laborare gnarus, mox cum XL. navibus suppetias tulit; & initio victor in fugam Amstelodamenses egit, At cum submissae naves maiores pugnam instaurarent, fractis animis, continere suos non potuit, quin victoriam satis certam hosti traderent; ipse solus inter confertos fortiter faciens, ac desertus, vix evasit; & indignatus turpiter suos fortunam faventem destituisse, ut infamiam repararet, collectis ocius amplius LXXX. navibus subvenire obsessis cupiebat. Iamque in itinere erat, cum desertum a suis aggerem nuntiatur; inde, ut consilia cuiusque fere ab eventu perperam estimantur, petitus gravi calumnia, ceu parum prudenter, aliisque in consultis, rem gessisset; & iuvare profugus miles, qui querela publica pro se usus, suae ignaviae culpam ducis praetexebat. Quamobrem ille rem universum Auriaco indicat, idem Clusio faciente, quem consilii conscium habebat; nec officio Birdesius defuit; ac petere Sonoius, mitteret Philippum Marnixium Aldegondium, aut aliquem eius notae virum, qui inquireret. Huic vero minus gratum isto quidem tempore dissidium, quo remp. per se imbecillam satis concordia firmare opus; & iniuriam Sonoio factam, meritorum hactenus praeclaro perdolebat. Igitur scriptis ad eum literis: *bene deinceps sperare* iubet; *gnarum sibi, quo adfectu remp. amplexus esset, ac libertatem eius iuvisset. Idcirco tam manifesto discrimine, pro egregio adfectu suo, privatam offensam illi condonaret, nec tam alieno tempore laborantem desertum iret; quod si aliqui temere, per invidiam iniurii, innocenti culpam imponerent; sibi tamen plus cordis esse, nec iudiciis aliorum ferri.* Istis verbis confirmatior paullum Sonoius; sed non odium tamen eius, aut invidia, intermittere; ac falso vulgarum, vincula ei iniecta fuisse. Hac de causa Carolus Boisotus missus, qui de tota re cognosceret, ac composita simultate in commune consultaret; isque mox de expeditione in Diemenum aggerem facta anxie inquirere, & clam Sonoio de rep. consilia habere; tum invito quoque eo captivum dimittere, quem Edami in custodia attinere ipse iusserat. Quod quum multo magis offenderet, ac omnino existimaret, Boisotum dignitatis aemulum hoc unum agere, ut populi benivolentia adiutus praefectura ipsum everteret; denuo apud Auriacum queritur: *indignum meritis praemium reddi, & ad omnes exemplum pertinere, quibus iusta causa muneris deserendi daretur, metuentibus, ne calumnia simili olim obruti, pro gratia offensam, pro praemio ignominiam referrent.* Dein Aldegondium, & quos aequiores putaret, per literas orat, *darent operam, ut ne quid homini innocenti fama sua, qua nil carius haberet, laederetur; paratum plane Auriaco obsequi, & provincia, si publice expediat, etiam discedere; quam non nisi reip. causa suscepisset; quamvis quidem alium sibi in eam dignitatem substitui, quam labore suo maximo, & periculo, peperisset; longe iniquissimum foret, quicquid tamen huius futurum, id Auriaco totum permittere; in cuius prudentia, & aequitate adquiesceret.* Sed Auriacus, qui turbari illic nollet, aut hosti occasionem dari, opprimenda initia ratus, Petrum Ryckium illuc misit, qui, quod facto opus, exploraret; ac Sonoium admoneret: *publicae securitatis, & quietis suae causa, ut praefecturam invidiosam abdicaret; ac cum Veria, quam permittere ipsi vellet, commutaret;* cui Sonoius; *non se dignitatis avidum; ac pridem eam ponere voluisse, nisi adfectus in Auriacum, remque publicam retinuisset. Huius rei ipsum sibi testem esse; qui pluries dimitti orantem continuare munus iussisset; nunc autem ut illud faceret, cum famae detrimento, numquam imperaturum putasse; & vero, si sic discedat,*

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIII. *quam Veriae dignitatem fore? Id iudicare in proclivi; quamobrem valde ipſum rogare, nuntiaret rerum ſtatum, & intercederet, ut exiſtimationis ſuae rationem habere velit; quod ſi praefectura cedere porro iuberet, paratum obſequi, ſed deinceps aliam nullam admiſſurum; idque animi honeſti, fideique, apud aequos rerum arbitros, clarum ſatis indicium fore.* Ita Ryckius diſcedens rem Auriaco omnem exponit; isque redire eum iubet, & Sonoio poteſtatem prorogare: tum collegas tres adiungere, qui cum urbium Hollandiae borealis delegatis remp. adminiſtrandam iuvarent. Carolo Boiſoto ſeorſim munus ordinatum; etſi nec ſic tranquilla omnia, quum maneret inter utrumque aemulatio, quam diverſus populi adfectus irritabat. Iam autem indies magis premi obſeſſi, & Auriacum Ordinesque liberandae urbis cura angebat; ac maturandum ſane erat, oppidanis extrema quaeque patientibus; ſed tam arcta obſidio erat, ut vix ſperare quicquam liceret; & caſtra hoſtis valide contra vim munierat. Intus magna rerum omnium penuria erat, &, quae il lam ſequitur, fames; ac frumento deficiente, cibus eſſe equorum vaccarumque pelles; carnes faelinae, eque cannabis ſemine panes; his deliciis vitam miſeri tolerare. Igitur unum hoc reſtabat, obſidere obſeſſores, ac commeatum intercludere. Hanc in rem quando ingens momentum haberet Diemenus agger, Sonoium iubet iterum eum occupare, ac communire; dein parte ab alia Batenburgicum quoque mittit, qui cum iuſtis copiis Ouderkercam, pagum in via Vltraiectina ad primum Amſtelodamo lapidem, ſtatim invaderet, ac commeatum prohiberet; isque poſt levia aliquot praelia partem unam occupatam propere munit. Sed quia templum Franciſcus Valdeſius tenebat, & coemeterium, locumque ante communierat, irritus hic conatus fuit; & delecti item IↃ. Schonhovia miſſi, quos cohortes peditum v. navibus vectae ſequebantur; in quibus etiam commeatus, & tormenta. Hi quum Breukelam veniſſent, in Vectae ripa poſitum pagum, munire ocius lucum incipiunt, arcique oppoſitae Gunterſteiniae XL. delectos imponunt. Sed conatum antevertit Ioannes Baptiſta Taxis, qui tum Vltraiecti forte frumentariam rem curabat. Is enim, ſimul nuntius venit, ut invalida adhuc initia pertubaret, adſumta Maximiliani Melodunii equitum ala, & II. peditum ſignis, arcisque aliquot praeſidiariis, quos Ioannes Deça addebat, e veſtigio illuc profectus, nullo negotio hoſtem fudit, opera inchoata deſtruxit, & liberam commeatui ſubvehendo viam fecit; inde in propinquo munitione ad novum emiſſarium tentata, media inter Amſtelodamum & Vltraiectum via, orta ſeditio militaris, quamvis ſtatim mox compoſita, hoc conſilium impedivit. Sonoius vero, ut iuſſus erat, poſtridie Kal. Iunias media nocte, paucis ſuorum deſideratis aggerem Diemenum iterum invaſit; & occupatum, ac caſtellis VI. munitum, uſque ad deditionem urbis tenuit; ſed quia ſubmiſſae ab Amſtelodamenſibus triremes V. magnusque aliarum navium numerus, ſuorum ignavia, lacum tamen proximum tenebant, inutilis quoque tam arduus hic conatus fuit. Interim obſeſſis allatae per columbas literae ſaepe animos iam paullatim labaſcentes confirmarunt; dum brevi liberationem, & conſtantiae quoque praemia pollicentur; ac promiſſis recreati, interdum mora deſperabant, inter ſpem metumque medii. Cuncta quidem Auriacus tentare, ac mentem animi in quamcunque rem intendere; ſed conſilio, quam eventu, meliore; & iam paſſim provinciales quoque ipſi commiſerari; plurimique, ut obſeſſis ſubvenirent, ultro ſeſe offerebant, nullo ſtipendio, ſed in cives patriamque adfectu. Ab oppidanis nihilo ſegnius excurſionibus factis ſaepius pugnatum; ſaepe etiam cunei incenſi multos ſubvertere; & accidit, ut aliquando Vemius Cognatusque in extremum periculum adducerentur; quippe ruina involuti, ac tantum non obruti, vix ſuis adiutantibus, terramque iniectam deducentibus, evaſere. Per hoc tempus obſeſſores novum machinae genus ſtruunt; ligneum caſtellum ſtatuunt, malis IV. ſubnixum, quod rudentibus attractis elevatum ſupra moenia militem attolleret, commode inde cum obſeſſis pugnaturum. Iddum parant, Marcus Toletanus, parum caute murum inſpectans, ſcopleti ictu interficitur. Inde III. Non. Iun. Petrus Velaſcus cum CCC. aliquot imponitur; ſed vix bis ſclopeta exploſerant, quum obſeſſi contrario ictu funes diſſecant; inde nutans ſtatim machina Hiſpanos obpugnantes evertit. Poſtridie emiſſae columbae, quae mox literas referrent; & in ſumma inopia rurſum ordinata annona, ac, continuato militibus pane, cives buna veſci iuſſi. Quumque Hiſpani inſultarent; nec panem ipſis, nec cereviſiam reſtare, ceu abunde omnia eſſent, ientaculum illis extra portam Ziliam miſere; tum duplices etiam nummos cuſere, denis aſſibus, & vicenis, aeſtimatos. Dein, quum populus quereretur literarum, quas columbae adferrent, argumenta occultari, ut animos vana ſpe lactatos in longiores aerumnas differrent; permiſſum illis VI. viros eligere, qui adlatas etiam inſpicerent. XVII. Kal. Iulias obſeſſores cuneum incendunt, qua ruina ex obſeſſis XL. periere. Biduo poſt, deducentibus ſclopetariis, Tſerartſius & Gotinus Fucam emiſſi, qui Auriaco ſtatum urbis nuntiarent; ac uterque mox reſcribunt: *ne ullo modo deſperarent; commigraſſe Leidam Auriacum, ut liberationem adcuraret.* Eo ipſo tempore vallum novum a Margaritae uſque ad Ioannis portam inſtituitur. V. Kal. aliquot IↃc camiſia armis ſuper inducta, Fucam progreſſi, quumauxilium ab Auriaci claſſe exſpectaſſent, conatu irrito receſſere; ac poſtridie adlatis literis excitatiore animo CIↃ. viri itidem inſtructi denuo exiere; ſed neque tunc adiuti quicquam, ſpem in poſterum amiſere. Inde colloquia inſtituta Kal. Iuliis; & auſpicati Pelecanus ac Cornelius Matthaeus, ductores, quumque prodire praefectus urbis iuberetur, ſub horam quintam veſpertinam negotium incoepere, pro Toletano Eberſteinius cum

IV.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIII. iv. aliis; ex oppidanis missi consul Ioannes Vlietius, & ductores Steinbachius, Rosonius, & Pelecanus; sed re infecta, utrinque discessum. v. Non. exserto e turri vexillo nigro angustias suas classiariis indicarunt; ac postridie tormentis omnibus verberata graviter urbe, sub vesperam iterum de dedenda colloquuntur, nullo successu. Pridie Non. rursum e turri signum nigrum ostenderunt, & tunc literae advenere, quae tentandam ea nocte liberationem nuntiarent. Itaque frequentes etiam egressi, ut auxilia adiuvarent, quum diu multumque exspectassent, spe deiecti rediere. Tum ad colloquium tertio ventum est, rem acturis Eberstenio, & Bossuvio, cum iv. aliis; quibus oppositi ex obsessis Vlietius, Steinbachius, Rosonius, Sohaeus, Pelecanus, & Cornelius Matthaeus; sed neutiquam melior eventus fuit, quum praesidiarios sine armis non exituros adfirmarent. Ipsis Nonis auxiliares urbem versus classem ducunt, & egressi oppidani suppetias suas promoturi. Quod ubi Hispani conspexere, concitato ad arma milite, impetum eorum revocarunt. vii. Eid. vexillum e turri album suspendunt, & ductorem Nicolaum Bernardum emittunt, qui oraret; *in sequentem Martis diem commeatum ad speculam in faucibus Sparni positam, vulgo Tonuam Batavi dicunt, ut deducerent; nec enim famem tolerare ultra posse*. Ac postridie missae literae, ab ipso queque Bernardo subscriptae, quibus hortari eos Auriacus: *virtutis hactenus tam insignes, saltem in biduum spem proferrent; omnem se daturum operam, qua liberare eos posset*. Itaque recreatis animis, etsi de urbe deserenda iam plerique cogitassent, paulisper tamen substinuere. Biduo post promissa iterat, & nocte proxima, simulata ad Fucam impressione, alio mox translatis armis, impetum in silvam facturum; quamobrem egressi clↃ clↃ. oppidani ac praesidiarii, ut a tergo hostem invaderent; sed hic quoque frustra habiti, animum plane desponderunt. Certe Auriaco animus erat extrema tentare; & copias ipse ducere velle, si permittere Ordines voluissent; sed illi gnari, ut fortuna princeps utitur, ita fere populi virtutem esse; metuebant ne, si quid adversi accidisset, resp. tota in discrimen adduceretur; ideoque negotium omne Batenburgico commissum. Is collectis circiter clↃ clc clↃ clc. armatorum, in quibus cives Leidenses, Delphenses, Roterodamenses, aliisque ex urbibus plurimi, qui in militiam hanc ultro venerant, vi. Eid. motis Saxenhemo castris in hostem tendit; ac in prima quidem acie c. equites antecedere; dein magnum agmen Batavorum ac Zelandorum cum vii. minoribus tormentis subsequi: tum Galli, Angli, Scoti, aliique; inde carri instar ccc. cum annona, & reliquo belli instrumento, posthaec Germanorum equitum ala incedens agmen claudere. Vbi ad silvam accessissent, prima munitione vacua, quum fugisse hostem rati porro ducerent, minus cautos ex insidiis ille adortus, praemissum equitem ocius fudit; isque per pedites subsequentes, belli magnam partem insolentes, actis equis, aciem suorum ipse turbans, facilem Hispanis victoriam praebuit; qui fugientibus incumbentes, quoscunque comprehendere possent, obtruncare. Eaque pugna cecidere lↃcc. atque in iis e Delphensi civitate cxiii. caesi item Batemburgicus, Cloetingus, & Carlous Tserartsius saucius Leidam evasit; pluribus beneficium noctis profuit; capti currus cum annona universi, ac tormenta campestria vii. in arcem Cliviam comportata; tum signa ix. quae postridie oppidanis obsessores ostentare. Pauci mortem Batemburgici deplorare, qui temulentum, & cladis huius auctorem appellare: alii contra excusare, & *fortiter satis feciſſe ipsum, sed consilia hosti prodita*. Reliquiae cladis in praesidia distributae, & desertum Saxenhemum, ubi posita fuerant castra; nec liberandae urbis posthac spes superfuit, etsi Auriacus tentandam iterum fortunam esse existimaret; qui postridie rei huius obsessos certiores fecit. Eo nuntio serio tandem de dedenda urbe actum, quum ablata spes salutis omnis esset; & fames maxima, qua enecti longe plurimi, Saguntinam plane constantiam oppidanorum impugnaret. Ac initio deserere urbem, & obsessorum castra perrumpere visum erat; feminis, puerisque relictis: quibus hostem, etsi crudelem, parcituram tamen sperabant. Sed consilii huius famam imbellis sexus tanto eiulatu excepit, ut spectaculum triste viros a sententia dimoveret. Inde aliud mox decretum; ut in fronte collocatis vii. sclopetariorum signis, viam vi facturis, magistratus & oppidani, qui se hosti credere nollent, cum uxoribus liberisque sequerentur. Post hos novem signa incederent, agmen clausura, & in procinctu omnes esse, quum de gratia facienda adlatus nuntius cohortes Germanicas aliorsum impellit; ac postridie rursum Gallorum v. signa, quibus mixti oppidani, tentare eruptionem parata, pontis defectu destitere; idemque irrito conatu posthac adhuc semel tentatum. Ergo adversa omnia experti, iv Eid. Toletani arbitrio urbem dedunt; eaque ne diriperetur promissa ccxl. florenorum clↃ. e quibus c. quidem clↃ. intra diem duodecimum, reliqua cxl. intra proximum trimestre solverentur. Res transacta a binis consulibus, item Steinbachio, Rosonio, ac Vadero; & Rosonius, futuri prudens, quum conditio displiceret, militibus suis rem exponit; iique indignati, clausis portis ingredi obsessores vetant; qui tamen alia parte admissi, ut impetum sedarent, bene sperare omnes iubent: *maiore clementia usurum Toletanum, quam promittere sibi auderent*. Id ubi Bordetus intellexit homo Gallus, ductor militum, animo pariter & manu strenuus, qui in Montibus militaverat, ne ludribium hosti daret, ad famulum conversus: *hactenus*, inquit, *fidei in herum tam praeclarus, extremum infelici obsequere*; simul porrecto sclopeto pectus offert, & transverberare iubet; quumque attonitus triste imperium deprecari conaretur, porro urget: *ne se hosti inclementi trucidandum prodere vellet*. Igitur aegre tandem obtem-

CIↃIↃ LXXIII.

CIↃIↃ LXXIII. temperat; alii ferunt, illo obsequium pernegante, sua manu verso in semet sclopeto cecidisse: laudando sane virtutis exemplo, si priscis seculis obtigisset. Ergo III. Eid. urbem dedunt, illicoque cives pariter militesque arma in curia ponere iussi: & illi quidem in Ziliae monasterium ire, hi in templum Bakenissae; feminis templum maius adsignatum. Germani ac Scoti in moenibus manere; unde postridie, in urbem ingresso Toletano, ad Catharinae & Vrsulae fana sevocati; quo ipso die ad cives in monasterio Ziliae sepositos Romerus accedens, bono esse animo hortatur; vitam omnibus salvam fore. Eid. mensis venit Amstelodamo Albanus, sed circum lustrata urbe, e vestigio retrogressus, intrare noluit. Ac tunc initium carnificinae factum fuit, ccc. Belgis gladio aut laqueo interfectis; tum praefectus urbis Ripperda, cum legato, & qui Steinbachio a concionibus, gladio percussi; inde CCXLVII. mersi. XVI. Kal. Sext. redimendae civium vitae prima c. florenorum CIↃ. exhibita, urgente maxime Philippo Martinio, olim eiusdem urbis consule; & tunc extra portam Scalcovicanam iterum in nonnullos saevitum; ac postridie ccc. percussi, in quibus oppidani plures; & concionator, Simon Simonius; dein Lancelotus Brederodius, Rosonius, & Brilani aerarii quaestor, Scotae ad supplicium producti. Capti item, qui religionis causa solum verterant; & in iis Kiesius consul, Iacobus Gerardus thesaurarius, Arnoldus Coemannus, Florentius Gulielmius, aliique, Nec adhuc finis lanienae. VI. Kal. comprehensi praetor Hadrianus Ianssenius: Ioannes Vlietius, & Gerardus Stuverius, Coss. tum senatores, & ductores civitatis; qui Fucam tenuerant praesidiarii, ac vitam salvam fore pacti, per ludibrium fame enecti. Exortae quoque inter Hispanos ipsos turbae, dum de praeda & stipendio altercantur, quae mense proximo a Vitellio vix compositae. Interim pluries in captivos milites saevitum; occisique vario supplicio plus IↃCCCC. at Hispani, ceu egregio aliquo facinore, augent numerum; & interfecta instar CIↃCIↃ. narrant. Hic exitus obsidionis fuit pro libertate tam praeclare toleratae; in qua fortiter extrema omnia passi obsessi, & tormentorum CCIↃↃCCLVI. ictus excepere; qui antea circiter CIↃCIↃCIↃCIↃ ferro ac fame ad CIↃIↃ. redacti. Sed obsessoribus haec victoria nullo modo incruenta; quippe caesi praestantissimi belli duces numero multi, & gregariae militiae CCICↃCIↃCIↃ. Lazari Mulleri legio VII. Eid. Sext. ejerata Auriaci militia, quum vitae gratiam impetrasset, a CLX. equitibus in Gelriam deducitur. Quod ubi Sonoio exploratum, qui Deiemenum aggerem tenebat, duce Gualtero Hegemanno III. triremibus sclopetarios aliquot imponit; isque statim nil opinantes noctu adortus, antequam sumere arma possent, Hispanis omnibus profligatis, liberatos custodia Germanos ad Sonoium protinus duxit; qui armaturus illos erat, valde pronos, & ulciscendae, ut praeferebant, iniuriae avidos; sed captivis adhuc ductoribus, quum accepta rei fama, extremum supplicium Toletanus minaretur, exorato aegre temporis spatio, Iacobus Steinbachius, Christophorus Vaderus, Schramus Brunsvicensis, & Christophorus Guntherus, ocius ad illos Ioannem Bebecotum, & Alexandrum Murdianum, cum literis mittunt, orantque: *vellent fidei datae meminisse, nec innocentes in periculum vitae adducerent; cogitarent periurii infamiam, & ultorem noxae Deum.* His impulsi, a militia discessere. Pridie Eid. solemni pompa Toletanus urbem intrat, & dedicato Bavonis templo, coram ipso Godefridus Merleus, primus eius loci episcopus, sacrum peragit, certisque capitibus ad servandas ecclesiae immunitates sacramento obstringit. Tunc intermissa mensem unum carnificina instauratur; civesque multi, cum ductoribus Belgarum magno oppidanorum dolore, Scotam adducti; dein protracti e valetudinario milites vulnere aut morbo imbelles, in area subiecta capitis supplicio afficiuntur; mox diplomate promulgato reliquis omnibus praeteritorum gratia facta pronuntiatur; tantum LVII. excepti, eorumque nomina edita; atque ex illis VI. occisi. III. in custodia exspirarunt. I. cum II. Sebastiani Craenhalsii filiabus permutatus, Ioannes Vlietius, molitoris veste occultatus, deceptis custodibus clam evasit; reliqui in carcere habiti, indies mortem exspectantes, mense Novembri Amstelodamum sunt devecti, illic iussu Albani occidendi; nisi Bossuvii consanguinei, qui tunc Hornae in vinculis haberi, liberationem impetrassent. Vrbi captae cum praesidio Germanorum Licquius imponitur. Sed hanc cladem mox Gertrudisberga pensavit; quam Poietus, conscenso ad portam Bredanam muro, excubiarum raritate, sine negotio occupavit. In praesidio signa II. Belgarum erant; eaque fere obtruncata; civem neminem victor laesit, ac data Tserartsio praefectura. Harlemo capto, castra Hispanus Alcmariam transtulit. Monuerat pridem omnes in eo tractu urbes Auriacus, sedulo sese communirent; ac maxime illa, quae tunc prima hostem sustinere deberet. Muniendarum urbium curam Philippo Vander-Ano dederat, Iacobo Cabeliavio Alcmariae praefecturam; sed is quum intromitti vellet, cum una saltem cohorte sua, restitit paulisper magistratus, aegreque tandem Auriaci suasu intromisit; ac vix id factum, quum ecce Hispani pedites CIↃCIↃ. equites CCC. urbem cingunt; contra quos erumpentes praesidiarii levi praelio mox decertant, & suburbio iam occupato expellentes id incendunt. Biduo post motis castris, exusta Egmunda, & pecore copioso abacto, rursum se Harlemium recipiunt, ac ceteris copiis, illic tumultuantibus, se adiungunt. Albanus tam longa Harlemi obsidione attrito vehementer aerario stipendia solvere militi non poterat, cui XXVIII. menses debebantur; ex Hispania a multo tempore nil adlatum; & exiguum, quod provinciae tribuebant: quas si paullo magis premeret; periculum erat, ne etiam ad Auriacum deficerent; deinde, ut brevi potestatem

CIↃIↃ LXXIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIII tem depositurus, ne tentare quidem voluit. Igitur publicato Vltraiecti diplomate, iterum regis clementiam praedicat, & *paratam cunctis veniam, si ad antiquum obsequium redirent; quod si rebellare pergerent, extrema omnia exspectarent*. Et quamquam blanditiis istis, aut minis nihil effectum; adflictus tamen tunc Hollandiae, & potissimum borealis, status erat; tantusque passim metus invaserat, ut rebus suis convasatis plurimi fugerent. Hoc quum Auriaco Sonoius, reip. causa anxius, indicaret, is rescribit: *nollet animum despondere; ac virtutis suae retinens porro omnia adcuraret. Obnoxias casibus res humanas; nec ideo tamen cuiusquam constantiam impelli debere: multum quidem in Harlemo liberando momenti fuisse, eamque in rem quid vis tentasse; sed eo iam capto de rep. desperare, nec viri illud, nec periti rerum esse. Restare urbes adhuc plurimas, longe sane muniores, & extrema pati certas: quamobrem confideret coelo; ac, si spes omnes profligatae plane essent, affuturum e machina Deum, periurii, & saevitiae ultorem. Quod stipendia in mensem quemque curanda putaret, id profecto demirari. Quem enim regum, aut imperatorum unquam feciſe? & nec apud Albanum fieri exploratum; qui menses* XXVIII. *Hispani debeat; porro, quando freto australi occupando classem hostis adpararet, daret operam, ne quid hic resp. detrimenti caperet. Fortiter Zelandos facere, qui Rammekenum expugnassent; horum exemplo animum firmaret; nec remp. aut virtutem suam desereret*. Iam Alcmaria, uti dictum est, castra sua Hispani moverant, & oppidanis datum respirandi tempus; idcirco literis aliis datis Sonoium Auriacus, & Borealis Hollandiae Ordines, serio monet: *uterentur occasione, & Alcmariam, egregium tractus istius propugnaculum, annona ac praesidio firmarent*. Tum seorsim magistratui quoque scribit: *necessaria omnia curarent, impensam ex aerario publico recepturi*. Itaque illico de commeatu sibi prospiciunt, & oppidanis quoque singulis frumentum comparandum indicunt. Itidem Leidani faciunt, ab altera Harlemi parte pari intervallo proximi. Per id tempus Amstelodami Albanus erat; ac classem, qua fretum australe invaderet, instruebat: & Billius quoque, agri Groningensis praefectus, cum navibus aliquot cespite instratis, qui subter militem occultaret, Enchusam capere constituerat; sed miles quidam, Sneca per noctem dilapsus, insidias Sonoio prodit; atque is comprehendere quidem omnes speraverat; sed vento exiguo quum tardius adventarent, praecipite impetu effusis oppidanis, evasere; & Bossuvius arcis Medemlacensis praefectum, Cornelium Riswicum per literas sollicitat: *si dedere arcem urbemque vellet: praemium beneficii ingens, & veniam praeteritorum fore; id vero maturandum esse; nam Leidam iam obsideri; & decretum, magnis copiis borealem Hollandiam invadere; igitur ocius, quid facturus, responderet*. Et ille tunc Enchusae aberat; quique literas has adtulerat, se subduxerat; inde redux, convocatu magistratu eas legit; tum, removendae suspicioni, rei gestae Sonoium certiorem facit. Interim Zelandi Middelburgum, Arnemudam, & Rammekenum, magnis animis obsidebant; & Albanus, classe instructa liberare, commeatumque inferre nisus vario conatu, semper tamen frustra fuit. Bellovacus, mari in illis insulis praefectus, cum Mondragonio, paratis LXXX. navibus, mense Augusto iterum tentans, a Carolo & Ludovico Boisotis, fratribus fortissimis, impeditus, mutato itinere ad Westcapellam militem exponit, & annonam propere importat: ac Christophorum Mondragonium, insignem militiae virum, cum Belgarum XV. cohortibus praesidio addit; nihilominus tamen Rammekenum, quum Arnemudam petiisset praefectus, illic vim hostilem metuens, intercipiunt. Ita fervere ubique bellum; nam Albanus, successorem indies exspectans, priusquam decederet, insigni aliquo facinore claram potestatem deponere cupiebat: itaque extremum contra Hollandiam ac Zelandiam omnes undique copias vertere; deinde ad vim fraudem etiam, ac promissa, adhibere; quibus non minore cura ubique se Auriacus opponere, clericorum ac profugorum pariter bonis, ac multiplici tributo populi adiutus; tum IX. viri ordinati, qui illi a consiliis essent, Iacobus Dousa, Paulus Busius, Petrus Wastelius, Iacobus Musius, Henricus Duistius, Gulielmus Ioannes Reinerius, Ioannes Iacobus, Sebastianus Losenius, & Laevinus Kersmaekerus; hisque actuarii additi, Antonius Genitsius, & Henricus Persinius. Per haec Bossuvius classem armare, & in Frisia quoque Billius IV. triremes; ideoque Auriacus exploratum Sonoio indicat, ut se contra ipse instrueret, & anteverteret; ideoque Doco Martina, Frisico mari ab Auriaco praefectus, cum IV. liburnicis Amasiam flumen occupare, ut triremes, Groninga aut Delffilia prodituras, prohiberet. Sed excitata mox tempestas, flante Coro, praeter ceteram hominum, pecorum, segetumque ingentem cladem, omnes tota Frisia naves dissipavit, ac submersit. Dum Bossuvius bello se navali parat, destinato Toletano, qui terra copias alias duceret, legatus eius Tambergius in Waterlandia Brouckam occupat; inde Lansmeram, Sanderdorpam, & Zuderwoudam; ac separati inter se provinciales, intercluso terrestri itinere, nisi freto australi advehere commeatum non poterant; iamque Harlemi, Chiapini Vitelli opera, compositus militaris tumultus; quamobrem ad obsidendam Almariam denuo copias reducere placuit; & XIII. Kal. Septembr. missi a Toletano equites, qui urbem cingerent; primoque adpulsu impositas canali domos II., ubi rhus coriaria parari, ut commeatum interciperet, Medivilla expugnat; sed erumpentes oppidani unam ex iis recuperatam cum II. moletrinis igne exurunt; alteram fortiter propugnante Hispano, & auxilia submittente, coacti relinquere. In ea pugna Medivilla cecidit. Milites, qui ad Scermeram positi, eo loco, quo specula exstat, metu omnes diffugere; qua mu-

CIↃIↃ LXXIII.

munitione potitus hostis, ad extremum canalis clausſtrum mersa nave, commeatui importando aditum obsepsit. Ad rei famam Sonoius Ruichaverium cum sua cohorte in urbem proficisci iusserat; sed, quia desertum ad speculam locum Hispanus invaserat, exclusus fuit. Nec multo post universis copiis urbs obsessa quam arctissime; & Toletanus ipse cum Philippo Noircarmio, Iuliano Romero, Consalvo Braccamontio, Petro Velasco, Petro Toletano, Goignio, Stephano Ibarra, & Valentino Pardaeo Mota, Outdorpii erat; ac circum XLII. cohortes, quibus additae VIII. aliae ex Italia nuper in supplementum missae; tum LOL. equites. Ferdinandus frater cum VIII. cohortibus Huiswertum tenebat; Pulvillerius cum XI. cohortibus pagum Pancratii; ad Koedicam Chevereaulxius, Licquiusque cum XX. Bergae X. sub Capresio, una cum reliquo equitatu. Neoporti XXII. sub Eberstеinio, ac Fronsbergio; universim CXXI. erant, in quibus militum XVICIↃ. In urbe autem, qui tam multis resisterent, valde pauci; & vix unus contra octonos: oppidani cIↃccc. praesidiarii IↃccc. Ad haec inquilini numero exigui, & rustici aliquot, homines belli imperiti, qui ex agris huc confugerant. Statim obsessi ad Sonoium literas mittunt, nuntiantque: *etsi undique aditu pene intercluso, & munitione ad speculam amissa, hostem tamen substinere, & extrema quaeque paratos. Quando autem maiore praesidio, ac pulvere nitrato, reliquoque instrumento indigerent, ut quam primum suppeditaret; tum consultum arbitrari, ne ulterius hostis irrumperet, ut obpositum mari aggerem perforarent.* Ad has literas ille respondet: *indolere ipsorum casu, atque ad primum rei nuntium Ruichaverium destinasse, qui praesidium urbis firmaret: sed hunc relicta suorum metu specula, introitu prohibitum fuisse; nihilominus non labori, aut sanguini quoque suo parciturum, ut liberare obsessos posset: ac iam Auriaco perscripsisse, & consilium, ac suppetias postulasse. Confiderent autem, & viri essent; quodque de maris aggeribus scripsissent, si res exigeret, factum iri; & iam ante, ut emissaria panderentur, ultro mandasse.* Dein ad praefectum Cabeliavium eiusdem argumenti literas addit. Etiam vicinae urbes hortari: *ne capto Harlemo consternati animum abiicerent; quin causum publicam cogitarent, & pro patriae libertate fortiter pugnarent; omnino fore, ut iugum Hispanicae servitutis brevi excuterent: nam cum copiis longe maximis e Germania Ludovicum Nassovium adventare:* Ea res animum oppidanis confirmavit. Interim Sonoius nil praetermittere, quod ad Remp. pertineret; & omnibus modis creditam sibi borealem Hollandiam communire satagebat; utque arcere hostem posset, quatuor locis provinciam munit; & castellis Rustemburgi, Broucae, Schoreldami, ac Crabbendami excitatis, qui diu noctuque excubarent, cc. aut ccc. singulis imposuit; dein Oterlicum, ob navatam Hispanis operam, quum primum ad urbem obsidendam venissent, exuri iussit; & Auriacus duce Gardio auxilia misit, Germanorum Gallorumque cohortes VIII. Hispani sedulo valium promovent, & quum fossores deessent, cives Harlemo evocatos circiter ccc. inclementi per ipsa initia imperio, quum benigne haberi miseros aequum esset, tristi ministerio deputant. At oppidani, quam nil timerent, crebris eruptionibus sunt testati. Inter cetera XVII. Kal. Octobr. proximam urbi munitionem valide turbant, & regressi Ioannem Hieronymum captum adducunt; qui consilia Toletani obsessis prodidit: *monitum esse a patre Albano, si urbem tertia obpugnatione capere non posset, mature discederet, & in Brabantiam copias reduceret; ideoque statuisse, quatuor simul locis impetum facere; eamque in rem pontes omnes, & apparatum pugnae reliquum presto esse. Priusquam autem obpugnationem incipiat, murum urbis ad portam Frisicam, & turrim rubram, multis tormentorum ictibus deruturum; ad partem Australem pontem fossae iecturum; atque ad salinas navibus rem gesturum; ac quidem, si vi expugnet, omnes ad internecionem caesum iri.* Et postridie visa initia; posita contra portam Frisicam tormenta IX. contra turrim rubram VII. sed terra ea parte argillosa, & depressa, crebrisque pluriis, ac per emissaria aperta immissis aquis pene submersa, multum hic impedimenti habuere; mox pontes quoque, & cetera oppugnationis instrumenta ostentari. XIV. Kal. Octobr. post cIↃ cIↃxxxvI. ictus tormentorum edita ingenti ruina ad portam Frisicam, & turrim rubram, III. horis post meridiem ingens sane certamen coepit; utrinque animis pro victoria, aut libertate obstinatis; utque maiorem oppidanis metum obsessores incuterent, & vires distraherent, ad portam quoque Caninefatum, & salinas, instaurare pugnam velle simulabant. Obpugnare urbem iussae legiones II. quibus Lopesius Acuna, tunc Harlemi fato functus, pridem praeerat. Quicumque in ruinam evaserant, interfecti; IV. fere horis pugnatum est; quum pauci, multo plurimis oppositi, urbem suam intrepide defenderent; nec loco cedere quisquam visus, nisi caesus, aut graviter saucius. In partem pugnae feminae, virgines, pueri denique, pari adfectu adcessere; & arma alacres ministrare, saxa, uncos, circulos candentes, oleum, picemque ardentem; liquidum plumbum, ferventem aquam, & calcem vivam. Bis Hispani pugnam renovarunt, & fortissime toties deiecti ad turrim rubram maiore incommodo ab defensoribus pugnabatur; nam ad salinas tormenta II. constituta terga illorum feriebant; nec quicquam tamen ideo territi, hostem a fronte magna virtute oppugnantem constantissime repulerunt. Cecidere ex obsessoribus cIↃccc. interque eos Didacus Felix, & Franciscus Bobadilla. Blascus Nonius Carvaialis, quum strenue aliquamdiu pugnasset, tandem sclopeti ictu deiectus, non multo post ex vulnere obiit. Tanta autem strages erat, ut Manuel Cabeca Iaca, instaurare oppugnationem iussus, eniti per cadaverum acervos non potuerit. Ex obsessis, quod vix quis credat, tam fervente & longo conflictu,

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIII. xxxvii. tantum desiderati. xiii. praesidiarii, & oppidani xxiv. plures, ut ex hoste quoque, vulnerati. Exin de urbe capienda obsessores desperare; invito ultra pugnae milite; cuius virtus neque praemio, neque minis excitari deinceps potuit. Quin nonnulli, quia ad urbem obpugnandam iterum perduci non possent, a ductoribus interfecti. Sonoius, ut obsessis succurreret, emissaria aperire Fridericum Sevenderium iusserat. Isque id Zipae, Crabbendami, & Ertswoudae, etsi obnitentibus rusticis, procuraverat; tum adlatae quoque literae ab Auriaco, quibus virtutis ergo collaudatos porro ad constantiam hortatur, & auxilia certa promittit; aggeresque, si necessitas ita postulet, quod nocturnis ignibus indicarent, perfossurum. Atque id Sonoio quoque nuntiat; sed qui has ferret, quum ad urbem adcessisset, ab excubiis deprehensus, territusque, ut se eriperet, eas abiecit; itaque in manus Toletani pervenere; & in bonum casus vertit; nam etsi literas interceptas aegre sane obsessis accideret; tamen hostis, qui consilii poenitentia iam de discessu cogitare, eo magis, immissis aquis mergi veritus, cedere compulsus; ideoque tormenta mature deduci coepta ac navibus imposita. Deinde ineunte Octobri soluta obsidio; quum Toletanus, tributis in hiberna copiis, Amstelodamum ad Albanum patrem concessit. Oppidani ea aerarii inopia erant, ut pecuniam e stanno cuderent, quam liberata urbe permutarent. Eo ipso tempore Ioannes Cerda Medinacaelius, qui, successor Albano datus, potestatem detrectaverat, rursum in Hispaniam concessit; destinatusque Ludovicus Requesensius, ordinis Alcantarensis princeps, Mediolanensiumque praeses Dum autem Alcmaria adhuc obsidetur, ut undique Hollandiam borealem premerent, classe instructa rem Bossuvius gerere statuit; & quamvis demersis aliquot navibus foederati satis obseptum exitum putarent; ac pridie quidem Eid. Sept. frustra conatus fuisset, ipsis tamen Eid. feliciter cessit, Yamque ingressus est. Ducebat liburnicas magnas xiii. in quibus cohortes Hispanorum vi. impositae, ducibus Garsia Suare, Antonio Avila, Corcuera, Texeda, Alfonso Aiaia, & Martino Oarce; adhaec Germanorum Belgarumque aliae plures; quibus praefectus Franciscus Verdugus. Primam aciem Ioannes Simon Rollius ducebat cum cohorte Corcuerae. Cum his copiis Scellincwoudam acriter obpugnatam capit, & pleraque in illo tractu castella; ac Hispanos Germanosque praesidio imponit: ac Scellincwoudam Henricus Brouchusius satis strenue propugnabat; sed quum naves deseruissent, nudamque ita munitionem hostis, undequaque invaderet, ad deditionem adactus, Monachodamum se recepit. Ea clades Foederatos valde anxit; nec tamen, salva adhuc classe, desperatum. Igitur quam festine possent naves xxiv. armant, sed tormentis parum instructas, quae in castellis expugnatis nuper hostis interceperat; quamobrem ad Auriacum scribunt, & maturari auxilia rogant.

A Bossuvius tot locis potitus, ea postridie collustravit, inde Verdugum ad Albanum misit, qui regionis situm ei narraret, nec multo post ipse quoque subsequutus iterum Amstelodamum abiit collecturus plures naves, ut classem Foederatorum sternere, & fretum australe eripere posset. Bosuvii classem Billius adiuvare iussus, x. naves iam paraverat; sed conantem Doco Martina, Flevo antea occupato, impedivit. Itaque iii. Non. Octobr cum xxx. circiter navibus oram solvit. Praetoria eius munitissima, & vi nulla, ut videdebatur, expugnabilis; tormenta imposita grandiora xxxii. & praeter frequentem nobilium comitatum, item nautas, milites cc. nomen illi omnino invisum pariter, & infelix, inquisitio; quam per vim invectum ibant; itaque contra Foederatos profectus, quatriduum totum levibus tantum praeliis lacessivit; & applicare quidem naves, ut comminus pugnarent, foederati cupiebant; sed subterfugere Bosuviani, & pugnam protrahere; tormentisque instructiores, plurimis ictibus eminus debellare malebant; ac quanquam id sollicite agebant, unus tamen e Foederatis, Iacobus Tilius, Schulemburgii Bosuviani navem applicans, post acrem conflictum expugnavit; caesisq; vectoribus L ipsum Schulemburgium captum cum vii. aliis Hornam sub custodia misit. E suis vix ii. desideravit; tandem iii. Eid. mensis eiusdem utrinque atrox praelium fuit; & praetoria Foederatorum in Bosuvianam invecta, telis omnibus, & calce viva e corbe mali in oculos Hispanorum deiecta, vehementer oppugnavit. In principio ad Bosuvium inclinare victoria visa; sed mox restauratis animis, ubi fortius Foederati incubuere, naves eius dissipatae, in fugam sese coniecere; una, qua Texeda vectus, perforata, cum vectoribus cunctis periit. v. quae vadis obhaesere, interceptae; ipse noctem insecuquam, diemque proximum, fortiter pugnans, cum propugnatores xv. vix restarent, aegre se hosti permisit; itaque captus Hornam abducitur, & cum eo primarii viri, Cruningus, Weldamus, Pinsenius, Hardenbroucquius, Numanus, Corcuera, Lopesius, Wervius, Quesnoius, alii; capti item gregarii milites ad ccc. e quibus c. Hornam quoque, cc. vicinam Enchusam avecti; vexillum praetoriae in templo ab Hornanis subspensum; & Deo publice per provinciam grates dictae. Bosuvius cum in urbem adduceretur, per contumeliam acclamare oppidani: *Roterodamensis lanienae auctorem esse, eodem animo contra ipsos nunc profectum, meritis paria acceptarum*. Illic in carcere per triennium adservatus, tandem constituta Gandavi pace liberatur. Qui fuga evaserant, huic cladem imputare, & apud Albanum accusare; idque quum aegre admodum ferret, a Sonoio & provinciae Ordinibus petiit, uti, refutandae calumniae, ad Albanum mittere liceret; & orationem non inquam facile obtinuit, ista lege, ne quas literas, nisi prius inspectas, daret. Sub hoc fere tempus Albanus in Germania emi pulverem nitratum iusserat; isque ad quinquaginta clb. pondo curribus impositus,

CIↃIↃ LXXIII.

CIↃIↃ LXXIII. situs, quum in Palatinatum devectus, a Ioanne Casimiro, & fratre Christophoro deprehensus in via esset, illi ignem sua manu iniecere; dein scripto publico factum professi, causam quoque addidere: *ne Albanus, etiam Germaniae hostis, ad Belgarum caedem uteretur*. Is autem, ut bello prosequendo necessaria curaret. Ordines Belgii convocaverat; quod ubi Hollandis, ac Zelandis, intellectum, literas suas eo destinant, hortanturque: *ne Tyrannum contra se, amicos, & fratres, adiugarent; quin laboranti reip. potius succurrerent, & libertatem Belgii universi, tam foede obpressam, vindicare fortiter auderent; nec ultra viris, & bonis civibus, indigna paterentur*. Tum Philippum quoque regem longa epistola supplices orant: *miserius populi fidelissimi, & obsequentissimi, vim Albani, ac tyrannnidem intolerandam, unicam belli huius causam, semel compescceret; dein conscientiae libertatem, & Belgii sui privilegia ne everteret; militem quoque omnem extraneum, ad securitatem publicam, revocaret*: Tum principes etiam orbis Christiani implorant, *fidei suae, & obsequii testimonium ut perhibeant: ac dent operam, ne, quod saepe per fraudem factum, huius epistolae lectione rex prohiberetur*. Extremo Octobri, quum deserta Alemaria esset, obsideri Leida coepta; idque Francisco Valdesio mandatum; qui cum legionibus II. & IV. Germanorum cohortibus, equitumque alis VII. via Harlemensi ire iussus. Insuper Iulianus Romerus cum aliis legionibus II. & Germanorum Belgarumque signis aliquot. littus legens Hagam contendit; quam munire Foederati properabant; sed opere inchoato oppressi diffugere; tum occupatis circum pagis, Maselantsluisam etiam capit, & in ea Philippum Marnixium Aldegondium; primariae nobilitatis virum, ac summi in rep. loci; quemque tanti Auriacus aestimare, ut Sonoium illico iuberet eadem omnia Bosuvio facere, quaecumque ab hoste ille peteretur. Cum eo Ioannes Pettinus captus, & Vltraiectum uterque adductus, ut in arce adservaretur; annoque proximo, Middelburgo expugnato, pro captivo illic Mondragonio permutatur. In Hollandia boreali post tam insignem victoriam, hosti incumbendum rati, varia agitabant; & inprimis, portum Harlingensem obstruere; ne inde naves suas Billius in fretum australe educere posset; sed orta classiariorum seditio consilia omnia perturbavit. Huc accedere Sonoii morbus, adeo gravis, ut medici quoque desperarent; inde ac classiariis semevre deberi; turbae; ad quas componendas missi Henricus Meisterus, Iacobus Taiardus, & Fridericus Otho, vix tandem id effecere. Tunc etiam a Gerbrando Verdunio ad Theodorum Elbertum, consulem Hornanum, literae Vltraiecto datae, quibus nuntiat, *a Noircarmio, qui illic ageret, monitum esse, ut bona fide pacis conditiones obferret; decessurum brevi Albanum, nec ultra ab eo metum fore; agerent cum proceribus Belgii, subscripturo pactis rege*. Has ille literas, prius collegis suis ostensas, inde ad Auriacum mittit; & captivo illic Bossuvio etiam exhibet; isque mox quum ad Noircarmium scriberet: *literas se has vidisse* refert, *& ad Auriacum missas esse; neque enim illo inconsulto quicquam omnino factum iri; gratum quidem pacis nomen universis; & fortasse, si conventus aliquis daretur, non difficilem. Diffidere tantum, cum Hispanis certam ac securam fore; recentem Gallicanam pacem ob oculos esse, cuius etsi longe alia ratio existat, vix quisquam tamen persuadere contra possit*. Dum haec geruntur, Ludovicus Requesensius, qui Albano successor datus, XV. Kal. Decembres Bruxellas venit; cui provinciam, & exercitus, ille tradidit post sexennii ac trimestris praefecturam; ac postridie Kal. filio Toletano, equitumque alis quinque comitatus, facto per Lotharingiam, Sequanos, & Allobroges itinere, in Liguriam abiit; & inde, conscensis Genuae triremibus, in Hispaniam porro profectus; ubi a rege, contra quam multi existimaverant, perbenigne sane acceptus. Ita cum anno Albani in Belgio imperium desiit; quod Parmensis moderatione quum tranquillatum accepisset, abrupto rigore valde turbavit. Erat certe vir praeclaris animi dotibus, & armorum laude inter magnos belli duces collocandus, nisi superbia, avaritia, ac saevitia, gloriam omnem corrupisset. Belgium pridem florentissimum, eiusque opes, & libertatem pessum dedit; eque bonis provincialium publicatis florenorum milliones annuos VIII. in fiscum redegit; tum bello ad provincias opprimendas excitato, & exactionibus variis longe iniquissimis, ut nonnulli computarunt, milliones LII. perdidit. Vt vero fortunas hominum pro libidine, sic & capita eorum habuit; adeoque ipse sub discessum, tamquam administrata egregie provincia, gloriatus alibi dicitur: *uno illo sexennio suo, lictoris manu*, XVIII CIↃ. *ac* IↃC. *mori iussisse; praeter eos, quos bella, aut praesidia hausissent*; & Vergas tamen, saevitiae insignis administer e Belgio cum eo discedens, dicere ausus: *nimia id misericordia perditum isse*.

CIↃIↃ LXXIII.

BENIGNE LECTOR.

DEdi nuper Librum Vnum DE INDVCIIS, *cuius quum iam exemplaria passim desiderari intelligerem, visum fuit ad prelum revocare. Et facturum satis commode me putavi, si eodem hic volumine belli Belgici celeberrimi principium ac finem simul tibi repraesentarem. Itaque hoc addere ad finem placuit iterata editione. Hoc consilium meum non te improbaturum arbitror.*

RE-

Digitized by Google

RERVM BELGICARVM
LIBER QVINCTUS
IN QVO
INDVCIARVM HISTORIA.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS AC POTENTISSIMIS DOMINIS

D. D. ORDINIBVS

GENERALIBVS FOEDERATARVM BELGII PROVINCIARVM PATRIAE PATRIBVS

IOANNES MEVRSIVS

DEDICO, CONSECROQVE.

ILLVSTRISSIMI, POTENTISSIMIQVE DOMINI.

EN vobis Hiſtoriae meae ſpecimen, aut potius veſtrae, quam de rebus veſtris ſcripſi. Liber quidem mole non magnus, neque inde eum aeſtimari par eſt; ſed argumento, quo commendare ſe vobis non erubeſcit. Certe propter illud, ſine invidia dixero, legetur Poſteritati, & placebit. Legetur, & in admirationem lectorem abripiet, quum tam praeclarum hunc tanti belli colophonem videbit. Obſtupeſcet, qui quadraginta retro annos, eorumque procellas ac tempeſtatem cognoverit, in hanc felicitatem enavigaſſe Remp. veſtra virtute atque conſtantia. Et profecto, quidnam in rebus veſtris non admirandum? Non palpum obtrudam, & ab adſentationis crimine me veritas liberabit. Pro libertate publica, quae graviſſime praeter ius fasque omne obpreſſa arma cum laude magna ſumſiſtis, maiore geſſiſtis, maxima poſuiſtis. Nam quid accidere vobis glorioſius poterat, quam ut bellum animo maiore quam ſpe inchoatum, tam ancipite alea tam diu continuatum, ſalva libertate, pro qua pugnabatur, finiretis, idque praeter exſpectationem. Videte ordinem occultum rerum! bellum illud atrociſſimum, cui ſe amiſſa iam ſpe irritata patrum virtus accinxerat, praeter ſpem omnem compoſitum habetis. A miraculo calamitas publica incepit, in miraculo deſiit, & ſe cum felicitate nunc item mutavit. Nimirum ubique animadvertitis praeſentem Deum. Iterum dico, hanc Rempublicam veſtram quis non admirabitur? immo qui ſatis? quum in illa admiranda ſint omnia, initia, progreſſus, finis. Vos & feciſtis fortia, & paſſi eſtis; & praeclariſſima virtutis exempla, quae ſaecula ventura acciperent, edidiſtis. Repraeſentemus parumper praeteriti temporis intervallum, & quodvis momentum palaeſtram dabit, in qua conſtantia ſe veſtra exercuit, illa magna, illa invicta, quae

--- per damna, per caedes, ab ipſo
Duxit opes animumque ferro.

Foris ſemper graviſſimus hoſtis, domi ſaepe etiam advocata auxilia, eripere Remp. minabantur: & quum ad obprimendos coniuraſſe undique omnia viderentur, animum tamen ſemper ſervaſtis, libertatem vindicaſtis, & per tam varias, tam ingentes turbas, tranquillitatem reduxiſtis, laetam rerum faciem repoſuiſtis, iſtis induciis, quas exiguo hoc libello deſcriptas vobis exhibeo. Adgnoſcite hic praeſtantiſſimum virtutis veſtrae fructum; adgnoſcite beneficium, quo patriam obſtrinxiſtis; quod pretium non habet, quod nulla laus aequabit, nulla aetas obliterabit. Adgnoſcite coronam magnanimae patientiae, quae lauros omnes antecellit. Ego libellum hunc teſtem Memoriae conſecro, & Poſteritati; vos illum oculo benigno aſpicite; item me clientem ac ſubditum, ex vetere formula, devotum.

Ita vobis, Illuſtriſſimi, Potentiſſimique Domini,

Deus Opt. Max. libertatem, potentiam, gloriam augeat, ac conſervet, ad nominis ſui ſanctiſſimi honorem, & Reipublicae veſtrae ſalutem.

Lugduni Bat. Kal. Septembr. CIↃ. IↃ. C. XII.

LECTOR CANDIDE.

HAbes ecce Rerum Belgicarum librum unum, & in eo Induciarum hiſtoriam, preſſim pertractatam; nam ut diffunderem me, viſum non fuit. Iudicio abſtinui, & natura quoque, qua magis placet illa adſtricta brevitas, Saluſtio ac Tacito uſitata, quam Aſiatica quadam luxuria diffluens dicendi ſcribendique genus. Et notum eſt elogium Perſii:

Saepius in libro memoratur Perſius uno,
Quam levis in tota Marſus Amazonide.

Curae autem mihi in primis duae fuerunt; & ne quid dicendum non dicerem, & ne quid dicerem, non dicendum. Vtrunque ſi praeſtare non potui, bona voluntate excidi; & poſtremum ſi cavi, operae me pretium feciſſe exiſtimo. Quippe in hiſtoria ſcribenda, plane ut in vita agenda, ſumma circumſpectio requiritur. Multa enim ſaepenumero interveniunt, cum in Rep. adminiſtranda, tum in bello gerendo, aut pace componenda, quae hiſtoriae dignitatem non attingunt, neque poſterorum memoriae mandari debent. Sic in hac Induciarum tractatione plurima acciderunt, quae poſteritas ſcire non laborabit, & ad hiſtoriam quoque non pertinent. Itaque ſatius duxi, circumſpecte brevis eſſe, quam parum prudenter in magnam molem opus diffundere; quod garrire, hiſtoriam eſt non narrare. De cetero, hoc etiam operam dedi, ut quemadmodum ſimpliciter, ita vere rem geſtam ſcriberem; & feci, idque libere alibi, ſed ex hiſtoriae lege, non animi adfectu. Nam mens recta, ubi res exigit, cum offenſa quamvis, verum dicere audet. Hanc ingenuam libertatem qui ferre non poteſt, is ſe accuſet. Pluribus non te morabor: hoc unum peto, uti iudicium ſine adfectu mihi praeſtes. Vale, &, quiſquis es,

AETERNITATEM COGITA.

Digitized by Google

RERVM BELGICARVM

LIBER QVINCTVS.

BELGICO bello finiendo tentata aliquoties pax fuit, sed quam semper fraus Hispani instabilem fecit; cui decretum, virtute an dolo, evertere populum, ut interpretari ipse, maiestatis reum. Et effecit ea res, ut pacem postea saepe oblatam, adnitente nequicquam Caesare, ceu damnosam Foederati adspernarentur. Tandem tamen, sed vindicata libertate, animum inclinant, & inducias paciscuntur annorum XII. ingenti quidem illas molimine, & dubio aliquamdiu eventu; verum enimvero tam grave ac diuturnum bellum, tantis hinc inde animis gestum, nisi difficulter, componi non poterat. Ac initio inter Ordines ipsos dissensus; & bellum hi praestare publice, isti pacem, contendebant: bono utrique in Remp. adfectu; tum in populo quoque partes, prout studia, aut consilia. Negotii autem universi principia, progressus, finisque, ad hunc se modum habuerunt.

PErtaesus iam bellandi Hispanus, adversus populum pro libertate agere quidvis, & pati certum, quum arma ponere in animo haberet; gnarus, uti vetus verbum est, melius pacem sub clipeo procedere, ut cum dignitate faceret, ultimas postremum vires tentare statuit. Idque quum fortiter pariter & feliciter feciſſet, iamque ulterius perrecturus putaretur, prudenter fortuna utendum ratus, pacem obtulit. Venit primo eam in
CIↃIↃ CVI. rem Hagam Comitis anno CIↃIↃCVI. Walravius Wittenhorstius, toparcha Horstii; sed re infecta dimissus, rediit desinente Decembri cum Ioanne Gevarto, I. V. L. & indicavit: *mandatum sibi, de pace ut ageret, ad quam Archiduces, fessi bellorum cladiumque, totis animis inclinarent, idque aequissimis conditionibus, & quas reiicere Foederati neutiquam possent; nihil ipsos postulare, nisi quod iure optimo liceret; proinde peterent, quae ad securitatem suam pertinere arbitrarentur; ipsos omnia, si aequa vellent, rata cupere. Igitur, sive pax placeret; sive induciae, locum tempusque conveniendi destinarent, idque gratum ipsis fore. Quod si clam quoque, & per paucos, quam propalam agere mallent, itidem paratos esse, acturosque optima fide.* Sed ne sic quidem aliquid effectum est. Nam quum literas ad Foederatos nullas haberent, ulterius progre-
CIↃIↃ CVII. di non consultum videbatur. Quamobrem confestim Bruxellas profectus Gevartus literas petiit, quae de Archiducum voluntate ad pacem propensa fidem facerent. His adlatis, dari sibi senatum rogarunt; eoque concesso, Foederatis iussa exponunt, adhortantes: *considerarent aleam belli valde incertam,* CIↃIↃ CVII. *ac pacem tandem, aut inducias, amplecterentur: & pristinam Belgio tranquillitatem felicitatemque restituerent.* Ad quae respondere illi; *quamdiu in foederatas provincias Archiducés aliquod ius praetenderent, nihil sane effectum iri; quippe de libertate sua orbi universo constare, neque in eam aliud quicquam ipsis competere, quam quod vis, atque arma, dedissent; quin sibi potius recuperanda ea esse, quae per vim fraudemque erepta, violato solemni edicto, quo gravissimis iustissimisque de causis in libertatem adsertum esset Belgium; quodque res plurimae, annis XXV. proximis publica auctoritate gestae, contractusque cum Europae aliquot regibus ac principibus potentissimis, confirmassent. Quamobrem in praesens nullum illis responsum dare aliud posse, quam quod Caesari, aliisque principibus, ante id temporis dedissent; nimirum, neque pie sese, neque honeste, neque tuto agere quicquam cum iis posse, qui contra edictum hoc in provincias suas praetendere aliquid non desisterent; testari porro, non sibi imputari debere, si quae incommoda deinceps ingruant, dum ad causae longe iustissimae defensionem arma retinent.* Ita dimissi discesserunt, mox responsum relaturi. Postea per literas Wittenhorstius iis nuntiat; *non hanc Archiducibus mentem, ut meliorem conditionem suam faciant, aut aliquod denique in provincias foederatas ius praetendant; sed salvum libertatem fore; itaque, si vellent, agere hoc pacto paratos esse.* Extremo Februario in Hollandiam venit Ioannes Neius, summus ordinis Minorum praefectus, & Riswici, qui pagus Haga dimidio milliari distat, clanculum commoratus, ideo se missum indicavit, ut exploraret, quae causa inutilem Wittenhorstii operam reddidisset; privatimque cum Mauritio colloquutus, Hagam accedere iussus est; ubi, sermone cum quibusdam communicato, iterum admissus declaravit: *non Archiduces ius suum hic auctum velle, non Foederatis derogatum;* Quumque significatum esset; *necessarium plane fore, ut statum hunc illi liberum agnoscant, pronuntientque, si effectum quicquam vellent;* ut caedibus porro ac rapinis parceretur, operam daturum se promisit, qui id ipsis persuaderet. Ivit itaque, rediitque cum hoc responso: *Archiducibus nihil magis in votis esse, quam pacatum semel tandem Belgium videre, ea propter foederatarum provinciarum libertatem omnino agnoscere, neque quicquam in illas iuris sibi adscribere; eoque nomine agere quoque cum ipsis velle, sive de perpetua pace, sive de induciis, ad XII., XV. aut XX. annos, ex arbitrio Foederatorum, & negotio pertracta-to* VTRINQVE VTI POSSIDERENT, ITA POS-

CIↃIↃ CVII. POSSESSVRI ESSENT: *nisi communi consensu urbium locorumve quaedam permutatio instituenda videretur. Delecturos huic rei indigenas esse, quibus parem quoque numerum ipsi opponerent, tempusque ac locum suo arbitratu caperent, Vtque melius negotium procederet, armistitium ad proximum octimestre indictum velle, quo utrinque obsidio nulla tentaretur; neque invadere locum quemquam, aut excurrere praedae causa miles quoquam permitteretur: munitiones etiam novae nullae fierent; quin porro item effecturos, ut intra trimestre consensum Hispaniarum regis, eumque scripto consignatum, sint habituri; ea tamen lege, ut intra octiduum Foederati armistitium ratum habeant: ante ineuntem vero Septembrem de negotio universo, eiusque tractandi loco ac tempore decernant, idque etiam scripto testentur.* Foederati conditionibus his auditis re cum Mauritio & Senatu communicata, libertatis agnitionem, & armistitium, ceteraque placere sibi responderunt. Inde urbium munitionumque suarum praefectos certiores statim faciunt, & arma ponere in proximos octo menses iubent. Tum, ut inchoato negotio daret eventum, sacrosancto nomini suo glorioſum, reique publicae salutarem, supremum Numen veneraturi, solennem precibus ac ieiuniis per provincias diem indicunt. Circa XXIV. vero Aprilis mittunt Theodorum Verdoesium una cum literis, quibus armistitium octimestre probari sibi testarentur; & ibidem in rem eandem literas Archiducum accipere iubent; quas Neius mox adtulit; sed solennibus neglectis scriptas quum recipere gravaretur, Bruxellas ille confestim misit, qui alias convenienter scriptas procuraret. Id ubi factum, domum rediit comite Neio, cui commissa interpretatio; eique cum senatus aegre datus esset, de finibus armistitii actum, enuntiatumque: *per Oceanum ad Hesperidas usque insulas se id porrigere; & initium quidem futurum a* XIV. *mensis Iunii; post quod tempus praedas omnes, praeter instructas bello naves, reddendas esse; tum classem quoque, Hispaniae littus infestare iussam, simul literae, quae rem gestam approbarent, inde adferrentur, illico revocatum iri.* Porro ut mari, ita terra distincti etiam utrinque limites, quibus miles contineretur. His ita actis, Neius abiit; magnumque toto Belgio gaudium, cum votis omnium, precibusque, daret Deus semel tandem finem bello tam diuturno, & cruento. Quin & in vicina regna delatus rumor admirationem non exiguam excitavit, quum tam subitae mutationis causa nesciretur, credique non posset, adeo vel Archiduces debellatos esse, vel tam incautos Foederatos, ut aut illi tam magna offerre, aut hi bona fide oblata credere animum inducerent. Augere admirationem istam secretum rei, quae nec per legatos explorari posset; tam paucorum utrobique negotium erat. Itaque a Galliarum rege missi, praeter Paulum Buzenvallium, ordinarium tunc legatum, Petrus Ianinus, & Elias Placaeus Russius, qui voluntatem erga Foederatos propensam commemorarent, & constantiae testandae, vel proferendo deinceps bello iusta auxilia, vel paci contra componendae consilia promitteret; cuius fructum ut integrum caperent, auctoritate illos sua se adiuturum; peterent item, ut aliqui ex ipsis deligerentur, cum quibus conferre sermones, & providere pariter possent, ne quid Resp. detrimenti caperet. Ac placuit sane haec legatio, & decretum, uti manerent promovendo negotio, deputatique cum quibus agerent. Simile auxilium etiam a magnae Britanniae rege orare visum est; missique eo Ioannes Berckius, urbis Dordracenae syndicus, & Iacobus Maleraeus, Heiesius, cum ordinario illic legato, Natali Caronio Schonewallio; qui honorificentissime excepti quum mandata exposuissent, responsum a rege retulerunt: *collaturum libenter, si quid profuturum ipsis videretur; eamque in rem Richardum Spenserum, & Rudolphum Winwodum, equestri utrunque dignitate, destinasse.* Per id tempus laboratum ab Archiducibus, ut quaecumque hactenus egissent, quaeq; porro acturi essent, rex Hispanus rata haberet: ideoque adlatae a Birago, qui Spinolae ab epistolis, litterae eius; quibus & rata habere se omnia, & regia fide observaturum, adseveraret. Eas literas, commeatu impetrato, detulit exhibuitque Verreickius, rogans insuper, uti classem, quae Hispaniae oram infestaret, revocarent. Vbi apertae hae, lectaeque, fraus deprehensa est: *quam incuriam scribae factam* Verreickius dicere; *Bruxellis quoque animadversam ab Archiducibus; qui tamen, testandae fidei, quando iis approbatio universalis contineretur, vel ista forma mittendas arbitrati essent; nihilominus, si id urgerent, mox alias ad ipsorum arbitrium proferendas; darent sex dierum moram. mandatis aliis exspectandis.* Quum obtinuisset, persuadere postea conatus est: *ita scriptas illas esse, ut satisfacere bono iure ipsis deberent; nihilominus misisse denuo in Hispaniam Archiduces, qui rem Regi recte exponerent.* Instabat etiam vehementer, *uti classem revocarent; & hanc Archiducibus gratiam facerent.* Deliberatum hic aliquandiu, responsumque; *omnibus modis fraudem in literis factam videri peccatum in earum forma, qualitate, & substantia; omissa etiam aliquot verba, neque Gallice scriptas esse, nec subscriptum regis nomen; porro nec sigillo magno obsignatas, nec universalem denique totius negotii approbationem complecti; neglectamque libertatis mentionem, quam Archiduces fecissent: ideoque statui abs se nihil posse ante diem Kal. Septembreis.* Formulam item exhibebant, Germanica, Gallica, & Latina lingua, ad quam Regi adprobatio scribenda esset, antequam agere ultra quicquam vellent. Praeterea item decernendo tantum temporis postulabant, quantum inter IX. Kal. Sextiles, & Kal. ipsas Septembres interesset; placere tamen in gratiam Archiducum, ut classis ab Hispaniae ora revocetur; praedaque post sex septimanas proximas factae restituantur. Cum hoc responso Verreickius discessit, animis omnium spei plenis, post inhibita semel arma, CIↃIↃ CVII.

Digitized by Google

ma, vel pace negotium, vel induciis terminatum iri; quamvis nonnulli, rerum magis periti, aliter iudicarent: *rem arduam & intricatam esse, animis utrinque in sua commoda nimium intentis*. Nonnulli autem, quibus potentiae Hispanicae magnitudo ob oculos versabatur, *credendum non putabant, fore, ut pactis Hispanus adsentiretur, verum fraudem aliquam subesse*; Alii contra, *tam multi sanguinis, & cxx. millionum impensam, tot motus militares, aeris alieni magnitudinem, pecuniae inopiam, continuam Hispaniae infestationem, imminentem Indicorum commerciorum ereptionem, aut perturbationem, impellere animum tanti regis potuisse; maxime quum apud Foederatos potentissima xxxvi. annorum Societas adversus Indias occidentales institueretur, quae res Hispanicam magnitudinem fractura omnino videbatur. Ea de causa sapienter Regem & Archiduces facere, qui sectari amissa desinerent, quum non alia ratione ad pacem tractandam induci possent; metuendumque insuper esset, ne aut sua imbecillitate, aut vi aliqua maiore compulsi, ad Gallum confugerent: cuius protectio periculum haberet, & ceteris aliquando Belgii provinciis Hispanum expulsura timebatur. Longe igitur satius esse, in pace partem meliorem possidere, quam tam locupleti accessione Galliam firmare; quae Hispanici nominis auctoritatem ac terrorem non leviter imminutura videbatur*. In provinciis Foederatis multi prudentes serio rem agi persuadere sibi non poterant; itaque displicere iis tota tractatio, & existimare: *nullum alium finem fore, quam ut sub Hispani dominatum relaberentur; idque iam a multo tempore clam agitatum: & inducias sive pacem, restaurandis viribus fieri: non facile salvum esse statum publicum posse, aut regimen provinciarum firmum; non ingruentes difficultates cum auctoritate expediri; non tributa prorogari, si in suis ea provinciis Archiduces minutum irent; non conservari imperium maris, si commeatus, ac vectigalia tollerentur. Iis vero continuatis periculum esse, ne commercia mox rarescant, quae plerumque eo transeunt, ubi exigi minimum solet; non facile etiam armari Reip. ministros adversus corruptelas Hispani, quae iam tum se proderent, & perituram militiae disciplinam; nec, si fidem Hispanus frangat, libentem armorum populum fore pacis intervallo eviratum*. Interim Hispaniae imminebat classis Belgica, de qua revocanda sedulo laboratum erat, ut navibus Hispanicis, in Indiam utramque ultro citroque commeantibus, secura omnino profectio esset, quae res Iunio praeterito obtineri non potuerat, unum hoc tantum indulgentibus Foederatis, revocatum statim iri, simul Philippus inchoatum negotium per literas ratum se habere testatus esset, quae dum expectarentur, nulla illi vel auxilia vel commeatus subveherentur, & hoc revocationis instar esse; nam iis subductis, redeundi necessitatem tacite imponi. Et haec quidem etsi lege ista concessa, approbaturum tamen Regem, quae acta erant, multi sane dubitabant; potissimum ubi in Hispania atque Belgio, in fano Luciferi, Gadibusque, Vlissipponae, Gerundae, ac Dunkercae, bello instrui naves viderent. Dum haec geruntur. Archiduces motus militares componere satagebant, adlatis pridem ex Hispania loc. aureorum clo. tum militem quoque supervacaneum exauctorabant, Hispanicum tantum, Italicumque retinentes, per praesidia distributum, quae urbes opulentiores redimebant. Idem factum a Foederatis in Britannis, ceteriisque extraneis, quorum in frequentia signa; item in Liburnicis, quarum mox partem, continuandae in Indiam Orientalem navigationi, iterum armarunt. Embda hoc anno naves plures Occidentem versus solverant, quae pleraeque in Hispania & Lusitania detentae, tanquam quae ad Hollandos pertinerent, aut Ennoni Comiti suo rebellarent, a quo tamen commeatum frustra ostendebant; & earum nonnullae rursum dimissae, nonnulla graviter vexatae, vectoribus partim ad remos adductis, partim ad operam Regi in bello ac navigatione Indica aut Brasiliana navandam. Perculit huius cladis nuntius Embdanos, & populum adversus magistratum concitavit, praesente maxime illic Ennone, qui eo nomine in tumultus excitandi suspicionem venit, quum praesto haberet utrumque fratrem, & in propinquo praesidium Linganum. Hac de causa Foederati milites urbi auxiliares cloclo. Ennoni aeneatorem mittunt una cum literis, quibus testarentur: *ignarum nemini, quanta cum fide ad concordiam inter ipsum, & parentem olim eius, Frisiosque Orientales constituendam laborassent; cui asserendae primum Delfziliae anno* clo lo xcv. *deinde iterum Hagae Comitis* clo lo ciii. *& mox in postremis comitiis* iv. *Eid. Novembris sese obstrinxissent. Nunc autem compertum habere, Embdanorum praesidiariorum stipendia ipsius opera interversa, ut motum aliquem concitaret; & quod consequens, statum urbis perturbaret; insuper prohibuisse, ne publicae pecuniae, huic rei adsignatae, quaestori suo solverentur; tributa quoque & indixisse sine Ordinum consensu, & exegisse: tum omnes plurimas, Embda in Hispaniam profectas, de ipsius consilio illic detentas, merces naves fisco addictas, nautas crudelissime habitos; dein ipso connivente factum, ut Linganorum aliorumque excursionibus Frisiae Orientalis incolae, civesque Embdani, misere vexati in vinculis adducerentur. Quae omnia quando palam contra pacta fierent; statuisse ipsos, siquidem contracta solemni toties obstricti essent, providere, ne quid tale in posterum moliri possit. Quamobrem monitum sane velle, uti, incommodis avertendis, ad* xiv. *a receptis literis diem* xlclo. *florenos, praesidio Embdano persolvendos, numerari iubeat, ceteram pecuniam quaestori suo reddi curet; tum praeterea indictiones praeter Ordinum consensum factas, &, quae iniuste exegisset, restitueret. Porro ad navium nautarumque liberationem operam daret, & praesidia quoque Lingana Frisia Orientali arceret; nisi faceret, testari serio, non se malis imminentibus obnoxios fore; qui nihil aliud propositum habeant, quam concordiam inter ipsum sub-*

clolo CVII. clolo CVII.

CIↃIↃ CVII. *subditosque inviolatam conſervare*. Hiſce literis hoc effectum, ut in Britanniam Henricum Stamlerum Enno mitteret, qui Regem oraret, *uti pro ipſo intercederet, ne quid ſeverius ſtatuere Foederati vellent*. Hagam vero primo quidem Dothiam Wiardam, mox Gulielmum Kniphuſium quoque, & Thomam Frantzium Cancellarium, qui Foederatis affirmarent, *extra culpam Ennonem eſſe, & paratum pactis ſtare; Embdanos autem vano a mala conſcientia metu percelli*; a quibus miſſi Vbbo Remetzius, Samuel Wingenius, & Daniel Altingus, qui decreti exequutionem urgerent; nam *ſat perſpecta Ennonis conſilia, qui unum hoc ageret, ut perpetuo illos vexaret, magniſque impenſis in aes alienum involvere quereret, ut ea ratione civium ſtudia in ſe derivaret*. Tum non unae commeatus maritimi literae, inter ſe contrariae, ab iis prolatae, quibus fraudis manifeſtum Ennonem facerent. Re intellecta, comiter utrosque Foederati dimiſere, commonentes; *pacem mutuo, & concordiam, deinceps colerent*. De cetero Embdanis promiſere, *curaturos ſeſe, ne qua ipſis iniuria fieret*. Medio Octobri Foederatis Spinula ſcribit; *allatas ex Hiſpania literas, quibus rata ſe habere, quae in hoc negotio agerentur, Rex nuntiaret*. Tum commeatum Neio, & Verreickio petit, qui has tradituri eſsent. Eo dato, Hagam illi quum veniſsent, poſtridie admiſſi, pleniores, quae exſpectabantur, literas, Mantuae Carpetanorum datas XIV. Kal. Octobres, exhibuerunt. His Philippus teſtabatur, *quando Archiduces in negotio inchoato huiuſmodi literas ab ipſo promiſiſſent, quibus certo credere poſsent, omnia ſine exceptione a ſe probari; maturo conſilio, & plena poteſtate regia, ad promiſſi ſatisfactionem, & totius negotii confirmationem, declarare ſe in praeſens, ſive pace componenda, ſive induciis, cum Foederatis agere ceu omnino liberis, in quos iuris nihil ſibi vindicaret; cuncta etium, quae in Archiducum declaratione propoſita, rata velle; ac promittere verbis regiis, pleniſſime ea obſervaturum, neque quicquam contra facturum, aut fieri unquam permiſsurum; quin immo daturum operam, ſi quid contra factum fuerit, id uti bona fide reparetur. Curaturum porro, re pertractata, ut ex ipſorum arbitratu omnia obſervatu neceſsaria quam ampliſſime expediantur. Si tamen de religionis negotio, aut quibuſdam aliis rebus, convenire inter ſe non poſsent, atque ita vel pax vel induciae non procederent, tum ius ſuum integrum velle, neque has literas ratas habere*. Harum literarum geminum quoque exemplar exhibebant, Gallica unum, alterum Germanica lingua. Ad haec Neius magnopere Regis in hoc negotio ſincerum affectum commendare, qui de illis ipſis literis, quo magis ratae eae eſſent, & a ſuſpicione fraudis alienae, cum Senatu deliberaſſet laudandum iſto nomine dictitans, quod interpres ipſe ſui non fucatam animi mentem clare expreſſiſſet, nihil promittens, quam quod praeſtare re ipſa cuperet; non facturus, ſi fraudem aliquam cogitaret. Neii verba Verreickius excepit, de Archiducum quoque fide in re praeſenti, & inclinato ad pacem animo multa referens; ac cognoſci abunde poſſe quum tam ſedulo ſatisfactum Foederatis per omnia cuperent. Foederati, ſimul apographa accepiſſent, legiſſentque, negligentiam deprehenderunt, & verba paſſim praetermiſſa, aut interpolata; neglectam item ſolennem formam, & neque in pergamena ſcripta, nec ſubſcriptum Regis nomen. Itaque re cum Galliae & magnae Britanniae legatis communicata, indictoque in VI. Kal. Novembres conventu, interrogarunt; ecquid literae aliae pleniores exſpectari poſſent; quum negaretur, interque tractandum ambigua haec omnia explicari, & difficultates tolli poſſe, reſponderetur, ampliandum cenſuere. Itaque libratis diu conſiliis, poſtridie Kal. Novembres reſponſum decernunt: *literas, ut iam ante oſtenderant, omnino delinquere; & in ſcriptione pariter atque ſubſcriptione peccatum: tum verba paſſim temere omiſſa, aut interpolata, adeoque extremam clauſulam promiſsorum abolitionem praeſeferre; quum tamen Regi, & Archiducibus, atque omnibus eorum conſiliariis exploratum ſatis eſset, ipſos, veluti rerum ſuarum ſupremos arbitros, qui neque Regis, neque Archiducum leges agnoſcerent, Dei Opt. Max. gratia, & foederatorum Principum auxilio, providere facile poſſe, uti bene Reſp. ordinetur; nec proponi hanc in rem ab ipſis quicquam oportere, niſi contra fidem datam agere vellent. Et quanquam expendendum eſset, tam dubiis literarum verbis, an negotium inchoatum proſequi conſultum foret, promovendo tamen tranquillandi Belgii inſtituto, & oſtendendae animorum ad honeſtam tutamque pacem inclinationi, viſum uti literas haſce examinandas per provincias omnes mitterent, & legatis poſt VI proximas ſeptimanas ſignificarent, an operi incoepto porro manum admovere e rep. putaretur; nunquam vero admiſsuros, quicquid aliquatenus contra has approbationis literas, aut Archiducum promiſsa, obliqua aliqua interpretatione proferri poſset; & ſi pergendum forte videretur, tum planiſſime ſe confidere, neque Regis, neque Archiducum nomine, ita uti promiſsum erat, quicquam unquam propoſitum iri, quod aut ſtatum publicum laederet, aut cum civium ſuorum ſalute coniunctum non eſset. Ab Archiducibus item decimo poſt denuntiationem hanc die legatos deſtinandos idoneos, plena poteſtate inſtructos: & facturos eadem ipſos, ut quam citiſſime imponi negotio finis poſsit*. Hoc reſponſum Neio & Verreickio datum poſtridie Kal. Novembres; quaeſitumque, an ipſas approbationis literas tradere vellent; ſed hoc illi facere poſſe ſe negabant, & nec Bruxellas referre; in quo nullum tamen diſcrimen Foederati arbitrari; itaque rem differri volebant, & mandatis amplioribus tempus dari. Id ubi conceſsum eſset, profectus Bruxellas Neius, nonoque poſt die reverſus, mandatum ſibi ſignificavit, *ut literas traderet, & acceptilationis ſyngraphum reciperet, qua declararent Foederati, ſat Archiduces promiſſis feciſse, & reſtituendas literas fore, ſi forte poſtea re infecta diſcederetur*. Hoc diſplicere Foederatis,

CIↃIↃ CVII.

CIↃIↃ CVII. tis, qui *neque impleta promissa* censebant, *& fraudem in literis manifestam, nec chirographi restitutionem necessariam esse, quod negotio non perfecto per se irritum*. Quum hic Neius & Verreickius tergiversarentur, Foederatique a sententia non desisterent, petita iterum ampliatione, & concessa, rursum Bruxellas abiit Neius, mandatumque adtulit; *uti simpliciter, & sine ulla acceptilatione, aut restitutionis promisso, literae illae traderentur*. Quod ubi factum recessere. Et tunc Foederatis visum, ut per suam quique provinciam, an pergendum in negotio instituto arbitrarentur, indictis comitiis deliberarent, mox rursum ad VI. Eid. Decembres conventuri, & mandata de re praesenti adlaturi. Quum in eo essent, literae ab Imperatore adlatae, VI. Eid. Octobres scriptae, quibus ille commemorare: *nec sumptui se, aut operae ulli pepercisse, nec patrem etiam Maximilianum, ad componendas Belgii turbas: ideo mirari inchoatum hoc negotium, neglecto ipso, & inconsulto; eoque rem praesentem dirigi: ut ex provinciis hisce unitis Resp. aliqua libera constituatur: quum tamen nemo ignoraret, Belgium totum Romani Imperii feudum esse; quamobrem cogitandum ipsis, in re tam gravi nihil omnino decerni posse, de quo non cognoscere ipse prius deberet. Quod si quicquam molirentur, ad naturam & legem feudi immutandam, id ratum esse minime posse: itaque scire se ex ipsis velle, quo res tota loco esset, & quid animi porro haberent: ut tam suum, quam Imperii sui ius tueri possit. Petere item, ne ignaro, aut non permittente ipso, porro aliquid constituerent; neu quid etiam incoeptarent, quod, ne fiat, ipsius, aut Romani Imperii interesset*. Hisce literis hoc respondent. *Admirari se magnopere, nec vel a Philippo Rege, aut Archiduce, certiorem factum esse; quod si scissent, non in hanc rem commissuros quicquam fuisse. Porro meminisse satis, quoties & ante & post administratam a Matthia fratre Remp. frustra ab Imperatore petiissent, ut tam graviter laborantibus adversus vim oppressionemque Hispanorum succurreretur; scire etiam, ante annos* XXVIII. *coram Imperatoris & Imperii legatis Coloniae Agrippinae de pace constituenda actum fuisse: sed quum interea quam vehementissime in ipsos sevire hostis non desineret; ob privilegia violata, & omne crudelitatis genus, qua Philippus contra fidem in creatione datam usus esset, secundum Belgii iura ac leges, anno* CIↃIↃLXXXI. *coactos, si Remp. salvam vellent, extrema remedia adhibere, & solenni edicto absolvere populum sacramento, quo Philippo principi dixerat. Ab eo tempore multos Reges Principesque libertatem agnovisse, varioque eo nomine contractus initos; quin etiam terra marique, virtute sua & auxilio Regum ac Principum foederatorum, defendendae libertati semel vindicatae, magnae aleae, & impensae incredibilis bellum gessisse; nihilominus Imperatori, & Imperii quoque Principibus, iisque Ordinibus, qui foedus ictum deseruerant, significasse. Displicere sibi magnopere calamitates, quibus Belgium, & provinciae item finitimae vexarentur; neque quicquam magis velle, quam honestam ac certam pacem; quam tamen, nisi salvo vindicatae libertatis edicto, fieri non posse existimabant; idque prolixis admodum verbis declarasse in literis ad Imperatorem, & Imperii principes, datis anno* CIↃIↃV. *dein anno proximo ab Archiducibus de pace ineunda agi coeptum; ac tunc conceptis quoque verbis testatos esse, non se agere cum eo posse, nisi legitimam libertatem, & tot annorum intervallo confirmatam, agnoscere paratus esset; atque ab illis secreto primum, deinde signatis etiam literis responsum esse, provincias se hasce liberas habere, nec quicquam in illas iuris sibi vindicare; daturos insuper omnem operam, uti hanc libertatis suae agnitionem Rex Hispaniarum intra proximum trimestre diplomate publico ratam faciat; idque mox ita factum esse, adiunctum literarum exemplar indicare. De cetero confidere ipsos Imperatorem, & quoscumque Imperii Principes, pro benigno in Remp suam adfectu negotium hoc totum adprobaturos, & promovendo necessaria curaturos*. Desinente Novembri a rege Daniae, ad quem Reip. causa legati, Boulenius, Simonius, & Magnus reversi, multa de propenso eius in provincias hasce studio referentes, & legatos mox ab eo adfuturos, qui imminentem de pace tractatum consilio atque opera adiuvarent. Ii fuere, Iacobus Vlefeltius, regni consiliarius, & Ionas Charisius, Iurisconsultus, adveneruntque ineunte Decembri; &, quae de Rege suo legati paullo ante retulerant, adfirmarunt. Mox ab Electore Brandenburgensi adfuit quoque Ioannes Discovius, qui mandata exponere distulit aliquandiu, dum eos, qui a Palatino destinati, praestolatur; sine quibus nihil dum agere iussus erat. XIII. Kal. Ianuarias Foederati in dicto conventu, mandata quisque sua protulerunt, quae ista erant: *uti cum Archiducum legatis, etsi minus plenis adprobationis literis, de pace aut induciis tractarent; salva tamen ante omnia provinciarum libertate, quam infringi nullo modo paterentur, sive statum civilem res spectaret, sive Ecclesiam, aut Religionem*. Et diu multumque libratis consiliis cum Mauritio, Gulielmo Nassovio, & Senatu, legatisque Gallico, Britannico, & Danico, (nam Brandenburgicus, herilia, quae commemoravi iussa praetendens, negotio se abstinebat.) IX. Kal. Ianuarias Archiducibus per literas indicant: *paratos sese, sub exceptione postridie Kal. Novembres facta, in qua etiam tum persisterent, cum legatis Hagum missis instaurandae pacis negotium inchoare; quod septem octo rerum peritis commissuri essent, si certiores per literas fierent, post decimum diem vicissim ab ipsis, pari aut minore numero, mittendos alios; qui cum plena potestate, tam Philippi, quam ipsorum item nomine, rem tractarent. Quando autem armistitii finis instaret, considerarent, si coepto operi insistendum videretur, an non in* VI. *septimanas prorogari id expediret; quod si vellent, idem quoque sibi placere, modo ipsi, suo & Philippi nomine, ratum facerent*. Exemplaria literarum Neio & Verreickio data, postulatumque ut ipsas Archiducibus traderent;

CIↃIↃ CVII.

Digitized by Google

CIↃIↃ CVII. rent; &, si delegandos aliquos ii censerent, de numero illorum, nominibusque, & profectionis die, statim certiores facerent, quo mature expediri commeatus possit. Id dum agitur, VII. Kal. Ianuarias Hagam venit ab Electore Palatino legatus, Hippolytus a Collibus, Curiae praeses, cum ceteris Regum ac Principum legatis consilia in rem presentem collaturus. Atque hic anni istius finis, qui Europam universam suspensam tenuit in exspectatione pacis condendae, e qua utilitatem quam maximam sibi quaeque pars captabat. Foederati libertatem, & supremam potestatem, quam Philippus & Archiduces transcripsissent, vindicare summa ope nitebantur; quippe id maximum pacis fundamentum esse, nec bellandi, ea data, iustam deinceps causam fore. Hac spe tenebantur illi, qui in eam toto animo propendebant, potissimum, quum vix fieri posse existimarent, ut civitates, & quaecunque alia membra, post Vnionem Vltraiectinam a suo corpore avulsa essent, armis ullis recuperarent; nam ut eius ratio aliqua haberetur, necessitatem, quae legibus cunctis dominatur, non permittere. Multo autem satius esse, si quae reliqua illis bellis alea fecisset, ea uti conservarent, & honestissima conditione, integraque libertate, communirent. Ex parte adversa etiam Archiduces, rebus suis perturbatis, subditisque bellum ulterius detrectantibus, temporis prorogatione res suas instaurare vel le videbantur: quod effectu facilius existimabant, quia bellum viribus exoticis gererent: hac de causa neque pensi quicquam habebant, quocunque modo negotium tandem inchoaretur; id sperantes, ut potentia excellebant, ita fore, ut utilitas quoque maior inde ad ipsos redundaret; quippe Foederatos, tam monarchico statui adsuetos, extra ipsum difficulter subsituros, ideoque turbas habituros; inde persuadere sibi, quamvis iuri quidem suo ac supremae potestati renunciassent, nihilominus futurum, ut postea votis potiantur. Spem hanc persuasionemque augere provinciarum urbiumque magna ubique privilegia, propter quae concordia esse certa non posset, sine supremi alicuius collegii auctoritate, ad quod rerum omnium cognitio cum plenissima potestate pertineret; quod quando quidem, etsi per quam necessarium, ne fervente quidem bello, ac periculis urgentibus, constituere potuissent; in alta pace, ac libertate, multo minus consensum fore: unde motus intestinos, & perturbandae reip. occasionem datum iri. Dum his iudiciis consilia utrinque aestimantur, aeneatores, ad Archiduces pridem a Foederatis missi, Hagam redeunt, literasque ab iis adferunt, quibus *sese postulatis assentiri* testabantur; *& negotium iis porro demandare, quibus hactenus credidissent, eosque Idibus Ianuariis Bruxellis discessuros esse, & Antuerpiae noctem acturos, si & literae commeatus, & transvehendis illis naves ad* III. *Eid: Lilloi paratae starent. De cetero ex literis Neii & Verreickii intellecturos, quibus praeterea rei summam commisissent. Ad armistitium quod adtineret, id quoque in* VI. *septimanas prolatum velle, & Regis Hispani adprobationem de eadem re promittere.* Neius etiam, & Verreickius itidem scribere. *Ambrosium Spinolam, Ioannem Richardoutm, & Ioannem Mancidiorium legatos esse, atque his utrumque se collegam datum.* Non satis placuit haec legatio Foederatis, & inutilis videbatur, ad quam nemo Belgii procerum mittebatur; tandem tamen, post consilia cum legatis principum amicorum habita, admitti qualemcumque placuit. Vt vero in rebus omnibus semper venerari Deum oportet, ita, pro antiqua sua pietate, in tam arduo negotio faciendum maxime rati, in VII. Eid. Ianuarias preces publicas per provincias omnes indicunt: & summo numini pro acceptis beneficiis gratias agere, ac pro felici pacis tractandae successu vota nuncupare iubent. Post haec legati, qui prono Scaldi devehi statuerant, mutato per ingruens gelu consilio, terrestri se itineri accingere coacti, obviam profectis Liram usque, tuti commeatus causa, praefectis Bredano ac Bergozomano, Iustino Nassovio, & Marcello Baxio, Hagam Comitis devenere, magnifice ubique per viam excepti. Hagae quum appropinquarent, prope Riswicum perbenigne Mauritius excepit, Henrico fratre, & Gulielmo Nassovio comitatus. Ad spectaculum concurrerat ingens multitudo, avida videre hostem paullo ante patriae infestissimum pertaesum belli, ac nuntium pacis. Admirari item multi, & contra civilis prudentiae legem arbitrari, hostem, eumque exercituum ductorem, intra ipsa Reip. viscera admitti, ubi inquirere plenissime posset, quis universus eius status; quis civium sensus, aut dissensus; quod etiam robur, aut infirmitas; dein, quis animorum adfectus. Alii quoque, parum prudenter tam arduum negotium delegatis committi, qui mandatis estricti essent, a quibus recedere non liceret, Sed Foederati, quibus de Reip. suae statu, deque subditorum animis, atque adfectu melius constabat; nec tam facile aut eorum fidem impelli, aut in patriam communem amorem convelli posse sciebant, modum hunc optimum censuerunt. Praeterea res humanas qui attenderit, vicissitudinem hic earum manifestam animadvertet; & non sine arcana quadam ratione factum, ut in intimum Hollandiae sinum pacem delatum ultro venirent, quam olim patres nostri cum tot supplicationibus in ultimam Hispaniam frustra quaesitum iissent. Et Foederati, quo certius ipsis res procederet, antequam illi advenirent, cum Galliae magnaeque Britanniae legatis egerant, uti cum eorum Regibus foedus aliquod iniretur, si qua forte pax fieret, salva provinciarum libertate, hanc ut ipsis certam praestarent, & si quid contra ab Hispano aut Archiducibus tentaretur, id modis omnibus prohiberent; adeoque his conditionibus inter Gallum & Foederatos conventum fuit: *ut, si, pace semel constituta, vis aliqua fieret, auxiliares decies* CIↃ. *suo stipendio ille mitteret; & plures quoque, si usus foret; idque tertio quidem mense, postquam transgressori res denuntiata*

CIↃIↃ CVII.

CIↃIↃ CVIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ CVIII. *tiata eſset: vel ſtatim quoque, ſi invaſio manifeſta, & auctoritate publica graſſaretur: viciſſim autem Foederati quocunque bello auxiliares quinquies* cIↃ. *aut liburnicas totidem vectoribus armatas darent.* Sed cum Britanno decerni nil potuit; & impediebat partim commerciorum reſpectus, partim diſpungenda adhuc aeris alieni reliqua; quorum prius monopolii inſtar eſset, commerciorumque libertati valde adverſum: alterum maioris momenti, nec ita obiter tranſigendum cenſebatur. Ineunte Februario a Landgravio etiam Haſſiae legatus venit, Ioannes Burgius, qui heri ſui erga provincias has adfectum benignis admodum verbis nuntians, operam quoque, & conſilium, obferebat. Tunc Foederatis negotium inchoare viſum, miſſique ad Spinolam, & ceteros legatos, qui & ſalutem nuntiarent, & percunctarentur: *an quae ad ipſos mandata haberent; an vero cum delegatis tantum agere vellent.* Ii autem reſpondere, *mandata ad ipſos nulla eſſe; id ſolum cupere: uti ſalutare liceret:* itaque admiſſi, & ſalute dicta, quum de inchoando negotio admonerentur, Richardotus inquit, *paratos eſſe, & quamprimum etiam velle.* Sic digreſſis deliberare Foederati, quibus ſuorum inſtantem pacis, ſive induciarum, tractatum committerent; & delecti, Gulielmus Naſſovius, Friſiae praefectus; Walravius Brederodius, Brederodae, & alibi, dynaſta; generatim provinciarum omnium nomine; ſpeciatim vero e ſingulis ſinguli. E Gelria, Cornelius Gentius, Loënae, & Meinerſwici dominus, Burgravius & Iudex Noviomagenſis; ex Hollandia, Ioannes Barneveldius, Eques, Templae, & Roderiſae dominus, Advocatus provinciae, magni ſigilli, & archivorum praefectus: e Zelandia, Iacobus Maleraeus, item Eques, Heieſi dominus, pro Mauritio, Veriae & Vliſſingae Marchione, primum in nobilitate Zelandica locum tenens: ex Vltraiectina dioeceſi, Nicolaus Berckius, primus conſiliarius: e Friſia, Gellius Hillema, curiae Senator: e Trans-Iſelania, Ioannes Slothius, Sallicii dominus, & Vollenhovae ſatrapa: e Groningenſi ditione, Abbas Conderſius, Elpeni, Fani, & Cantii dominus. Omnes viri & auctoritate clari, & multo rerum uſu periti. Hi quum deſtinati eſſent, poſtridie Non. Febr. habitus primus conventus fuit, in quo exhibita utrinque mandata, atque ita diſceſſum. Biduo poſt conventum iterum, & cauſari Spinola: *non ampla ſatis mandata eſſe, quae Foederati adtuliſſent, aſtringique eorum poteſtatem, praeter eiuſmodi negotiorum legem;* atque huic reſponſum: *plane nodum in ſcirpo quaeri, neque difficultatis quicquam rem habere; quippe Ordines, qui in rem praeſentem eſſent, confirmare omnia poſſe; contra vero eadem ſeſe optimo iure abiecturos.* Ad quae reſpondere illi: *cum pleniſſima poteſtate adveniſſe, eiuſque rei mox fidem facturos.* Tum rogati, *an veluti cum provinciis liberis agere iuſſi*, adfirmarunt, *quemque vellent titulum permitti*; & hic cum iterpellarentur, *cur Archiduces neque inſignibus provinciarum foederatarum, neque titulis abſtinerent*, excuſabant; *nihil hoc iuri, aut libertati ipſarum detrahere; eadem Hiſpaniae, Galliae, & Britanniae magnae reges committere; quorum ille Hieroſolyma; Navarram iſte, hic denique Franciam titulis illuſtrandis adſcriberet:* Exemtum hac diſceptatione tempus fuit, ſolutusque conventus, & reiectus in III. Eidus; tuncque propoſitum, *uti iuri in poſterum omni in provincias foederatas, Tencterosque, & Linganos, renuntiarent;* qua de re quum ampliarent, de petitionis huius iniquitate multa apud legatos queſti, ac ſententiam Archiducum ſcitati, ipſis Eidibus reſponderunt: *Accipere ſe conditionem, ea tamen lege, ſi in ceteris quoque rebus, & negotio Indiarum, conveniretur: ubi ſperabant paria facturos Foederatos, & aliquid Philippi certe Regis, Archiducumque gratiae daturos; maxime quando amici deinceps futuri eſsent, & Hiſpaniae quoque commercia, quaeſtum maximum adlatura, harum provinciarum populis permittenda.* Quumque hic diſceptaretur, *unum hoc Regem permoviſſe* inquiebant, *ut tam magna ipſis offerret.* Mirari multi conditionem iſtam admitti, & exiſtimare, quum tam magnifice talia promitterent, vel non praeſtanda ea videri, vel maius aliquid ſperari, quo impetrato, minime gratuita Foederatis libertas foret. Et e Britannia nuntii quoque afferebantur, Hobokenum, Archiducum illic legatum, dixiſſe Regi, *in hac libertatis pronuntiatione nihil ſane momenti eſſe; confidere Archiduces, maximas eam turbas daturam; adeoque, conceſſa libertate, in pace facillime ſe effecturos, quod negata tam diu in armis fruſtra contenderant.* XVI. Kal. Martias amneſtia ſancita fuit, ſtatutumque, ne pignora ulla caperentur, niſi privati aeris alieni cauſa; item, ut libera cuius utrinque eſſent commercia, & pari cum indigenis ſorte; niſi quod Indias Spinola exciperet, ac totum illum tractum, obnitentibus vehementer Foederatis, & dictitantibus, contra provinciarum ac maris libertatem id fieri. Sic in ipſo ſtatim principio ſatis clarum, non gratuitam Foederatis libertatis reſtitutionem fore, quum ſperarent adverſarii, hac potiſſimum ratione futurum, ut potentiam ipſorum detererent; ſuam augerent. Commovit ea res animos multorum, qui exiſtimare nihil aliud agi, quam ut libertas, tam ſpecioſe conceſſa, per hos quaſi cuniculos ſubrueretur; quin Societas quoque Indica Orientalis convenire frequens, & cum Foederatis, tum principum legatis oſtendere ſolicite: *rem periculi plenam eſſe, nec tam ad ipſos, quam ad Remp. univerſam pertinere, ne poſtulata Hiſpani obtineant. Vnice hoc pacto opes publicas ſine impenſa publica augeri; & tam multas naves bellicas, tormentis militibusque inſtructas, occupari; idque adeo unum eſse, in quo ceteros fere Reges principesque ſuperarent; qui nunc ideo Foederatorum amicitiam aeſtimarent, mox deſpecturi, ſimul redactos eo viderent, ut aliquando aut prodeſse aut obeſſe non poſsent. Liberas haſce Belgii provincias propter ſitum, & incolarum etiam indolem, conſiſtere nullo modo poſse, niſi emporia*

CIↃIↃ CVIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ CVIII. *sua portusque peregre advectae naves locuplet*ent; *item quando Hispani potentia non Belgio tantum, sed Europae quoque reliquae gravis esset, nulla ratione magis securitatem publicam praestari posse, quam si potentiae tam immensae fundamenta subvertantur; quod futurum, si thesauri eius Indici in Belgas, ceteros*que *Reges ac Principes deriventur. Obiectum quidem fortassis iri non necessaria Indiarum commercia esse, patentibus Hispanis, quas pax decreta aperiret; sed his in promptu responsum; parum tuta illic commercia, & facile infructuosa reddi, idque experiundo satis didicisse. Deinde inconsultum nimis videri, hosti reconciliato, & cui fides haberi certa nunquam queat, in potestatem tradere tam magnas opes, tam multas naves, tot tormenta bellica, tot peritos vectores, quibus pro libidine mox abutatur. Curandum praeterea, ne principes Indici, qui Belgarum se fidei benigne commisissent, in Hispani iterum servitutem redigantur, quod Belgarum laudem ac gloriam vehementer imminueret, & incrementum maximum adferret potentiae Hispani, qui ingens operae pretium putaret, si Indias ipsis de manibus eriperet: in quibus cum per opulentissimas passim oras volentibus incolis commercia exerceant, tueri ea constantissime, nec Lusitanis concedere debeant. Quod si semel forte remittant, ita in posterum prospecturum, ut de restauratione frustra sint cogitaturi. Amicitiam, conversationem, & commercia, pacis esse beneficia, quae nullis denegentur, nisi hostibus; nulla exempla exstare pacis cum exceptione tali, quae relegationis instar esset, & tantum in hostes, aut facinorosos decerneretur. Itaque India prohiberi, manifestam iniuriam esse cum fraude coniunctam; verbis in speciem magnificis libertatem pronuntiari, re ipsa vero denegari, adeoque servitutem graviorem inferri, quam unquam sub principibus ullis passi essent; quamobrem pacem bello deteriorem tentari; dein ecqua fronte mercatoribus solertissimis, reique maritimae peritissimis, commerciis istis interdici, aut maris usum eripi posse, quod iure gentium omnibus pateret? Everti funditus Remp. totam sine hoc nervo, quo uno hactenus se potissimum substinuisset; & tantum vires illius accidi, quantum istum. Exarmari* CLXXX *naves maximas, in quibus ad novem* CIↃ. *vectorum; infructuosos reddi quotannis* XLIII. *milliones florenorum. Haec qui attendat, facile certe iudicaturum, callide plane agere Hispanum, qui concedat libertatem, nihil nisi nomen futuram, ac dignitatem potentia cassam.* Magna contentione res agitata, & tribus quatuor conventibus disceptata, animis utrinque obstinatis; donec Foederati, non discedere a sententia certi, componendo dissidio tres rationes proposuerunt: uti vel commercia Indica pace indulgerent, vel induciis permitterent, vel bellum ultra tropicum cancri continuarent: ubi, salvo sive pacis sive induciarum contractu, fortunam porro cuique suam & vires experiri liceret. Primam & ultimam reiecerunt; illam, quia expresso mandato prohibebantur; hanc, quia principes suos pacem velle dicerent, non bellum, aut eiusmodi tractatum, qui ita pacem constitueret, ut bellum tamen non finiret; istam accepturi videbantur, si induciis desinentibus Foederati quoque consilium hoc omitterent. Verum id illi quum negarent, & liberam tunc cuique potestatem decernerent, nullo effectu diremtum colloquium, communi utrinque apud legatos regum querela; quum illi dicerent: *indignas principibus suis has conditiones, quibus, vel si captivi essent, graviores imponi a victoribus non possent:* hi e contra, *ea a se flagitari, vindicata libertate, quae aegre subiugati concederent.* Tandem quum frustra moveri hunc lapidem Hispani viderent, de induciis tractandis consentiunt; quumque *negotii universi omnia capita* Foederati *simul proponenda* censerent, illi, *iniquum, & inauditum,* respondere: *quin neque mandatum habere, & imparatos denique esse; quosdam ex ipsis Gallicae Britannicaeque paci pertractandae interfuisse, neque quicquam ibi tale postulatum; paratos singillatim egere, quod in eiusmodi negotiis solenne: & de collimitiis primo, de commerciis, deque restituendis bonis fisco addictis, & sic deinceps.* Hic Foederati; *nihil iniqui postulatum hoc habere, quum ipsi eandem quoque legem sibi dicerent; non eo fieri, ut inter se fallant, aut quicquam excludant necessario tractandum, cuius addendi semper utrisque potestas foret; sed ut summatim semel sciretur, quae universae actionis praecipua capita essent futura.* Hic quum deliberandum statuerent, digressi mox redierunt; testatique, *liberum deinceps fore ea addere, quae addenda necessario viderentur,* quaedam utrinque capita exhibuerunt; Foederati plura quidem, sed simplicia, & perspicuo valde sensu. *Vt commercia utrinque in Belgio secura essent. Pignora capta remitterentur, neque alia in posterum ulla caperentur. Limites constituerentur, & loca quaedam permutarentur, aut muris deiectis panderentur. Rhenoberka, & cetera castella, Rheno aut Rorae imposita, desererentur. Sententiae, & proscriptiones, foederis, religionis, aut belli causa, retractarentur. Dominia, res soli, actionesque principis Auriaci, heredibus restituerentur. Item bona, quaecumque fisco addicta aut adscripta in Belgio, ducatu Luxemburgico, comitatu Burgundico, & Ambarris. Naves onerariae detentae post* IX. *Kal. Quinct. anni* CIↃ. IↃ CVII. *dimitterentur; bonaque hac de causa distracta restituerentur. Eorum, quae fiscus accepisset, aut bellum inutilia fecisset, usurae rederentur. Dispositiones testamentariae, odio religionis, foederis, aut belli, in praeiudicium cuiusquam factae, rescinderentur. Aes alienum, publica foederis causa contractum, ad utrosque pertineret. Miles exoticus, qui in Philippi & Archiducum stipendio, veluti dissidentiae fomes, auctoramento solveretur. In conscientiam nautarum, negotiatorum, ceterorumque provincialium, ne inquireretur; religioque in navibus suis libera cuique foret; neve eius causa eae merces fisco subiicerentur. Hereditates ab intestato hinc inde legitimis heredibus obvenirent. Vetera urbium privilegia, quae ante bellum exstitissent, illaesa ubique* per-

Digitized by Google

CIↃIↃ CVIII. *permanerent. Si induciae turbarentur, tum nautis, mercatoribus, inſtitoribus, reliquiſque incolis, uti ſalvis navibus mercibusque recedant, ſemeſtre indulgeretur. Si quid hic committeretur, id, actione integra, reſarciretur. Captivi omnes ſine luitione dimitterentur. Actiones civiles non publice alienatae, ob praeteritum bellum, ſine ulla praeſcriptionis exceptione integrae manerent. Quae tractarentur, omnibus modis certa ac rata eſsent; atque in eam rem ut Caeſaris, ita principum Imperii, & Regum quoque Galliae, Britanniae, & Daniae auctoritas imploraretur. Principes, Reſp. civitatesque amicae ac foederatae, hoc tractatu comprehenderentur. Luſitani principis negotia componerentur, praeſenſque tractatus ratus haberetur, ac promulgaretur.* Haec Hiſpani quum viderent, *numero illa multa* dicere, *ac longi temporis negotium eſse*; & Richardotus ad mentionem de aere alieno, publica foederis cauſa contracto, *pecuniae penuriam* obtendebat, *& aerarium bello exhauſtum*. Porro capita ipſi quoque quaedam reponere, multo quidem pauciora, ſed obſcura, & multi ſane argumenti: *De limitibus, bonorum reſtitutione, commerciis exoticis, aequanda moneta, pariandis privilegiis & immunitatibus Anglicanorum commerciorum, negotiis religionis, & vicinorum principum*. In his Foederati, ceteris ſummatim perſtrictis, cum religionis expreſſam mentionem, itidem ut in mandatis animadverterent, & incertum haberent, an de reſtituenda maiorum religione agerent, an vero de indigenarum hinc inde conſtituenda modeſtia, *uti ſententiam dividerent* petierunt; *nam hoc quidem ut civilis prudentiae ſcitum egregium, & imperii quoque communis firmamentum, ita illud libertatem ſuam palam imminuere*. Sed vero tergiverſari hic Hiſpani, *facturos ſeſe, cum ad caput iſthoc, quod inter ultima, perveniſſent*. Poſtquam autem tradita haec capita, eo conſilia dirigere videbantur, uti recederent aliquantiſper, de Foederatorum mente, & provincialium quoque inclinatione, quam ex multorum colloquiis didicerant, Principes ſuos edocturi. Et manifeſta res fuit, tum ex ſermonibus familiarium, tum ex duobus proximis conventibus, ubi multa de commerciis Indicisque, & Europaeis obteſtati, poſt longam diſceptationem, formulas ſeorſim praeſcribi petierunt, in Hiſpaniam, & Brabantiam mittendas; ut, quid Regi atque Archiducibus videretur, proprius cognoſcerent. Eam porro in illis moderationem requirebant, ne quid animos ipſorum offenderent, aut exiſtimationem laederent; quandoquidem autem rerum Antuerpienſium minus periti eſſent, Martinus Faillius, & tres quatuor alii mercatores, ipſis uti permitterentur, quorum conſilio in re propoſita tranſigenda adiuvarentur. Re deliberata, ad Indiae novennalem, & ceteram Europae negotiationem ſtabiliendam, pecuniariam cautionem adhibere viſum fuit; itaque placuit: *ut hic Hiſpani aureorum quindecies centena* clo. *ipſi in Hiſpania quinquies centena conſignarent*. Id decretum mox exhibitum, & ampliare Hiſpani ipſi quoque praeſcriptum aliquod offerentes, *de commerciis Antuerpienſibus, & ceterarum provinciarum ad Archiduces pertinentium*; quumque diu multumque diſceptatum eſſet, *de libera mercium evectione & invectione, item de iure ſtationis*, utrinque prolata res eſt; & teſtati ſunt Hiſpani, *niſi conſulto Rege ſuo tranſigi hoc negotium non poſſe; quando autem armiſtitii terminus inſtaret, in bimeſtre aliud extendendum videri*: quod conceſſum. Conventu proximo valde impugnare Hiſpani, quod de Indica negotiatione Foederati propoſuerant; &, *convenire ſe in ea non poſſe*, pernegare: ac multo magis de tropico cancri mentionem nullam admittere, nimias in Hiſpania turbas daturam. Aliam itaque rationem ipſi concipere, illam ſibi maxime utilem, & quae poſt novennii tempus commercium omne interverteret; quam Foederati, etſi quidem improbarent, recipiunt tamen, ceu de ea deliberaturi. Vbi de praeſtanda ſecuritate negotiorum agi coeptum eſt, Hiſpani obiicere, *pecuniariam cautionem in negotiis iſtiuſmodi inauditam ſane eſse, neque admitti ab ipſis poſſe, vacuo per bellum aerario*. De negotiatione Europaea pauca admodum verba facere, mercatores Antuerpia praeſtolantes, quibus commeatum impetrare impenſe laborabant. Foederati cum Indicae negotiationis modum improbari Hiſpanis viderent, ne negotium intercideret, quod feliciter coeptum erat, & communi omnium ſpe propellebatur, tempori cedere ſatius rati, uti huic faſtidio obviam irent, ſerio iterum deliberarunt; &, perpenſo rei momento, quicquid libertate ſalva fieri poſſet, remiſerunt; ubi tamen varii ſenſus, multis cenſentibus: *quicquid ſignate expreſsum non eſſet damnum iſtud publicum fore, uti in contractibus eiuſmodi uſu fere venire ſolet; quippe qui potentiores, ſi quae forte obſcuriora, ea pro ſe interpretari, ac pro ſua mente omnia agere, fruſtra obnitentibus aliis, qui viribus impares vim pati coguntur, cum arma non habeant cum potentia, aut conſilio. Id ſua in rep. eventurum, cuius tam diverſa membra; quorum aliqua, quia extra iacturam poſita, odio ſaepe aut invidia, aliorum iniuriam libenter negligant*. De Belgica negotiatione, & cetera quoque Europaea, item actum eſt; detractumque, quicquid permittere res videbatur: & mercatoribus Antuerpienſibus tribus quatuor decretus etiam commeatus, ſed non Faillio. Quum autem Hiſpanis ne ſic quidem ſatis fieret, deliberando tempus indultum eſt; moxque Foederati, explorata adverſae partis ſententia, ut omnia ſe ex aequo & bono velle teſtatum facerent, denuo rem in incudem vocant; mutantque quicquid poſsunt. Interea queri multis verbis Ricardotus: *nimium rigidos ipſos eſse; ac negotii ſubſcepti Spinolam ſeque poenitere, in quo operam perdituri videbantur; ſi pertenderent, actum profecto nihil iri; & pacis componendae gloriam, qua nil in rebus humanis excellentius, amiſſuros*; tum hortari, *mutarent propoſitum, & Hiſpanis aliquid concederent, quibus niſi ſua approbarent, fruſtra futuros. Omnibus modis dan-*

CIↃIↃ CVIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ CVIII. *dandum operam ad promovendum potius negotium, quam impediendum; quod rigor iſte minaretur.* Haec homo facundus, & adfectus movere ſolers, pene cum lacrymis proferebat; nec oratio fruſtra fuit, impulitque animos ad maiorem moderationem, maxime arbitrantibus multis: *urgeri rem praeſentem debere, atque ad finem perduci, ut pacis commoda, & libertatis pretium adparerent. Satis patriae factum eſſe, ſi a Burgundicae domus praetenſionibus liberam in pace tandem collocarent.* Moderari itaque magis placuit, & factum hunc in modum. *Vti provincialibus, quemadmodum inter mercatores ſolet, ad novem induciarum annos libera in India commercia eſsent, in iis videlicet locis, quae Hiſpano non parerent: a ceteris autem abſtinerent, niſi praefectis permittentibus, aut cogente neceſſitate. Tunc pro amicis habendos eſse: idemque in locis Foederatorum Hiſpanis quoque ius futurum; & citra quidem Bonae Spei promontorium initium forent Kalendae Sept. anni poſt ſecularem octavi; ultra, noni. Iſto novennio nil hoſtile quenquam auſurum; atque hanc legem non ad Hiſpanos tantum pertinere, aut Foederatos; ſed ad amicos quoque partium principes: quorum nomina intra triennium illi Hagae, iſti Bruxellis tractatui inſerenda edere tenerentur. Si quae contra damna fierent, ea illic, ubi aut illata eſsent, aut qui intuliſſent habitarent, reparanda eſse: neque hoc nomine pignora ulla capi poſse. Exacto ſeptennio, Bruxellas utrique deſtinarent, qui rem totam benigne tranſigerent.* De negotiatione Belgica aliquid item propoſitum; *uti Archiducum & Foederatorum ſubditi libere agerent, utrobique, & pari iure atque immunitate naves Antuerpia aut aliunde venientes redeuntesque onera libere efferrent, aut referrent; & vectigal tantum penderent, commeatumque pariter cum ſubditis, ſine ullo navium aut mercium diſcrimine, ſalvo tamen iure ſtationis vinariae, quod ante bellum obtinuiſset. In fluminibus item Hollandicis Zelandicisque commorarentur, venti aut comitatus exſpectandi cauſa; merces quoque vel reciperent, vel exponerent, quocunque modo, & per quoſcumque vellent, plane quemadmodum ante bellum, qui iter facerent, cum ſarcinis omnibus parem ubique immunitatem experirentur; nec deflectere ad telonia cogerentur. Merces, quae in apothecas reponerentur, aut inſtitoribus traderentur, ob navium defectum alio tempore tranſportandae, non plus oneris ſubſtinerent, quam quae ſtatim de nave in navem transferrentur. Specialia beneficia, privilegia, immunitates provinciarum, urbium, pagorum, collegiorum, perſonarumque, quae ante annum* CIↃIↃ LXVI. *neque his capitibus derogarent, ſine nova confirmatione manerent. Vectigalia neque maiora, neque alibi exigerentur, quam ubi & quomodo ante motus boſce receptum. Pignerationes in Hiſpania Belgiove antehac conceſsae revocarentur, niſi denegata palam iuſtitia.* Et haec quidem ita decreta, Hiſpaniſque exhibita; qui acceperunt, ſed cum Rege communicanda; cui rei dati dies XXXVIII. & profectionem Neius ſubſcepit poſtridie Kal. Aprileis. Hinc multis

A

B

C

D

E

F

viſum, *longi operis rem fore, & in dies plures differendam: creditumque nihil interea actum iri, & Hiſpanos per eius abſentiam negotium ducturos, dum de Regis voluntate certi eſsent.* Inter haec in provincias Foederati diſcedunt, Batavorumque comitia dirimuntur; & increbeſcere rumor coepit, veniſſe ab Hiſpania literas, quibus Philippus nuntiaret, *provincialibus hiſce India ſe, & toto illo tractu interdictum velle; item, inſtauratam hic religionem maiorum; quae niſi obtineret, irrita omnia habere, & tractatum inceptum abrumpere.* Hac de re turbari multi, & *de ſumma rep. agi* exiſtimare; *cuius maximum periculum eſset, antiquum cultum in templa revocare, & commerciis Indicis cedere.* Pro quibus varia inter prudentes arbitria, & tuendis multa argumenta. Tam dubio ſtatu Foederati de Britannico foedere ſatagunt, quo res ſuas confirmarent, ſi pace aliquando conſtituta fidem fallere Hiſpanus vellet; iamque rationes ſubductae erant, ac liquebat reliquum aeris alieni ingens hactenus negotii eius impedimentum, videbaturque ſanciri poſſe. Quanquam autem iam Neius in Hiſpaniam veniſſet, regemque IX. Kal. Maias conveniſſet, nihildum tamen referebatur; & XXXVIII. diebus profectioni deſtinatis alii totidem additi fuerunt, praetendentibus maxime Hiſpanis *morbum Neii, tum Lermaei ab aula abſentiam, & Regis in promovendo filio occupationes.* Interim conventum iterum fuit, propoſitumque ab Hiſpanis, *uti commeatus abdicarentur, ad priſtinam formam vectigalia reducerentur, Brabantiaque & Flandria reſtituerentur; ſe pro hiſce Lingam, Salios, & Grollam reddituros.* Sed reſpondere Foederati, in ipſo principio cautum utrinque; VTI POSSIDERENT, ITA POSSESSVROS ESSE. *Hic contra iri; praeterea iniqua poſtulari, & pro plurimis munitiſsimiſque urbibus ac locis, quae obſidionem quam longiſsimam ſubſtinere ſingula poſſent, attegias tantum tres promitti, quas* XXVI. *diebus expugnaſsent. Nil profuturum libertatis titulum, ſi firmiſsimis urbibus propugnaculisque priventur, & commeatus intermittantur, qui ad Reip. defenſionem neceſſario pertinerent;* Summa utrinque contentione res agitata, & diſertis verbis dicere Foederati: *nullo ſe modo acquieſcere poſtulatis poſse. Intereſse Reip. ſuae, ut tam inſigniter ſemel munitam porro tueantur; commeatus quoque ne abdicarentur, per rei maritimae collegia non licere, quae conſtare aliter non poſſent.* Contra obniti Hiſpani, *eam omnino Principibus ſuis mentem eſse, uti ſuprema in haec loca iuris dictio hoc tractatu ipſis cederet: & avertendae fraudis ſuſpicioni, placere, ut ius praeſidii iis locis in proximos aliquot annos habeant, ad Reip. ſecuritatem: atque hoc magni beneficii inſtar eſſe, quod tam benigne Belgium ſuum cum Foederatis partirentur, dum ea iis loca permitterent, quae munitiſsima bello praeterito experti eſsent. Quod vero ad commeatus adtineret, omnino hos intermiſsos velle; quippe pacis, non belli auctores eſse, ac proinde abominari, quaecunque nomina bello inventa ingratam ſemper eius memoriam repraeſentarent: neque item gravio-*

CIↃIↃ CVIII.

ra

Digitized by Google

CIↃIↃ CVIII. *ra commerciorum onera tolerare poſse, quam quae fuiſſent ante annum* clↃ lↃ LXVI. Dum haec diſceptantur non uno conventu, nullus adhuc de Neio nuntius; & elabi tempus, cum indignatione populi, cui interea quaeſtus exiguus prae quam bello. Itaque Foederati ſtatuunt, *ut armiſtitium, quod Maio menſe terminari, in anni finem prorogaretur; Belgicorumque commerciorum ratio propius expenderetur; & bonorum fiſcalium venditorum ac non venditorum reſtitutio diſtingueretur*. Prius illud detrectare ſane multi; *quippe enervari militem tam longa armorum deſuetudine, eludi libertatis vindicias, &, ſi per hanc occaſionem copiae aliquot exauctorentur, exarmari temere provincias, quae ad armiſtitii confirmationem nihil haberent praeter ſola promiſſa Archiducum, eorumve, qui in Regis ſui gratiam, ubi uſus foret, fidem fallere non verentur; porro impares bello inſtaurando reddi, multo magis paci condendae, cuius arbitrium fere penes potentiores*. Nihilominus indicto conventu in XIII. Kal. Iunias, quae commemoravi placita Hiſpanis proponunt: iique capita aliquammulta videntes, *plurium dierum opus eſſe* inquiebant: ſed armiſtitii prolationem admittebant; quum teſtari Foederati, *res ſuas hanc incertitudinem minime ferre; ac decernendum ſemel tandem ante finem Iulii eſſe; niſi fieret, negotium omne intermiſſuros: nec diutius paſſuros, ut patientia ſua ipſi pro libidine abutantur*. Interim ob prolata arma gaudere maximopere Hiſpani, qui ad bellum imparati ne pridem parta rurſum amitterent, tueri ea cunctando quaerebant: exſpectantes dum, advecto ex India auro, ipſi vires recuperarent; Belgae autem, flacceſcente indies quaeſtu, publice pariter ac privatim exhaurirentur. Et iam nonnulla de pace deſperatio erat, quam auxit aliquantum Verreickii diſceſſus, qui *propoſita pridem capita cum Archiducibus communicanda* inquiebat, *ideoque Bruxellas proficiſci debere, brevi rediturum*. Subſpecta haec profectio fuit, & quaeſitus cauſae praetextus credebatur. Rediit tamen, ut promiſerat, ineunte Iunio. Inde in conventu, quum de limitibus ageretur, dixerunt Hiſpani: *velle ſeſe, ut Foederatis in ea, quae in Brabantia Flandriaque oppida tenerent, ius ſummum eſſet, ipſi in ſubiectum territorium haberent; & viciſſim in Linganos, Salios, Trans-Iſelanos, Zutphanienſesque pari modo ſupremae poteſtatis ratio commutaretur*. Mox quum de bonis fiſci mentio fieret, *reddi omnia utrinque* cupiebant, *nec minus clericis, quam qui extra clerum eſſent: eaque in re quod hominibus privatis ius foret, idem concedi Archiducibus, quibus dominia ſua reſtitui oporteret, libere per quoſcumque praefectos adminiſtranda. Ipſos quidem ius ſupremum in unitas Belgii provincias permiſiſſe, ſed dominia, ac patrimonia non donaſſe*. Hic Foederati: *manifeſta ſibi ipſorum conſilia, quae eo tenderent, ut in ſummam egeſtatem provincias involverent, ac deſertas urbes redderent; quippe cives, qui plerumque bona ſua in ſubiectis agris habeant, ut frui iis commode liceat, facile nundinis, &* A *id genus beneficiis, eo pertrahi: atque ita ipſas quaeſtu privatas neceſſario deſolari. Porro ſupremam poteſtatem & dominia diſtinguere velle, hoc vero eſſe Reip. maieſtatem proſtituere; quod, niſi extrema poſſi, non ſolerent*. Quum Hiſpani animadverterent, tam cordate dignitatem ſuam tueri Foederatos, ut remittere aliquid viderentur, a territorii iure, quod ſalvum ſibi volebant, nihil recedentes, alterum de dominiis caput diſtinctione mitigarunt: *& vetera quidem cum ſupremo iure* B *permittere, nova autem reſtitui velle; ea vero eſſe, quaecumque ad duces comites, dynaſtasque Belgii ſpeciali aliquo titulo pertinere conſtaret*. Quae ſingillatim recenſere detrectabant, mox facturi, quum de ſingulorum iure diſſertare inſtituerent. Sed id Foederatis improbatum exiſtimantibus, *in re tam magni momenti clare omnia ac perſpicue proponenda*. Quum diſcedere a ſententia Hiſpani nollent, & Foederati conſtanter urgerent, pluribus colloquiis nihil aliud plane actum C quam de ceteris capitibus quae ſententia partium eſſet ut inquirerent, ac deprehenſa Hiſpanorum in multis tergiverſatione, teſtabantur Foederati: *non ſe circumduci amplius velle aliquid proximo Iulio ſtatuendum, proinde bona fide exponerent, an principes ſuos aliquid in hoc negotio decerni velle cenſerent*. Idque quum illi adfirmarent, multi praeterea ſermones fuerunt, maxime de exauctorando milite extraneo; in quo quum legem nullam neque accipere ipſi, neque Foederatis quo- D que praeſcribere velle dicerent, & reſponderetur, ceteris tranſactis non hoc nimis urgendum fore, a colloquio diſceſſum eſt; moxque adfuit Verreickius, confeſtim Bruxellas proficiſcendum ſibi inquiens, ut curſori Hiſpanico quaedam aurei velleris; cuius ordini ipſe ab actis, cimelia traderet, quae Rex poſcere ad feſti celebritatem ornandam, quo ordinis eius principem conſtituere filium, & regnorum ſuorum heredem pronuntiare decreverat. Subſpicione laboravit profectio, & E non pauci admirari, quae res Philippum aetate viridi, ac liberis quaerendis maxime idonea in cogitationem eam adduceret, tam certa in filio maiori ſucceſſione; adeoque auxit ſubſpicionem aeque inexſpectatus Ianini diſceſſus, licet antea item tentatus, qui Regis ſui iuſſa obtendens, ſerio Foederatos admonebat: *uti Remp. ſalvam praeſtarent, foedusque Britannicum accurarent, nec pacem ullo modo negligerent, ſi honeſtam eam, ac certam obtinere poſſent*. In Friſia turbatum paullulum ſupra diximus, mandatumque Ennoni a Foederatis, ut praeſidio Embdano florenorum quadraginta clↃ. expediret, naves praeterea in Hiſpania per vim detentas relaxari curaret. Ad pecuniam quod adtinet, ea ſoluta. De cetero ipſe Hagam inſtituto itinere, ubi Delphos perveniſſet, occupati Hiſpanico negotio Foederati, *alienum tempus eſſe* nuntiant, *nec rebus eius vacare poſſe*; effectum tamen per Winwodum, ut Hagam Embdani evocarentur; quod illos perculit; ideoque convocati cives ſacramento inter ſe dicunt, *a tractatu Hagienſi haud receſſuros*, CIↃIↃ CVIII.

nec

Digitized by Google

CIↃIↃ CVIII. *nec pro domino Ennonem unquam agnituros, niſi damna illata ſarciret, & bonum deinceps principem ageret*, Huius ſacramenti ſui certiores Foederatos faciunt, iterumque ad cauſam dicendam Enno admitti petiit: ſed fratris Guſtavi morte impeditus, Frantzium ac Wiardam oratores mittit. Ianini diſceſſus multorum animos varie habuit, maxime quum nuntiaretur adveniſſe in Gallias Petrus Toletanus, quem magna conaturum multi praedicabant. Interim VIII. Kal. Iulias ubi conventum iterum eſſet, actum eſt *de urbium, territoriorum, ac collegiorum privilegiis; item de limitibus, utque mari, ad ſecuritatem utriusque partis, bellicae naves ad tertium uſque milliare oſtiis alterius portubusque abſtinerent; terra vero ad mille decempedas nulla in finibus caſtella excitarentur. In Brabantiae & Flandriae oppidis magiſtratus a Foederatis per decennium proximum conſtituerentur, ſalvo tamen iure dominorum, ad quos ea pertinerent: pax autem ſi quae ſanciretur, a quatuor praeſulibus, totidemque baronibus, ac magnis urbibus, quae de ea acta eſsent, ſubſcriberentur; atque univerſi ad adſerendam iuramento ſeſe obſtringerent; ſi quid contra tentaretur, trimeſtre utrinque inſtaurandae concederetur*. Quin etiam incolarum commodis conſultum cupiunt, *utque rebus ordinandis, pace rupta, ſemeſtre haberent*. Sed haec omnia propoſita tantum, non decreta, colloquiumque ad Kal. Iulias reiectum. Tunc de negotio religionis diſceptatum, & modeſtia utrobique indicenda: poſtulatumque, *uti Foederatorum ſubditis idem in Hiſpaniis iuris eſſet, ceteroque Belgio: quod Britanni, pace per Comitem ſtabuli Caſtellanum conſtituta, obtinuiſſent*. Sed hic quoque nil effectum, excuſantibus Hiſpanis, *iuſsa ſibi exſpectanda, mox per Neium adferenda*. Momentum habere res haec viſa Foederatis, reputantibus inſuper quae Peckius, Archiducum in Gallis legatus; ad Regem & Svillium verba feciſset: *nunquam Hiſpano id animi fuiſse, ut Foederatis ius ſupremum tranſcriberet; ea tantum fine factum, ut ad colloquium invitaret, & imaginaria libertatis gratia paci viam ſterneret; ac quamvis ius ſuum ſubſpendi ad tempus aliquod per inducias permiſiſſet, non alia tamen lege permiſsurum quicquam fuiſse, quam integro Indiarum commercio, & reſtituto per Belgium univerſum priſtino ſacrorum cultu. Satis provinciarum ſtatum per legatos didiciſse, &, pace aut bello facile ſuperiorem fore, laborantibus ipſis aerarii inopia, diſsidio inteſtino, & principum vicinorum offenſa*. Haec ex Arſenii, ſui illic legati, literis intellexerant Foederati, cui Villaregius quoque dixerat; per Italiam, Hiſpaniam, Galliasque paſſim iactitare Hiſpanos, *multa ſe etiam ſupra ſpem tractatu iſto conſequutos. Tum Petrum Toletanum adventare, ex Hiſpaniae magnatibus unum, omnibus modis anniſurum, ut, confirmata inter Galliam & Hiſpaniam amicitia, animum regis ab ipſis divertat; eamque rem Pontificem quoque, & Ieſuitas adiutare*. Eadem Caeſari in Germania expoſuiſſe legatum Hiſpanicum cum Brederodius nuntiabat. Sic Foederati, quae Hiſpanorum in tractatu iſto pacis conſilia eſſent, undique diſcunt; & dum de longa Neii abſentia ſoliciti cogitationem ſuſpendunt, Toletanum Lutetiam adveniſſe intelligunt; neque Neium, quem exſpectarant, comitem habere. Igitur maiore cura incumbunt, & ante deſinentem Iulium finem negotio imponere ſatagunt; ſed teſtari iterum Hiſpani; *eiuſmodi cunctationes aulae ſuae proprias eſse: nec tam cito expediri eum poſse; quamobrem prorogaretur tempus, & ſex aliae ſeptimanae extremo Iulio adderentur*. Factum id a Foederatis, ut fidem ſuam, ſinceritatem, ac patientiam omnibus manifeſtam facerent; quamvis rediturum eſſe ipſe Spinola vix ſperaret, multa Regi, Archiducibus, ſibique falſo perſuaſiſſe hominem dictitans. Fregit longa haec abſentia patientiam legati Danici: qui, quum neque a Foederatis, neque ab Hiſpanis induci ullis rationibus ſe ad manendum pateretur, impoſturam ſtomachatus, Kal. ipſis Auguſti diſceſſit. Iam in Gallia Toletanus mandata expoſuerat, & Ianinum rex remiſit, qui legationis cauſam Foederatis declararet: *neque enim aliud agitari, quam ut coeptum pacis negotium perturbaret; ſed ab iſta cogitatione valde ſe alienum eſse; ac teſtatum, pacem Belgii inter primas curas habere, quamobrem lentum hactenus negotium maturarent, & vel qualemcumque tandem finem imponerent*. Ea de cauſa in XIII. Kal. Septembres conventum indicunt, & *de religione maxime, commerciorumque libertate, ac limitibus ceterisque praecipuis capitibus*, definiri aliquid poſtulant. Reſpondere autem Hiſpani, *etiam ſibi id mandatum; & Regi atque Archiducibus placere, uti in provincias unitas ius ſupremum penes Foederatos maneat, dum modo ipſi veterem ſacrorum cultum reſtituant, & india utraque in poſterum abſtineant; de ceteris convenienter reſponſum arbitrari*. Quumque in ſententia perſeverarent, dirempto conventu, reque inter Foederatos, Mauritium, Senatum, principumque legatos deliberata, abrumpere tractatum irrito hactenus conatu placuit; itaque ad X. Kal. Sept. Hiſpanis edicunt: *damnoſa toties, vivo adhuc Philippo II. de pace colloquia effeciſse, ut plus* XXV. *annis, etſi mox Philippo ipſo offerente, eiusque legatis, intercedente etiam Caeſare, aliisque Europae potentiſſimis Regibus ac Principibus, accepta ante damna metuentes, nullam pacis mentionem admittere vellent. Itaque menſe Ianuario anni praeteriti Archiducibus reſpondiſse, quod pridem Caeſari: neque honeſtam, neque certam pacem iniri cum iis poſse, qui libertatem iure vindicatam, adſertam armis, auctoritate confirmatam, imminutum palam irent. Abominari porro quaecumque ea cauſa aerumnae Belgium adflixiſsent, & deinceps adflicturae viderentur. Non ſe ullius mali auctores; culpam penes illos eſse, qui, nullo iuris divini aut humani reſpectu, oppreſsos ipſos omnino cuperent. Poſtea promiſiſse Archiduces, ſalvam libertatem fore; nec iuris aliquid praetenſum iri, quo vel pax inviolabilis, vel induciae longi temporis fieri poſsent. Quumque initio conceſsum eſset per inducias* VNVMQVEMQVE,

CIↃIↃ CVIII.

CIↃIↃ CVIII. QVE, VT POSSIDERET, ITA POSSESSVRVM ESSE: *pace vero, quicquid praeterea paciſci poſſent; de commerciis vero Indiciis, cum conſtanter cedere iis recuſarent, rem Archiduces mutaſſe, pronuntiaſſeque; ſive pace, ſive induciis, eodem omnes iure uſuros; niſi communi conſenſu loca quaedam permutanda viderentur, nulla Indiarum exceptione; atque ita, fundandae paci inhibita arma, adſtrictamque vim militarem; idque ratum ternis literis Philippum ipſum habuiſſe. Inſuper expoſuiſſe ſeſe, facile ſibi, veluti liberarum provinciarum dominis, Dei, Principumque foederatorum auxilio, Remp. ſuam ordinare, & providere, ne quid detrimenti capiat; atque hic primas religionis partes eſſe, in qua innovari quicquam proximo tractatu praeter pacta permiſſuri numquam eſſent.* Deinde ſummatim totius negotii perſtricto progreſſu, ac fraude oſtenſa, per quam ſimplicitati ſuae rectaeque fidei illuſiſſent, ceu laeſa per ſubdolam cunctationem patientia, palam edicunt: *non ultra tricandum videri; ſeſe quidem optima fide cuncta egiſſe; & ad pertractandum negotium animum pacis perquam cupidum attuliſſe. Contra tam praeclarae voluntati ſuae ipſos hactenus defuiſſe; qui nihil minus quam pacem animo agitarent: idque per ſummam conditionum propoſitarum iniquitatem exploratum ſatis eſſe. Quapropter decreviſſe, ne in poſterum patientiam proſtituerent: artes ſuas ſibi haberent; ipſos tutius libertatem in armis aſſerturos eſſe, quam callide illi per pacem evertere conarentur.* Ingratum Hiſpanis hoc edictum, deque praecipiti eius rigore apud ceteros legatos ubi multa queſti eſſent, ii VI. Kal. Septembres in conſeſsu Foederatorum declarare: *omnia ſe, ut iuſſi erant, etſi fruſtra, Belgio tranquillando tentaſſe; porro in mandatis habere, ſi pax forte non ſuccederet, tum de induciis, bello longe utilioribus, uti ſedulo laborarent; quamobrem monitos ipſos velle, ne hoc conſilium aſpernarentur, ſi iiſdem conditionibus impetrare eas poſſent, quibus pacem ſtatuiſſent. Vereri ſe quidem, nihilo faciliores etiam hic Hiſpanos fore; veruntamen effectum iri, ut & ipſi arma iuſtius reſumant, & opera in conciliandis a principibus ſuis poſita clarius tanto eluceſcat. Itaque expenderent, quae in commune conſuluiſſent; & inducias admitterent, haud minus pace profuturas; deinde, aliquid etiam amicitiae eorum darent, quorum intererat remp. ipſos quam maxime florentem habere.* Sic digreſſi Hiſpanos adcedunt, eadem illis quoque ſuaſuri. Vtrinque tempus deliberando poſtulatum, mox reſponſum a Foederatis: *placere conſilium, & de induciis agere paratos, dum caveretur, finitis iis nihilominus libertatem ſalvam fore; alia conditione nunquam acturos.* Ab Hiſpanis vero exceptum; *non id ſibi mandati eſſe, itaque Bruxellas miſiſſe & reſponſum intra quartum diem fore:* Eo adlato mox exponunt: *non placere Regi, aut Archiducibus, ut in induciis conſtituendis libertatis titulus concederetur, nedum religionis avitae, aut Indiarum reſtitutio negligeretur. Miſiſſe tamen in Hiſpaniam Archiduces, uti ſententiam Regis explorarent, de qua ante deſinentem Septembrem certiores eſſe poſſent; idque tempus exſpectare ipſos velle, ſi Foederati moram tantillam indulgerent. Quin, ſi mallent, Archiducum nomine ſeptennales inducias ſtatuere paratos, veluti praeſentis armiſtitii continuationem; quo cum plena libertatis aſſertione ſemel decreto, eius mentionem repeti nil neceſſe: quam ſi urgerent, alienis Hiſpanorum animis, negotium difficillimum fore. Quod vero ad commercia Indica pariter atque Hiſpanica adtineret, Archiduces promitterent, operam ſe daturos eſſe, ut ad praeſcriptum induciarum tempus decreta de iis rata Hiſpanus haberet, de ceteris capitibus rationi conſentanea ſtatuerent, ſi bimeſtre tantum concederetur percunctando, an commercio Indiarum Foederati per indulgentiam Regis, an vero per vim atque arma uſuri eſſent; quod ſi audire propoſitum hoc nollent, tum pro ipſis intercederent, uti ad extremum Septembrem manere liceret.* Legati quum prius obtineri poſſe deſperarent, poſterius petierunt; idque conceſſum ſatis gravate, teſtantibus Foederatis: *maluiſſe ſe, uti Bruxellas profecti Hiſpani iuſſa illic Regis ſui expectarent; ſed in Regum principumque confoederatorum gratiam paſſuros, ut ad proximas Kal. Octobres Hagae ſubſiſtant. Hanc ſupremam tempeſtatem fore, neque ulterius moraе ſpatium impetratum ullum iri. Fruſtra eſſe, qui circumducere ipſos vellent, ſatis exploratum habere, fraudes meras agitari. Speciosis initio promiſſis adductos, ut aures animosque ad pacem inclinarent: nunc nil minus cogitari. Pacem in inducias, illam in armiſtitiis prorogationem commutari, nulla libertatis mentione, in qua ſumma rei verteretur. Nollent certe exiſtimare, aut prudentiam ipſis deeſſe ad deprehendenda tam callida conſilia, aut animum ad recipienda arma; quae ut aegre ſumpſerant, ita niſi cum laude & gloria eſſent poſituri.* Indignari etiam Mauritius, qui etſi amantiſſimus pacis, animum tamen ab hoc tractatu alienum ſemper habuit, quia diſſidium inteſtinum, & alia quaedam mala metueret, ceu negligentioribus armorum, & defenſionis ſuae, omnibus deinceps futuris. Praeterea dolum verebatur, evidenter aliquo modo hac cunctatione proditum; quamobrem datis ad urbes ſingulas literis ſerio omnes ad fortitudinem ac conſtantiam exhortari: *nunc enim illud tempus eſſe, cum deſeri Reſp. non deberet; neque iis auſcultandum, qui inducias aut tam utiles praedicabant, ut contemni non deberent; aut ita neceſſitatem publicam exaggerabant, ut fere defenſionem omnem ſuperaret Satis adhuc virum reſtare, neque indecore cum hoſte propterea paciſcendum, ad provinciarum perniciem, quae quavis neceſſitate gravius ſit adflictura. Proinde patres ſuos imitarentur, qui vel in maiora pericula olim adducti, nunquam tamen conſilia huiuſmodi admittere voluiſſent. Vindicias quoque libertatis conſiderarent, quae ne dubiis verborum latebris eluderentur, providerent. Summa hic claritate opus eſſe, nec diſceptari ab hoſte debere, ſi ſine dolo agere cenſeri vellet.* Interim mandata Hiſpani ab Archiducibus nova accipiunt, tentantque per Richardotum lega-

CIↃIↃ CVIII.

to-

MDIC CVIII. torum animos, inquientes; iussisse Archiduces *cum Foederatis, veluti nullius iuri obnoxiis inducias septennales fieri, liberis per Europam totam commerciis, & salva utrinque partium possessione; sperare etiam, approbaturum id Philippum, etsi mandata ab eo nulla.* Sed ubi libertatem commerciorum etiam extra Europam, & per utramque Indiam, cum plena iuris cuiuscumque renuntiatione urgerent legati cetero quin Foederatorum persuadendorum spem nullam esse, iique hoc mandati datum sibi negarent, edixerunt, ne quid amplius sperarent, vanum ceterum conatum fore, neque permoveri a se Foederatos posse. Quo intellecto, conloquium apud Verreickium habent, & discessum statuunt. Itaque salutato prius Mauritio, & legatis, pridie Kal. Octobres Foederatos quoque adeunt, ibique Archiducum sinceritatem, & propensam ad pacis negotium voluntatem, magnopere extollere Richardotus; Foederatorum contra abruptum rigorem & duritiam accusare; hortarique: *bene rem perpenderent, & oblata recte considerarent, neque ita temere reiicerent, multis mox precibus impetranda. Praecipitis consilii certam semper poenitentiam esse; deinde, si redintegrando bello causam praeberent, rationes iis reddendas tot imminentium aerumnarum.* Contra obiicere Foederati: *optima fide omnia egisse, & pro vetere gentis suae simplicitate. Ipsos potius in culpa esse, qui praestare libertatem, initio verbis tam speciosis oblatam, nollent; sine qua admissi nunquam fuissent.* Hinc interloqui etiam Spinola, & post pauca eius verba, de suo quoque erga pacem publicam adfectu, dicta utrinque salute, discessum est. Sane invitis Hispanis hoc fuit, petierantque a legatis, ut suo nomine decem tantum dierum moram impetrarent; eamque ad rem etiam in Gallia apud Regem Toletani opera usi erant, sed nullo successu. Itaque eo ipso die, apud Mauritium pransi, post meridiem discedunt, relicto a Richardoto mandatorum quae ab Archiducibus habebat, exemplari; quod consulto, an imprudenter factum, varia coniectura erat. Interim vero dum ita ab armis cessabatur, militi tamen inter se grassari licuit; atque ita Sidleniscius, Graviae praefectus, dum prono Mosa Vornam devehitur, captus Silvam ducis adducitur. Wernerus Bosius, militaris senatus praeses, Geldermalsa e convivio domum rediens, per viam oppressus, quum accipere vincula nollet, vitam dedit, vir belli peritus, animoque promptus, ac manu. Adolphus Nassovius, e Lutzemburgensi agro revertens, & Rhenobercam praetergressus, salutato militari more praesidio, dum in propinquo pago noctem agit, periculi securus, inopinato opprimitur; & fortiter magis quam feliciter pugnans, sibi mortem non in gloriam, suis victoriam acquisivit Quamvis autem iam discessu Hispanorum spes de pace universa concidisse videbatur, non destiterunt tamen Galliae ac Britanniae legati; &, quando de pace irrita consilia omnia essent, inducias suaserunt. Quumque periculosas eas Foederati existimarent, scrupulum eximere Ianinus fategit, & MDIC CVIII. diffidentiae iustissimas causas obponentibus respondit: *quod si fidem Hispani fallerent velle ac posse regem suum quemlibet cum ipsis tractatum inire, ac Remp salvam praestare.* Quin per literas ipse Rex suadere enixe, *uti inducias ne reiicerent, quas paciscisalva libertate possent.* Idem etiam Britannus facere, interminari quoq; visus, *nisi consilio parerent, auxilia deinceps nulla illic habituros.* Mirari multi vehementiam, quippe *pacem non tam serio agitatam, in qua tamen plus securitatis esset; ea enim semel constituta, sine nova aliqua offensa. aut violata etiam fide, bellum instaurari non posse; quae res indignationem animis populi diffidentiamque adferret. Contra in induciis fieri, quibus finitis sine probro, aut calumnia, arma recipere permissum esset; Tum in integro omne ius, ceu numquam abdicatum, esse; insuper metuendum etiam, ne recte exactis, populus fidem ab Hispanis servari expertus, animum ad illos inclinaret, & excussum semel iugum facilius reciperet,* Sed haec dimovere legatos a proposito non potuerunt, eoque res ab iis perducta, ut de induciis ad XII. annos statuendis, secundum XV. illa capita, quae exhibuerant, porro ageretur; prolatoque armistitio negotium iis quibus antea, demandatur: idque X. Kal. Ian. inchoatum, spondentibus legatis, *curaturos Reges suos uti effectum pacta haberent.* Hac de causa Mancicidorius iter in Hispaniam fecerat, & reversus a Philippo mandatum adtulit, *ne induciae longae fierent; tantum ut hactenus armistitium proferretur, & commercia in Hispania libera essent; extra Europam, atque in mari mediterraneo, arma porro grassarentur.* Ea res Zelandis placuit, sed non aliis, & diffidium ingens erat, adeo nonnullis ad pacem aut inducias pronis, quasi extra illas salvam Remp. habituri non fuissent. Huc adcedere, quod *duodecennes inducias provincialium omnium animis tantum pacis atque amicitiae mutuae studium imposituras* existimarent, *ut ad arma resumenda adduci in posterum nunquam possent.* Aliis graviore periculo laborari videbatur; quippe *Archiducibus facile auctoritatem per praesidia vindicare, & obedientiam subditis suis extorquere, quandoquidem ex eorum nutu & voluntate Ordines provinciarum penderent: at Foederatis metuendum, ne constantia populi labefactaretur, aut dividerentur animi: quod facile sane eventurum in Gelria, Transisselania, & ditione Groningana, ubi per vim imperata arma, & penes nobilitatem maxima potestas; quae agris tutandis, in quibus fere omnes eorum facultates, & periculo evitando, partes mutatura.* Huc accedebat provinciarum in pecunia deinceps conferenda discordia; & in maximum sane discrimen Resp. adducta videbatur: neque diffidium duntaxat animorum erat, sed ita quoque & exasperatio, gravissimi semper mali irritamenta: iamque Archiduces id quod optaverant consequutos existimare aliquis poterat, fracta illa antiqua concordia: & actum fortassis de Rep. tota erat, nisi eius Fortuna, conciliatis iterum animis, iam nutantem substinuisset; quamobrem

Digitized by Google

CIↃIↃ CVIII. obrem conſenſus communis fuit: *adfectus privatos publicae utilitati donare, & conditionibus aequis animum ad inducias vertere*. Brabantiae etiam, Flandriaeque, ac ceterarum provinciarum Hiſpanicarum Ordines, Archiducibus repraeſentabant: *maximam belli calamitatem, militum non ſoluto ſtipendio intolerandam plane licentiam. Dandam feſsis aerumnarum aliquam quietem, & reſpirandi tempus. Satis hactenus graßata arma, & conculcatas leges eſse: illis modum tandem ſtatuit, his decus ſuum reddi oportere. Praeterea, finire tot annorum miſeriam, ſeculi totius beneficium, & immortalem principum gloriam eſse, quam trophaea nulla aequarent*. Hoc rerum ſtatu Germaniae principum legati diſcedunt, ceu pacem iuſſi, non inducias adiuvare. Circa hoc tempus in Britanniam adpulit, a Philippo miſſus, Ferrandus Gironus, eques Melitenſis, qui de opera Belgicae pacis negotio impenſa magnas Regi gratias ageret; quod in Gallia Toletano quo que mandatum. Interim ſedulo laborari ad conciliandas partes, & legatis ſuis mandare Foederati, propoſita capita ut refingerent, viderentque, ſi quid in verbis ſine Reip. fraude mutari poſſet: ut Antuerpiam profecturi legati Regum eventum denuo tentarent, & explorarent, an vel iſthoc modo ad rem ex aequo & bono tractandam permoveri ſe Archiduces paterentur. Ac poſt multam diſceptationem profecti illi quinto Eid. Februarias Antuerpiam venerunt, ubi colloquia habita plurima, nec paucae difficultates obiectae: iamque res in praecipiti eſſe, quum ecce praeter ſpem quodammodo Fortuna publica animos coniungit, decretumque, uti ad pertractandas inducias legati utrinque Antuerpiae adeſſent. Et advenere non multo poſt a Foederatis, quos Spinola, Mancicidorius; & Verreickius per quam honorifice exceptos in aedes Fuggerorum deducunt, ubi hoſpitia deſignata. Conventum illic aliquoties fuit, atque paucis poſt diebus factae XII. annorum induciae, certis legibus, quas Rex, Archiduces, Foederatique, ratas ſe per literas habere teſtarentur; eaſque ſolemni forma ſcriptas, Archiduces quidem & Foederati intra primos IV. dies, rex Philippus intra tertium menſem daret; idque ſimul ab Archiducibus Foederatisque factum foret, tum induciae conſtitutae promulgarentur. Atque ita terminatum bellum eſt, quo aliud gravius hiſtoriae non habent. Comparemus enim, quae omnibus ante ſeculis geſta, iſtupvincet. Primam ſibi armorum laudem Roma vindicat, totius orbis imperio nata, & diu varieque pugnavit; ſed viribus ſemper aequalis hoſti, ſaepe ſuperior. Foederati contra omnibus modis longe inferiores; & quos contemnere hoſtis poterat, certe metuere non debebat, niſi quatenus oppreſſum per omne nefas populum iuſta ira ac deſperatio erigit plerumque & potentem facit. Varia illis rerum, & praeliorum fortuna; aliquando victores, ſaepe victi; ita tamen, ut virtus ipſis ſua conſtaret, & animus vetus tuendae libertatis, quem vis nulla, nulla pericula, aut aerumnae perculerunt. Mactae conſtantia iſta animae excelſae! vos Deus & virtus veſtra ſervavit, ac cum iſta externorum principum auxilia. Poſitis vero hunc in modum armis, & adſerta libertate, Foederati, quibus inter reliquas virtutes prima pietas, pridie Non. Maii per imperii ſui provincias grates Deo agendas, & ſupplicationem decreverunt, ut ſtabilis ipſis tranquillitas iſta publica maneret, & mox pace aliqua certa firmaretur, integra religione, magiſtratus auctoritate, & provincialium concordia. Et merito gratias agimus tibi, AEternum Numen, quippe abs te factum eſt iſtud, & viſum eſt mirabile in oculis noſtris. At vos Heroes, & Reip. huius dii Soſpitatores, Ordines Foederati, voſque eorum legati, Guglielme Naſſovii, Walravi Brederodi, Corneli Genti, Ioannes Barneveldi, Iacobe Malderaee, Gerarde Reneſſi, Ioannes Slothi, Gelli Hillema, Abele Conderſi, ſalvete ſalvete illuſtria nomina. Gratias vobis agit immortales patria univerſa pro beneficio incomparabili, quod a poſteris in Aeternitatis tabulis perlegetur. Vos etenim in induciis hiſce conſtituendis fide ſumma laboraſtis, & negotii univerſi molem maxime in vos inclinatam ſubſtinuiſtis, prudentia admirabili, patientia incredibili, conſtantia ineffabili; & quam nunquam Invidia concuſſit, aut Calumnia. Salvete iterum, Heroes praeſtantiſſimi, qui odii atque gratiae popularis pariter ſecuri, rectam virtutis viam inſiſtentes, non ſpe aut metu impelli vos poſſe oſtendiſtis; neque ante quieſcendum exiſtimaſtis, quam quietem ipſi, poſt tot annorum bella, patriae communi veſtra opera redditam eſſe videretis. Adfirmo vobis, in memoria hominum erit virtus veſtra, & tam praeclara in Remp. merita nulla unquam aetas ignorabit.

CIↃIↃ CVIII.

FINIS.

Digitized by Google

Hiſtoriam Induciarum Belli Belgici ſupra exhibuimus, qualem iam IOANNES MEVRSIVS *retractavit, atque anno* MDCXIV. *edidit cum Belli Belgici Hiſtoria coniunctam, ita ut quinctum huius librum efficeret.* MEVRSIVS *enim Hiſtoriam Induciarum ſcripſerat, & anno* MDCXII. *publici iuris fecerat; ſed quum Batavis, quorum Ordinibus dicaverat, minus placuiſſet, atque ita eorum indignationem vereretur, alio ſtilo eam literis iterum mandare adgreſſus eſt, talemque refinxit atque refecit, qualem ſuperius cum libris de Bello Belgico coniunctam edidimus. At huius editione nos contenti non ſumus: ut omnia Meurſiana in hac collectione habeantur, & illa Induciarum Hiſtoria heic ſubiicienda eſt, quam prius ille elucubraverat. Adde quod & rem gratiſſimam Eruditis nos facturos ſperamus, quod libellus perrarus, & paucis notus, evaſerit; & in maximo pretio ab omnibus habeatur. En igitur priorem illam Hiſtoriam adtexi-mus.*

Digitized by Google

RERVM BELGICARVM
LIBER VNVS
IN QVO
INDVCIARVM HISTORIA,
ET ANNI NONI RELIQVA.

Digitized by Google

RERVM BELGICARVM

LIBER VNVS.

EVROPAE non ignobilis pars Belgium noſtrum eſt, quod variis olim Principibus ſubiectum, matrimoniis coniunctum, obtigit feliciſſimae per tria ſecula domui Auſtriacae, ſed quae fortunam ſuam in Carolo V. implevisſe videtur. Is, ſive aetate fractus, ſive regnandi ſatur, quum exſuere potentiam vellet, diviſit; & Imperium, cuius ſucceſſio propter dubia Septemvirorum ſtudia non adeo certa videbatur, in fratrem Ferdinandum; Hiſpanias, ceteraque item regna, ac Belgium, veluti hereditatem certiſſimam, in Philippum filium tranſtulit, etſi conſilii mox parum conſtans. Nam penitus quum rem attenderet, obnoxium magnitudini ſuae Imperium iudicabat, & arcana quadam neceſſitate obſtrictum Germaniae ſtatum, ut non aliunde Caeſarem legeret, quam e ſua domo, cuius ipſe tunc princeps, & poſt eum futurus filius. Hoc igitur modo Philippum principem Belgium accepit, & cum eo turbas, per quas ſub pluribus legatis varie adfectum. Cauſam praebebant, & mutata religio maiorum, & ad obprimendam iſtam imminuta privilegia. Quippe commovit illa res animos populi, cetera placidos, neque moveri faciles: itaque initio reverens principis iniuriam ſuam ipſi repraeſentat, & vim deprecatur, ſupplicatque, uti ne vexari ſe tam indigne, neve obprimi, praeter ius faſque permitteret. Verum ubi reiectis precibus nihil tyrannis remitteret: poſt exhauſtam ſpem profligata patientia iram accendit deſperatio, armaque ſumta, extrema vitae ac libertatis tutela. Arduum ſane id bellum fuit, & quale vix ulla tempora viderunt; nec fidem adeo poſteritas habebit, quum ſcriptum leget optima fide. Tentata quidem aliquoties pax fuit, ſed quam inſtabilem ſemper reddidit fraus Hiſpani, cui decretum, virtute an dolo, evertere omnino populum, ut interpretabatur, reum maieſtatis. Et effecit ea res, ut pacem ab Hiſpano poſtea ſaepe oblatam veluti inſidioſam adſpernaretur, vel ipſo Caeſare fruſtra adlaborante. Tandem tamen, ſed vindicata libertate, animum inclinavit, & induciae factae ſunt annorum XII. ingenti illae molimine, & dubio aliquandiu eventu; quippe tam grave, ac diuturnum bellum, magnis hinc inde animis geſtum, niſi difficulter componi non poterat. Quin inter ipſos Ordines quoque diſſenſus: & bellum hi praeſtare contendebant, iſti pacem; bono utrique in Remp. adfectu. Ac negotii quidem univerſi principia, progreſſus, finisque, ad hunc ſe modum habuerunt. Pertaeſus iam bellandi Hiſpanus, adverſus populum pro libertate agere quidvis & pati certum, quum arma ponere in animo haberet, gnarus, pro vetere verbo, pacis negotium melius ſub clipeo procedere, ut cum dignitate id facere poſſet, ultimas poſtremum vires tentare ſtatuit; idque quum fortiter pariter atque feliciter feciſſet, iamque ulterius perrecturus putaretur, parum tuto fortunae beneficio prudenter utendum ratus, pacem obtulit. Venit primo eam in rem Hagam Comitis menſe Maio CIↃ.IↃ.C.VI. Wiravius Wittenhorſtius, Horſtii toparcha: ſed re infecta dimiſsus, rediit deſinente Decembri cum Ioanne Gevarto, I. V. L. & indicavit; mandatum ſibi, uti de pace ageret, ad quam omnino Archiduces inclinarent, feſſi bellorum ac cladium; idque conditionibus aequiſſimis, & quas reiicere Foederati nullo modo poſſent, nihil ipſos petere, quod non optimo iure liceret; proinde poſtularent, quae ad ſecuritatem ſuam pertinere arbitrarentur, ipſos dum aequitas conſtaret, rata omnia velle. Igitur, ſi pacem cuperent, aut potius inducias, locum tempusque deſtinarent, ipſis id volentibus futurum. Quod ſi clam quoque, & per paucos, quam propalam agere mallent, ipſos item paratos eſſe, acturosque optima fide. Sed ne ſic quidem aliquid effectum eſt. Nam quum literas ad Foederatos nullas haberent, ulterius progredi conſultum non videbatur, amplioribus proinde mandatis opus eſſe. Quamobrem confeſtim Bruxellas profectus Gevartus literas adtulit, quae de Archiducum propenſa ad pacem voluntate plenam fidem facerent. His adlatis, ut publice audirentur, petiverunt: quo conceſſo, Foederatis mandata expoſuerunt, cum adhortatione, conſiderarent aleam belli, itaque pacem aut inducias amplecterentur, & priſtinam Belgio tranquillitatem felicitatemque redderent. Reſponderunt illi, quamdiu in foederatas provincias ius aliquod praetenderent Archiduces, nihil effectum iri: univerſo orbi conſtare de libertate ſua, nihilque in eam ipſis amplius competere, quam quod vis atque arma dediſſent: quin ſibi potius recuperanda eſſe, quae per vim fraudemque erepta, cum violatione ſolennis edicti, quo graviſſimis iuſtiſſimisque de cauſis in libertatem adſertum eſſet Belgium, confirmantibus id rebus, quae annis XXV. proximis publica auctoritate geſtae quamplurimae, & contractibus cum potentiſſimis Europae Regibus, ac Principibus. Quamobrem in praeſens reſpondere ſe aliud non poſſe, quam quod Caeſari aliisque Principibus feciſſent; nimirum, neque pie, neque honeſte, neque tuto, agere cum iis poſſe, qui contra hoc edictum in

pro-

Digitized by Google

provincias suas aliquid praetendere non de-
sisterent: testari porro, non sibi imputari
debere, si quae incommoda ingruant, dum
ad causae iustissimae defensionem arma reti-
nent. Hoc modo dimissi discesserunt, relaturi
mox responsum, quod accepissent. Postea Foe-
deratis per literas Wittenhorstius significa-
vit, non eam Archiducibus mentem esse, ut
conditionem suam meliorem faciant, aut ali-
quid denique iuris in provincias foederatas
praetendant, sed libertatem salvam fore: ita-
que si vellent, hoc pacto agere cum ipsis
paratos esse. Extremo Februario in Hollan-
diam venit P. Ioannes Neius, ordinis Mino-
rum Praefectus generalis, & Riswici, qui
pagus dimidio milliari Haga distat, clancu-
lum primo commoratus, ideo se missum in-
dicavit, uti resciscceret, quae causa inutilem
Wittenhorstii operam reddidisset; privatim-
que cum Mauritio Principe colloquutus Ha-
gam adcedere iussus est; ubi, sermone cum
quibusdam communicato, iterum admissus
exposuit, non Archiduces ius suum auctum
ire, non Foederatis derogatum. Hic, quum
indicatum esset, necessarium fore, uti statum
hunc illi liberum adgnoscant, pronuntient-
que si aliquid effectum vellent, promisit; quo
caedibus in posterum ac rapinis parceretur,
daturum se operam, ut ipsis id persuadeat.
Ivit itaque, rediitque, cum hoc responso:
Archiduces, quibus nihil magis in votis,
quam positis armis pacatum semel tandem
Belgium videre, foederatarum provinciarum
libertatem adgnoscere, neque quicquam in
illas iuris sibi adrogare; eoque nomine agere
cum ipsis velle, sive de perpetua pace, sive
de induciis ad xii. xv. aut xx. annos, ex ar-
bitrio Foederatorum: & negotio pertracta-
to utrinque uti possiderent, ita possessuri es-
sent, nisi de communi hinc inde consensu ur-
bium locorumve permutatio quaedam insti-
tuenda videretur. Delecturos huic rei indi-
genas, quibus parem quoque numerum op-
ponerent Foederati, tempusque item ac lo-
cum pro suo arbitratu adsignarent. Vtque
melius negotium procederet, ad proximum
octimestre armistitium indicturos, quo ab ob-
sidionibus, invasionibus, excursionibusque
desisteretur, munitiones etiam novae nullae
fierent; quin porro effecturos, ut intra tri-
mestre consensum hac in re Hispaniarum Re-
gis scripto consignatum sint habituri: ea ta-
men lege, ut intra octavum diem armistitium
Foederati ratum habeant; ante ineuntem ve-
ro Septembrem de universo negotio, eiusque
tractandi loco ac tempore decernant, de-
cretumque scripto exhibeant. Foederati con-
ditionibus his auditis, re cum Mauritio &
Senatu communicata, responderunt: se li-
bertatis suae adgnitionem accipere, item ar-
mistitium, & quae offerrent cetera. Inde ur-
bium suarum munitionumque praefectos hu-
ius rei certiores faciunt, & arma ponere
in proximos octo menses iubent; per pro-
vincias autem solennem publicis ieiuniis &
precibus diem indicunt, supremum Numen
supplices veneraturi, ut subscepto negotio
det eventum, sacro-sancto nomini suo glorio-
sum, Reip. salutarem. Circa xxiv. vero A-
prilis Lilloum mittunt Theodorum Verdoe-
sium cum literis, quibus armistitium octime-
stre comprobarent, confirmarentque, ac-
cepturum ibidem in rem eamdem literas Ar-
chiducum, quas Neius mox adtulit, sed so-
lennibus neglectis scriptas: unde, quum reci-
pere eas Verdoesius gravaretur, Bruxellas
confestim misit, qui alias convenienter ex-
pediri curaret; quod etiam factum. Sic do-
mum rediit, & cum eo Neius, cui com-
missa interpretatio; quo quamvis difficulter
ad audientiam publicam admisso, actum de
finibus armistitii fuit, enuntiatumque, por-
rigere se illud per mare Oceanum, ad insu-
las Hesperidas usque: & initium quidem hu-
ius rei futurum a xiv. mensis Iunii, post
quod tempus praedas omnes, praeter na-
ves bellicas reddendas, item naves ad infe-
standam Hispaniae oram missas, adlatis inde
adprobationis literis, revocandas esse: por-
ro ut mari, ita quoque terra distincti utrin-
que limites, quibus miles contineretur. Re-
bus hunc in modum gestis Neius discessit.
Magnumque hic gaudium passim toto Belgio,
cum votis omnium, & precibus, daret Deus
semel tandem finem bello tam diuturno, ac
cruento. Quin & in vicina regna delatus ru-
mor admirationem magnam excitavit, quum
nesciretur tam subitae mutationis causa, cre-
dique non posset, adeo debellatos esse vel
Archiduces vel Foederatos, ut aut illi tam
magna offerre, aut hi bona fide oblata ani-
mum inducerent. Augebat admirationem se-
cretum rei, quae neque per legatos sciri pos-
set, nam paucorum utrobique negotium erat.
Itaque a Galliarum rege missi praeter Bu-
xenvalium Ianinus & Russius, qui voluntа-
tem erga Foederatos propensam commemo-
rarent, & constantiae testanda promitterent
deinceps, vel proferendo bello iusta auxilia,
vel paci componendae utilia consilia, cuius
fructum ut integrum perciperent, auctorita-
te se sua illos adiuturum: peterent item, ut
aliqui ex ipsis deligerentur, cum quibus con-
silia sua conferre, & providere pariter pos-
sent, ne quid Resp. detrimenti caperet. Pla-
cuit legatio, & decretum, uti manerent pro-
movendo negotio, deputatique cum quibus
agerent. Simile quoque auxilium a magnae
Britanniae rege postulare visum est, missi-
que eo Ioannes Berckius, urbis Dordrace-
nae Syndicus, & Iacobus Maleraeus, Heiesi
Dominus, quum ordinario illic legato, Natali
Caronio Schonewallio, qui honorificentissi-
me excepti, cum mandata exposuissent, re-
sponsum a rege retulerunt, collaturum li-
benter, quicquid e re ipsorum publica iudi-
caret: & destinatos negotio praesenti Richar-
dum Spenserum, & Rudolphum Winwo-
dum, Equites, qui mox sequuti. Per id tem-
pus laboratum ab Archiducibus, ut quae
hactenus egissent, quaeque porro acturi es-
sent, Hispaniarum Rex rata habere vellet:
eamque in rem adlatae inde a Birago, qui
Spinolae ab epistolis, literae eius, quibus &
rata se habere omnia, & regia fide obser-
vaturum adseveraret eas literas, commeatu

prius

Digitized by Google

prius impetrato, detulit; exhibuitque Verreickius, rogans insuper, uti classem, quae Hispaniae oram infestabat, revocarent. Vbi apertae illae, lectaeque, deprehensum est, fraudem factam, quam scribae iniuriam Verreickius inquiebat, Bruxellis etiam animadversam ab Archiducibus, qui tamen fidei testandae, quum adprobationem universalem complecterentur, mittendas vel ea forma censuissent: nihilominus, si id urgerent, producendas mox alias ad ipsorum arbitrium; darent sex dierum tempus, ad exspectanda propiora mandata. Eo impetrato, persuadere postea conatus est, ita scriptas esse, ut satisfacere ipsis bono iure deberent; nihilominus misisse denuo in Hispaniam Archiduces, qui Regi rem exponerent. Instabat etiam vehementer, uti classem revocarent, & hanc Archiducibus gratiam facerent. Deliberatum hic aliquamdiu, responsumque; omnibus modis fraudem in literis factam videri peccatum in earum forma, qualitate, & substantia, omissa aliquot verba, non Gallice scriptas, non Regis nomen subscriptum; non maiori sigillo obsignatas; non denique universalem totius negotii approbationem continere; neglectam quoque libertatis mentionem, quam Archiduces feciſſent; quamobrem statui abs se nihil posse ante Kalendas Septembreis. Formulam item exhibebant, Germanica, Gallica, & Latina lingua, ad quam approbatio regi scribenda esset, antequam agere quicquam ultra possent. Tunc autem ad decernendum tantum ipsis temporis concedi debere, quantum inter IX. Kal. Sextiles & Kal. Septembres intercesset: placere tamen in gratiam Archiducum, ut ab Hispaniae ora classis revocetur, praedaeque, post VI. proximas septimanas factae restituantur. Cum hoc responso Verreickius discessit, animis omnium spei plenis, post inhibita iam passim in Hispania & Belgio arma, vel pace negotium, vel induciis terminatum iri, quamvis nonnulli, rerum magis periti, aliter iudicarent; rem arduam & intricatam esse, animis in sua commoda intentis: nonnulli autem, quibus Hispanicae potentiae magnitudo ob oculos versabatur, credendum non putabant, fore, ut pactis Hispanus assentiretur, verum fraudem hic aliquam subesse; alii contra, tam multi sanguinis, & CXX. milionum impensam, tot motus militares, aeris alieni magnitudinem, pecuniae inopiam, continuam Hispaniae infestationem, imminentem Indicorum commerciorum aut ereptionem, aut perturbationem, impellere tanti Regis animum potuisse, maxime, quum apud Foederatos potentissima XXXVI. annorum societas adversus Indias Occidentales institueretur, quae res Hispanicam magnitudinem fractura existimabatur. Ea de causa sapienter Regem atque Archiduces facere, qui amissa iam sectari desinerent, quum non alia ratione ad pacem tractandam induci possent, metuendumque insuper esset, ne aut imbecillitate sua, aut vi aliqua maiore compulsi ad Gallum confugerent, cuius protectio periculum haberet, & ceteris aliquando Belgii provinciis Hispanum expulsum cumbatur. Longe igitur praestare, meliorem partem cum pace possidere, quam tam locupleti accessione Galliam firmare, quae Hispanici nominis auctoritatem ac terrorem non leviter imminutura videbatur. In foederatis provinciis multi prudentes serio rem agi persuadere sibi non poterant; itaque displicere iis tota tractatio & existimare non alium finem fore, quam ut sub Hispani dominatum relaberentur, idque iam a multo tempore clam agitatum; & inducias, aut pacem, tantum restaurandis viribus fieri; non facile salvum esse statum publicum posse, aut regimen provinciarum firmum; non ingruentes difficultates cum auctoritate expediri; non prorogari tributa, si in suis ea provinciis Archiduces minuerent, non conservari imperium maris, si commeatus ac vectigalia tollerentur. Iis continuatis periculum esse, ne commercia rarescerent, eo plerumque transire solita, ubi minimum exigitur. Non facile etiam armari Reip. ministros adversus corruptelas Hispani, quae iam tum se proderent; perituram esse disciplinam militarem, nec, si fidem Hispanus frangat, libentem armorum fore populum, eviratum pacis intervallo. Interim Hispaniae imminebat classis Belgica, de qua revocanda sedulo laboratum erat, ut Hispanicis navibus in utramque Indiam euntibus, ac redeuntibus secura esset profectio: quae res praeterito Iunio obtineri non potuerat, hoc tantum indulgentibus Foederatis, revocandi fore, quum primum Philippus praesentem tractatum ratum se habere per literas esset testatus: quae dum expectarentur, nulla illi vel auxilia vel commeatus subveherentur, & hoc revocationis instar esse; nam iis subtractis redeundi necessitatem imponi; quamvis adprobaturum, quae acta erant, Regem multi dubitarent, potissimum ubi bello armari naves viderent, in Hispania & Belgio, in Luciferi fano, in Gadibus, Vlissiponae, Gerundae, & Dunkercae. Archiduces motus militares componere satagebant, adlatis ex Hispania, DCCIO. aureorum, & militem supervacaneum exauctorabant, Hispanis Italisque retentis, quos per praesidia distribuebant, opulentioribus urbibus ea redimentibus. Idem factum a Foederatis in Britannis, & ceteris extraneis, quorum infrequentia signa; item in Liburnicis, quarum mox partem iterum armarunt, continuandae in Indiam Orientalem navigationi. Embda hoc anno solverant naves complures Occidentem versus, quae pleraeque in Hispania & Lusitania detentae, ac si ad Hollandos pertinerent, aut Ennoni Comiti suo rebellarent, a quo tamen commeatum frustra obstendebant: & earum nonnullae rursum dimissae, nonnullae graviter vexate, vectoribus partim ad remos adductis, partim ad operam regi in bello ac navigatione Indica aut Brasiliana navandam. Perculit huius cladis nuntius Embdanos, & populum adversus magistratum concitavit, praesente illic Ennone, qui eo nomine in tumultus excitandi subspicionem venit, quum praesto haberet utrum-

Digitized by Google

trumque fratrem, & in propinquo praesidium Linganum. Quamobrem Foederati milites urbi auxiliares MCIↃ. Ennoni aeneatorem cum literis mittunt, quibus testabantur, constare omnibus, quanta cum fide ad concordiam inter ipsum, defunctumque parentem, & Orientales Frisios constituendam laborassent, cui adserendae primo Delfziliae anno CIↃ.IↃ. XCV. deinde Hagae CIↃ.IↃ.C. III. mox in postremis Comitiis IV. Eid. Novemb. se obstrinxissent. Nunc autem compertum habere, Embdanorum praesidiarorum stipendia ipsius opera esse interversa, ut motum aliquem excitaret, &, quod consequens, statum urbis perturbaret prohibuisse item, ne pecuniae publicae, huic rei adsignatae, quaestori suo persolverentur: tributa quoque & indixisse sine Ordinum consensu, & exegisse praeterea naves plurimas, Embda in Hispaniam profectas, de ipsius consilio illic detentas, merces fisco addictas, nautas crudelissime habitos: ipso etiam connivente factum, ut Linganorum, aliorumque excursionibus Orientalis Frisiae incolae, & cives Embdani misere vexati in vinculis adducerentur. Quae omnia quum clare contra pacta fierent, statuisse se, quando contractu solemni toties obstricti essent, providere, ne quid tale moliri in posterum possit. Quamobrem per aeneatorem istum monitum velle, uti avertendis incommodis, post XIV. a literis receptis diem, iubeat numerari XL.CIↃ. florenos, praesidiariis Embdanis solvendos; ceterum pecuniam quaestori suo restitueret, indictiones praeter Ordinum consensum factas inhiberet, & quae iniuste exacta redderet, daret praeterea ommnem operam ad navium & nautarum liberationem; Linganaq; praesidia Frisia Orientali arceret; nisi faceret, testari, non se malis imminentibus obnoxios fore, qui nihil aliud propositum haberent, quam sartam tectam inter ipsum subditosque concordiam. His literis hoc effectum est, ut in Britanniam Enno mitteret Henricum Stamlerum, qui Regem rogaret, intercederet pro ipso, ne quid severius statuere Foederati vellent; Hagam vero Dothiam Wiardam primo, mox Gulielmum Kniphusium quoque; & Thomam Frantzium Cancellarium, qui adfirmarent, extra culpam Ennonem esse, & pactis stare paratum; Embdanos vano a mala conscientia metu percelli: ab Embdanis missi Vbbo Remetzius, Samuel Wiingenius, Daniel Altingus, qui decreti exsecutionem urgerent, consilia Ennonis sat perspecta esse, qui hoc unum ageret, ut perpetuo illos vexet, in sumtus ingentes & aes alienum involvat, atque ita civium animos ad se derivet. Prolatae quoque maritimi commeatus literae non unae, inter se contrariae. Sed re intellecta comiter eos Foederati dimiserunt, pacem ac concordiam, uti conventum erat, colere monitos; de cetero Embdanis promiserunt, curaturos sese, ne qua ipsis iniuria fieret. Medio Octobri Foederatis Spinola scribit, advenisse ex Hispania literas, quibus rata se omnia habere, quae in hoc negotio agerentur, Rex significaret; petitque commeatum Neio, & Verreickio, qui eas

A

B

C

D

E

F

traditurі essent. Eo concesso Hagam illi venerunt, & postridie ante meridiem admissi, pleniores, quae exspectabantur, literas exhibuerunt, Mantuae Carpetanorum datas XIV. Kal. Octobr. Iis rex testabatur, quando in inchoato negotio Archiduces promisissent huiusmodi ab ipso literas, quibus certo credere possent, probari a se omnia, sine ulla exceptione, maturo consilio, & plena potestate regia, ad promissi satisfactionem, & totius negotii confirmationem, declarare etiam se, sive pace componenda, sive induciis cum Foederatis agere veluti liberis, in quos iuris nihil sibi vindicaret; praeterea rata velle quaecumque in Archiducum declaratione proposita, ac promittere verbis regiis, observaturum ea plenissime: neque quicquam contra facturum, aut fieri unquam permissurum; quin immo daturum operam, si quid contra factum fuerit, id uti bona fide reparetur: curaturum porro, ut re pertractata omnia observatu necessaria quam ampliſſime expediantur ex ipsorum sententia. Si tamen convenire inter se de religionis negotio, aut aliis quibusdam rebus non possent, atque ita vel pax vel induciae non procederent, tum se ius suum integrum servare, & literas has irritas habere, neque ex ipsis adcedere aliquid Foederatis velle, sed omnia eo, quo nunc sint, loco futura. Harum literarum geminum quoque exemplar exhibebant, Gallica unum, alterum Germanica lingua: adhaec Neius commendabat magnopere Regis in hoc negotio sincerum adfectum, qui participem literarum istarum senatum voluisset, quo magis firmae essent, & a fraudis subspicione remotae; laudandum eo nomine dictitans, qui sui ipse interpres rectam, ac nullo modo fucatam, animi mentem clare exprimat, nihil promittens, quam quod praestare cuperet; non facturum, si fraudem cogitaret. Hanc Neii orationem excepit Verreickius, multa de Archiducum quoque in re praesenti cum fide tum inclinato ad pacem animo referens, qui cognosci abunde posset, quum tam sedulo satisfactum Foederatis per omnia cuperent. Foederati apographis hisce acceptis, lectisque negligentiam deprehenderunt, & verba hic illic omissa, atque interpolata; neglectam item formam, & neque in pergamena perscripta, neque regis nomine subscripta: itaque re cum Galliae & magnae Britanniae legatis communicata, in VI. Kal. Novembr. indicto conventu, ecquid aliae pleniores literae exspectari possent interrogarunt; quod quum negaretur, interque tractandum ambigua haec omnia atque difficultates explicari ac tolli posse responderetur, ampliandum censuerunt. Itaque libratis diu consiliis, postridie Kal. Novembr. responsum decernunt. Literas, uti ostenderant, omnibus modis delinquere, tam in scriptionis quam subscriptionis forma peccatum, verba passim temere vel omissa, vel interpolata, adeoque extremam clausulam promissorum omnium abolitionem praeseferre; quum tamen Regi, Archiducibusque, & omnibus eorum consiliariis optime constaret, ipsos, veluti supremos

Digitized by Google

mos rerum ſuarum arbitros, qui neque Regis, neque Archiducum leges agnoſcerent, Dei Opt. Max. gratia, & confederatorum Principum auxilio, providere facile poſſe, uti bene Reſp. ordinetur, eiusque ſtatus conſervetur; neque a Rege aut Archiducibus proponi hanc in rem quicquam debere, niſi contra fidem iam datam agere vellent. Et quamquam expendendum omnino eſſet, an literis eiusmodi contenti in incepto tractatu pergere conſultum foret, promovendo tamen negotio, ad pacandum Belgium inſtituto, & oſtendendae animorum ad honeſtam, tutamque pacem inclinationi, viſum, uti literas haſce per omnes Reip. provincias examinandas proponerent, & poſt VI. proximas ſeptimanas legatis ſignificarent, an in incepto pergi conſultum putaretur, ſignatis verbis teſtantes, nullo unquam tempore admiſſuros ſeſe, quicquid aliquatenus contra has adprobationis literas, aut Archiducum promiſſa, interpretando proferri poſſet; & ſi pergendum forte videretur, tum ſe confidere planiſſime, neque Regis, neque Archiducum nomine, ita uti promiſſum erat, quicquam propoſitum iri, quod aut ſtatum publicum laederet, aut cum civium ſuorum ſalute coniunctum non eſſet. Ab Archiducibus item decimo poſt denuntiationem hanc die legatos eſſe deſtinandos idoneos, cum plena poteſtate: quin & ipſos eadem facturos, ut quam citiſſime negotio imponi finis poſſit. Hoc reſponſum Neio & Verreickio datum poſtridie Kal. Novemb. quaeſitumque, an ipſas adprobationis literas tradere vellent; quod facere ſe poſſe negabant, uti & eas Bruxellas referre, in quo tamen nihil difficultatis Foederati iudicabant; differri itaque rem volebant, & tempus petebant amplioribus mandatis. Quo conceſſo Bruxellas profectus Neius, nonoque poſt die reverſus, mandatum ſignificavit, ut literas traderet, & acceptilationis ſyngrapham reciperet, qua declararent Foederati, promiſſis Archiduces ſatisfeciſſe, & reſtituendas literas fore, ſi re infecta poſtea diſcederetur. Non placuit hoc Foederatis, qui neque impleta promiſſa cenſebant, & fraudem in literis manifeſtam eſse, neque chirographi reſtitutionem neceſſariam, quod irritum foret, negotio effectum non ſortiente. Quum hic tergiverſarentur Neius, & Verreickius, Foederatique a ſententia non dimoverentur, petita iterum ampliatione, & conceſſa, rurſum Bruxellas abiit Neius, mandatumque adtulit, uti ſimpliciter, & ſine acceptilatione, aut reſtitutionis promiſſo, literae traderentur; quod ubi factum, receſſerunt. Idem Foederati fecerunt, ut per ſuam quique provinciam indictis comitiis deliberarent: an pergendum foret in incoepto negotio, nec ne, conventuri iterum ad VI. Eid. Decembr. & mandata de re praeſenti adlaturi. Antequam tamen diſcederent. ab Imperatore literae venerunt, VII. Eid. Octobr datae, quibus commemorabat, neque ſumptui aut operae peperciſſe vel ſe, vel patrem Maximilianum, ad componendas Belgii turbas, quapropter mirari, inchoatum

A negotium hoc, ipſo neglecto & inconſulto, eoque rem dirigi, ut ex provinciis unitis libera aliqua Reſp. conſtituatur, quum tamen omnibus conſtaret, univerſum Belgium S. Romani Imperii feudum eſſe: quamobrem cogitandum ipſis, in re tam gravi agi nihil poſſe, de quo non cognoſcere ipſe prius deberet. Quod ſi quid molirentur, ad naturam & legem feudi immutandam, ratum id eſſe nullo modo poſſe. Itaque ſcire ſe ex ipſis velle, quo loco res eſſet, & quid animi haB berent, ut tam ſuum, quam S. Imperii ius tueri liceat; petere item, ne ſine ipſius conſenſu ulterius progrederentur, neu quid incoeptarent, quod, ne fiat, ipſius, aut S. Imperii intereſſet. Hiſce literis proximo Ianuario, poſtridie Kal. hoc reſponſum datum fuit: Admirari magnopere, neque vel ab Hiſpaniarum Rege, vel ab Archiduce certiorem C factum ipſum eſſe; quod ſi ſciviſſent, non in hanc rem commiſſuros fuiſſe. Porro meminiſſe optime, quoties & ante & poſt adminiſtratam ab Archiduce Matthia Remp. ab Imperatore fruſtra petiiſſent, uti tam gravi, ter laborantibus ſuccurreretur adverſus vimoppreſſionemque Hiſpanicam: ſcire item, anno CIↃ.IↃ.LXXIX coram Imperatoris & Imperii legatis Coloniae Agrippinae de pace conſtituenda actum eſſe; ſed quum interea quam vehementiſſime in ipſos ſaevire hoſtis non deſineret, ob violata privilegia, & omnifaria crudelitatis genera, contra fidem in creationem datam a Principe perpetrata, ſeD cundum leges & Belgicarum provinciarum iura, anno CIↃ.IↃ LXXXI. coactos, ſi Remp. ſalvam vellent, extrema remedia adhibere, & ſolenni edicto populum ſacramento, quo Philippo principi dixerant abſolvere. A quo tempore multos Reges, Principes, & Reſp. libertatem ipſorum adgnoviſſe; & varios poſtea eo nomine initos contractus; quin etiam terra marique, ſingulari ſua virtute, & Regum ac Principum confoederatorum auxilio, incredibilis impenſae, & magnae aleae bellum, defendendae libertati ſemel vindicatae, geſſiſſe: nihilominus & Imperatori, & E Imperii Principibus, & iis qui foedus deſeruerant Ordinibus ſignificaſſe, diſplicere ſummopere has calamitates, quibus tam Belgium, quam provinciae finitimae involverentur; neque quicquam magis velle, quam honeſtam ac certam pacem; quam tamen ſine edicti & libertatis vindicatae adſertione fieri non poſſe exiſtimabant, quemadmodum prolixis admodum verbis declaraſſent in literis ad F Imperatorem & Imperii Principes datis anno CIↃ.IↃ.CV. Poſtea anno CIↃ IↃ.CVI. ab Archiducibus de pace ineunda agi coeptum, quibus conceptis verbis teſtati eſſent agere ipſos cum nemine poſſe, niſi qui libertatem legitimam, & tot annorum intervallo iam confirmatam, adgnoſcere paratus eſſet: ad quod ab Archiducibus, ſecreto primum, deinde ſignatis literis reſponſum eſse, provincias ſe haſce liberas habere, neque quicquam in illas iuris ſibi vindicare; daturos inſuper operam, uti hanc libertatis pronuntiationem Rex Hiſpaniarum intra proximum trimeſtre per literas

Digitized by Google

teras ratam faciat; quod ita mox factum esse adiunctum literarum exemplar ostenderet. Ceterum confidere ipsos, Imperatorem, & Imperii Principes, pro suo in Remp. hanc adfectu, totum hoc negotium approbaturos, & omnia promovendo necessaria curaturos. Desinente Novembri e Dania, quo Reip. causa legati fuerant, reversi sunt Boulenius, Simonius, & Magnus, multa de propenso Regis in provincias hasce studio referentes, & legatos ab eo mox adfuturos, qui imminentem de pace tractatum consilio, atque opera adiuvarent. Ii autem fuere, Iacobus Vleseltius, regni consiliarius, & Ionas Charisius, Iurisconsultus, adveneruntque ineunte Decembri, &, quae de rege suo legati paullo ante retulerant, confirmarunt. Mox ab Electore Brandenburgensi adfuit quoque Ioannes Discovius, qui mandata exponere distulit aliquamdiu, dum eos, qui a Palatino destinati essent, praestolaretur, sine quibus nihil dum agere iussus erat. XIII. Kal. Ianuarias Foederati indicto conventu, mandata quisque sua protulerunt, quae erant; uti cum Archiducum legatis, etiamsi minus plenae approbationis literae essent, de pace aut induciis tractarent, salva tamen imprimis provinciarum libertate, quam infringi nullo modo paterentur, sive statum civilem res spectaret, sive Ecclesiam, & Religionem. Et diu multumque liberatis consiliis cum principe Mauritio, Comite Wilhelmo Nassovio, Senatu, legatisque Gallico Britannico, & Danico (nam Brandeburgicus, herilia, quae commemoravi, iussa praetendens, negotio se abstinuit) IX. Kal. Ian. Archiducibus scripserunt, sese sub exceptione postridie Kal. Novembr. facta, in qua etiam tum persisterent, paratos cum ipsorum legatis Hagae pacis instaurandae negotium inchoare, quod septem octo viris rerum peritis commissuri essent, si certiores per literas fierent, decimo post die mittendos vicissim ab ipsis pari aut minore numero alios, qui cum plena potestate & Hispaniarum Regis, & ipsorum nomine, rem pertractarent: &, quando armistitii terminus instaret, considerarent, an non expediret in VI. septimanas id prorogari, si in incoepto negotio pergendum videretur. Quod si vellent, adsentiri sese, modo Archiduces tam suo quam Hispaniarum Regis nomine ratum facerent Harum literarum exemplaria Neio & Verreickio exhibita sunt, postulatumque, uti literas ipsas Archiducibus traderent: &, si delegandos aliquos ii censerent, tum de numero, nominibusque illorum, & profectionis die certiores facerent, quo commeatus expediri posset. VII. Kal. Ian. Hagam venit ab Electore Palatino legatus, Hippolytus a Collibus, Curiae praeses, cum ceteris Regum, ac Principum legatis consilia in rem praesentem collaturus. Atque hic finis anni CIↃ. IↃ.C.VII. qui Europam universam suspensam tenuit in exspectatione pacis condendae, e qua utilitatem quam maximam sibi quaeque pars perebat. Foederati libertatem spectabant, & supremae auctoritatis vindicationem, cui iam pars adversa renuntiasset, quamobrem belli gerendi in posterum occasio esset cessatura. Haec illos spes fulciebat, qui toto animo in eam propendebant, potissimum quum impossibile crederetur, armis recuperare civitates ac membra a Reip. suae corpore avulsa post Vltraiectinum foedus, cuius tunc rationem haberi necessitas non permitteret, quae legem nullam accipit satius esse, quae reliqua servare, & honestissima conditione, libertate integra, munire. Archiduces rebus suis valde turbatis, & subditis bellum ulterius detrectantibus, ista temporis prorogatione res suas instaurare velle videbantur, quod effectu facilius putabant, quia exoticis viribus bellum gererent, unde neque pensi quicquam habebant, quocumque tandem modo negotium inchoaretur; id sperantes, uti potentia excellerent, ita fore, ut utilitas quoque inde maior ad ipsos redundaret: Foederatos monarchico iam statui adsuetos, difficulter extra ipsum substituros, ideoque turbas habituros: inde sibi persuadebant, quamvis iuri nunc suo ac supremae potestati renuntiassent, futurum nihilominus ut votis potiantur. Spem hanc, persuasionemque augebant magna provinciarum atque urbium privilegia, propter quae convenire inter se non possent, sine supremi alicuius collegii auctoritate, ad quod rerum omnium cum plenissima potestate cognitio pertineret: cui constituendo, etsi perquam necessario, quum ne fervente quidem bello, ac periculis urgentibus, operam dare potuissent, in pace ac libertate multo minus consensuri essent; quae res prima motibus intestinis, & evertendo statui publico ansam daret. Dum haec de utriusque partis consiliis iudicia fiunt, Hagam revertuntur aeneatores ad Archiduces a Foederatis missi, & literas ab iis adferunt, prid. Kal. Ian. datas, quae nuntiabant, consentire ipsos postulatis, & negotio continuando delegare eos, quorum hactenus opera usi essent, qui Idibus eius mensis Bruxellis discederent Antuerpiae pernoctaturi, si literae commeatus, & naves transvehendis Lilloi biduo ante paratae forent: ex literis Neii & Verreickii intellecturos, quibus praeterea res summa commissa. Ad armistitium quod adtineret, velle id quoque in VI. septimanas prolatum, & Regis Hispani approbationem promittere. Neius & Verreickius itidem scribunt super eadem re, & legatos esse Marchionem Spinolam, Richardotum praesidem, & Ioannem Mancicidorium a secretis, quibus ipsi dati collegae. Non satis probata fuit haec legatio Foederatis, & inutilis videbatur, cum e Belgii proceribus neminem agnoscerent; tandem tamen post consilia cum legatis extraneis habita, admitti placuit, qualiscumque foret. Et, ut in rebus omnibus venerari semper Deum oportet, ita in negotio tam arduo faciendum id quam maxime, pro antiqua sua pietate, iudicant, precesque publicas per provincias omnes indicunt in VII. Eid. Ian. iubentque supremo numini & pro acceptis beneficiis gratias agere,

Digitized by Google

& pro felici pacis tractandae ſucceſſu vota nuncupare. Poſthaec legati, qui prono Scaldi devehi ſtatuerant, mutato propter ingruens gelu conſilio, terreſtri ſe itineri accingere coacti, obviam proficiſcentibus Lyram uſque, tuti commeatus cauſa, praefectis Bredano ac Bergo-Zomano, Iuſtino Naſſovio, & Marcello Baxio, Hagam venerunt, magnifice per viam ubique excepti. Hagae appropinquantes prope Riſwicum humaniter excepit princeps Mauritius, Henrico-Frederico fratre, & Wilhelmo Naſſovio comitatus. Ad ſpectaculum concurrerat ingens multitudo, avida videre hoſtem paullo ante communis patriae infeſtiſſimum, bellorum pertaeſum, ac nuntium pacis. Admirari multi, & contra civilis prudentiae praecepta cenſere, hoſtem eumque exercituum ductorem, intra ipſa Reip. viſcera admitti, ubi inquirere pleniſſime poſſet de ſtatu univerſo, de conſenſu civium, & diſſenſu, de robore atque infirmitate, de animorum aut inclinatione aut declinatione: alii, parum prudenter tam arduum negotium delegatis committi, qui certis mandatis adſtricti, a quibus recedere ipſis non liceret: ſed Foederati, quibus de rei ſuae publicae ſtatu, de ſubditorum animis atque adfectu melius conſtabat, & non tam facile eorum fidem impelli, aut in communem patriam amorem convelli poſſe ſciebant, hunc modum optimum cenſuerunt. Praeterea res humanas qui attenderit, viciſſitudinem hic earum manifeſtam animadvertet, & non ſine arcana quadam ratione factum, ut in intimum Hollandiae ſinum pacem delatum ultro venirent, quam olim patres noſtri cum multis ſupplicationibus in ultimam Hiſpaniam fruſtra quaeſitum iviſſent. Et Foederati quo certius illis res procederet, iam ante illorum adventum cum Galliae, magnaeque Britanniae legatis egerant, uti cum eorum Regibus foedus iniretur de pace conſervanda, ſi qua fieret, ſalva provinciarum libertate, eaque defendenda, ſi quid ab Hiſpano aut Archiducibus tentaretur; adeoque inter Gallum, & Foederatos his conditionibus conventum fuit; ut, ſi pace ſemel conſtituta vis aliqua fieret, Foederatis Gallus ſuo ſtipendio auxiliares mitteret XM. & plures quoque, ſi opus foret; idque tertio menſe, poſtquam tranſgreſſori denuntiatio facta; vel eveſtigio quoque, ſi invaſio manifeſta, & publica auctoritate graſſans: Foederati viciſſim, quocumque bello milites VM. aut naves bellicas totidem vectoribus armatas in auxilium ſuppeditarent. Sed cum Britanno decerni nihil potuit, & impediebat partim commerciorum reſpectus, partim reliqua aeris alieni diſpungenda adhuc; quorum prius monopolii ſpeciem haberet, & commerciorum libertatem infringeret: alterum maioris momenti eſſet, neque ita obiter tranſigendum. Ineunte Februario a Landgravio Haſſiae legatus quoque venit, Ioannes Burgius, heri ſui erga has provincias affectum commendans, & operam atque conſilium obferens. Tunc Foederatis inchoare negotium viſum eſt, miſſique ad Marchionem Spinolam; ceterosque legatos, qui & ſalutem nuntiarent, & percunctarentur, an quae ad ipſos mandata haberent, an vero cum delegatis tantum agere vellent; quibus reſpondetur, mandata ad ipſos nulla eſſe; hoc ſolum cupere, uti ſalutare liceret; itaque admiſſi, & ſalute dicta, quum de negotio inchoando admonerentur, reſpondit Richardotus, paratos eſſe, & quamprimum id velle. Hoc modo digreſſis deliberare Foederati coeperunt, quibusnam ex ſuis inſtantem ſive pacis, ſive induciarium tractatum committerent: & delecti ſunt, Comes Wilhelmus Naſſovius, Friſiae praefectus; Walravius Brederodius, Brederodae, & alibi dynaſta, generatim provinciarum omnium nomine, ſpeciatim vero ex ſingulis ſinguli. E Gelria Cornelius Gentius, Loënae & Meinerſwicii dominus, Burggravius & Iudex Noviomagenſis; ex Hollandia, Ioannes Barneveldius, Eques, Tempelae & Roderiſae dominus, Advocatus provinciae, magni ſigilli, & archivorum praefectus: e Zelandia, Iacobus Malderaeus, Eques, Heieſi dominus, pro Mauritio, Veriae & Vliſſingae Marchione, primas in nobilitate Zelandica tenens: ex Vltraiectina dioeceſi, Nicolaus Berckius, primus conſiliarius: e Friſia, Gellius Hillema, curiae conſiliarius: e Trans-Iſelania, Ioannes Slothius, Sallicii dominus, & Vollenhovae Satrapa: e Groningenſi ditione, Abelus Conderſius, Elpeni, Fani & Cantii dominus. His ita deſtinatis, poſtridie Non. Febr. primus conventus fuit, in quo exhibita utrinque mandata, atque ita diſceſſum. Biduo poſt iterum convenerunt, & cauſari Spinola, non ampla ſatis mandata eſſe quae Foederati adtuliſſent, adſtringique eorum poteſtatem, praeter eiuſmodi negotiorum legem; cui reſponſum fuit, nihil habere rem difficultatis, quum ſingillatim omnia per ipſos Ordines confirmari poſſent; contra ſeſe eadem optimo iure obiicere poſſe, ad quae reſpondebatur ab ipſis, cum pleniſſima poteſtate veniſſe, eiusque rei mox fidem facturos. Interrogati, an veluti cum liberis provinciis agere iuſſi eſſent, adfirmarunt, & licere ipſis quemvis titulum ſumere; & hic quum interpellarentur, cur neque inſignibus provinciarum foederatarum, neque titulis Archiduces abſtinerent, excuſarunt; nihil hoc iuri ipſorum aut libertati detrahere: eadem committere Hiſpaniae, Galliae, & magnae Britanniae reges; quorum ille Hieroſolyma, iſte Navarram, hic Franciam titulis illuſtrandis adſcriberet. Hoc modo ſolutus conventus, & reiectus in III. Eid. propoſitumque tunc fuit, uti iuri in poſterum omni in provincias foederatas, Tencteros, & Linganos renuntiarent; qua de re ampliantes diſceſſerunt, & de petitionis huius iniquitate apud legatos multa queſti, ac ſententiam Archiducum ſcitati, ipſis Eidibus reſponderunt, accipere ſe conditionem, ea tamen lege, ſi in ceteris quoque conveniretur, in quibus ſperabant eadem facturos Foederatos in gratiam Regis ſui, & Archiducum in negotio India-

Digitized by Google

diarum, quandoquidem amici in posterum futuri essent, & harum provinciarum populis libera in Hispania commercia paterent, quae quaestum ipsis plurimum adlatura. Quumque hic disceptaretur, aiebant, unam hanc rem moviisse Regem, ut tam magna ipsis offerret. Mirabantur multi conditionem istam accipi, & existimabant, quum tam magnifice talia promitterent, vel non praestanda ea videri, vel maius aliquid sperari, quo impetrato, minime gratuita Foederatis libertas foret, & e Britannia nuntii afferebantur, Hobokenum, Archiducum illic legatum, dixisse Regi, in hac libertatis pronunciatione momenti nihil esse; confidere Archiduces, maximas eam turbas daturam, adeoque concessa libertate in pace facillime se effecturos, quod negata tamdiu in armis frustra contenderant. XVI. Kal. Martias amnestia sancita fuit, statutumque, ne pignora ulla caperentur, nisi privati aeris alieni causa: item ut libera cuivis utrinque essent commercia, & pari cum indigenis sorte, nisi quod Indias Spinola exciperet, ac totum illum tractum, obnitentibus vehementer Foederatis, & dictitantibus, contra provinciarum, ac maris libertatem id fieri. Sic in ipso statim principio satis animadvertebatur, non gratuitam fore Foederatis libertatis suae restitutionem, sperantibus adversariis, hac maxime ratione potentiam ipsorum deterere, suam augere. Commovit ea res animos multorum, qui existimare nihil aliud agi, quam ut libertas tam speciose concessa per hos quasi cuniculos subrueretur; quin Societas quoque Indica Orientalis convenire frequens, & cum Foederatis, tum principum legatis ostendere solicite, rem periculi plenam esse, & non tam ad ipsos, quam ad Remp. universam pertinere, ne postulata Hispani obtineant. Augeri hoc pacto unice opes publicas sine publica impensa; occupari tot naves bellicas tormentis ac militibus optime instructas, adeo ut ceteros fere Reges ac Principes hic superarent, qui ideo Foederatorum amicitiam nunc aestimarent, mox despecturi, si eo redactos viderent, ut aut obesse, aut prodesse aliquando non possent. Liberas hasce Belgii provincias propter situm, & incolarum indolem, consistere non posse, nisi emporia sua, portusque peregre advectae naves locupletent: item quando Hispani potentia, non Belgio dumtaxat, sed reliquae quoque Europae principibus merito gravis esset, nulla ratione magis securitatem publicam praestari posse, quam si potentiae tam immensae fundamenta semel subvertantur; quod futurum, si thesauri eius Indici in Belgas, ac ceteros quoque Reges & Principes derivarentur. Obiectum quidem fortassis iri non necessaria Indiarum commercia, patentibus Hispaniis, quas pax decreta aperiret; sed his responderi, parum illic tuta commercia esse, & quae facillime infructuosa reddantur, idque experiundo satis didicisse. Deinde inconsultum nimis videri, hosti reconciliato, & cui fides haberi certa nunquam queat, in potestatem tradere tam magnas opes, tam multas naves, tot tormenta bellica, tot peritos vectores, quibus pro libidine mox abutatur, curandum praeterea, ne principes Indici, qui Belgarum se fidei benigne commisissent, in Hispani iterum servitutem redigantur, quod & Belgarum laudem atque existimationem vehementer imminueret, & incrementum maximum afferret potentiae Hispani, qui non exiguum operae pretium putaret, si Indias ipsis de manibus eriperet, in quibus quum per opulentissimas passim oras volentibus incolis commercia exerceant, tueri ea constanter, neque Lusitanis concedere debeant: quod si semel remittant, ita in posterum prospecturum; ut de restauratione frustra sint cogitaturi. Amicitiam, conversationem, & commercia, pacis esse beneficia, quae nullis denegentur nisi hostibus: nulla exempla exstare pacis cum tali exceptione, quae relegationis instar esset, & in hostes tantum decerneretur, aut facinorosos. Itaque india arceri, manifestam iniuriam esse cum fraude coniunctam; verbis in speciem magnificis libertatem pronuntiari, re denegari, adeoque servitutem graviorem inferri, quam unquam sub principibus perpessi essent. Quamobrem pacem bello deteriorem tentari; nulla fronte mercatoribus solertissimis, reique maritimae peritissimis commerciis interdici, aut maris usum eripi posse, quod iure gentium omnibus pateret; everti funditus Remp. totam sine hoc nervo, quo uno se hactenus potissimum substinuisset: & tantum vires illius accipi, quantum istum; exarmari CLXXX. naves maximas, in quibus ad novem CIO. vectorum; infructuosos reddi quotannis XLIII. milliones florenorum. Haec qui attendat, facile iudicaturum, callide plane agere Hispanum, & libertatem dare, nihil nisi nomen futuram, ac dignitatem potentia cassam. Magna contentione res agitata, & tribus quatuor conventibus disceptata, animis utrinque obstinatis, donec Foederati non discedere a sententia certi, componendo dissidio tres rationes proposuerunt; uti vel commercia Indica pace indulgerent, vel induciis permitterent, vel ultra tropicum cancri continuarent, ubi salvo sive pacis, sive induciarum contractu, fortunam porro cuique suam & vires experiri liceret. Primam & ultimam reiecerunt; illam, quia prohibebantur expresso mandato; hanc, quia principes suos pacem velle dicerent; non bellum, nedum talem tractatum, qui ita pacem statueret, ut bellum non finiret: istam accepturi videbantur, si induciis desinentibus Foederati quoque consilium hoc omitterent; sed quum facturos se illi negarent, & liberam tunc cuique potestatem fore decernerent, nullo effectu diremptum colloquium, apud Regum legatos communi utrinque querela, illis dictitantibus, indignas principibus suis has conditiones, quibus, vel si captivi essent, graviores imponi a victoribus nullae possent: his contra, post libertatis vindicias ea a se flagitari, quae aegre subiugati concederent. Tandem quum frustra moveri hunc lapidem

Hiſpani viderent, de induciis tractandis conſentiunt; quumque negotii totius omnia capita ſimul proponenda Foederati cenſerent, illi iniquum hoc, & inauditum dicere: quin etiam neque mandatum iſtud habere, & imparatos denique eſſe. Nonnullos ex ipſis Gallicam, Britannicamque pacem tractaſſe, neque quicquam ibi tale poſtulatum; paratos ſingillatim agere, quod in eiuſmodi negotiis ſolenne: & primo de collimitiis, de commerciis, de reſtituendis bonis fiſco addictis, & ſic deinceps. Reſpondent Foederati, nihil iniqui hoc poſtulatum habere, quum ipſi eandem quoque legem accipiant; non eo fieri, ut inter ſe fallant, aut quicquam excludant neceſſario tractandum, cuius addendi ſemper utrisque poteſtas foret; ſed ut ſummatim ſemel ſciretur, quae univerſae actionis praecipua capita eſsent futura. Hic quum deliberandum ſtatuerent, digreſſi mox redierunt; teſtatique, liberum fore in poſterum, ea addere, quae neceſſario addenda viderentur, quaedam utrinque capita exhibuerunt: Foederati plura, ſed ſimplicia, & perſpicui ſenſus. Vti commercia utrinque in Belgio ſecura eſſent; pignora capta remitterentur, neque alia in poſterum ulla caperentur; limites conſtituerentur, & loca quaedam permutarentur, aut muris deiectis panderentur. Rhenoberca, & cetera caſtella Rheno aut Rorae impoſita deſererentur; ſententiae, & proſcriptiones, vel foederis vel religionis, vel belli cauſa, retractarentur; dominia, res ſoli, actionesque principis Auriaci heredibus reſtituerentur; item bona, quaecumque fiſco addicta, aut adſcripta in Belgio, ducatu Luxenburgico, comitatu Burgundico, & Ambarris; naves onerariae detentae poſt IX. Kal. Quinct. anni CIↃ·IↃ.C.VII. dimitterentur. Bona hac de cauſa diſtracta reſtituerentur; eorum quae fiſcus accepiſset, aut bellum inutilia feciſset, uſurae redderentur; diſpoſitiones teſtamentariae odio religionis, foederis, aut belli, in praeiudicium cuiusquam factae reſcinderentur; aes alienum publica foederis cauſa contractum communiter ſolveretur. Miles peregrinus, qui in Philippi & Archiducum ſtipendio, veluti diffidentiae fomes exauctoraretur, in conſcientiam nautarum, negotiatorum, ceterorumque provincialium ne inquireretur, & religio in navibus libera foret, neve eius cauſa eae merceſve fiſco ſubiicerentur; hereditates ab inteſtato hinc inde legitimis heredibus obvenirent: vetera urbium privilegia, quae ante bellum fuiſsent, illaeſa permanerent; ſi induciae turbarentur, tum nautis, mercatoribus, inſtitoribus, reliquisque incolis, uti ſalvis navibus mercibusque recedant, ſemeſtre indulgeretur; ſi quid hic committeretur, id, actione integra, ſummatim reſarciretur; captivi omnes ſine luitione dimitterentur; actiones civiles; non publice alienatae, ob praeteritum bellum, ſine ulla praeſcriptionis exceptione integrae manerent, quae tractarentur, omnibus modis certa ac rata eſſent; atque in eam rem ut Caeſaris, ita Principum Imperii, & Regum quoque Galliae, Britanniae, & Daniae auctoritas imploraretur. Principes, Reſpublicae, Civitatesque amicae, ac foederatae hoc tractatu comprehenderentur. Luſitani principis negotia componerentur, praeſensq: tractatus ratus haberetur, ac promulgaretur. Haec Hiſpani quum viderent, numero multa dicebant, ac longi temporis negotium: & Richardotus, ad mentionem de aere publica foederis cauſa contracto, pecuniae penuriam obtendebat, & aerarium bello exhauſtum. Porro capita ipſi quoque quaedam reponuut, illa quidem multo pauciora, ſed obſcura, & multi argumenti, videlicet, de limitibus, bonorum reſtitutione, exoticis commerciis, aequanda moneta, pariandis privilegiis & immunitatibus Anglicanorum commerciorum, negotiis religionis & vicinorum principum: in quibus Foederati, ceteris ſummatim perſtrictis, cum religionis expreſsam mentionem, itidem ut in mandatis, animadverterent; & incertum haberent, an de reſtituenda maiorum religione agerent: an vero de indigenarum hinc inde conſtituenda modeſtia, uti ſententiam dividerent petierunt; nam ut hoc civilis prudentiae ſcitum, & Imperii communis firmamentum eſse, ita illud libertatem ſuam palam imminuere. Hic tergiverſari Hiſpani, facturos ſe, quum ad illud caput, quod inter ultima poſitum perveniſsent; ſed urgentibus, in Hiſpaniam ſcripſiſse dixerunt, reſponſuros, ubi regis ſententiam cognoviſſent. Poſtquam autem tradita haec capita, eo conſilia dirigere videbantur, uti recederent aliquantiſper, de Foederatorum mente, & provincialium quoque inclinatione, quam ex multorum colloquiis didicerant, principes ſuos edocturi Et manifeſta res fuit, tum ex ſermonibus familiarium, tum ex duobus proximis conventibus, ubi multa de commerciis Indicisque & Europeis obteſtati poſt longam diſceptationem, formulas ſeorſim praeſcribi petierunt, in Hiſpaniam & Brabantiam mittendas, ut Regis atque Archiducum de iis placita propius cognoſcerent. Eam porro in illis moderationem requirebant, uti neque animos ipſorum offenderent, neque exiſtimationem laederent; quandoquidem autem rerum Antuerpienſium minus periti eſſent, concederentur ipſis Martinus Faillius, & tres quatuor alii mercatores, quorum conſilio in tranſigenda re propoſita adiuvarentur. Re deliberata, ad Indiae novennalem, & ceteram Europae negotiationem ſtabiliendam, pecuniariam cautionem adhibere viſum fuit; itaque decretum, ut hic ab Hiſpano conſignarentur aureorum quindecies centena millia, ipſi in Hiſpania quinquies centena conſignarent. Exhibitum mox hoc decretum fuit, & ampliarunt Hiſpani, viciſſim ipſi quoque praeſcriptum tradentes, de commerciis Antuerpienſibus, & ceterarum provinciarum ad Archiduces pertinentium; quumque diu multumque diſceptatum eſset, de libera mercium evectione & invectione, item de jure ſtationis, utrinque prolata res eſt, & teſtati ſunt Hiſpani, non poſse negotium hoc tranſigi inconſulto rege; ac quandoquidem armiſtitii ter-

Digitized by Google

terminus inſtaret, in bimeſtre aliud extendendum videri: quod conceſsum. Proximo conventu vehementer impugnarunt Hiſpani, quae de negotiatione Indica propoſuerant Foederati & omnino convenire ſe in ea poſſe negarunt; magisque de tropico cancri nullam mentionem admittunt, ninias in Hiſpania turbas daturam. Aliam ipſi rationem concipiunt, ſibi maxime utilem, & exacto novennio univerſum commercium ad ſe devoluturam; quam etſi improbarent Foederati, recipiunt tamen de ea deliberaturi. Vbi de praeſtanda negotiorum ſecuritate agi cepit, obiiciunt Hiſpani pecuniariam cautionem eſſe in eiusmodi negotiis inauditam, neque admitti ab ipſis poſſe, vacuo per bellum aerario. De negotiatione Europaea pauca verba faciunt, mercatores Antuerpia praeſtolantes, quibus commeatum impetrare impenſe laborabant. Foederati, quum Indicae negotiationis modum improbari Hiſpanis viderent, ne negotium intercideret, quod tam feliciter coeptum erat, & communi omnium ſpe propellebatur, tempori cedere ſatius rati, uti huic faſtidio obviam irent, ſerio in conſilium rem revocarunt, & perpenſo momento, quicquid libertate ſalva fieri poſſet, remiſerunt; ubi tamen varii ſenſus, multis cenſentibus, quicquid ſignate expreſſum non eſſet, damnum publicum fore, uti in contractibus iſtiusmodi evenire ſolet: potentiores enim, ſi quae obſcura magis ea pro ſe interpretari, & pro ſua mente omnia agere, fruſtra obnitentibus aliis, qui viribus impares vim pati coguntur, quum arma non habeant cum potentia, aut conſilio. Id uſu venturum in rep. ſua, cuius tam diverſa membra, quorum nonnulla extra iacturam poſita, odio ſaepe aut invidia, aliorum iniuriam libenter negligant. De Belgica negotiatione, & cetera Europaea item actum eſt; detractumque, quicquid permittere res videbatur, & Antuerpienſibus mercatoribus duobus tribus decretus commeatus, non autem Faillio. Sed quum ne ſic quidem Hiſpanis ſatisfieret, deliberando tempus indultum eſt. Foederati, explorata adverſae partis ſententia, ut omnia ex aequo ſe & bono velle teſtatum facerent, denuo rem in incudem vocant, mutantque quicquid poſſunt. Interea Richardotus multis verbis conqueritur, nimium rigidos ipſos eſſe, poenitere Spinolam ſeque ſubſcepti negotii, in quo operam perdituri videbantur; ſi pertenderent, actum nihil iri; & amiſſuros gloriam pacis condendae, qua nihil excellentius in rebus humanis; exhortatur ſerio, mutarent propoſitum, & aliquid Hiſpanis concederent, quibus niſi ſua approbarent, fruſtra futuros; omnibus modis dandam operam ad promovendum potius negotium, quam impediendum, quod iſte rigor minabatur. Haec homo facundus, & adfectus movere ſolers, pene cum lacrimis proferebat; nec fruſtra fuit oratio, impulitque animos ad maiorem moderationem, maxime arbitrantibus multis, urgeri omnino rem praeſentem debere, atque ad finem perduci, ut pacis commoda, & libertatis pretium adparerent. Sat patriae factum eſſe, ſi a Burgundicae domus praetenſionibus liberam in pace collocarent. Moderari itaque magis placuit, & factum hunc in modum: uti provincialibus, quemadmodum inter mercatores ſolet, ad novem induciarum annos libera in India commercia eſſent, in iis videlicet locis, quae Hiſpano non parerent a ceteris abſtinerent, niſi permittentibus praefectis, aut cogente neceſſitate; tunc pro amicis habendos, idque Hiſpanis quoque eventurum in locis Foederatorum. Terminalis dies Kalendae Septembreis forent, citra Bonae Spei promontorium anno poſt ſecularem VII. ultra IX. iſto novennio nihil hoſtile quemquam auſurum; & hanc legem non ad Hiſpanos tantum aut Foederatos pertinere, ſed ad amicos quoque partium principes, quorum nomina intra triennium illi Hagae, iſti Bruxellis tractatui inſerenda edere tenerentur; ſi quae contra haec damna inferrentur, ea illic reparanda eſſe, ubi aut illata conſtaret, aut qui intuliſſent habitarent; neque ulla hoc nomine pignora capi poſſe: exacto ſeptennio Bruxellas utrique deſtinarent, qui rem totam benigne tranſigerent. De negotiatione Belgica aliquid item propoſitum, uti Archiducum & Foederatorum ſubditi libere agerent utrobique, & pari iure atque immunitate naves. Antuerpia aut aliunde venientes redeuntesque onera libere efferrent, aut referrent; tantum vectigal penderent, ac commeatum, pariter cum ſubditis ſine ullo navium vel mercium diſcrimine, ſalvo tamen iure ſtationis vinariae quod ante bellum obtinuiſſet. In fluminibus Hollandicis Zelandicisque commorarentur, venti aut comitatus exſpectandi cauſa merces quoque vel reciperent, vel exponerent, quocumque modo, & per quoſcumque vellent, plane quemadmodum ante bellum. Qui iter facerent, cum ſarcinis omnibus parem utrinque immunitatem experirentur, nec ad telonia deflectere cogerentur; merces quae in apothecas reponerentur, aut inſtitoribus traderentur, ob navium defectum alias tranſportandae, non plus oneris ſubſtinerent, quam quae ſtatim de nave in navem transferrentur. Specialia beneficia, privilegia, immunitates provinciarum, urbium, pagorum, collegiorum, perſonarumque, quae ante annum CIↃ.IC.LXVI. neque his capitibus derogarent, ſine nova confirmatione ſervarentur. Vectigalia neque maiora, neque alibi exigerentur, quam ubi & quo modo ante motus hoſce Belgicos receptum. Pignerationes in Hiſpania vel Belgio conceſſae antehac revocarentur, niſi denegata palam iuſtitia. Et haec quidem ita decreta, Hiſpanisque exhibita, qui acceperunt, ſed cum rege communicanda; eique rei dati dies XXXVIII. & profectionem Neius ſuſcepit poſtridie Kal. Aprileis. Hinc multi iudicarunt longi operis rem fore, quae in dies complures differetur, credebantque nihil interea actum iri, & Hiſpanos per eius abſentiam negotium ducturos, dum de regis voluntate certi eſſent. Inter haec in provincias Foederati diſcedunt, Batavorumque comitia dirimuntur; & increbreſcit

bresçit rumor, veniſſe ab Hiſpania literas, quibus indicaret rex, provincialibus hiſce India ſe & toto illo tractu interdictum velle; item, inſtauraram hic religionem maiorum; quae niſi obtineret, irrita omnia habere, & tractatum incoeptum abrumpere. Hic turbari non pauci, & exiſtimare de ſumma Rep. agi, cuius maximum periculum eſſet, antiquum cultum in templa revocare, & Indicis commerciis cedere, pro quibus varii inter prudentes ſermones, & tuendis multa argumenta. Tam dubio ſtatu ſatagunt Foederati de Britannico foedere, quo res ſuas firmarent, ſi pace aliquando conſtituta fidem fallat Hiſpanus; iamq; rationes ſubductae erant, ac liquebat reliquum aes alienum, ingens hactenus negotii impedimentum, videbaturque ſanciri poſſe. Quamquam autem iam Neius in Hiſpaniam veniſſet, regemque conveniſſet IX. Kal. Maias, nihildum tamen referebatur, & XXXVIII. diebus profectioni deſtinatis alii additi fuerunt, praetendentibus Hiſpanis morbum Neii, Ducis Lermaei ab aula abſentiam, & Regis in promovendo filio occupationes. Interim conventum iterum fuit, propoſitumque ab Hiſpanis, uti commeatus abdicarentur, ad priſtinam formam vectigalia reducerentur, Brabantiaque & Flandria reſtituerentur; ipſi pro his Lingam, Salios, & Grollam redderent. Sed reſpondere Foederati, in ipſo principio cautum utrinque, VTI POSSIDERENT, ITA POSSESSVROS ESSE; hic contra iri: praeterea iniqua valde poſtulari, & pro plurimis munitiſſimisque urbibus ac locis, quae obſidionem quam longiſſimam ſuſtinere ſingula poſſent, attegias tantum tres promitti, quas XXVI. diebus ipſi expugnaſſent. Nihil profuturum titulum libertatis, ſi firmiſſimis urbibus ac propugnaculis priventur, & commeatus intermittantur, qui ad Reip. defenſionem neceſſario pertinerent. Summa utriaque contentione res agitata, & diſertis verbis dicere Foederati, nullo ſe modo acquieſcere poſtulatis poſſe; intereſſe Reip. ſuae, ut tam inſigniter ſemel munitam porro tueantur: commeatus quoque ne abdicarentur per rei maritimae collegia non licere, quae conſtare aliter non poſſent. Contra obniti Hiſpani, eam omnino principibus ſuis mentem eſſe, uti ſuprema in haec loca iurisdictio hoc tractatu ipſis concederetur: tamen avertendae fraudis ſuſpicioni, placere, uti praeſidia locis iis in proximos aliquot annos imponant, ad Reip. ſecuritatem, adeoque hoc magni beneficii inſtar eſſe, quod tam benigne Belgium ſuum cum Foederatis partirentur, ea iis loca permittentes, quae munitiſſima bello praeterito experti eſſent. Quod vero ad commeatus adtineret, planiſſime hos intermiſſos velle, quippe pacis non belli auctores eſſe, ac proinde abominari quaecumque nomina bello inventa eius ſemper memoriam repraeſentarent; neque graviora item commerciorum onera tolerare poſſe, quam quae fuiſſent ante annum CIↃ.IↃ.LXVI. Dum haec diſceptantur non uno conventu, nullus adhuc de Neio nuntius; & elabi tempus, cum indignatione populi, cui interea quaeſtus exiguus prae quam bello: itaque Foederati re perpenſa ſtatuunt, uti armiſtitium, quod iam cum Maio menſe deſinebat, in annum exeuntem prorogaretur; commerciorum Belgicorum ratio propius expenderetur; bonorum fiſcalium venditorum, ac non venditorum reſtitutio diſtingueretur, Prius illud detrectabant multi, enervari militem tam longa armorum deſuetudine, eludi libertatis vindicias, &, ſi per hanc occaſionem copiae aliquot exauctorentur exarmari temere provincias, quae ad armiſtitii confirmationem nihil haberent praeter ſola promiſſa Archiducum, eorumve, qui in Regis ſui gratiam, ubi uſus poſceret, fidem fallere nihil vererentur; porro impares reddi bello inſtaurando, ac magis paci condendae, cuius arbitrium fere penes potentiores nihilominus indicto conventu in XII. Kal. Iunias, quae commemoravi placita Hiſpanis proponunt, qui capita aliquammulta videntes plurium dierum opus eſſe inquiebant; ſed armiſtitii prolationem admittebant, teſtantibus Foederatis res ſuas incertitudinem hanc non ferre, & decernendum ſemel tandem eſſe ante finem Iulii; niſi fieret negotium intermiſſuros, neque diutius paſſuros, ut patientia ſua ipſi pro libidine abutantur. Interim ob prolatam armorum ceſſationem gaudere Hiſpani, qui ad bellum imparati, ne pridem parta rurſum amitterent, tueri ea cunctando quaerebant, exſpectantes dum auro ex India advecto ipſi vires reciperent, Belgae autem flacceſcente quaeſtu publice ac privatim exhaurirentur. Et iam nonnulla de pace deſperatio erat, quam auxit aliquantum Verreickii diſceſſus, qui propoſita pridem capita cum Archiducibus communicanda inquiebat, ideoque Bruxellas proficiſci debere, brevi rediturum. Subſpecta profectio fuit, & quaeſitus cauſae praetextus credebatur; rediit tamen, uti promiſerat, ineunte Iunio. Inde in conventu, quum de limitibus ageretur, dixerunt Hiſpani placere, uti Foederatis in ea, quae in Brabantia Flandriaque oppida tenerent, ius ſupremum eſſet, ipſi autem in ſubiectum territorium haberent; & viciſſim in Linganos, Salios, Tranſiſelanos, Zutphanienſesque pari modo ſupremae poteſtatis ratio commutaretur. Mox quum de bonis fiſci mentio fieret, reddi ea omnia utrinque cupiebant tam clericis, quam iis qui extra clerum: eaque in re quod hominibus privatis ius foret, idem Archiducibus eſſe, quibus dominia ſua reſtitui oporteret, libere adminiſtranda per quoscumque praefectos conceſſiſſe ipſos quidem ius ſupremum in unitas Belgii provincias, ſed dominia ac patrimonia non donaſſe. Hic Foederati, agnoſcere ſe manifeſto Hiſpanorum conſilia, quae eo tenderent, ut in ſummam egeſtatem provincias involverent, urbesque deſertas redderent; nam earum cives, qui in ſubiectis agris bona ſua plerumque haberent, ut frui iis commode poſſent, nundinis, aliisque beneficiis facillime eo pertrahi, itaque ipſas quaeſtu privatas neceſsario deſolari. Porro ſupremam poteſtatem & dominia diſtinguere, hoc vero

vero esse Reip. maiestatem prostituere, quod nisi extrema passi concedere non solerent. Animadvertentes Hispani tam cordate dignitatem suam tueri Foederatos, ut remittere aliquid viderentur, a territorii iure, quod salvum sibi volebant, nihil recedentes, alterum illud de dominiis caput distinctione mitigarunt, & vetera quidem cum supremo iure permittere, nova autem restitui velle; nova vero ea esse quaecumque ad duces, comites, dynastasque Belgii speciali aliquo titulo pertinere constaret, quae singillatim recensere detrectabant, mox id facturi, quum de singulorum iure differere instituerent; quod Foederatis improbatum, existimantibus, in re tanti momenti clare omnia ac perspicue proponi debere. Quum a sententia discedere Hispani nollent, & Foederati constanter urgerent, binis ternis colloquiis nihil aliud actum est, quam ut inquireretur, quae de ceteris capitibus partium mens esset; & deprehensa Hispanorum in multis tergiversatione, testabantur Foederati, non se circumduci amplius velle, proximo Iulio aliquid statuendum, proinde bona fide exponerent, an principes suos aliquid in hoc negotio decerni velle censerent: adfirmantibus, multi praeterea sermones fuerunt, maxime de exauctorando milite extraneo, in quo quum legem nullam neque accipere ipsi, neque Foederatis quoque praescribere velle dicerent, & responderetur, ceteris transactis non hoc urgendum fore, a colloquio discessum est: moxque adfuit Verreickius, confestim Bruxellas proficiscendum sibi inquiens, uti cursori Hispanico quaedam aurei velleris, cuius ordini ipse ab actis, cimelia tradat, poscente ea rege ad festi celebritatem ornandam, quo ordinis istius principem constituere filium, & regnorum suorum heredem pronuntiare decreverat. Subspicione laboravit profectio, & mirari non pauci, quae res Philippum, aetate viridi, ac liberis quaerendis aptissima, in cogitationem eam adduceret, tam certa in filio maiori successione adeoque auxit subspicionem aeque inexspectatus Ianini discessus, licet antea item tentatus, qui regis sui iussa obtendens, serio Foederatos admonebat, uti Remp. suam incolumem praestarent, foedus Britannicum curarent, pacem nullo modo negligerent, si honestam ac firmam obtinere possent. In Frisia etiam turbatum supra commemoravimus, mandatumque Ennoni a Foederatis, uti praesidio Embdano florenorum XLCIↃ. expediret, naves praeterea in Hispania per vim detentas relaxari curaret: ad pecuniam quod attinet, ea soluta: de cetero Enno ipse Hagam instituto itinere, ubi Delphos venisset, occupati Hispanico negotio Foederati denuntiant, alienum tempus esse, neque rebus tum eius vacare posse: effectum tamen per Winwodum, uti Hagam Embdani evocarentur, quae res illos perculit, convocatique cives sacramento inter se dixerunt, ab Hagiensi tractatu non recessuros, neque pro domino Ennonem agnituros, nisi damna illata sarciret, & bonum deinceps principem ageret. Huius sacramenti sui certiores Foederatos faciunt iterumque ad causam dicendam admitti Enno petiit, sed fratris Gustavi morte impeditus Frantzium ac Wiardam oratores mittit. Ianini discessus multorum animos varie habuit, maxime quum nuntiaretur advenisse in Gallias Petrus Toletanus, quem magna conaturum multi praedicabant. Inter haec iterum conveniunt Hispani & Foederati VIII. Kal Iul, aguntq; de conservandis urbium, territoriorum, ac colegiorum privilegiis; item de limitibus, utque mari, ad securitatem utriusque partis; bellicae naves ad tertium usque milliare ostiis alterius ac portubus abstinerent: terra ad mille decempedas nulla finibus castella imponerentur, in Brabantiae & Flandriae oppidis magistratus a Foederatis per decennium proximum constituerentur, salvo tamen iure dominorum; ad quos ea pertinerent: pax si qua sanciretur, a quatuor praesulibus, totidemque Baronibus, ac magnis urbibus acta subscriberentur, atque ad adserendam omnes se iuramento obstringerent: si quid contra fieret, tres hinc inde menses instaurandae concederentur; quin etiam incolarum commodis consultum cupiunt, utque pace rupta semestre haberent rebus ordinandis. Sed haec omnia proposita duntaxat, non decreta, colloquiumque remittitur ad Kal. Iulias. Tunc disceptatum de religionis negotio, & modestia utrobique indigenis indicenda, postulatumque uti Foederatorum subditis idem iuris in Hispaniis esset, ceteroque Belgio, quod Britanni obtinuissent, pace per Comitem stabuli Castellanum constituta. Sed nihil hic quoque effectum, excusantibus Hispanis, exspectari a se iussa debere, mox per Neium adferenda. Monumentum habere res haec visa Foederatis, reputantibus insuper, quae Peckius, Archiducum in Galliis legatus, ad regem & Suillium verba fecisset; nimirum, nunquam Hispano istam mentem fuisse, ut Foederatis ius supremum transscriberet; ea tantum fine facta omnia, ut ad colloquium ipsos invitaret, & imaginaria libertatis gratia paci viam sterneret; ac quamvis ad tempus aliquod per inducias suspendi ius suum permisisset, non alia tamen lege decreturum quicquam fuisse, quam integro Indiarum commercio, & restituto per Belgium universum prisco sacrorum cultu. Satis iam per legatos didicisse provinciarum harum statum, & pace aut bello facile superiorem mox fore laborantibus ipsis aerarii inopia, dissidio intestino, & principum vicinorum offensa. Haec ex Arseni, sui illic legati, literis intellexerant Foederati, cui Villaregius quoque dixerat, passim per Hispaniam, Italiam, Galliamque iactare Hispanos, multa se hoc tractatu consequutos, immo supra spem negotium totum procedere; adventare etiam Petrum Toletanum, ex Hispaniae magnatibus unum omnibus modis nisurum, uti firmata inter Galliam & Hispaniam amicitia animum regis ab ipsis divertat, adiuvantibus Pontifice & Iesuitis. Eadem in Germania exposuisse Caesari legatum Hispanicum nun-

Digitized by Google

nuntiabat Brederodius. Sic undique, quae Hiſpanorum in pace tractanda ſententia eſſet, diſcunt Foederati; & tum de longa Neii abſentia ſoliciti cogitationem ſuſpendunt, adveniſse Lutetiam Petrum Toletanum intelligunt, neque comitem habere, quem exſpectaverant, Neium: maiore itaque cura in rem incumbunt, & ante deſinentem Iulium finem imponere ſatagunt: ſed teſtabantur Hiſpani cunctationes eiuſmodi aulae ſuae proprias eſſe, neque tam cito expediri Neium poſſe; igitur prorogaretur tempus, & extremo Iulio ſex aliae ſeptimanae adderentur. Factum id a Foederatis, ut fidem, ſinceritatem, ac patientiam ſuam omnibus manifeſtam facerent, quamvis ipſe Spinola rediturum vix ſperaret, multa Regi, Archiducibus, ſibique falſo perſuaſiſſe dictitans. Fregit longa haec abſentia patientiam legati Danici, qui, quum neque a Foederatis, neque ab Hiſpanis induci ullis rationibus ſe ad manendum pateretur, diſceſſit Kal. Auguſti, impoſturam ſtomachatus. Iam in Gallia Toletanus mandata expoſuerat, & Ianinum rex remiſit declaraturum Foederatis cauſam legationis, qua hoc querebatur, ut pacis negotium turbaretur, a qua cogitatione alienum ſe eſſe, palamque dixiſſe, tranquillum Belgii foederati ſtatum inter primas curas habere: quapropter maturarent lentum hactenus negotium, & vel qualemcumque tandem finem imponerent. Igitur conventum indicunt in xiii. Kal. Septembr. & definiri aliquid poſtulant de religione, commerciorum libertate, limitibus, ceterisque praecipuis capitibus. Reſpondent autem Hiſpani, habere ſe id in mandatis, & placere Regi atque Archiducibus, uti ſupremum in provincias unitas ius ſit poenes Foederatos, dummodo ipſi veterem ſacrorum cultum reſtituant, & india utraque in poſterum abſtineant; de ceteris convenienter reſponſum arbitrari: quumque in ſententia perſiſterent, diremto conventu, re inter Foederatos, Mauritium, Senatum, principumque legatos deliberata, irrito hactenus conatu, abrumpere tractatum placuit; itaque ad x. Kal. Septembr. Hiſpanis edicunt; damnoſa toties vivo Philippo II. de pace colloquia effeciſſe, ut plus xxv. annis continuis, quamvis obferente mox ipſo Philippo, eiusque legatis, intercedentibus item Imperatore, aliisque Europae potentiſſimis Regibus ac Principibus, nullam pacis mentionem admitterent, accepta antea damna metuentes: itaque menſe Ianuario anno cIↃ.IↃ. VII. Archiducibus, quod paulo ante Caeſari, reſponſum dediſſe, nullam neque honeſtam, neque certam pacem iniri cum iis poſſe, qui libertatem iure vindicatam, armis defenſam, auctoritate firmatam imminutum irent. Abominari porro quaecumque ea cauſa aerumnae Belgium afflixiſſent, & deinceps afflicturae viderentur; non ipſos ullius mali auctores exiſtere, culpam penes illos eſse, qui nullo iuris divini aut humani reſpectu oppreſſos ipſos cuperent. Poſtea promiſiſſe Archiduces, ſalvam ipſis libertatem fore, neque iuris aliquid praetenſum iri, quo vel pax inviolabilis, vel longi temporis induciae componi poſſent. Quumque initio conceſſum eſset per inducias VNVMQVEMQVE, VTI POSSIDERET, ITA POSSESSVRVM ESSE: per pacem vero, quicquid paciſci poſſent, item uti Indicis commerciis Foederati renuntiarent, quod quum facturos ſe conſtanter recuſarent, rem Archiduces mutaſse pronuntiaſseque, ſive pace ſive induciis eodem iure omnes uſuros, niſi de communi partium conſenſu in locorum quorundam permutatione aliter faciendum videretur, nulla Indiarum mentione; atque ita inhibita arma, adſtrictamque vim militarem, paci fundandae: idque ratum habuiſse ternis literis Philippum Regem. Inſuper ipſos expoſuiſse, poſse ſe, veluti liberarum provinciarum dominos, Dei, Principumque confoederatorum auxilio Remp. ſuam bene ordinare, & providere ne quid ea detrimenti capiat, ubi religionis primae partes, in qua innovari quicquam proximo tractatu praeter pacta ſolemnia permiſsuri non eſsent. Deinde ſummatim totius negotii perſtricto progreſſu, & oſtenſis fraudibus, quibus ſimplicitati ſuae ac fidei illuſiſſent, laeſa per ſubdolam cunctationem patientia, pronuntiant, non ulterius tricandum videri palam teſtati, optima ſe fide per omnia egiſse: & animum pacis percupidum ad pertractandum negotium adtuliſse: contra huic ſuae tam praeclarae voluntati ipſos defuiſse, qui nihil minus quam pacem animo agitarent, idque per ſummam conditionum propoſitarum iniquitatem exploratum eſse. Quapropter decreviſse, ne patientiam in poſterum proſtituerent, artes ſuas ſibi haberent, ipſos tutius in armis libertatem adſerturos, quam illi callide per pacem evertere conarentur. Ingratum hoc edictum Hiſpanis fuit, & de eius praecipiti rigore apud ceteros Regum Principumq; legatos conqueſti ſunt, qui VI. Kal. Sept. in conſeſsu Foederatorum declararunt, omnia ſe, pro ut iuſſi erant, tentaſse Belgio tranquillando, quamvis fruſtra: porro itidem in mandatis habere, ſi pax non ſuccederet, tum de induciis, bello longe utilioribus, uti ſedulo laborarent: quam obrem monitos ipſos velle, ne hoc conſilium aſpernarentur, ſi iisdem eas conditionibus impetrare poſsent, quibus pacem ſtatuiſsent. Veteri quidem, nihilo faciliores etiam hic Hiſpanos fore; ſed id effectum iri, ut & iuſtius ipſi arma reſumant, & opera in conciliandis partibus a principibus ſuis poſita clarius eluceſcat; ſerio itaque expenderent, quae in commune conſuluiſsent, & inducias admitterent haud minus pace profuturas. Deinde, darent etiam aliquid amicitiae eorum, quorum intererat remp. ipſos quam florentiſſimam habere. Sic digreſſi Hiſpanos quoque accedunt, eadem ſuaſuri. Vtrinque deliberationi tempus poſtulatum eſt, moxque reſpondent Foederati, placere conſilium, & de induciis agere paratos, dum caveretur, quamvis finitis iis libertatem tamen ſalvam fore, alia conditione nunquam acturos. At Hiſpani excipiunt, non id ſibi mandati eſſe, itaque Bruxellas miſiſſe, & intra IV. diem re-

Digitized by Google

reſponſum exſpectare, quo mox adlato exponunt, non placere Regi, aut Archiducibus, ut in induciis conſtituendis libertatis titulus concederetur, ne dum religionis avitae, aut Indiarum reſtitutio negligeretur: miſiſſe tamen in Hiſpaniam Archiduces, uti ſententiam Regis explorarent, de qua certiores eſſe poſſent ante deſinentem Septembrem, quem exſpectare vellent, ſi Foederati moram tantillam indulgerent; quin, ſi mallent, Archiducum nomine ſeptennales inducias ſtatuere paratos, veluti praeſentis armiſtitii continuationem, quo cum plena libertatis adſertione ſemel decreto, repeti eius mentionem nihil neceſſarium: quam ſi urgerent, difficultatis plurimum rem habituram, alienioribus animis Hiſpanorum. Quod vero ad commercia Indica pariter atque Hiſpanica adtineret, Archiduces promitterent operam ſe daturos, uti ad praeſcriptum induciarum tempus decreta de iis rata Hiſpanus haberet, de ceteris capitibus rationi conſentanea ſtatuerent, ſi bimeſtre dumtaxat ipſis permitteretur, percunctando, an Indiarum commercio Foederati per indulgentiam Regis, an vero per vim atque arma uſuri eſſent; quod ſi audire hoc propoſitum nollent, intercederent pro ipſis, uti ad extremum Septembrem manere liceret. Legati quum prius obtineri poſſe deſperarent, poſterius petierunt; idque conceſſum ſatis gravate, teſtantibus Foederatis, maluiſſe ſe, uti Bruxellas profecti Hiſpani iuſſa illic Regis ſui exſpectarent; ſed in Regum Principumque confoederatorum gratiam paſſuros, ut Hagae ſubſiſtant ad proximas Kal. Octobres; hanc ſupremam tempeſtatem fore, neque ulterius morae ſpatium impetratum iri. Fruſtra eſſe, qui circumducere ipſos vellent; ſatis compertum habere, fraudes meras agitari: ſpecioſis initio promiſſis adductos ut aures, animumque ad pacem inclinarent, nunc nihil minus cogitari: pacem in inducias, illas in armiſtitii prorogationem commutari, nulla libertatis mentione, in qua ſumma rei verteretur. Nollent exiſtimare, aut prudentiam ipſis deeſſe ad deprehendenda tam callida conſilia, aut animum ad recipienda arma; quae ut aegre ſumſerant: omnia prius paſſi, ita non niſi cum laude ac gloria eſſent poſituri. Indignabatur etiam Mauritius, qui etſi amantiſſimus pacis, ab hoc tamen tractatu alienior fuit, quia diſſidium hinc inteſtinum aliaquae mala timebat, ceu negligentioribus armorum, & defenſionis ſuae, animis omnium futuris. Praeterea dolum verebatur, hac cunctatione evidenter aliquo modo proditum; quamobrem literis XI. Kal. Octobres ad ſingulas urbes datis ſerio omnes hortabatur ad fortitudinem, ac conſtantiam: nunc illud tempus eſſe, quum deſeri Reſp. non deberet; neque iis auſcultandum, qui aut tam iucundas atque utiles inducias praedicabant, ut reiici non deberent; aut ita neceſſitatem publicam exaggerabant, ut fere defenſionem omnem ſuperaret. Satis adhuc virium reſtare, neque indecore cum hoſte propterea paciſcendum, ad provinciarum perniciem, quae quavis neceſſitate gravius ſit adflictura: proinde patres ſuos imitarentur, qui vel in maiora pericula adducti, nunquam tamen conſilia huiuſmodi admittere voluiſſent. Conſiderarent quoque libertatis vindicias, quae ne dubiis verborum latebris eluderentur, caverent: ſumma hic claritate opus eſſe, neque diſceptari tam anxe ab hoſtibus debere, ſi ſine dolo agere cenſeri vellent. Interim mandata Hiſpani ab Archiducibus nova accipiunt, tentantque per Richardotum legatorum animos, & aiunt, iuſſiſſe Archiduces cum Foederatis veluti nullius iuri obnoxiis, inducias ſeptennales fieri, liberis per Europam totam commerciis, & ſalva utrinque partium poſſeſſione; ſperare etiam, adprobaturum id Philippum, etſi mandati ab eo nihil haberent. Sed ubi libertatem commerciorum etiam extra Europam, & per utramque Indiam, cum plena iuris omnis renuntiatione urgerent legati, ceteroquin Foederatorum perſuadendorum ſpem nullam eſſe, iique hoc mandati datum ſibi negarent, edixerunt, ne quid amplius ſperarent, vanum ceterum omnem conatum fore, neque permoveri a ſe Foederatos poſſe. Quo intellecto, colloquium apud Verreickium habent, & de diſceſſu ſtatuunt, Itaque ſalutato prius Mauritio, & legatis, pridie Kal. Octobres Foederatos quoque adeunt, ibique Richardotus extollere magnopere Archiducum ſinceritatem, & propenſam ad pacis negotium voluntatem, Foederatorum contra abruptum rigorem ac duritiam accuſare, hortarique, bene rem perpenderent, & oblata recte conſiderarent, neque ita temere reiicerent multis mox precibus impetranda; praecipitis conſilii certam ſemper eſſe poenitentiam. Deinde, ſi redintegrando bello cauſam praeberent, rationes ab iis reddendas tot imminentium aerumnarum. Contra defendere ſe Foederati, optima per omnia fide egiſſe, & pro vetere candore gentis ſuae, ipſos potius in culpa eſſe, qui praeſtare nollent oblatam principio tam ſpecioſis verbis libertatem, ſine qua admiſſi nunquam fuiſſent. Hinc interloqui Spinola, & poſt pauca eius verba, de ſuo quoque erga pacem publicam adfectu, dicta utrinque ſalute, diſceſſum eſt. Sane invitis Hiſpanis hoc fuit, petierantque a legatis, uti ſuo nomine decem tantum dierum moram impetrarent, eamque ad rem etiam in Gallia apud Regem Toletani opera uſi erant, ſed nullo ſucceſſu. Itaque eo ipſo die, apud Mauritium pranſi, poſt meridiem diſcedunt, relicto a Richardoto mandatorum, quae a principe habebant, exemplari; quod conſulto, an negligentia factum, varia hominum coniectura erat. Qui conſultum arbitrabantur, plura illos mandata habere credebant, & hoc illis hic propoſitum fuiſſe, ut ſubſpectos Gallis ac Britannis Foederatos facerent, quia religionis negotium nunquam tam diſerte expreſſiſſent ac iuſſi eſſent; tum capita illic diverſa de provinciarum protectione, & foedere cum Archiducibus feriendo, ut in ſubſpicionem adducere illos poſſent, quaſi

Digitized by Google

clam, aut inconsultis ipsis, vel etiam adversum ipsos constituere aliquid voluissent. Qui negligentiam existimabant, eos haec ratio ducebat, quod mandata illic de protectione, quorum quam maxime secretum postulabatur. Interim vero dum sic arma cessarent, militi tamen militem adgredi licebat; atque ita Sidleniscius, Graviae praefectus dum prono Mosa Vornam devehitur, captus Sylvam ducis abducitur. Wernerus Bosius, militaris senatus praeses, Geldermalsa e convivio rediens, per viam obpressus, quum vincula B accipere nollet, vitam dedit, vir belli peritus, animoque promtus ac manu. Adolphus Nassovius, e Lutzenburgensi agro revertens, & Rhenobercam praetergressus, salutato militari more praesidio, dum in propinquo pago noctem agit, periculi securus, inopinato opprimitur; & fortiter magis, quam feliciter pugnans, sibi mortem non ingloriam invenit, suis victoriam peperit. Quamvis autem iam spes omnis collapsa discessu Hispanorum videbatur, non destiterunt nihilominus Galliae ac Britanniae legati; & quando C de pace irrita consilia omnia essent, inducias suaserunt. Quumque periculosas eas Foederati existimarent, scrupulum eximere Ianinus sategit, & diffidentiae iustissimas causas obponentibus, respondit, si fidem Hispani fallerent, velle, ac posse Regem suum quemlibet cum ipsis tractatum inire, ac Remp. salvam praestare, quin & per literas Rex ipse suadebat enixe, uti inducias ne reiicerent, quas salva libertate pacisci possent. D Idem Britannus faciebat, interminari quoque visus, nisi consilio parerent, auxilia in posterum illic nulla habituros. Admirari multi vehementiam, quippe non tam serio pacem antea agitatam, quam nunc inducias; in illa tamen plus securitatis esse. Nam pace constituta integrari bellum non posse sine nova offensa, aut violata fide; quae res animis vulgi indignationem adferat, & diffidentiam: contra in induciis fieri, quibus finitis liceret arma recipere sine reprehensione, aut E calumnia: in integro quoque ius omne esse, ceu nunquam abdicatum. Praeterea metuendum etiam, ne recte exactis, populus servari ab Hispanis fidem expertus, animum ad illos inclinaret, & excussum semel iugum facilius admitteret. Sed dimovere haec a proposito legatos non potuerunt, eoque res ab iis perducta, uti de induciis, secundum xv. illa, quae exhibuerant capita, ad xii. annos constituendis porro ageretur, prolatoque armistitio iisdem, quibus antea, demandatur F negotium; quod inchoatum x. Kal. Ianuariasanni cIↃ.Ↄ.c.ix. spondentibus legatis, curaturos Reges suos, ut effectum pacta haberent. Hac de causa in Hispaniam iverat Mancicidorius, & reversus mandatum a Philippo adtulit, ne longae induciae fierent; saltem armistitium, quemadmodum hactenus extenderetur: commercia in Hispania libera essent, extra Europam bellum continuari, & in mari mediterraneo: idque placuit Zelandis, sed non aliis: & dissidium sane ingens erat, adeo nonnullis ad pacem induciasve proclivibus, quasi extra illas salvam Remp. habituri non fuissent. Huc accedebat, quod duodecennes inducias provincialium animis tantum pacis atque amicitiae mutuae studium imposituras existimarent, ut ad arma resumenda adduci non possent; alii graviori periculo laborari censebant facillime Archiduces per praesidia plenam auctoritatem vindicare, & obedientiam subditis extorquere, Ordinibus provinciarum ex eorum nutu & voluntate pendentibus: Foederatis metuendum esse, ne labefactaretur constantia populi, aut dividerentur animi, quod facile eventurum in Gelria, Transiselania, & ditione Groningana, ubi per vim imperata arma, & penes nobilitatem maxima potestas, quae agris tutandis, in quibus fere omnes facultates, & periculo evitando, partes mutatura. Huc accedebat provinciarum in pecunia deinceps conferenda discordia; & in maximum adducta discrimen Resp. videbatur, neque dissidium duntaxat animorum erat, sed ira quoque, & exasperatio, gravissimi semper mali irritamenta: iamque Archiduces, id quod optaverant, consequutos existimare aliquis poterat, fracta illa antiqua concordia: & actum fortassis de Rep. erat, nisi eius Fortuna, conciliatis iterum animis, iam nutantem substinuisset; quamobrem consensus communis fuit, donare adfectus privatos utilitati publicae, & inclinare ad inducias conditionibus aequis. Brabantiae etiam, ac Flandriae, & ceterarum provinciarum Hispanicarum Ordines, Archiducibus repraesentabant, maximam belli calamitatem, militum non soluto stipendio intolerandam licentiam; fessis aerumnarum dandam aliquam quietem, & respirandi tempus: satis hactenus grassata arma, conculcatas leges: illis modum statui, his decus suum reddi oportere: praeterea, finire tot annorum miseriam, seculi beneficium, & immortalem principum gloriam esse, cum qua comparari trophaea nulla possent. Isto rerum statu Germaniae Principum legati discedunt, pacem constituendam adiuvare iussi, non inducias. Circa hoc tempus in Britanniam adpulit, a Philippo missus, Ferrandus Gironus, eques Melitensis, qui gratias Regi ageret de opera Belgicae pacis negotio impensa; quale mandatum in Gallia Toletanus quoque habuit. Interim sedulo laborari ad conciliandas partes, & legatis suis mandarant Foederati, refingerent proposita capita, & viderent, si quid in verbis sine Reip. fraude mutari posset: uti regi legati Antuerpiam profecturi eventum denuo tentarent, & explorarent, an vel isthoc modo ad rem ex aequo & bono tractandam permoveri se Archiduces paterentur. Ac post multam disceptationem illi profecti v. Eid. Febr. Antuerpiam advenerunt, ubi colloquia cum Archiducum legatis habita plurima, & non paucae difficultates obiectae: iamque in praecipiti res erat, quum ecce praeter spem quodammodo Fortuna publica animos coniungit, decretumque fit, uti legati utrinque ad inducias pertractandas Antuerpiae convenirent. Et ad-

Digitized by Google

adsunt non multo post a Foederatis, quos Spinola, Mancicidorius, & Verreickius honorificentissime exceptos in aedes Fuggerorum hospitia designatas, deducunt. Conventum illic aliquoties fuit, & paucis post diebus XII. annorum constitutae induciae, certis legibus, quas Rex, Archiduces, & Foederati ratas se habere per literas testatum facerent; quas Archiduces quidem & Foederati intra IV. diem, Rex vero intra III. mensem forma solemni exhiberet. Idque quum Archiduces & Foederati fecissent, tum illae promulgarentur. Atque ita terminatum bellum est, quo aliud gravius historiae nullae habent. Comparemus enim, quae omnibus ante seculis gesta sunt, hoc vincet. Primas armorum laudes gens Romana vindicat, orbis totius imperio destinata, & diu varieque pugnavit; sed viribus ac potentia aequalis semper hosti, saepe etiam superior. Foederati contra omnibus modis longe inferiores; & quos contemnere hostis poterat, certe metuere non debebat, nisi quatenus obpressum per omne nefas populum iusta ira ac desperatio erigit plerumque & potentem facit. Varia illis rerum, & praeliorum fortuna; aliquando victores, saepe victi; ita tamen, ut virtus ipsis sua constaret, & animus vetus tuendae libertatis, quem vis nulla, nulla pericula, aut aerumnae fregerunt. Mactae constantia ista animae excelsae! Deus vos servavit, & virtus vestra, ac coniuncta cum ista externorum principum auxilia. Porro positis hunc in modum armis, & adserta libertate, Foederati, quibus inter reliquas virtutes prima pietas est, pridie Non. Maii per imperii sui provincias grates Deo agendas, & supplicationem decreverunt, uti stabilis ipsis tranquillitas ista publica maneret, atque pace aliqua certa mox firmaretur, integra religione, magistratus auctoritate, ac provincialium concordia. Et merito gratias agimus tibi, AEternum Numen, nam abs te factum est istud, & visum est mirabile in oculis nostris. At vos Heroes, & Reip. huius dii Sospitatores, Ordines Foederati, vosque eorum legati, Guilielme Nassovii, Walravi Brederodi, Corneli Genti, Ioannes Barneveldi, Iacobe Malderae, Gerarde Renessi, Ioannes Slothi, Gelli Hillema, Abele Conderси, salvete: salvete illustria nomina. Gratias vobis agit immortales patria universa, pro beneficio incomparabili, quod legetur a posteris in tabulis Aeternitatis. Vos etenim omnes in constituendis induciis hisce fide summa laborastis, & negotii universi molem maxime in vos inclinatam substinuistis, prudentia admirabili, patientia incredibili, constantia ineffabili; & quam nunquam invidia concussit, aut calumnia. Salvete iterum, Heroes praestantissimi, qui odii atque gratiae popularis pariter securi, rectam virtutis viam insistentes, non spe aut metu impelli vos posse ostendistis; neque ante quiescendum existimastis, quam quietem ipsi, post tot annorum bella, patriae communi redditam videretis. Adfirmo vobis, in memoria hominum erit virtus vestra, & tam praeclara in Remp. merita nulla unquam aetas ignorabit.

ANNI NONI RELIQVA.

INduciis ita constitutis Hagam reversi sunt Foederati cum Regum legatis, in quos utrinque summa munificentia. Archiduces honorarium singulis miserunt ad IXM. Philippeorum; sed liberalitatem hanc supergressi Foederati, & ipsis quidem legatis in aurea supellectile ad Philippeorum XIIM. uxoribus eorum in Damasceni operis mappis ac mantilibus, ceteroque panno linteo perquam tenui, ad MMD. scribis torques aureos, cum aureis itidem victoriatis ingentibus, famulitio reliquo XL. Philippeos viritim donarunt. Praeterea etiam Foederatorum legatis, qui hic operam contulerant, praestantia munera Archiduces destinarunt, quae illi accipere ante adlatas ex Hispania literas, & confirmatas a Rege inducias, gloria sua indignum existimantes, ut contemtorem divitiarum animum ostenderent, sepositerunt tantisper, aerario publico mox illaturi, si confirmationem Philippus detrectasset. Inde Nassaviorum beneficia in memoriam revocant, atque ad ea compensanda animum convertunt, ut famam gratitudinis illustrem posteritati traderent. Itaque inter Gulielmi Auriaci liberos distributa hereditate, Philippum Vraniae heredem IXM. florenorum onere liberant, quos in sorores consanguineas dotis vicem expendere quotannis tenebatur. Comitatum quoque Alostanum, Abbatiasque Affligemensem ac Drinensem vendunt CCCM. bipartito ipsi solvendis: insuper bona omnia in Brabantia, Flandria, agro Luxenburgensi, Burgundiaque, ac Gallia possidenda adsignant, & cum his Vraniae principatum, ea tamen lege, ne quid eorum aut oneraret, aut a domo Nassovia alienaret. Adhaec honorarium extra ordinem addunt florenos XXVM. Mauritio decernunt Veriam, Clundertam, Moêrdicam, Leccam, Polanam, Graviam, agrumque Cuchensem, &, post Philippi mortem, Comitatum Viandensem, ac reliqua in tractu Luxenburgensi bona, cum nomine Praefecti Generalis. Henrico-Friderico Gertrudis bergam tribuunt, cum utraque Sualva, & piscinis. Ad haec quum levando aerario stipendia passim minuerentur, meritorum insignium causa utrique auxerunt; quemadmodum etiam Ludovicae Coligniae, Gulielmi Auriaci viduae, & Guglielmo Ludovico Nassovio, Frisiae Praefecto. Posthaec Remp. ordinare instituunt, & post Gallicum foedus,

Digitized by Google

agere Britannicum nunc quoque coeperunt, tentatum antea, ſed nullo effectu, ob cauſas, quas ſupra commemoravi. Tandem igitur & illud ſancitum eſt, his legibus: Vt mercatores, quibus a fortuna experienda peculiare nomen eſt, praeter vetera ac nova privilegia, pannos, & lanificia cetera Belgio inferre ſoli ius haberent, excluſis Belgis, ac Britannis, qui extra hanc ſocietatem: a quibus ſi quid inferretur, rem fiſci fore, & magiſtratum loci ius adiuturum. Contractus priores, cum Eliſabetha & Iacobo initi, porro obtinerent, niſi ſi quid in praeſens derogaretur, Rex etiam ad pacem operam conferret, & conſtitutam defenderet adverſus quoscumque Principes vim conaturos, eamque in rem ſuppeditaret naves bellicas inſtructas XX. pedites VIM. equites CCCC. ſuis impenſis, quas reſtituerent Foederati quinto poſt bellum finitum anno. Praeſtaret autem auxilium tertio menſe, poſt quam is, qui pacem violaſſet damna reparare monitus eſſet; niſi ſi manifeſta vis foret, & aut loca aliqua caperentur; navesque detinerentur, aut excurſiones publica auctoritate fierent. Tum, ob morae periculum, maturaret, & ſtatim praeſtaret. Viciſſim, ſi quis bellum Regi inferret, itidem ſuppetias Foederati mitterent, naves bellicas inſtructas XX. pedites IVM. equites CCC. ſtipendio ac conditione pari. Vtrique porro auxiliis pro arbitrio uterentur, ſed ſine mittentis conſenſu neutri cum hoſte paciſci poſſent. Iſte autem contractus, niſi factis induciis, non valeret; neque foederi Gallicano quicquam derogaret. Quod ad pecuniam Regi debitam, quae florenorum octuagies ſemel centena millia excederet, de ea ſtatutum, uti Londini biennio a pace ſolverentur ſingulis ſemeſtribus CCCM. quamdiu pax eſſet: quod ſi induciae tantum fierent, tunc minueretur ſumma & CCM. penderentur. His peractis domum diſcedunt legati, operae praeclari; & ſtatim auctoramento ſolvi miles a Foederatis coepit, ac dimitti plurimi, ſignaque ad L. aut LX. capita reduci. Idem Archiducibus facere viſum, ſed difficiliore eventu, ob ſtipendia non ſoluta, multis ad turbandum pronis, quibus opportune Spinola occurrit, exhibito triente. Sane ingens aerarii anguſtia erat, & debebantur adhuc octuagies centena millia. Itaque in Hiſpaniam ablegatur, qui Iſabellae a confeſſionibus, negotium pecuniarium curaturus. Ordines quoque Brabantiae, Bruxellis congregati, multa in hanc rem conceſſerunt, &, auri pretio addita viceſima, uti a praedonibus tuti eſſent arma agricolis permiſerunt, eorumque interfectoribus praemia poſuerunt. Quin etiam Hiſpanos licentius vagantes intra praeſidia redegerunt. Dum haec fiunt, trimeſtre elabitur, induciis a Philippo confirmandis ſuprema tempeſtas; cuius rei exſpectatio quum animos ſuſpenderet, extremo Iulio literae adveniunt, quae rata habere omnia Regem teſtarentur. Has in Hollandiam Verreickius detulit, atque ita demum certas ſe inducias habere Belgium credidit. Obortae tamen difficultates nonnullae commerciorum ratione nondum conſtituta, quae fluminibus ceterisque aquis navigarent, intercluſis adhuc oſtiis, & incertis vectigalibus, omnibus in rem ſuam intentis. Archiduces, Flandrique emporium conſtituere Dunkercae volebant, aut Oſtendae, quae utraque, propter adiacentem Oceanum, peridonea mercaturae. Contra Antuerpiani in priſtinum ſtatum commercia ſua, nimis iam detrita, reducere ſatagebant; quibus obſtare Zelandi, hoc urgentes, ut mari advectae merces navem mutarent, & vectigalia minuerentur tantum, non tollerentur. Praeterea de hereditatibus reſtituendis utrinque querelae, quas aegre poſſeſſores amitterent. His omnibus quamprimum componendis legati exſpectabantur. Foederati vero, qui iam ab anno CIↃ.IↃ.LXXXI. excidiſſe iure ſuo Philippum II. edicto promulgato pronuntiarant, firmata per inducias auctoritate, uti ſupremi magiſtratus ius vindicarent, ad confoederatos Reges legatos deſtinarunt, quum antea, quos Agentes vocant, mittere tantum ſolerent; & quum in Britannia quidem iam ante quinquennium Natali Caronio Schonewallio hunc tituli honorem decreviſſent, renovari tunc eundem, & in Galliis quoque Franciſco Aerſſenio decerni, e Reip. dignitate exiſtimarunt. Quin etiam ad Venetos Cornelium vander Mylium ablegant, Mauritii Conſiliarium, & Academiae Lugdunenſis Batavae Curatorem, qui ſalutato prius Galliarum Rege, communicatoque conſilio, equeſtri ab eo dignitate auctus, ab iis, ad quos mittebatur, eo honore exceptus eſt, quo alii ſupremorum principum legati ſolerent; miſſusque viciſſim a Venetis eſt Thomas Contarenus, qui & felicitatem publicam gratularetur, & amicitiam mutuam firmaret. Inde de piſcium captura cura fuit; quumque caviſſet Britannus, ne quis extraneus in Oceano Britannico, ſive Hibernico, inſulisve adiacentibus, ſine venia Londini aut Edimburgi petenda, piſcatum exerceret, eaque res ipſos maxime tangeret, piſcatoribus ſuis, impoſita modeſtiae obſervantia, tutelam addixerunt. Speciatim etiam Hollandiae ac Weſtfriſiae Ordines hanc curam ſuam fecerunt, veteraque edicta bello neglecta renovantes vetuerunt, ne piſces nimis exigui, anatum aut porcorum alimenta, caperentur; neu quibusdam locis ante praeſtitutum tempus piſcatio inceptaretur, & uti retibus menſura eſſet: deinde, quia in Moſa, Ya, fretoque Marſaco, magna phocarum graſſans copia adnatantes e mari piſces interciperet, earum capturae praemium daretur. Provinciarum praefecti ad limitem hic illic inſpiciendum proficiſcuntur, & colluſtratis in Zelandia munitionibus, ampliandam ibi Fliſſingam, portumque, qui centum aliquot naves caperet, faciendum curant. Inde in Caſſandriam traiiciunt, Flandriae inſulam, nuper armis ſubactam, & Sluſae, Iſendicae, atque Ardenburgi munitiones ordinant. Idem in Brabantia faciunt, & ad Scaldim flumen Lillcum extendunt. Interim Archiduces aerarii inopia angebat, & in Friſia turbabat miles, Linganique

Digitized by Google

nique ac Salii Gulielmo Verdugio tribuno vincula iniecerant, equitesque cc. motum coërcere missos, ceciderunt, Grollanos iam ad eadem audenda impulsuri, nisi Pompeius Iustinianus urbem paullo ante cum suis aliquot cohortibus ingressus, compescuisset. Is exhibito stipendio, paucorum supplicio terruisse reliquos contentus, partem exauctoravit, partem per praesidia separatos distribuit. Hoc tempore Foederatorum arma, imperata per Belgium quiete in Africam navigarunt. Illic inter Muleios fratres bellum exarserat, quibus nota tunc Foederatorum potentia erat, ac grata amicitia, ex quo capta Sluia, triremibusque aliquot Hispanicis in potestatem redactis, CL. Turcae pariter atq; Africani, restituta libertate, Muleio Bufferosio Regi dono missi essent. Tetuani, quod in freti Gaditani ora oppidum est, arma sumebant cives contra Muleium Shecum Fessae regem & praesidium a Muleio Saidano Marocano submitti postulabant aliquot cccc. ipsius fidei se suaque commissuri. Sed quum nisi mari iter non pateret, isque navibus destitueretur, res Mauritio per literas indicatur; atque ad nuntium a Foederatis binae naves cum Wolpharto Hermanno destinantur. Is classem antea duxerat in Indiam Orientalem, & quamvis maxime profectionem maturaret, mense demum Maio vix adpulit, quum iam tum, hoste victo, rerum Saidanus potiretur. Dederat Wolpharto Mauritius equas praestantes IV. Saidano donandas, qui auxilia & munus accepit, animique grati tesseram per eundem equos Africanos aliquot remisit, adiuncto ad Foederatos legato, Alcaido Benbichiero. Ille mandatum habebat, uti amicitiam, ac commerciorum libertatem ipsis obferret, qui paria fecerunt, & in suis provinciis eadem Saidano fore promiserunt, si modo oblatio certa esset. Alia quoque secreto agere iussus erat, sed quia hic coniuncta Hispani offensa, cum quo constitutae tunc induciae, intempestivum sermonem admittere non placuit. Praeterea etiam suppetias petebat, naves bellicas VIII. aut X. cum duobus tribus militum millibus; sed reiectus, quia prioris beneficii exigua fuerat gratia, hoc tantum obtinuit, uti militem conscribere, aut classem parare, & quae cetera bello necessaria, non secus atque reliquis Orbis Christiani principibus, aere suo ipsi liceret. Sic dimissus instructa iam ad revehendum nave, quum afferretur ex Africa nuntius, Muleium Abdalam cum Bufferosio patruo, a montanis adiutum, Fessam urbem occupasse, exercitumque obvium profligasse, rerum mutationem veritus petiit, ut prius in Africam mitterent exploratum, quo loco Regis sui res essent. Verum respondere Foederati videri ipsis, ut profectionem quamprimum expediret, in finibus melius, & sine periculo, de rerum statu cogniturus, exspectare illic tantisper iusso ductore. Atque ita discessit. Archiduces res suas varie firmatas cupientes, inprimis aerarii onera, quae antea dixi, minuere quaerebant; & in eam rem dimissae lusoriae, quae in Scaldi, aut alibi; exauctoratus item miles, qui Caesari operam navaret in bello Iuliacensi; quin & exilium indictum iis, qui turbas paullo ante dederant, etsi facta multis mox poenae gratia, prout opibus quisque, aut amicitia valeret. Sylvae ducis, quae urbs e quatuor Brabantiae primariis una, ad ceterum praesidium additi milites M. quibus quum hospitia cives negarent, ubi superari se ab iis numero viderent, & stipendia promitterentur ad Hollandiae morem, ex territorii sui tributo solvenda, tandem acquieverunt; dictitantibus nonnullis, urbem limitanem, ad securitatem publicam, arce muniendam esse. Porro ut Britanniae Regem veluti insigni aliquo beneficio sibi obstringerent, quod varie hactenus distulerant, Balduino, e S. I. presbytero, & Hugoni Oweno, coniurationis nuperae reis, Belgio suo interdicunt. Postularat aliquoties iste rex, uti regni sui iudicio sistere utrunque vellent ad causam dicendam, eaque cognita remittendam promiserat, ac supplicii potestatem penes ipsos futuram. Sed illi, metu fortasse, ne qui praeter exspectationem conscii proderentur, id pernegarunt. In Frisia Orientali adhuc perturbatae res erant, & Hagam Enno miserat; rogatum Foederatos, ut cum legato Britannico aliquam concordiae regulam praescriberent. Ea de causa Embdanis bis terve scripserant Foederati, ut, componendo semel negotio, cum plena potestate quosdam mitterent; sed respondere illi, nullam se concordiae mentionem ultra admissuros, nisi civium suorum damna Enno sarciret, quaeque porro statuerentur rata fore caveret, interea Hagiensi tractatu staturos. Accusabat graviter Embdanos Enno, & in Britanniam Thomam Frantzium miserat, qui de contumelia conquereretur, proscriptum se ab iis, & propositum quoque interfecturo praemium; quin & filium per insidias eripere conatos. & Genevam abducere, urbis illius religione imbuendum. Rex vera commemorari putans, ad Winwodum legatum suum, & Foederatos quoque literas dedit; quibus petebat, uti componendo dissidio, & comprimendae Embdanorum licentiae, operam darent. Re intellecta, serio se per Altingum excusare Embdani, & tam manifestae calumniae fidem deprecari, quibus nunquam in mentem aliquid tale veniisset; enixeque postulare, ut Hagiensis tractatus impleretur. Sed dum aliquamdiu differtur negotium, urgente Winwodo, tandem Hagam convocare partes placuit, quae sine plena potestate quum veniissent, remissae sunt. Interim Aurici conventum Enno indixerat, quod contra privilegia fieri obtendebant Embdani, quae in urbibus muro circumdatis comitia haberi vetarent; itaque, ut impedirent, per milites aliquot mandata ubique adfigunt, quibus facti iniuriam repraesentarent. Illi ubi Auricum veniissent, amice cum iis agere, qui ab Ennonis partibus erant, satagebant, urbem ipsam aperire parati, sed non arcem; dumque tractatur negotium, confusius irrumpens miles, ultro fortassis satis multa ausurus, explosis ab arce sclopis irritatior,

Digitized by Google

tatior, urbem pariter atque arcem oppressit, ac diripuit, quibusdam captis, inter quos Kniphusius, Hanius, & Wiarda. Posthaec Grietam quoque invaserunt, sed illic, redigere in commentarium bona contenti, praeda abstinuerunt. Hoc grassationis exemplum damnarunt Embdani, illicoque & dimiserunt captivos, & bona, quae restarent, reddiderunt, ceterorum autem pretium aestimarunt. Eadem indignatio Foederatorum fuit, qui direpta restituere iusserunt, ac e grassatoribus nonnullos supplicio adfecerunt. Deinde Hagam ab Ennone venerunt, Kniphusius & Wiarda, dissidii totius arbitrium Foederatis permittentes, quietis publicae causa oppida omnia, arcesque tradere ipsis parati. In Brabantia Archiduces religioni maiorum metuentes ab induciarum licentia, extremo Decembri publice edicunt: quicumque extranei loca illa frequentarent, quiete & sine scandalo sese gererent, ac de Rep. aut Ecclesia disputationes, psalmodiasque illicitas omitterent, in templis, aut vicis, pari cum subditis sacrorum reverentia agerent. Quibus hoc grave, ii emanerent, aut secederent, & prudenti modestia offensam declinarent. Quod si domicilium transferre illuc aliqui vellent, e quocumque tandem loco, omnes prisco ritu, & ceteris populi legibus tenerentur. Eadem in Flandria cura fuit, & ibi quoque prohibitum anno sequenti, IV. Kal. Febr. ne qui illic libelli, aut rhythmi, canticave inferrentur, pietati loci contraria; statutumque, ut merces peregrinae inquirerentur, ne permisceri his possent. Foederati, quo gratiores induciae subditis essent, in ipso felicioris temporis principio, de minuendis quoque oneribus, & sublevanda Rep. cogitabant; sed hoc consilium everterunt turbae in finitimis Gugernis, quae ipsos etiam implicuerunt, existimantes, hoc latus, per quod petebantur, diligenter communiri causam publicam esse. Decesserat illic mense Martio dux Ioannes-Gulielmus, bis contracto matrimonio proles, & incerta successio erat. Itaque ex sororibus duabus nepotes, Marchio Brandeburgicus, ac Palatinus Neuburgensis, hereditatem occupant, simul gesturi, dum res iudicaretur. Contendere cum iis Saxo Nivernius, ac Marcanus, & ius suum singuli adlegare; etiam Caesar, arbitrium litis ad se pertinere, eaque pendente suam possessionem esse, ad quam vindicandam Leopoldum Austriacum misit. Is festinato itinere ubi Iuliacum venit desinente Iulio, illico ad rem armis gerendam animum adiecit, ac compa rato milite, & quicquid belli necessitas requireret, quum defensionem Principes pararent, edicto cavit, ne quis sub ipsis stipendia faceret, neve obsequii fidem praestaret, aut tributum ullum penderet. Ad Foederatos quoque Adolphum Einatesium amandat, qui persuaderet, nullum hic privatum commodum spectare Caesarem, & ius unicuique suum salvum velle, de quo quamdiu minus constaret, ad ipsum, veluti supremum feudi dominum, devoluta administratione, illaesis privilegiis, ac libera religione, pacem illic publicam sartam tectam praestiturum esse. Porro deprecaretur, ne auxilii spe animos aliis erigerent adversus Caesarem, supremum in orbe Christiano magistratum; de cuius mandatis ut disputare crimen esset, ita iis non parere multo magis; quamobrem consulerent in publicum, & averterent manifestam temporum calamitatem, quam contumacia partium, ab ipsis adiuta, hisce provinciis minaretur. Ad haec illi respondent, optasse se semper, uti istarum terrarum principatus ad legitimum heredem sine turbis perveniret, ideoque simul defuncti ducis mors nuntiata esset, in literis ad Senatum, & Principes, quorum ea res intercrat, pacis, ac concordiae auctores fuisse; laetatosque magnopere, postquam convenisse inter se de administratione Brandeburgicum ac Neoburgensem ex ipsorum legatis intellexissent, & hanc illis felicitatem gratulatos esse, eique stabiliendae operam atque auxilium promisisse. Qui quum sanctam se maiestatem Caesaris habere declarassent, & competitoribus quibusvis ex aequo ac bono velle satisfacere; tam certo ipsorum iure, quod etiam binis comitiis, Teutoburgi atque Dusseldorpii habitis, provinciarum ordines comprobassent, mirari se vehementer, cur aut improbet haec Caesar, aut ipse huc advenerit, imperii tranquillitatem non leniter perturbaturus, quum defuturi procul dubio non essent, qui tantorum principum legitimam successionem forti manu adsererent. Confidere tamen, cognita causa facile Cesarem ipsumque sententiam mutaturos. Etiam Archiduces haec res sollicitos habuit, qui Foederatorum potentiam, a se alias magnam firmamque augeri aut fulciri per istos vicinos nolebant; quapropter omnino id nitebantur, ut Caesaris arbitrio negotium universum permitteretur, qui tantisper ius diceret; & legato in Gallias Richardoto, auctoritatem quoque Regis, quo illi niti potissimum videbantur, implorabant. Sed quum frustra laborarent, clanculum arma Leopoldo subministrant, & militem auctoramento solutum, quem ipse legeret. Idem Principibus Foederati faciunt, & in apertum tandem bellum res erupit, cui finiendo missus cum copiis Mauritius anno sequenti, adiutantibus Gallis, expugnata intra paucas septimanas ipsa belli sede Iuliaco, urbe atque arce munitissima, pacem incolis, Principibus tranquillam hereditatem, Foederatis tutam Remp. dedit.

FINIS.

GV-

Digitized by Google

GVLIELMVS AVRIACVS

S I V E.

De rebus, toto Belgio, tam ab eo, quam eius tempore, geſtis; ad exceſſum Ludovici Requeſenſii.

L I B R I X.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS, ET POTENTISSIMIS DOMINIS

ORDINIBVS GENERALIBVS

FOEDERATARVM BELGII PROVINCIARVM, HISTORIAE DE LIBERTATE REIPVBLICAE PATRVM SVORVM FELICI AVSPICIO, GVLIELMI AVRIACI INVICTA VIRTVTE RESTITVTA, PARTEM PRIMAM, IOANNES MEVRSIVS DEDICO, CONSECROQVE.

ILLVSTRISSIMIS, ET CELSISSIMIS PRINCIPIBVS

MAVRITIO D. G. PRINCIPI AVRIACO

COMITI NASSOVIO ETC.
MARCHIONI VERIAE, ET VLISSINGAE.
BARONI BREDAE ETC. DYNASTAE POLANAE ETC.
PRAEFECTO GELRIAE, HOLLANDIAE, ZELANDIAE,
WESTFRISIAE, ZVTPHANIAE, VLTRAIECTI,
ET TRANISVLANIAE;
SVPREMO EXERCITVS IMPERATORI,
PRAEFECTO MARIS GENERALI,
ET AVREAE PERISCELIDIS EQVITI.

ITEM

HENRICO FRIDERICO

NATO PRINCIPI AVRIACO, COMITI NASSOVIO ETC.
DYNASTAE GERTRVDISBERGAE ETC.
PRAEFECTO FLANDRIAE, ET EQVITATVS FOED.
PROVINC. VNIVERSI, HVIVS PATERNARVM VIRTVTVM,
ET MAXIMORVM IN REMP. MERITORVM,
MONVMENTI PARTEM PRIMAM
IOANNES MEVRSIVS DEDICO, CONSECROQVE.

GV-

Digitized by Google

ILL.MI POTENT.MI ET CELS.MI DD. AC PRINCIPES.

MOS *Antiquus hactenus obtinet, uti viri literati lucubrationes ſuas aut Principibus, in obſequii teſtimonium, aut amicis, in adfectus certi pignus, dedicarent. Is me tenuit, ne ſine ullo patrocinio Opus iſtud divulgarem. Itaque, quum patronum mihi capiendum exiſtimarem, vos hic implorandos eſſe advertebam. Quippe quae a Patribus veſtris in Rempublicam beneficia, iuncta opera, & conſilio, ſunt collata; illa, in literas relata, iunctim quoque eorum heredibus conſecranda arbitrabar. Neque dubitare audebam, quin acceptum hoc monumentum etiam habituri eſſetis; nam eorum, quibus vos debetis plurimum, quum memoriam veneremini, quonam modo ſcriptis illam celebratam, & Poſteritati traditam non libenter videatis? Eſtis autem,* ILLVSTRISSIMI, POTENTISSIMIQVE DOMINI, *in hoc Opere inventuri, quae ab Avis, Patribusque, aut Conſanguineis, veſtris geſta, ut antiquam Reip. libertatem vindicare, ac vindicatam vobis tradere in manus poſſent. Vos quoque* ILLVSTRISSIMI, ET CELSISSIMI PRINCIPES, *non quae Pater tantum veſter, immortalitate dignus, nunquam moritura, fecit; verum Patrui etiam veſtri, Ludovicus, Adolphus, & Henricus; qui, quum ſeſe pro Rep. tanquam Curtii, Deciive, devoviſſent, glorioſa omnes morte ceciderunt; tum Bergenſis quoque, Avunculus memoratur; qui initio, quum libellum etiam ipſe obtuliſſet, mox in Gelria, & Tubantibus, ſumtis armis, poſtquam preces nil valerent, urbes multas expugnavit; & Guntherus Svvarſemburgicus, ac Wolfgangus Hohenlous, item Avunculi, hic leguntur; qui adflictae Reip. pacem reddere, in conventn Bredae habito, maximopere ſunt conati. Horum omnium virtuti, meritiſque, ſi, quod poſui, monumentum non ingratum vobis fuerit, quae ſuperſunt, porro abſolvam. Quare enixe valde rogo, ut benignitate veſtra me deinceps foveatis, Reip. veſtrae civem, vobis ſubditum, clientemque devotiſſimum. Ita vobis,* ILLVSTRISSIMI, POTENTISSIMI, ET CELSISSIMI DOMINI, AC PRINCIPES, *Vitam Deus quam longiſſimam largiatur; faciatque quod vovetis, ac ſperatis, ut Remp. ſemper ſalvam, & florentem, habeatis. Lugd. Bat. ad diem* XXI. *Decembris, Anno* CIↃ IↃ CXX.

Digitized by Google

GVLIELMI AVRIACI

PARTIS PRIMAE

LIBER PRIMVS.

VIRORVM Principum vitas scribere, usitatum, & laudatum ab omni aevo; ac visa adiuvari virtus, dum describitur: acuitque generosiores animos, si repraesentata videant, quae praeclare ab aliis gesta; dum, exemplis stimulati, in exemplum sibi quoque vivendum putant. Adde, quod res ea mores etiam emendare solet; & virtutem fere discit, quisquis legit; quin prudentiam item adfert, dum consilia, eventusque, & momenta eorum omnia, considerate perpenduntur: ac praecepta bene gerendae rei publicae, aut agendae vitae suae, unicuique Historia praebet, quum alienam ob oculos ponit. Itaque mihi, quae Guglielmo Auriaco gesta pro Reip. libertate, Ordinum foederatorum auspiciis, cum memoria posterorum sint dignissima, ne haec illi ignorare unquam possint, monumento hoc consecrare visum fuit. Interest enim Reip. ut fundata consiliis eius, & firmata est, restituta summa animi magnitudine, & constantia plane invicta, libertate; ita etiam memoriam tanti beneficii, cum quo aliud comparari nullum potest, sempiternam conservari.

Gens Nassovia in Germania antiquissima, & illustrissima, non incerta temporum dicam, & hiulca, quaeque fabulis propiora; ab indubitato principio annos plus nongentos habet. Multi in ea pace iuxta, ac bello, clari; inter quos Adolphus praestat; qui virtute, quam fortuna, multo melior, ad Imperium evectus fuit. Inde hic Guglielmus Auriacus sese obfert, nulli maiorum secundus; Imperio si non potitus, tamen dignus; qui prudentia longe maxima, armis modicis, vim Hispaniarum regis, toto orbe potentissimi, postquam diu substinuisset, quum nequaquam vinci posset, interfectus, instauratam a se Belgii foederati libertatem Mauritio filio porro consummandam tradidit. Natus autem est Dillemburgi, anno a Christi nativitate clɔ lɔ xxxiii, ad diem xvi. Aprilis, patre item Guglielmo, Nassoviae, Viandae, Dierze, Dillemburgi, & alibi, comite; matre

Digitized by Google

tre vero Iuliana Stolbergensi, fecunditatis adeo felicis femina, ut, quum decederet, anno LXXVII. aetatis suae, prognatos ex se filios pariter, filiasque, nepotes, neptes, pronepotes, & proneptes, centum sexaginta haberet. In prima aetate Carolo V. Caesari traditus, annos novem in cubiculo eius egit; qui in puero quum ingenium, rerum maximarum capax, indolemque, ad suprema laudum factam, animadverteret; dignum censuit, quem cum cura ad res quaslibet capessendas educaret, & instrueret; itaque ad arcana quamvis negotiorum etiam adhihuit; ac frequenter, quum legati principum audiendi essent, clam habenda oratione, remotis ceteris, unum hunc admisit tamen; & abire una cum aliis cupienti, *Mane princeps*, inquiebat. Isto modo educatum, quum spem eius impleviſſet, mox honoribus summis auxit. Anno CIↃIↃL. uxorem sibi duxit Annam, filiam unicam, & heredem Maximiliani Egmundani; Burae, & Lerdami comitis: e qua prolem geminam sustulit, Philippum, & Mariam. Ex eo tempore rebus maximis adplicatus aetatem egit. Anno CIↃIↃLV. quum adversus Gallos bellum, discessuro a castris Sabaudo, ipse huic successor datus, qui cum summo imperio esset; annos tantum unum & viginti natus, & quidem ab aula absens, in qua multi tunc virtute militari celebres viri, Bossuvius, Lalanius, Rossumius, Egmundanus, Megensis, Arembergicus, aliique, quos Senatus, & regina item Maria commendabant. Quique ob aetatem, adhuc tanto oneri immaturam, aut absentiam, numerumve aliorum, qui imperio isti pares, praeteriri non iniuria potuisse. aut debuisse, videretur; magnam adeo in animo Caesaris spem virtutis suae accenderat, ut iuvenis, absens, & a nemine commendatus, etiam praeter voluntatem, multis aliis praeferretur. Itaque cum hac potestate legatus Caesaris, desinente mense Augusto in castra venit, novis Germanorum auxiliis pridem aucta; ubi ita sese gessit, ut abunde exspectationi Caesaris satisfaceret, & invidiam inimicorum facile vinceret. Ac prima sane cura fuit, inchoatam Carolomontii munitionem latius pandere, & ad vallem usque extendere, in qua Galli, propulsatis Caesarianis, substitissent; inde medio fere Septembri eductis copiis, tamquam Marienburgum petere destinasset, Fagnolium castellum adortus, quod a Gallis tenebatur, expugnavit, perbenigne militem praesidiarium habens; qua re ipsius etiam hostis laudem obstrinxit. Occupato iam Fagnolio, & exercitu praeter Marienburgum ducto, Convinium petiit, ubi aliquod a Nivernio praesidium erat; quo dilapso, turrim ibi munitam diruit, castraque ad Solturium duxit; nec ante movit, quam Philippopolim contra impetum Gallorum permuniret. Quod maioris laudis fuit, quia Nivernius, & Colignius, praestantissimi belli duces, obiecti essent; insuperque exercitum pestis infestaret. His peractis, collocato Carolomontii, & Philippopoli praesidio, reliquo milite in hiberna distributo, revocante Caesare, Bruxellas rediit. Animum enim is induxerat, regna Philippo filio tradere, & vitam porro a regnandi curis liberam, raro principum exemplo, instituere; Id, quum magni Auriacum faceret, nisi coram illo voluit; itaque, e castris revocatum, adesse iussit; quin, quod summi adfectus signum omnibus habitum, in consessum quum veniret, eius humero nitebatur; ceu non parum in fide ipsius, ac virtute se acquiescere testaretur; & mox item, quum iam regna tradidisset, praecepta imperandi addit, coram ipso, quasi eum in praesens testem, olim vero, si negligeret, etiam monitorem vellet. Tum seorsim commendata quoque prudentia adhortatur; ne in rebus maxime arduis quicquam sine eo gereret, neu consilio quenquam ante ipsum poneret. Anno CIↃIↃLVI rex Philippus, quum aurei velleris festum Antuerpiae Ianuario mense ageret, in equestrem istum ordinem etiam ipsum cooptavit; moxque Caesar, una cum Gregorio Sigismundo Seldio, qui tunc vicem Cancellarii obtinebat; & Wolfgango item Hallero, qui ab epistolis, in Germaniam ire iubet: ut Imperii coronam Ferdinando fratri ferret, cui Imperium iam tradiderat. Quam legationem etsi detrectaret, valde obnitens, deprecansque, & apud Caesarem, & Mariam, eius sororem; ne Imperii illa insignia, egregia progenitorum opera capiti olim ipsius imposita, auferre ad alium cogeretur: obtinere tamen preces minime potuit; arbitrantibus, ad honorem id pertinere: Itaque obsequendum fuit. Verum tamen res dilata in biennium; seu quod, postquam e Belgio Caesar discessisset, ruptis inter Galliae regem, & Philippum iam induciis, de belli exitu animi subspensi essent; seu quod tres tunc e Septemviris, Palatinus, Trevirensis, & Colonensis, recens diem obiissent; quique iis substituti, rebus suis ordinandis tenerentur, Anno CIↃIↃLVII. reverso ex Anglia Philippo, mense Iulio, cum Sabaudo, Arscotano, aliisque, collecto exercitu, ceu Guisae obsidendae, San-Quintini obsidionem, Gallorum clade memorabilem, adiutum ivit. Annus sequens CIↃIↃLVIII. per initia satis gravis, mox benignior. Luctu eum, & honoribus varie adfecit. Nam & mense Februario uxorem amisit, quae tunc in Bredana arce diem obiit; &, defuncto Maximiliano Burgundo, in Hollandiae, ac Zelandiae, Frisiaeque, & Vltraiecti, praefecturam est subrogatus; quin legationem etiam, ante biennium imperatam, & reiectam, uti supra commemoravi, tunc obivit; ac coronam, Imperii insigne, Ferdinando Caesari tulit. Dein, quum belli Gallicani rex Philippus iam pertaesus, quia iter in Hispaniam cogitaret, finem illi imponere vellet, huius prudentiae rem commisit. Isque, quum rex adeo in pacem propenderet, ut quovis eam pretio cuperet impetratam, nec se magis ullo officio devinciri ab ipso posse testaretur; Momorantii, & Sant-Andreani, opera tantum effecit, ut de illa mox colloquium haberetur; ad quod ipse cum Albano, Melitensi, Perenotto, Viglioque, delegatus mense Octobri, &

CIↃIↃLV.

CIↃIↃLVI.

CIↃIↃLVII.

CIↃIↃLVIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LIX. negotio per Mariam, Angliae reginam, quae Caletum reddi urgebat, interrupto; anno proximo cIↃ IↃ LIX. menſe Aprili ineunte, tandem etiam in Caſtello Cameracenſi conſtituta eſt; quanto cum Henrici damno, tanto cum Philippi honore, atque fructu. Quippe illi, & Sabaudo, pro Quintini tantum fano, item Hana, Caſtelleto, ac Taverna, loca ſupra quadringenta, aut, ut hi, qui minimum tradunt, centum nonaginta octo, quae praeſidio tenebantur, reſtituta. Ipſi certe Galli faſſi, nullam terrae ſuae pacem magis turpem, aut pudendam, fieri unquam potuiſſe. Atque ut pacis huius auctor, ac promotor ſummus fuerat; ita obſes quoque eius, quando ſic conventum erat, cum Albano, Arſcotano, & Egmundano item, datus: ſimul etiam, ut ſolennibus nuptiarum Henrici filiae, regi Philippo deſponſatae, intereſſet. Qua de cauſa dum in Gallia commoratur, clam Henrico cum Albano agitante de tollendis paſſim omnibus, qui per Galliam, Belgiumve, immo orbem Chriſtianum univerſum, reformatae religioni addicti eſſent: ipſum quoque, qui negotiis tantis additus, nihil horum ignorare exiſtimante; ideoque, de induſtria conſcientiam ſimulanti, hoc conſilium exponente: ille, quam aegerrime ferens homines multos, famae integros, opibusque in his excellentes quosdam, neci inſtar victimarum deſtinari; &, ſortem miſerorum dolens, ſubveniendum ipſis ratus, ſi qua poſſet, concepto in Hiſpanos odio, de eiiciendis iis Belgio toto, cui obſtrictum ſe putaret, cogitare ſerio coepit. Neque prius conquievit, quam, Sabauda intercedente, ac fide data, Rhenis ſeſe adfuturum, quum Franciſcus, eius nominis ſecundus, regno inaugurandus eſſet, redeundi in Belgium veniam impetraſſet. Pace ita conſtituta, quum Philippus in Hiſpaniam cogitaret, Belgiumque Margaretae Parmenſi ſorori gubernandum tradidiſſet, convocatis menſe Auguſto in urbe Gandavenſi Ordinibus, etiam hunc adiunxit illi, qui cum Antonio Perenotto, Egmondano, Glaionaeo, Barlamontio, Viglioque, feminam principem, ſexu ſuo, ac natione, Reipublicae Belgioque adminiſtrando minus parem; in negotiis longe maximis ſua prudentia adiuvaret: turmae etiam ordinariae praefecturam, & tribunatum Hiſpani militis, quo is cum minore invidia relinqui in Belgii limite poſſet, capere iuſſit. Ac quum multa, in perniciem certam Belgii, agi cerneret; obviam ire malo cupiens, rogare equeſtris ordinis proceres, & nonnullos e Senatu Belgico, inſtituit: *Vti Hochſtratam convenirent: illic ſe, quae rei publicae expedirent, indicaturum. In diſcrimen ſummum adductum Belgium eſſe, & civile illi bellum impendere; ſe obſtrictos ſacramento ordinis ſui, munerisque ratione, ut providerent, ne quid detrimenti capiat; idque in proclivi etiam, ſi remedia neceſſaria adhibere tantum vellent. Ante omnia Granuellani reprimenda eſſe conſilia; eorumque, qui hunc ducem ſequerentur: quibus unum hoc propoſitum videatur; uti caedibus, relegationibusque, & bonorum publicationibus item, Belgium univerſum perdant. Quae ſi illi porro agant, neque ipſi obnitantur, eventurum, ut, quibus diſpliceant iſta, ducem reſiſtendi inveniant.* Haec quantumvis multis explicaret illis, atque eandem Swartzenburgici, & Hollani, ſententiam diceret; qui uterque bene de re Belgica meritus, valere etiam gratia plurimum; tamen obtinere haud potuit. Mox, quum de externo molite removendo ageretur, etſi tribunatu eius pridem ornatus, operae multum hic navavit, cum offenſa regis maxima, etſi ſerio tunc in tempus diſſimulata. Etenim ille, ceu tuendae dignitatis maximum hoc momentum eſſet, vehementer rem urgebat. Idque Granuellanus ſuaſerat; qui ambitionem ſuam, ac potentiam, armis regiis communire ſatagebat. Sed, dum inde privilegia, iuramento confirmata, implorantur; hinc diſcrimen Reip. demonſtratur; aegre quamvis rex promittit. Et huius facti ſumma ſane offenſa fuit; decretumque, exſpectata occaſione, gladio in illos animadvertere, qui libellum obtuliſſent, iuviſſentve. Quod arcanum, ſedulo diſſimulatum, a primate quodam Hiſpano, qui Auriaco Egmundano aliisque, clam faveret, indicatum. Nam progreſſus ſalutatum, cum latrunculis ludentes offendiſſet, ceu ſecuritatem carpens: *ecquid nulla de libello iam exhibito ſolicitudo anxios haberet*, percunctari; cuius dicti negligentioribus ceteris, prudentior Auriacus advertendum animum ratus, Egmundano, qui familiarius eo uteretur, auctor eſſe; *uti & officii cauſa viciſſim ſalutatum iret, & occaſionem dicti, ac ſententiam exploraret.* Quod quum faceret Egmundanus, ille ſine ulla ambage rem exponit: *viſum regi, & Senatui, removere Hiſpanum militem: ſed libellum adeo diſplicuiſſe, ut auctoribus, pariter atque adiutoribus, capitis poena ſit ſtatuta. Id ſe, qui faveret ipſis, clam monere voluiſſe; itaque deinceps providerent.* Ab hoc tempore, alias cautus, magis circumſpicere Auriacus, ſuasque ita actiones inſtituere, ut nec muneri deeſſet, nec inimicis ſe exponeret; ubique obſequii pariter promtus, & inſidiarum cavens: numquam offenſo ſemel regi, etſi valde blandienti, ſe permittens. Egmundanus, Hornanusq; dum non cavent, circumventi periere. Diſcedente ſub haec rege, anni aliquot ipſi per quietem acti; qua dum fruitur, de ſecundis nuptiis cogitans, anno cIↃ IↃ LXI. Annam alteram matrimonio ſibi iungit, Mauritii Septemviri Saxonis filiam; habitis ſumma cum ſolennitate nuptiis, quibus Daniae rex Fredericus, & plerique Auguſtanae confeſſionis item Principes, Neoburgi per id tempus congregati, intereſſe. Deinde anno cIↃ IↃ LXIV. ambitione, ac ſuperbia, intoleranda in Rep. graſſante Granuellano, cum diſſimulari ultra res non poſſet, palam ei cum Egmundano, & Hornano, ſe oppoſuit; nec venire in Senatum, nec conſilia communicare etiam voluit. Quin & apud regem ipſum in Hiſpania acculavit, effecitque, ut diſcedere a Rep. iuberetur. Atque haec tempora turbae ingentes excepere; quibus quia deinceps vitam adeo implicatam habuit, ut

CIↃIↃ LXI.

CIↃIↃ LXIV.

ſine

CIↃIↃ LXV. sine istis nemo illam scribere possit, eas fusius adtexemus. Ergo quum anno exeunte cIↃ IↃ LXV. datis ad Parmensem literis, rex decreta de haereticis inquirendis, puniendisque, & concilio Tridentino admittendo, urgeret acriter; atque morem sine ulla exceptione gestum cuperet: illa, quum rem in senatu exposuisset, ac deliberatum esset, etsi Vigilius supprimendas paullum literas censuisset, quoad regem de discrimine Reip. monuissent; vicit tamen eorum numerus, qui hanc voluntatem Regis sine mora exequendum sentiebant. Itaque die XVIII. mensis Decembris ad provincias ceteras scribit, ad Brabantos XXXI. & *mandata regis stricte exsequi* iubet, *neque usquam ut conniveant, nisi poenae, in his expressae, subiacere ipsi velint.* Quod ut magis facile esset, placuit: *uti urbes quaeque unum e senatu suo constituerent, in semestre permutandum; qui id solum animadverteret, an concilio Tridentino satis fieret. Isque saltem ad trimestre unumquodque, ut cognosci religionis status posset, sive ipsam, sive aliquem consistorii sanctioris, huic negotio destinandum, de quibusvis accurate admoneret.* Tum inquisitoribus mandat, *quae ad diem* XI. *Maii superioris iussi essent, uti facerent:* nempe *in omnes, qui subspecti haereseos essent, aut prohibitos libros legerent; quive concionem haberent, aut de sacris etiam literis dissertarent, ut inquirerent, comprehenderent, litem intenderent, castigarent, desecrarent, iudici seculari traderent; tum carceribus uterentur, litem quoque terminarent, etsi non servato ordine. Nam sufficere, si consiliarium regis unum tantum advocarent, qui ius dicere ex ipsorum arbitratu secundum literas Apostolicas teneretur. Neque etiam necesse esse, ut iudicem loci ordinarium, aut dioeceseos, exspectarent. Quin citare cunctos possent, subditos regis, sine ulla exceptione dignitatis, sive praesides, sive item consiliarios, consulesque, & urbanos senatores; denique alios, in quocumque tandem munere constitutos; &, exacto iuramento, ad respondendum de quaesitis etiam cogere, poena in nolentes dicta, ceu fautores haereticorum.* Dein praefectis, magistratibusque, imperat: *ut rogati opem inquisitoribus ferrent: aut supplicium, si negarent, idem sibi promptum scirent.* In decretis Tridentinis ista erant. *Vti clerum reformarent; tum ut in paroecia sua quisque curio percenseret, quot in ea familiae essent, & in unaquaque earum quot personae, atque ibidem a quo tempore habitassent. Si quae pridem advenissent, a priore curione testimonium secum ferrent, quo probarent, religionem se Catholicam profiteri; inde quando, & quo modo matrimonium contraxissent. Porro in confessionibus nomina quoque confitentium, ac cognomina, quasque habitarent aedes, adnotarent; hoc indicio, an perseverarent omnes, cognituri. Deinde illos ut inscriberent, qui pro pueris in baptismo fidem suam interponerent, ad eosque, ubi mox adolevissent, erudiendos ne qui usquam admitterentur, nisi qui maiorum more sacra colerent: denique ut egenos etiam, quique stipe collectitia alerentur, explorarent, qualem illi religionem sectarentur; item an confessionem, ac rem divinam frequentarent: quique hic negligentes essent, iis uti stipis nihil largirentur.* Archiepiscopus Cameracensis, Synodo provinciali convocata, reformationem cleri aegre obtinuit. Machlinienſis pariter atque Vltraiectinus, frustra fuit. Vrbes quoque Brabantinae, qui provinciae tertius ordo, graviter angi; & in his Antuerpia maxime, quae libello indicabat magistratui, *haec contrariq iis literis, quas superiore Iulio a Parmensi accepissent. Ac testari, non se modum invenire, quo immunem a seditione urbem porro servent, Inquisitionem istam motuum fundamentum esse; & non multo post futurum, ut regionem desolatam, atque inprimis urbem habeant. Contra privilegia iri; & infringi introitus laeti capita, primum, secundum, tertium, ultimumque. Ideoque, ceu tutorem implorare; vellet de tam obstinata regis sui voluntate certiorem S. Imperii cameram facere, & ad illam provocate. Nam secundum auream bullam, terrae Brabantiae anno* cIↃ CCCXLIX. *datam, & ab Imperatoribus cunctis, in Imperium succedentibus, confirmatam; dein tractatu Augustano anni* cIↃ IↃ XLVIII. *id licere. Huc adcedere de religione acta; cum Passaviae anno* cIↃ IↃ LII. *tum Augustae,* cIↃ IↃ LV. *per quae omnia neque inquisitione, nec concilio Tridentino subiacerent. Ac potissimum, cum tractatu Augustano anni* cIↃ IↃ XLVIII. *pars Imperii facti essent; ideoque privilegiis, patrocinisque omnibus, frui necessario debeant, quibus ceterq membra Imperii: cui Belgium, quantum duo Electores, contribueret. Quam ob rem enixe orare, uti intercedere vellet, hasque a Parmensi literas revocari procuraret. Quod ni fieret, tum querelam sibi ad Ordines referendam.* Eodem modo aliae quoque provinciae questae: quae a curiis quaeque suis hoc responsum accepere. *Nihil novi intentari; ac de inquisitione hoc tenendum, uti illis tantum locis, quibus usitatum foret, ac recepto pridem more, haberetur; & privatim Antuerpienses tam ab ea, quam episcopo, liberi essent. Quod concilium Tridentinum adtineret, id non ultra valiturum, quam mox palam explicarent,* Sed quum urbes etiam insisterent, voluerunt persuadere: *temere esse, quod Brabanti de novitate quererentur: quippe dudum inquisitionem illic usitatam, & Pontifices Romanos inquisitores generales iure, ac merito, quovis tempore in hoc Belgio habuisse.* Hoc responso magis omnes angi ubique; & inprimis, quum adversos comperirent, quorum erat adiuvare. Ideoque nulli operae, aut pecuniae, parci esse, ut arcana explorarent. Quin & famosos libellos, rhythmos, carmina, quaeque talia, passim spargere, & ad loca publica affigere; etiam Parmensi ipsi in manus tradere; *quo edicta, inquisitionem, episcopos, & concilium Tridentinum, inhibere animum induceret.* Tum solerter eos, qui muneribus publicis fungebantur, adhortari: *meminissent sacramenti, quo provinciis dixissent: neve, officii sui obliti, contra fidem, patriamve quid committerent.* Ac terrendis minae additae, Ex his omnibus quum Respublica in praecipiti,

CIↃIↃ LXV.

CIↃIↃ LXVI. piti, & mutatio impendere videretur; Parmenſis, animis tranquillandis, ad diem XXIV, Martii anni CIↃIↃLXVI. edicit: *quando ab anno eius ſeculi quinquageſimo in Brabantia nulla inquiſitio fuerit, ne nunc quidem velle regem, ut illic eſſet: verum privilegia ſua ſalva haberet, nec concilio Tridentino, niſi quantum ea ferrent, ſubiaceret.* Ita laeti rurſum Belgae; ſed quum Ordines Brabantini, paullo magis hoc edictum expendentes, ne quis ſcrupulus ſupereſſet, acta a Parmenſi peterent, regis nomine ſubſignata, quibus caveretur ipſis; *non deinceps ullam in provincia ſua inquiſitionem fore; neve alium unquam iudicem de delictis quibuscumque, etiam haereſeos, praeter ſolum ſecularem, cogniturum; tum edicta uti mitigare vellet: haec reſpondet, cum proceribus aurei velleris, ac praefectis provinciarum, ſe acturam.* Moxque egit de edictis mitigandis, integra religione, & auctoritate regis, ad ſedandos populi animos. Fama enim invaluerat, nobilitatem paſſim concitatam eſſe. Quippe ut ſacrorum praeſules, ob epiſcopos conſtitutos, aliaque reformata, aeque ac populus univerſus, indignari; ita illa pertimere; *ne in nervum res erumperet; & in ipſam, ruri paſſim habitantem, ideoque iniuriae expoſitam, faba quoque cuderetur.* Vt timeret, minae populi faciebant, precibus mixtae, quibus ille impellere iſtam ſatagebat: *ut, quemadmodum deberet, apud regem, non omnino gratiae eius nil daturum, intercederet.* Ergo, quum praetextu vario aliquoties conveniſſet, foedus ictum; primo a paucis, mox compluribus, dum amicum quisque ſuum illuc trahit, ſubſignatum. Adeoque numerus auxit, ut poſtremo ſupra quadringentos eſſent. Foederis autem iſta ſumma: *Quando homines peregrini, Deo, regi, ac Reip. inimici, quique unum iſtud agerent, ut ambitionem ſuam, atque avaritiam, ſub praetextu religionis adſerendae, & tranquillitatis publicae confirmandae, regis, Belgarumque, impenſa explere poſſent, apud regem effeciſſent: ne edicta violenta, quod pollicitus, mitigaret; dein tyrannicam inquiſitionem etiam imperaßet, quam mox Belgii omnis vaſtitas, populi obpreſſio, fidei quoque Chriſtianae exſtirpatio, regii nominis imminutio, incolarum plane intoleranda ſervitus, privilegiorum ereptio, ſumma denique Reip. perturbatio, ſequutura; ut praeverterent ex officio malis iſtis, ſacramento ſeſe mutuo obſtrinxiſſe, ne hanc inquiſitionem, ſub quocumque tandem nomine unquam admitterent. Nihil vero aut adverſum honorem Dei, aut ſupremam regis ſui poteſtatem, Ordinumve, agitare; ſed inprimis cum Rep. ſalva haec velle, ac conſilii huius ſui Deum ipſum teſtem capere.* Foederis eius, quamquam multi ſubſcripſiſſent, magnum tamen ſecretum fuit; clamque praeſtitutus dies, quo Bruxellas, ad libellum offerendum, convenirent. Primi inter eos erant, Brederodius, genus ſuum ad Hollandiae Comites referens; Culemburgicus, ac Bergenſis: Ludovicus quoque Naſſovius, Auriaci frater, aliique. Quamquam autem in arcano conſilium eſſet, non tam occultari tamen apparatus rei potuit, quin proceribus nonnullis aurei velleris innoteſceret; ex quibus Megenſis primus ad Parmenſem partim retulit; quae non parum conſternata, graviora, quam propoſitum foederatis, metuebat; tanquam urbes, ac munita quaedam loca, uti fama ferebatur, occupare agitarent. Ea propter datis paſſim ad urbes literis admonebat: *ſumma cura, necubi obprimerentur, providerent.* Menſe Aprili, ad primum, ſecundum, tertium diem, quum Bruxellas undequaque ſatis multi, & in illis Brederodius, ſine armis conveniſſent, quarto ſenatum dari ſibi a Parmenſi poſtulare. Quo permiſſo, quinto praeximo e Culemburgenſi domo numero fere quadringenti, in quaternos diſtributi, ordine omnes proceſſere. In ſenatum cum veniſſent, ubi eos & Parmenſis, ſanctiuſque conſiſtorium, proceresque aurei velleris, & profecti provinciarum, excepere; Brederodius, ubi confeſſum veneratus primum eſſet cauſam adventus memorare: *ut libellum iſtum ſupplicem exhiberent; temere vero facere quosdam, qui ſeditionis ipſos, a qua quam longiſſime abeſſent, accuſarent. Ideoque enixe orare, uti illi caſtigentur.* Ac Parmenſis, *ſe libellum cum ſenatu inſpecturam, moxque reſponſuram,* edicit; ad quae verba receſſere. In libello hoc exponebant: *ſat Belgarum in principes fidem claram eße: ac nobilitatis maxime; quae nec opum, neque vitae, unquam parca, laudem hanc tueri certa; qua de cauſa, quum praeſentem rerum ſtatum animadverterent, maluiſſe offenſum aliquam nunc incurrere, quam ſilentio damnum regi, ac Reip. conciliare. Neque enim dubitare, quin haec olim inter merita cenſerentur. Ac quantumvis non ignorent, quae de inquiſitione, decretisque de religione exacte obſervandis, ſtatuiſſet, recte facta, ad exemplum Caroli patris; qui haec pridem, publicae tranquillitati confirmandae, imperaſſet; tamen temporis rationem habendam eſſe, quod haud parum immutatum, & remedia item alia poſtularet. Nam ſi, dum decreta exequi modice tantum adnituntur, turbae adeo graves ortae; quantas, ſi ſevere agant, imminere arbitrentur? Ideoque ſe vereri, ne, tam alienis populi ubique animis, in ſeditionem Belgae univerſim concitentur. Speraſſe quidem hic remedium a provinciarum ordinibus; verum; quando hactenus illi neglexißent, malo indies valeſcente, ac praeſenti iam periculo, officii ſui exiſtimaſſe, ne diutius tacerent; ac conſidere, quod monerent, non id male acceptum iri; ſiquidem ipſi ruri aedes, bonaque alia, poſſidentes, magis ceteris in diſcrimine verſarentur. Ad haec ſi mandatis regis ita rigide mos geratur, vitam omnes, fortunasque, ad libidinem delatorum, prout quemque avaritia, aut invidia, ad calumniam ſtimularet, in ancipiti habituros. Quamobrem orare ſupplices, uti malo occurratur. Quando autem rei gravitas poſtularet, ablegari ad regem preces, apud ipſum intercederent, in perpetuum ut proſpiceret; idque quia niſi ſublatis edictis, mali cauſis, fieri nullo modo poſſet, ea abrogari ſinat: quae ſervari, niſi perdita republica, minime queant. Ac ne forte, qui in regem*

CIↃIↃ LXVI.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVI. *gem ſuum obſequium inter prima reputarent, legem illi ponere velle, quod maligni per calumniam dicturi eſſent, viderentur; ſupplicare quam humillime, ut provinciarum ordines convocaret, habitoque cum his conſilio, alia rurſum, magis Belgio profutura, & periculoſa minus, ſubſtitueret. Interim ipſam oratam cupere, dum haec regi exponerentur, isque etiam conſultaret, inhibere edicta vellet. Se feciſse pro virili, quod officii ſui eſſet; nec ſilentii olim omnino culpam ullam impingi poſſe, ſi ad turbas inde, aut caedes, quod abominentur plane, veniretur. Ac proinde Deum, regem, item ipſam, & ſenatum univerſum, conſcientiasque ſuas teſtes capere, pro clientum fide egiſſe.* Quum nobilitas foederata, hunc libellum oblatura, proceſſiſſet, Barlaimontius ad Parmenſem conſternatam, ut erigeret, per contemtum lingua Gallica *Geuſios* illos dictitabat; *neque eſſe, quod metueret.* Hoc vocabulo nebulones, ac mendici, apud Gallos nominantur; & deinceps Proteſtantes ita vulgo nominati. Illi vero, quum de dicto hoc accepiſſent, *non pudori ſibi* dicunt, *regis cauſa, patriaeque, iſto nomine nuncupari.* Tum de collo nummum aureum mox ſubſpendunt, cuius in antica parte effigies regis expreſſa erat; in poſtica, fidei ſignum, manus duae inter ſe iunctae, perque mediam peram exertae. Circum ſcriptum, REGI AD PERAM VSQVE FIDI. Quin e ligno parvas lances, mendicorum utenſilia, pileis nectunt; & ſubcinericea veſte ſe, familiamque, induunt. Poſtero die, quum deliberatum eſſet de reſponſo, revocati a Parmenſi foederati, ad quos iam Bergenſis quoque, ac Culemburgicus ſe adiunxerant; ordinatim procedentes, uti pridie, rediere. Poſtquam ventum in ſenatum; hic Parmenſis & libellum iis reddit, & compellat perbenigne: *inſpexiſſe poſtulata, ac ſatisfactum illis cupere: itaque legationem decreviſſe, qua praeſentem rerum ſtatum regi exponeret; a quo nihil inclementius exſpectare ſibi debeant. Et iam ante, quam veniſſent, cum proceribus, ac ſenatu, de edictis mitigandis conſultaſſe; nec reſtare, quam ut voluntatem regis, ſine qua nil ipſa poſſet, ſuper iis ſcitaretur. Quod de inquiſitione inhibenda propoſuiſſent, id in ſua poteſtate minime ſitum, neque illos ignorare. Deinde indecorum etiam, ſine aliqua de religione lege Belgium eſſe. Verum, dum ad regem mitteret, mandaturam Inquiſitoribus tantam moderationem, uti gratiam ei omnes ſint habituri. Interim autem ſe confidere, ita acturos ipſos eſſe, ne quid novi conſtituere ſit neceſſe; ac ſperare, interceſſione ſua apud regem effectum iri, ne deinceps inquiſitione ulla vexarentur. Cuius quidem operae ipſa tanto magis promta foret, quod non dubium haberet, quin religionem antiquam ſartam tectam ſecum cuperent.* Haec ad ſextum Aprilis acta. Die octavo redeuntes: *gratias ſe Parmenſi agere, pro reſponſo tam benigno, magnas* dicunt; *verum optare, uti clarius, ampliusque iſtud eſſet. Tum dolere, quod ſuſpendi abs ſe poſſe edicta neget; atque orare, quorum id munus, admonere moderationis vellet. Se his omnibus, quae a rege, atque ordinibus, ad ſacrorum priſtinum cultum conſervandum decernantur, parituros: & interea vitam procul ab offenſa, ac iuſta culpa habituros. Iterum autem teſtari, ſi quid ſecius Reipublicae eveniret, quod officii ſui eſſet, ſat, ſuperque id feciſſe; nec vertendum vitio eſſe. Denique, quando accepiſſent, iſthac adverſarios agere: ut libellum, abs ſe oblatum, typis vulgent, oratam cupere, uti is typographo regio, nullo apice immutato, excudendus traderetur.* Ad haec Parmenſis, quum deliberaſſet paulum, *ſe daturam apud magiſtratus omnes, & inquiſitores, operam, ne quid uſquam peccaretur; &, ſi fiat, culpam ipſorum, quam ſuam, fore. Ea propter, quod polliciti, conquieſcerent, neque plures ad ſe trahere conarentur.* Rurſum illi gratias agunt; & *optare ſe* adfirmant, *ut conventum iſtum ſuum in bonam partem ſe accipere, coram ſenatu, teſtaretur.* Quumque illa, *ita credere*, reſponderet: neque tamen ultra mentem explicaret, iterumque hi inſtarent, *ut ſententiam aperiret: nec dum ſe id poſſe*, inquit; quibus verbis ſuboffendi foederatos quum nonnulli animadverterent, intercedere, & Parmenſi auctores eſſe: *ne, incommodi evitandi, ſic dimittere illos vellet.* Quos Chriſtophoro Aſſonvilio adiutante, tandem placuit, Philippum Lalanium Hochſtratanum, velleris equitem, Bertiumque, ab epiſtolis, ad hos mittere, qui & plenam fidem facerent: *in religionis cauſſa, prius quam reſponſum a rege accepiſſent, nihil conſtitutum iri;* & exemplar literarum item oſtenderent, quis inquiſitores omnes, iudicesque, & magiſtratus; *in cuiusquam fidem inquirere, aut ob iſtam qualecumque ſupplicium capere, dum rex aliud ſtatuiſſet*, vetarentur; *niſi ſi ſeditionem, aut res novas, agitarent: quo in crimine deprehenſi curiae ſuae iudicandi traderentur.* Cum promiſſo hoc foederati domum quisque receſſere; aliquot prius conſtitutis, qui in unaquaque provincia providerent, ut, quae promiſiſſent ipſi, accurate ſervarentur. Neque parum nobilitatis foederatae tanto ſtudio animi paſſim tranquillitati; iamque omnes maximo cum deſiderio, quid rex decreturus eſſet, exſpectabant. Ac Parmenſis cum proceribus, & ſenatu, ſerio de legatione conſultare; qua de rebus a ſe geſtis regem, graviter ob conventum nobilitatis iam iratum, partim certiorem faceret, partim oraret, *uti Belgis indulgere aliquid vellet.* Et perſuaſi aegre tandem, Ioannes Bergenſis, ac Florentius Monmorantius Montinius, ex equeſtri uterque ordine, legationem ſubſcepere; quibus formula decretorum mitigandorum etiam data. Quae profecto talis erat, ut his indignationem, illis riſum, concitaret. Nam pro ſummo beneficio conſtitutum: *ut, qui duces Proteſtantibus ſe praeberent, quive hoſpitio eos excipierent, aut offenſae cauſſam darent, non iam flamma, quod ſolebat, ſed ſubſpendio; vel, ſententiam ſi mutarent, etiam gladio punirentur: plebs ſimplicior, ceu ſeducta in errorem, neque ſponte ſua peccans, in exſilium mitteretur.* Mitigationem iſtam curia ordinibus, ad quos populus provocabat, perſuadere ſtatim anniſa

Digitized by Google

MDLIO LXVI. nisa est; ac vocati primum Artesii, Hannoniique, & Namurcenses, inde Flandri, ac Brabanti, subscripsere, clam habere factum iussi. Sed Hollandi, & Zelandi, Frisiique, & Traiectini, item ceteri, ceu feroces privilegiis, nec tam facile contensuri, praetermissi. At quantumvis haec clam populo agitata, tamen non diu latuere: & hinc rursum turbae ingentes, ac suspicio; *ordines provinciarum, more antiquo, minime convocatum iri*. Huc adcedere, quod complures, qui ob causam religionis solum verterant, nunc reversi, in carcerem detruderentur; & Ioannes Tuiscanus Aldenardae, ad octavum Iunii diem, capitis poena affectus esset. Quae quum ita se haberent, Montinius solus in Hispaniam iter capit; & Bergensis, crure laeso, impeditus ne una iret, mox subsequitur. Illuc postquam advenissent, coram rege, ac senatu, Belgii turbas exponunt: *Et earum causam esse a literis regis, super inquisitione, & edictis exequendis, pridem scriptis; nec remedium adhiberi ullum posse, nisi illam aboleret; ista vero, prout concepissent ipsi mitigaret: tum praeteritorum veniam indulgeret; neque tamen compertum habere, an haec probaturi essent foederati; qui consilium adhiberi, & consensum, ordinum generalium vellent. Nihilominus proceres aurei velleris omnes constituisse, si haec tria concedantur, pacem, ac quietem publicam, instaurare; adnitentibusque bonis, qui complures in provinciis passim essent, malos armis coërcere; nec necesse regi fore, nimis iter per incomoda praecipitare.* Quae quum disceptari cernerent, addunt; *adfirmare proceres, si haec tria denegentur, non se modum invenire, quo honeste, aut equum inscendere, aut arma capere deinceps possent: sed necessitatem imponi a Rep. discedendi.* Haec quum regi, & senatui explicassent, mox seorsim apud amicos conqueruntur: *se contemni in Hispania; & Hispanos in nobilitatem Belgicam, proceresque dominatum affectare, quem Neapoli, in Sicilia, & Mediolani haberent: idque non ferendum esse.* Interhaec Parmensis scribit: *spisse magis conveniri, & iam palam conciones ad Tornacum, Insulasque, S. Audomari fanum, item Ypras, frequentari; & se Gallos concionatores immisctere. Tum Antuerpiae idem fieri. Quam ob rem orare regem, tria ista ut permitteret; ceteroquin non se, proceres, aut senatum, tranquillare motus posse.* Auriacus, futuri prudens, quum offensam regis sciret, & turbarum nullum finem, discedendi a Rep. quam perire sentiebat, consilium capit. Itaque ad XXVII. mensis Maii, iterum XIV. Iunii, literis datis, commeatum a rege petit. *Curam omnem, operamque, a se impensam, quo res Belgicas fulciret; ac dolere, quod ne quicquam laborasset. Atque id aequo animo ferre; nam vim mali, fato adiutam, saepe recto praevalere; neque eventum, ut consilia, in cuiusquam potestate situm esse. Verum se, post omne obsequium, per calumniam traduci, tanquam motus adiuvisset, quos pacatos maxime omnium voluisset, non ferendum omnino esse. Itaque, quando laboraret fides eius, reciperet munera, quae dedisset; & abire nunc permitteret, ad res suas ordinandas, quae inprimis illud poscerent.* Adhaec die primo Augusti e Segoviensi silva rex respondet. *Accepisse binas literas; & iam pridem ad sororem perscripsisse, quam nil tale animum ipse inducere debeat. Nam profecto, quod non plenam sibi fidem haberi putet, multum falli; neque causae, cur existimet, quicquam esse. Ac si forte id conatus quisquam foret, non se ita animatum, ut tam temere ad calumniam aures daret. Satis fidem, & obsequium exploraſse; atque hortari, ut in illis perseveret. Tum in literis, olim scriptis, ac virtute ista sua conquiescat; neque ab iis, qui ad alia instigarent, neutri bene cupientes, se impelli patiatur. Quod abeundi veniam petat, & imposita munera reddat, dolere sibi vehementer, eo loco res ipsius constitutas; sed, Rep. ita graviter laborante, periniquum existimare, ut virtute ista viri, ac prudentia, & in quibus acquiesceret, se subtraherent: quum necesse potius foret, ut periculo tam insigni avertendo, ad quos illud pertineret, cuncti accurrerent. Idque Antuerpiae ab ipso factum, adeo sibi placuisse, ut hortetur, iubeatque, ita pergeret: & facturum plane confidere. Atque ut videat; quam cum ipso aperte agat, non dissimulatum velle, fratrem eius, Ludovicum, ceu turbarum adiutorem, a permultis accusari. Quod ut aegre sane ferret, ita occurri ab ipso cuperet; &, si ita videretur, illum, saltem in dies aliquot, removeri.* Ad Parmensis vero literas, antea commemoratas, *decrevisse se*, respondet, *uti per Hispaniam totam, Belgiumque, pro felici itinere suo supplicationes publicae haberentur. Nam deliberare iu praesens, mari id, an per Italiam, institueret. Tum ad Caesarem scripturum. Quod ad tria illa capita adtineret; placere, ut inquisitio tantum episcopalis, ab antiquo usitata, non Hispanica, obtineret, & ut formula de edictis mitigandis conciperetur, qua Romana Catholica fides, & maiestas ipsi sua, salvae essent: ut quamprimum constituere aliquid posset. Dein permittere, uti ipsa foederatis, aliisque, nondum culpae manifestis, veniam pro arbitrio daret. Ita tamen si certa esset, proceres Belgicos religionem, & quietem reipublicae adiuturos; tum solutas foederationes fore, ac conventus, conciones, ceteraque istiusmodi offendicula, omissum iri. Alioquin, si rebelles arma caperent, vim quoque ipsa adhiberet; & praesidia, ac cohortes ordinarias his opponeret: quin, si opus, novum etiam militem legeret, cui centuriones suos, praefectosque, uti libitum, constitueret.* Ad haec blande item ad proceres, senatumque, & urbes scribit: *darent operam, dum adventum maturaret, ut pacata omnia essent.* Nihil aliud hac legatione effectum, & legati per blanditias simulatas deteneri quum interea rerum Belgicarum status multo peius se habetet. Nam dum proceres, & provinciarum praesides, senatusque in id incumbunt, ut quacumque ratione malo occurrerent; sperantes regem in tria capita, semel iterumque iam commemorata, consensurum; deprehensum: *nobilitati*

Digitized by Google

MDLXVI. *litati foederatae ſolito minus faveri: &, quae facta ab ipſa eſſent, in peiorem partem trahi.* Ad haec triſtia ex Hiſpania imminere credebantur, cum a fama, tum ipſius regis literis, Madriti ſexto die Maii ad nonnullas urbes datis; quibus eas ad conſtantiam in obſequio hortabatur, & auxilium, ceu in Belgium mox venturus, promittebat. Quam in rem parari claſſis in Zelandia, obviam illi proceſſura, ferebatur. Tum Hiſpanienſes quidam ſclopos longiores inſtar quinque millia coëmiſſe, in Hiſpaniam ſubmittenda, dicebantur. Rumor quoque, Ericum, ducem Brunſvicenſem, copias legere; quibus inquiſitionem, novoſque epiſcopos; invitis per vim imponeret. Quidam etiam imprudentius divulgabant: *frigide exceptos legatos, aut benignitate tantum ſimulata; dum rex tempus bello inſtruendo exſpectat, mox cum armis adfuturus, & in eos, qui a religione antiqua, atque obſequio, defeciſſent, graviter animadverſurus. Granuellanum item rediturum eſſe, & iniurias inimicorum probe ulturum.* His rumoribus partim, ac minis, quum accenſi Proteſtantium animi eſſent, neque quicquam ex Hiſpania boni ſibi exſpectandum exiſtimarent; metu, & deſperatione ad audendum excitati, ut ſuorum multitudine adverſarios a vi aliqua cogitanda deterrerent, amicisque, & fautoribus, animos adderent, palam inde ad conciones adceſſere. Et initio in Flandria occidentali facto, mox per reliquam provinciam, tum Brabantiam, Galliam Belgicam, Gelriam, Friſiam, Traniſelanam regionem, Hollandiam, Zelandiam, Vltraiectum, agitatum; cum in ſilvis, tum apertis etiam campis; multis undique concurrentibus, primo ſine ullis armis, inde ad vim propulſandam, quae interdum intentata, cum ſecuribus gladiis ſclopis; & excreſcere adeo numerus, ut iam multa millia eſſent; neque edictis, aut vi aliqua retineri ultra poſſent. Ineunte menſe Iunio, Burgerhouti, in campo Lario, prope Antuerpiam, inchoatum; & inermes primo illuc convenire; ſed, minantibus vim nonnullis, arma adducere; aditusque obiectis curribus, & excubiis collocatis, communire. Magiſtratus Antuerpianus contra ire, & Parmenſem item orare: *uti illuc ſine milite commigrare, ac transferre aulam vellet, tuendae urbi, quae primaria in provincia iſta eſſet. Verum illa reſpondere, ſe de re deliberaturam; interim monitos ipſos velle, darent prius omnem operam concionibus prohibendis, aut turbandis.* Dein edictum a rege addere rigidiſſimum, ad XXVI. Iunii promulgatum; cuius tamen efficacia nulla fuit. Quippe ad diem III. Iulii regionarii, qui addicti Proteſtantibus, libello obtato, magiſtratum urbanum orare: *daret aliquem concionibus ſuis locum; quae non amplius, propter populi multitudinem, in occulto haberi poſſent: idque ut faciant, ad quietem civitatis pertinere. Duas autem religiones facile tolerari poſſe, & exempla in rem iſtam plura exſtare.* Tum & privilegia ſua adlegare, per quae ipſis concedendi, quae orarent, poteſtas eſſet. Hunc libellum magiſtratus ad Parmenſem ablegabat, iterum orans: *ut in urbem commigrare ſuam vellet.* Sed quum illa ſine praeſidio id facturam ſe negaret, iſtud autem magiſtratus admittendum non putaret, fruſtra oratio tota fuit. Venerant tunc forte in urbem Brederodius, & Megenſis, ſine ullo ab aula mandato; quod non parum civium animos concitavit. Non ingratus Brederodius; illis maxime, qui favebant religioni reformatae: ſed Megenſis ſubſpicione laborabat, tanquam aſtu quodam militem, quem iam in propinquo eſſe, in Campinienſi agro, rumor erat, introducere cogitaret. Ideo, eximendo ſcrupulo, mox diſceſſit. Ac Parmenſis, quum ſe ſine iuſto praeſidio credere urbi non auderet, Auriacum illuc ablegandum exiſtimavit; qui ceu Vicecomes eius, ſacramento ipſe obſtrictus civitati, hanc viciſſim ſibi quoque obſtrictam haberet, tum & gratia valeret. Itaque ille ad diem XIII. Iunii huc profectus, in itinere Brederodium, plurimosque e nobilitate, civibusque, obviam habuit. Vrbem intranti effuſus populus, gratulansque, fauſtis vocibus acclamare, & vitam Geuſiis adprecari; quo tunc nomine Proteſtantes, ut iam dixi, per contemtum adpellati. Verum ille reprehendere acclamantes; & monere: *ut omitterent: ac mox facti poenituros.* Hinc, vocato magiſtratu literas a Parmenſi oſtendit; quibus ſibi regis nomine civitatis ordinandae poteſtas data. Deinde regionarios vocat, & decanos, ſagittarios, mercatores, ordinemque eccleſiaſticum. Quos quum recte examinaſſet, deprehendit, a diffidentia turbas eſſe; nam nec civibus, maxime qui religionem reformatam ſectarentur, magiſtratus; neque cives, cuiuſcumque religionis, metu, ne quis urbi miles imponeretur, aulae quicquam, aut magiſtratui ſuo fidere: & ſubſpecta, ut in talibus fere ſuetum, cuncta habere. Illud etiam intellexit, Proteſtantes, etſi inter ſe diviſos, ob permiſſam Curioni Kiliano a magiſtratu concionem, longe numero praevalere; &, quandoquidem in armis eſſent, urbem in poteſtatem ſuam cogere poſſe. Ea propter vi in illos abſtinendum, & blande habendos, tollendamque ante omnia diffidentiam, arbitrari; tum benigne inducendos, ut arma ponerent, civibusque ea traderent: e quibus quum mille ducentos legere cuperet, inſtar militum futuros, irrito conatu fuit; & ſe illi excubias acturos polliceri. Tandem effecit, uti, data ſecuritate, Proteſtantes arma ponerent, & ad tempus conciones intermitterent, dum mox de re univerſa a provinciarum Ordinibus ſtatueretur. Per haec fama invaleſcebat, legi a Brunſvicenſi militem, & in Friſia bellum inſtrui; tum ſuccinctum quaeſitorem, quem droſſardum illi dicunt, aulae iuſſu, cum lictorum armata manu, quot diebus praeter urbem obequitare. Quae res ſubſpicionem dedit, diſturbandis concionibus id mandatum; eo magis, quod inſtructi armis currus, & Machliniae oneratae inſtrumentis belli naves viſae eſſent. Itaque rurſum arma capere Proteſtantes, &, ſecuritatis cauſa, locum in urbe concionibus ſuis

CIↃIↃ LXVI. suis petere; & haec quamvis ita facerent, ut minari viderentur; tamen, verbis partim blande, partim etiam pro auctoritate factis, & promissis de vi omni prohibenda, tantum effecit, ut in nundinas, mense Augusto celebrandas, per quas ob confluxum extraneae multitudinis motus aliquis timebatur, se differri paterentur. Quumque in aulam eum Parmensis revocaret, ad consilia de negotio foederatae nobilitatis communicanda; magistratus, turbarum metuens, propter imminentes nundinas intercedere; & orare: *ne desereret tam periculoso tempore civitatem*: itaque veniam sibi absentiae dari petiit. Sub haec literae ad Parmensem a rege latae, quibus ille imperare: *prohiberet omnibus modis, ne comitia iniussu suo Ordines provinciarum ulla habeant; tum ut peditum decem millia, equitum tria, in Germania sibi legeret, solveretque pensiones, quae in ea deberentur.* Hoc quum vulgo innotuisset, turbae augeri; nobilesque foederati, quum tumultum ubique populi animadverterent, & iam passim arma capi; nec remedium in promtu esse: quin edicta rigidiora, sine Ordinum consensu, promulgari; & comitia, in quis salus Reip. prohiberi: tum promissa ludum fieri, ac consilia sua omnia in peiorem partem sumi; ut occurrerent, in Eburonibus, ad Trudonis ibi fanum, convenire. Hic Parmensis, quum metueret, ne in seditionem aliquam res erumperet, Auriacum, & Egmundanum, misit: qui cum delegatis horum in Brabantia, Arscoti primum, inde Dufflae, expostularent: *se Montinium, & Bergensem, ordinis equestris viros, in Hispaniam ablegasse; qui, quae postularent ipsi, regi exponerent: neque interea, quum libellum obtulissent, quicquum abs se, quod ad inquisitionem, aut edicta, attineret, tentatum esse. Debere ipsos regi fidere, qui tyrannum nusquam egisset: & praeterita oblivisci, atque ignoscere promtus esset: in eamque rem scripsisse; itaque monitos ipsos velle, promissorum meminissent, & in obsequio permanerent, darentque operam, ne sectarii, quibus Galli se miscere, turbas alibi inceptarent. Se haec iure ab ipsis petere, quum iidem nobilitatis palam iussa praedicarent. Vnde omnibus manifestum, non libellum pro salute Reip. obtulisse; sed praetextum concionibus promovendis quaesivisse. A qua culpa si abesset, necessario operam impediendis dandum; & re ipsa ostendendum, qui ad eas populi animos concitassent, contra foedus, & libellum, hos fecisse.* Ad querelam hanc de legati scripto oblato respondere: *gratias se Parmensi agere, pro mandatis ad praefectos, & inquisitores, missis, etsi minime servatis. Nam Tornaci, Insulis, Montibus, Ariae, Atbi, & Bruxellis, Gandavique, item alibi locorum, multos tamen in carcerem ductos; mandatorum, quae commemoret, nulla ratione habita. Se quidem annisos sedulo, ut conciones prohiberent; sed, quod vellent, non potuisse; quippe plebem, dum quid timet, etiam in tutis suspicacem, ex absentia longiore legatorum, ex responsi ab Hispania tarditate, quod promissum intra mensem alterum fuerat, adversa omnia suspicari incepisse: eo magis, quod comitia usitata differrentur, & proterve, maxime autem a quibusdam e sacro ordine, minae passim iacerentur. Quod se turbis immiscere Gallos dicat, id ignarum ipsis esse; ac paratos, si res constet, primos certe ascensis equis vim externam propulsare. Verum ut in regis subditos, isto quidem rerum statu, arma capiant, non consultum arbitrari. De calumnia concitata ad publicas conciones plebis, cupere singulos causam dicere; noxae etiam dedituros, si qui criminis eius rei comperiantur. Esse quidem inter suas, qui cum Protestantibus sentiant; nihil tamen fidem in regem, & obsequium, religione prohiberi. Nec clementiae item regis se diffidere; verum sic existimare, si in rem praesentem veniat, & utramque partem audiat, fore, ut benigne multa, & quae e republica, statuat. Nihil autem admisisse, quod oblivione ulla, aut venia dignum. Itaque frustra haec promitti. Nam quod ipsum de his turbis, earumque etiam causis, ac remediis monuissent, id se inter summa officia arbitrari.* Porro quaeri, *non iam ultra sibi fidi; & inciiari passim multos, qui verborum contumelia, quo invisos plebi redderent exagitarent; dictitantes, adfuturum brevi regem, qui ceu perduelles puniat. Dein consortium aurei velleris equites fugere: & hortari item alios, amicitia, aut sanguine iunctos, ut idem faciant; veniamque polliceri. Qui quum certe ad regem male instruendum multum possint, non se temere in subspicionem adduci. Huc accedere, quod frequentes ex Hispania veredarii advenirent; neque tamen ad petitionem suam aliquid responderetur: mandatumque, ne quae literae, nisi regis, perferrentur. Tum a Gallia nuntiari, petitum illic a Philippo transitum Hispano militi; auxiliumque, quale ipse, bello pridem intestino, submisisset: & Sabaudum promisisse, se suppetias venturum; ideoque ad Caesarem nuper transisse. Expensa etiam a sacro ordine quinquies centena millia florenorum, in belli contra ipsos sumtum. Neque ad ipsorum quosdam clam habere, quam ob causam, quando adeo neque ab ipsa, neque ab equestri ordine, ulla spes securitatis appareret: sed consilia adversum ipsos arcana indies haberentur; se quoque in Germania, & alibi, quod dissimulare nolint, tutelae suae, amicos quaerere; tamen Gallia, quod impingerent, abstinuisse; nec cum eo regus quicquam communicasse. Ista autem auxilia esse, quae parassent, ut vim a se, subditisque regis aliis, sibi adductis, propulsarent. Testari autem, huc necessitate actos; quando rationem aliam, qua se, fortunasque suas, suorumve, salvas porro habere possint, ignorarent. Ideo enixe oratam cupere; ut securitati ipsorum media alia, & minus periculosa expediret; mandaretque equestri ordini, fidem pariter interponat, salva omnia habituros; neque quicquam, ob libellum, aut compromissum, ullo modo cuiquam intentatum iri. Tum, arcendae diffidentiae, Auriacum, Egmundanum, & Hornanum, quibus rerum suarum statum exposuissent, adlegare iterum vellet, ut consiliis eorum uterentur; neque enim quicquam sine his acturos. Rogare autem, quo maiore cum effi-*

CIↃIↃ LXVI.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVI. *efficacia providere Reip. illi possint, ut cum plena potestate dimittantur, & tutelam quoque ipsorum in se recipere iubeantur; non ulterius valituram, quam dum rex se ratam habere, irritamve testaretur. Atque istud mox post tertiam a responso illo regis septimanam indicandum: quo interea rebus suis providere ipsi possent.* Tum libellum quoque exhibeat, sibi nuper ad Trudonis fanum oblatum a Protestantibus; in quo illi polliceri: *arma se deposituros, Ordinumque de religione mandatis parituros, si cavere nobilitatem de securitate iubeat; & tutelam item curet, si qui forte turbulenti ante Ordinum decretum vim in ipsos moliantur: tum e foederatis quosdam in provincia unaquaque esse velit, qui adverterent. Haec monere voluisse, ut provideret, ne Resp. detrimenti aliquid caperet. Quod ni faciat,* A *metuendum, ne plebs, concitatis animis, Gallos, Belgii semper hostes, introducat. Sibi quidem constare fidem, & obsequium in regem; promtis laboranti patriae opem ferre. Cui si quid triste accidat, se immunes culpae fore; idque ex animi sententia testatum velle.* Hoc nobilium responsum, eorumque, ut videbatur, in negotio Protestantium interceſſio, cum Parmensi, tum Senatui, ordinique item equestri, praefectisque provinciarum, qui Bruxellis tunc convenerant, metum iniecit. Quem B augebat porro fama de concionibus, quas in armis plebs ubique frequentabat, passim fanis, & sanctorum imaginibus, comminutis, dissectisque, magistratu nusquam se obiicere ausо. Itaque visum, componendis istis motibus, desiderio foederatorum satisfacere & securitatem dare. CIↃIↃ LXVI

GVLIELMI AVRIACI

LIBER SECVNDVS.

Sed de turbis tunc exortis res miranda est, & exponi pluribus digna, Iperis, quae e primis Flandriae urbibus una mense Augusto, quum plebs metu passim armata conciones frequentaret, quidam, animis ferventes, quasdam propter viam imagines deiecerunt. Mox sacella, templa, & monasteria adgressi, quae in agris. Deinde in oppidis idem ausi, Christi cruci fixi imagines, ac divorum; tum sacraria, aras, tabulas, prout quodque obvium erat, impetu plane incredibili dissiparunt, fregeruntque: adiutantibus facinus scortis, pessimisque nebulonum. Idque factum, quum in aulam Egmundanus, provinciae praeses, a Parmensi evocatus, discessisset. Neque hic furor iste stetit; sed, brevissimo temporis spatio, turbinis instar, totum Belgium pergrassatus, nullam fere ditionem, nullam urbem non invasit. Et aut omnes violentae multitudinis insolentiam tolerarunt; aut, ne etiam tolerare cogerentur, ultro ornatum omnem sacrum, statuasque templis suis amoverunt. Alibi acgre, oppositis armis, averterunt. Quodque magis admirandum, tam confusus impetus erat, ut, initium qui fecisset nesciretur: ac protervia grassatorum item tanta, uti Protestantes ipsi, qui omnino factum cuperent, illam tamen improbarent. Nusquam tamen rabies maior, quam Antuerpiae. Nam postridie, quam Auriacus, a Parmensi evocatus, pariter atque Egmundanus, se Bruxellas contulisset; ceu amoto, quem reverebantur maxime; quum beatae Dei matris simulacrum, usitato dudum more in supplicatione publica circumductum, & in templi iterum choro collocatum sine ulla turba esset, iamque nihil metuendum putaretur: iuvenes quidam, ante chorum consistentes, verbis contumeliosis quaeritare: C *ecquid sibi Marietta*, ita divam per ludibrium adpellabant, *formidaret, quae se in chorum tam festive recepisset.* Ab alia parte scurrae quidam circa ambonem concionantes ioco exprimere. Ac mox quidam e grandioribus, eo adscenso, verba inde ad adstantes, ceu pro concione, facere; illis contra illudentibus, & in ipsum obvia quaeque iacentibus, tum detrahere cupientibus. Quos quum ipse toto nisu propulsaret, fere ludus pugna fieri. Et navicularius quidam, seu quod insolentiam D facti minime ferret, seu quod pars quoque illudentium esse vellet, ab alio latere ambonem scandens, concionantem deturbavit. Hinc, quum spectatorum quidam se miscerent, tantum non pugnatum fuit. Ac qui deturbatus erat, vulnere accepto, vix evasit; adductusque ad magistratum, quum rem omnem exposuisset, statim templum excubitores iussi adire; &, exacto populo, claudere. Atque haec gesta ad diem Augusti XIX. Ad XX. insequentem rursum iuvenes, pueE rique, circa preces vespertinas quum in templum convenissent, & convitia pridiana in divam iacerent, anus, quae vendendis cereis ante chorum adsidebat, indignata, cinerem, pulverem, sordesque alias in hos mittere. Inde rixa; cui cum apparitoribus Immerselius, urbis praetor, supervenions, ubi hortaretur omnes, templo exirent: pars hortanti morem gerere, pars *post vespertinas preces exituros* respondere. Et adfirmanti: *nullas illo die fore; ipsos ergo peracturos*, F dictitare. Deinde cantillare quidam; alii pilis, lapillisque, lusitare: atque ad famam multitudo etiam crescere. Itaque praetor, quum contemni se videret, nec valere iussa quicquam, templi foribus, praeter unas, obseratis, anxius illinc se proripere. Ea res augere audaciam: alterque alterum, ad imaginem D. Mariae deiiciendam, incitare. Idque statim, effracto choro, perpetratum:

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVI. cunctis simul alta voce, VIVANT GEVSII, acclamantibus. Quod ceu signum audendi esset, magno impetu in sacella, simulacra, atq; altaria, quotquot essent, involatum: mediaq; nondum nocte fracta omnia, ac disiecta. Nec in templo tam augusto, in quo altaria septuaginta ferebantur; quidquam integrum remanuit. Nulla claustra adeo firma, quae depositum tuerentur. Inde ad alia urbis templa, ac monasteria discursatum; neque divis ullis parcitum. Vna nocte, prius quam sol illuxisset, res peracta: lumen suum commodantibus sacris facibus, cereisque, quos in templis invenirent. Quodque fidem pene excedit, nemo in tanta luce notus; nec repertus quisquam fuit, qui iactare admissum facinus diceretur. Tum in ista tam confusa multitudine is consensus animorum, & ordo erat; ut ruinis statuarum, quas tot passim demoliti, lapidumve, aut lignorum, nemo vulneratus fuerit. Nusquam rixa, nusquam de praeda certamen: adeo omnes conspirasse videbantur. Et haec acta, inspectante magistratu, civibusque, idque in armis. Verum animis adeo sane perturbatis, ut consilium expedire nullum possent. Hinc subspicio, inde metus distrahebat. Qui maiorum religionem sequebantur, concitatam a Protestantibus multitudinem subspicati, metuebant, ne cum hac se coniungentes mox in ipsos incursarent. Illi contra, providentes, totum hoc facinus sibi imputatum iri, id curandum existimabant, ne ab istis obprimerentur. Vtrisque autem communis metus, ne incondita multitudo, praeda illecta, & impunitate audax templis iam, ac monasteriis deficientibus, effrenem audaciam in cuiusque aedes verteret. Itaque serio sese mutuo adhortari: *ut concordes esse vellent, curarentque, ne quid sanguinis funderetur, neve aedes etiam ullae invaderentur.* Qua in re, quantumvis alias dissidentium, consensus fuit; mox Hispanis hac de causa exprobrantibus: *fortunarum, & securitatis suae, quam templorum, aut sacrorum, diligentiores esse.* Postquam dies illuxisset, quidam ex istis nebulonibus extra urbem se propripiunt: & coenobium Bernardi, ad sesqui inde milliare, quaeque in agro, ac vicinis circum pagis, alia templa, aut sacella, eadem audacia mox diripiunt, & devastant. In urbe vero, toto etiam illo die, biduoque insequente, direptiones istiusmodi continuatae, nullo prohibere auso. Tandem tamen in maiore urbis templo, dum simulacrum ingens Christi, cruci adfixi, auro inductum, magno nisu deiiceretur; idque insignia equitum ordinis aurei velleris, super exedras opere egregio ibi picta, casu suo confregissent, animos indignatio facere; & magistratus, atque cives, qui armati adsistebant, templo omnes expellentes, quosdam adripere, & in carcerem statim adducendos dare. Moxque tres ex istis laqueo, tres exsilio damnati; in ceteros aliter vindicatum. Dein a magistratu edictum: *uti templis Protestantes, in quis conciones iam habere coeperant, abstinerent; tum ne quisquam locis sacris vim inferre ultra auderet; praedam quoque unusquisque intra horas* A xxiv. *ad praefectos regionum reportaret. Delinquentem poenas capite luiturum.* Ita statim, magistratus reverentia, retractae e templis conciones, visque omissa, & multa in curiam relata; quin picturae insignes aliquot, a quibusdam collegiorum, operis causa, exoratae, & conservatae. Edictum istud magistratus Protestantibus per Iacobum Wesembecium, urbis syndicum, nuntiavit, Qui quum in se facti invidiam derivari animadverterent, ad xxiv. Augusti per libellum, quem Iacobo Heideno consuli offerebant, causam dicere; B ac testari summum numen: *sine sua voluntate, aut conscientia rem patratam, cupere quidem, id quod factum; quando omnino, tolli cultum idolorum, ad Dei gloriam pertinere existimarent; modum tamen detestari, & non nisi magistratus auctoritate faciendum arbitrari. Ac iam operam dedisse, daturosque etiam porro, uti per pastores suos unusquisque, si quid rapti possideret, id referre moneretur. Promtos quoque, insolentiam quamcumque, & vim, reprimere: ac* C *mandatis denique omnibus morem gerere. Se hunc magistratum suum, a Deo constitutum, adgnoscere; & praestare obedientiam debitam velle, ac tributa, & vectigalia, quaeque alia aerario publico persolvenda, exhibere. Pastores item ecclesiae suae, rectosque si necesse videretur, fidei ipsis, & obsequii, ex praecepto verbi Dei, iusiurandum dare paratos; ad salutem civitatis conservandam, populumque in officio, & quiete continendum. Maxime autem oratum cupere, ut tutari ipsos velit,* D *concionibusque suis locum aliquem constituere; tum ignoscere, quod quibusdam templis uti, dum deliberaret ipse, instituissent. Non se ullam conscientiae alicuius vim parare; verum sat, superque habere gratiasque Deo agere, quod pro sua colere porro ipsum possent. Denique supplices rogare, edicto caveat, ne quis alteri, ob diversam in religione sensum, re, aut verbo, contumeliam ullam faceret.* Ita tandem, uti templis consecratis abstinerent, concionem in nova urbe, sub tutela magi- E stratus, impetrarunt; Augustanam confessionem profitentibus, qui tunc Kiliam obtinebant, ut incommoda aliquammulta arcerentur, simul aemulatio quaedam, & ex ea mox dissidia, inter partes nascerentur, ad Georgii, quod primarium illic templum, concionari callide permissum fuit. De his omnibus & Parmensem, & Auriacum, magistratus statim certiorem facere; illum vero etiam orare: *ut venire in urbem vellet.* Quo negante, *& neglecti nunc consilii poenas* F *dare*: respondente: habito hac de re senatu, iterum mittere, & supremam potestatem urbis ordinandae offerre. *Veniret itaque, & excubias constitueret, militesque e civitate tota legeret; denique alia omnia faceret, quae & regi grata fore, & urbi expedire putaret: morem se gesturos esse. Tantum, ne quid contra privilegia sua, aut antiquas consuetudines, actum iret.* Dum Antuerpiae haec geruntur, alibi quoque bellum sacris imaginibus inrentatum. In eadem illa Brabantia, in Machlinienſi urbe, turbulenti quidam ausi & fecissent, nisi eos magistratus repressisset.

CIↃIↃ LXVI.

Sed

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVI. Sed is Lirae quum par prohibendo haud esset, ut periculum anteverteret, ultro e templis simulacra amoliri; idque passim per Brabantiam actitatum. Silvae ducis, Bredae etiam, & Bergae ad Somam, eadem fortuna fuit, quae Antuerpiae. Eadem Gandavi, in Flandria; Iperarum, & Aldenardae, urbiumque ceterarum. Valentinianis quoque, & Tornaci, ac per reliquam Gallobelgicam idem factum, Idem etiam Vltraiecti, Amstelodami; tum Lugduni Batavorum, Delphis, Hagae, Brilae, & alibi in Hollandia. Nec Zelandia immunis fuit. Middelburgum, Campoveria, & Flissinga idem passa. Frisia item, & in ea Leoverdia, ac Groninga; quaeque aliae toto illo tractu urbes. Tum trans Ilalam quicquid situm: Campi, Svolla, ac Daventria. In vicina item Gelria, Arenaco, Neomago, Ruremundae, Hardervico, & Venlonae, oppidisque circumiectis, tum & pagis haec tempestas non pepercit. Middelburgi non deiectae tantum arae, & simulacra; fanaque omnia expilata; etsi biduum magistratu, cum urbanis sagittariis resistente: verum plebs, magno numero congregata ad XXIV. Augusti, ab episcopo, & magistratu, flagitare: *ut ob religionem capti solverentur, deinde sibi traderentur. Nisi fieret, carcerem se effracturam.* Itaque viginti aliquot, prohibendae seditioni, sanguinique, exsoluti; tum, habendis concionibus, templa intra urbem indulta. Delphis non subficiebat, magistratum sponte sua simulacra removisse; verum, quanquam in armis cives prohibere niterentur, quicquid reliqui, disturbatum. Et Franciscanorum quoque monasterium per vim caprum, in quo conciones suas exercerent. Hagae Hadrianus Menningus, & Theodericus Iustus, Susium curiae praesidem, & senatum, item loci magistratum, adiere; veniam expurgandis fanis statuisque submovendis, postulantes. Ac rogantibus: *qua auctoritate id facerent*; alter, pectus manu feriens, *se mandatum, in isto sinu occultatum*, interiorem animi conscientiam innuens, *circumferre respondebat*. Ea re perculta curia, advocato Hippolyto Persino, Vltraiectinorum praeside, qui tum forte illic aderat, & consilio collato, quum negare non consultum videretur, apparitores addidere, qui seditioni arcendae, ad sacrarum aedium fores excubarent. Ita sine ullo negotio, quod volebant, effecere. Quin & alios coëgere, quibus aliquid simulacrorum domi esset, ut id traderent, frangerentve. Dordraci, Harlemi, Goudae item, Roterodami, aliisque in civitatibus, magistratus, quod patiendum sibi fore animadverteret, ut tumultum popularem prohiberet, facere maluit; ac potissimum, quum videret scurras, fures, meretrices, huic rei se miscere. Itaque ultro ubique imagines ipse substulit. Harum rerum omnium nuntius, quum Parmensi, & Senatui adferretur, vehementer trepidatum est. Aula tota; civitasque Bruxellensis, ne quid illic tale fieret, arma capere; obponenda, si quis ausus quicquam foret. Et Parmensis, sibi metuens, abitum Montes, in Hannoniam, agitare; ac praefectos provinciarum, equitesque aurei velleris, qui consilium improbabant, & omnino dissuadebant, comitatum postulare. Viglioque nuntiant: *armatos cives portas urbis observare, nec discessum permissuros*; aegre sane promittentibus illis omnibus, *si necessitas urgeret, abitum eius, vel cum vitae suae discrimine, adiuturos*, diem distulit. Interim Petro Ernesto Mansfeldio praefectura urbis data. Is continuo in basilicam cives vocat. Vbi Auriacus, Egmundanus, Hochstratanus, & Hornanus, qui huc cum Mansfeldio venerant, adioqui eos: *se Parmensem, plane abire cupientem, retinuisse, cum promisso, effecturos, ne aut ullae urbe tota conciones haberentur, aut vis templis, imaginibusve fieret. Ea propter adhortari, atque orare, uti hic quoque operam darent, & Mansfeldio, iam praefecto, morem gererent*. Ad quae illi respondere, *se obsequii volentes, ac cum ipsis vivere, & mori pariter certos*. Hoc Parmensis confirmatior aliquantisper acquiescere, dum sub vesperam nuntiatur: *decrevisse factiosos ea nocte in imagines impetum facere; Arembergium, & Barlaimontium interficere; ipsam autem comprehendere*. Itaque rursum perturbata, vix sedari animo potuit, quum praefecti provinciarum, equitesque aurei velleris, adfirmarent: *tam frequenti tunc in urbe nobilitate, non id Bruxellenses posse, nec ausuros*. Illa vero concitatior, statim ad regem literas dare: *proditam se ab Auriaco, Egmundano, Hochstratano, Hornano; quam ob rem veniret ipse, aut exercitum ex Hispanienſi milite destinaret, si rem Belgicam salvam vellet*. Idem Barlaimontius scribere, & Noircarmius; Vigliusque. Haec ad diem XXII. Augusti gesta. Insequente XXIII. verita ne obsequium in regem Belgium universum exsueret, de consilio procerum omnium, senatusque: *convenire ad conciones, illis locis, quibus eae hactenus habitae*, paullum statuit; *ea lege, ut arma ponant, neque offensam, scandalumve, ulli praebeant; neu maiorum religionem, quique eam exercerent, usquam turbent. Ita ipsis nullam vim illatum iri, & indulto hoc fruituros, dum a Rege, atque Ordinibus universis aliter statutum esset*. Cum mandato hoc, ita scripto, signatoque, ablegati tunc Auriacus, Egmundanus, Hornanus, Hacicurtius, Assonvillius, qui cum foederatis agerent. Quorum nomine deputati, Ludovicus Nassovius, Eusthathius Fienaeus Esquerdius, Carolus Revellus Andegrusius, Bernardus Merodius Rumenus, Carolus Notius Risoirius, Georgius Montinius Noiellus, Martinus Serclasius Tullius, Philippus Merius Sterbecanus, Philippus Merbaisius Lonnervallius, Ioannes Montinius Vilersius, Carolus Levinus Famarsius, Franciscus Haestenus, Ioannes Savagius Descoubequius. Inter hos, post multam disceptationem, de capitibus quibusdam, a Parmensi ad XXIII. Augusti subsignatis, vulgatisq; sic convenit. In actorum ipso limine praeloquebatur Parmensis: *quando plures e nobilitate Belgica mense Aprili per libellum supplicassent, uti edicta de sectariis inquirendis vetera, ac nova, rigida nimis, quaeque exsequi nemo posset, tollerentur: aliaque*

eorum

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVI. *eorum loco, de consilio & consensu omnium Ordinum, formarentur; ipsam insuper rogassent, ut libellum istum suum Regi arbitrandum mitteret: sese rem communicasse cum praefectis provinciarum, & equitibus aurei velleris, tum senatu quoque statu, ac privato; moxque Regi, addita sententia sua, significasse; & petiisse, ne in subspicionem illi adducerentur, & libellum, & compromissum, quaeque utrumque insecuta, Regem in peiorem partem interpretari, unde oriri turbae graviores possent, ut securitatis literas ipsis daret; ac promitteret, nemini unquam crimini isthoc datum iri; rescriptumque a Rege etiam in rem istam accepisse. Qua de causa, quum Remp. in tranquillitate sua, nobilesque foederatos in officio, & obsequio erga Regem, cui natura, & sacramento obstricti essent, retinere omnino cuperet: pro concessa pridem a Rege potestate, consilioque cum praefectis provinciarum, & equitibus aurei velleris, tum Senatu item utroque, communicato, hoc se foederatis scriptum, manu sua subsignatum, quo securi esse possent, exhibuisse.* In hoc illa declarabat, *nobilitatem foederatam ad vigesimum diem Augusti abs se revocatam esse; ut libello pridem oblato, responderet. Atque interea, tempore valde opportuno, a Rege literas accepisse, per quas certius, pleniusque respondere ipsi posset. Quam ob causam nunc testari, quando illa totum Belgii statum Regi ostendisset, ac sententiam animi sui, & praefectorum, equitumque aurei velleris, & Senatus utriusque, indicasset, permittere eum, ut in praesens inquisitio, de qua adeo quererentur, omittatur; tum ut nova edicta fiant. Verum, an per Ordines Belgii universi istud vellet, nondum plane statuisse. Spem se tamen concepisse ex eius literis, brevi decreturum esse. Huc se operam collaturam, & iam tum feciśse etiam, iterata scriptione. Quantum ad securitatem, cuius ultimo libello meminissent, attineret, hanc praestare, quantum in se omnino certam. Atque ut cuncta iam in sua potestate sita habeat, accepto a Rege omni & formae, & modi, arbitrio, ita ipsis, ne qua animis diffidentia, aut subspicio insideret, tanquam aliquid parum bona fide ad Regem delatum esset, adfirmare; Regem, qui nil magis oderit, quam rigorem immoderatum, pro clementia usitata, plane cupere, uti in securitatem literae illis qualescumque, & quacumque forma, ac modo, expediantur, quis praeteritorum oblivio sanciatur; dum deinceps, ut clientes, subditosque, facere aequum, quodque toties obtulissent, fidem, & obsequium praestent; ac promittant, non se quicquam contra auctoritatem Regis, & tranquillitatem publicam ullo modo tentaturos: verum operam daturos, uti ad officium omnes reducantur, turbae quoque componantur, plebsque motus studiosa compescatur, & a sacris abstineatur. Tum ut omnes sacrilegii, aliarumve rapinarum, aut violentiae, manifesti, severissime puniantur. Dein prohibituros sedulo, ne vis ulla sacro ordini, aut iustitiae ministris, nobilibusque, aut quibuscumque Regis subditis, intententur: neve locis in hoc usque tempus liberis conciones habeantur, neve istic, ubi habere eas liceat, ab armatis conveniatur, scandalumque, aut offensa, praebeatur. Tum in primis curaturos, ut extranei, qui se turbis miscuissent, regis Belgiique hostes, eiiciantur; plebsque arma adeo noxia, statim ponat: & decretis, mox a Rege, Ordinibusque, pro republica, & quiete religionis faciendis, se submittat, & obsequium polliceatur.* Haec quum, ut commemoravi, ad xxvi. Augusti acta essent, addita ad xxv. a Parmensi formula securitatis, qua se obstringit: *nihil nobilibus, propter foedus, quod libelli supplicis causa iniissent, aliudve ad id tempus factum, aut dictum; unquam a Rege, aut se, imputatum iri; idque utrique sic placere.* Tum praefectis provinciarum, & equitibus aurei velleris, ac senatus utriusque item praesidi, & praefecti iuris aliis quibuscunque, dat mandatum, *uti fidem, ac securitatem istam, sartam tectam foederatis semper servent; eaque illos, nullo obiecto impedimento, frui sinant: etiam curent, ne quis contra quicquam tentet.* Accepto hoc a Parmensi scripto, eodem die foederati altero se vicissim obstringunt, *se praescriptum bona fide, quaeque vere nobiles deceat, praestituros; daturosque omnem operam, ut & isti, quorum nomine ipsi agerent, idem faciant: qui recusent in hos vi usuros esse. Ideoque foedus suum, aut compromissum, quamdiu promisse Regis, ipsiusque, servarentur, irritum ducere.* Quam in rem mox iusiurandum dant Auriaco, Egmundano, Hornano, Hadicurtio, & Assonvillio, a Parmensi delegatis. Hinc Parmensis ad xxvi. Augusti in provincias literas mittit, ad urbanos magistratus, iudicesque, quibus certiores faceret: *velle Regem, uti vetus, eaque vera, Catholica religio omnibus locis coleretur; ac mandare, ut praefecti, ceterique magistratus adlaborent, ne quid dum huc ipse veniat, coram de republica tota cogniturus, uspiam turbarum detur; utque homines factiosi, qui consilia contra habeant, puniantur.* Secundum ista ubique in oppidis conciones permittuntur, iis locis, quibus ad xxv. Augusti diem, anteaque eae haberi consuevissent. Quin edicta passim etiam a praefectis magistratibusque fiunt, ad securitatem civium, & concordiam, licet in religione dissidentium; quae tantisper rata essent, dum a rege, de consilio omnium Ordinum, aliter statueretur. Idque factum in turbatis civitatibus per Brabantiam, Gelriam, Flandriam, Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, & alibi. Ita statim Protestantes, magistratu adsentiente, conciones sine armis habuere. Quod ut valde laetum vulgo, ita ille magnas Deo gratias agere, cuius summo beneficio Inquisitioni invisae, & episcopis, conciliisque, ac decretis, tum immani persecutioni, erepti, tandem conscientiarum libertatem nacti essent. Et praefecti in provincias, ceu composito iam tumultu, revertere; prospecturi, ne quid usquam contra recens pacta fieret. Egmundanus Flandriam petiit, Auriacus Antuerpiam; istis legibus, quas iam ante commemoravi. Quo quum ad xxvi. Augusti diem perveniisset, ordinare urbem instituit. Itaque statim Protestantes cuiusque lin-*

CIↃIↃ LXVI.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVI

linguae alii viros, cum quibus agat, legere iubet. Et a Belgis delegati, Marcus Perezius, Carolus Bombergus, Hermannus Meranus, & Cornelius Bombergus; a Gallis, Franciscus Godinus, Nicolaus Vivarius, Ioannes Carlerius, & Nicolaus Selinus: ab iis, qui Confessionem Augustanam sequebantur, Aegidius Grevius, Aegidius Banderius, Henricus Broeckius, & Thomas Gherius. Cum his statuit: *uti conciones quisque locis certis sine armis frequentaret; templa quoque, quando hiems immineret, utque libera essent cetera aedificarent; aut idonea concionibus loca alia: tum ut omnes magistratui, cuius in tutela essent, morem gererent; & iniuria, aut convitio abstinerent; idque donec Regi aliter, aut Ordinibus, videretur. Quisi quicquam contra ipsorum conscientiam constituerent, tum his tempus, quo se, fortunasque suas, alio transferre possent, datum iri. Quodque in praesens ageretur, numquam exprobrandum esse.* In haec quum iurassent omnes, etiam milites, qui e civibus ad custodiam urbis lecti, templa duo permagnifica, sumtum cunctis magno animotum ardore facientibus, festinato opere structa. Quorum alterum, rotundum, in Gallorum usum cessit. Sic Antuerpia ordinata, ablegati ab Hollandis; qui Bruxellis a Parmensi dari sibi Auriacum peterent; cuius prudentia sua provincia, aliaeque, quis praefectus ipse esset, graviter tunc perturbatae, tranquillari iterum possent. Eam ob causam, quamvis contra Antuerpiani niterentur, novas turbas, si discederet, metuentes; tamen, quum Hollandi instarent, maximeque in his Amstelodamenses, Hochstratano, qui Machliniam composuerat, dat negotium, ut Antuerpiam se conferret; & interea dum Auriacus inde abesset, prout ille instituisset, urbem regeret. Isque post mandatum acceptum respondere: *se Antuerpiam iturum, visurumque, quali in statu ab Auriaco urbem accepturus esset.* Tum interrogare etiam, *si deinceps ex ipsius instituto sese gereret, num in deum deliquisse, & regem etiam, censeretur. Ita enim accepisse, quae ab eo gesta forent, sic interpretari quosdam, ceu utrumque his laesisset.* Ad quae illa: *hanc imprimis curam haberet, ut tranquilla omnia essent; ac salutem publicam urbis summam legem existimaret. Se Auriaco non scripsisse, quicquam ipsi contra deum, ac regem factum; neve contra pacta item cum nobilibus foederatis. Sed in templis intra urbem conciones agitari, ceteraque novae istius religionis exercitia, contra bonorem dei, ac regis, suum quoque animi sententiam, & cum foederatis pacti, omnino esse. Ideoque officii sui credidisse, ut ad regem ista scriberet, adderetque rationes, quibus ille adductus foret.* Ita Antuerpiam Hochstratanus iter capiens, quum ad decimum diem Octobris urbem intrasset, die undecimo insequente, quum senatum ampliorem, & mercatorum nationes, convocasset, ipso Hochstratano coram, edicere magistratui Auriacus: *necessario iter sibi in Hollandiam maturandum; ac Parmensi eam ob causam placuisse, ut Hochstratano urbem traderet. Ea propter monitum velle, ut cum eo operam daret, ne tranquillitatem urbis a se constitutam, amitteret: neu quid contra regem admitteret.* Ad quae iste gratiis actis, pro navata urbi opera; quum nequaquam Hochstratano defuturum se promitteret, ipse die duodecimo inde abiit. Datum illi in mandatis a Parmensi: *Vltraiectum, & Amstelodamum, urbes praefecturae suae omnium primas, ut potissimum ordinaret; quae si in obsequio regis permanerent, harum exemplo alias confirmatum iri, alias nihil ausuras.* Postquam urbe discessisset, iterum turbae; & ad diem decimum septimum multi e plebe in tumultum convenire. Metus erat, ne maioris templi turrim occuparent; unde curiam porro invadere, sonituque campanarum signum dare sociis possent. Ideoque magistratus, ut praeverteret, collocatas ibi excubias auget statim; & bombardas, pulveremque tormentarium, tum ingentia saxa addit, deiicienda in vim aliquam tentaturos. Quod quum plebi ignarum esset, ad tumultum eam accendit; quum praetexeret arma in turrim contra se congesta esse. Itaque, quum bis convenisset, bis disiecta ab Hochstratano circa vesperam numero maiore accurrit; &, effracto per vim templo, in imagines restauratas pergrassata, rursum ab Hochstratano pulsa, & nonnulli comprehensi. Qui, rogati de auctoribus, sociisve, Bergemontium prodidere. Isque mox in vincla adductus, facinoris poenas laqueo dedit; ac cum eo alii quinque. Auriacus in Hollandiam venerat; quam pacare statim adgressus, quum acciperet, Amstelodami res turbatas, & Minorum fratrum templum intra urbem a Protestantibus occupatum: tum per literas, tum legatos e nobilitate quosdam, adhortatur qui auctoritate inter illos primi, uti redderent. Ita regem, nunquam istud permissurum, minus multo offensum iri. Sed quum frustra id suaderet, convocatis in Schonchoviam urbem Ordinibus, mandata exponit; simul monet, si placatum regem cuperent, ne permitterent, conciones intra urbes ullas fieri. Quod quum ipsi promisissent, inde Vltraiectum abiit; & pacatum, quamvis aegre, istud dedit. In propinquo Ericus Brunsvicensis erat, obsequii in regem vetus. Quumque ille, quamvis tutelae praetextu, militem legeret, variae subspiciones passim ortae. Vt Auriacus Vltraiectum, & Hollandiam, ita Flandriam Egmundanus, ordinare iussus erat. Qui, quum illic sexaginta amplius locis ad id tempus conciones haberentur, hoc solertia tandem effecit, ut paulatim minuerentur: alibi tamen templa illis, aut idonea aedificia, blande indulgens. Tum severe in imaginum confractores animadvertit. Nec ingratum id foederatis, qui, invidiam amoliri cupientes, ipsi quoque plures laqueo punivere. Ac Ioannes Casembrotius, Backerselius, quum in coetum Protestantium ad Grammontium incidisset, hos sacrilegos esse dicens, impetu facto, & duodecim interfectis, quinquaginta alios cepit. E quibus viginti ab eo in crucem acti; qui supererant triginta, virgis caesi; sed id factum

CIↃIↃ LXVI

Digitized by Google

orbis LXVI. dum, non tam poenae, quam ſevitiae, inſtar viſum, multis improbatum fuit. Arembergius in Tranſiſelaniam abiit, & pacatam iisdem legibus omnem dedit. Hochſtratanus, Mechliniae praeſes, quum Auriaco ſubfectus Antuerpiae ageret, ad diem XVII. Octobris ortis iterum illic turbis, & nonnullis templum maius ſpoliare, atque imagines reſtitutas deturbare, molientibus, ut facinori obviam iret, cum urbano milite accurrens, ſex ex illis comprehenſos poſtero die, in terrorem reliquorum, e patibulo ſuſpendit. Aloſti quoque, in Imperiali Flandria, quendam, loco alieno concionantem, capitis ſupplicio affecit. Dum haec fiunt, Proteſtantes, qui Antuerpiae, iram regis metuentes, datis ad Germaniae quosdam principes literis, orant ipſos, uti intercedere vellent. Tum libellum Hochſtratano ad XXVII. Octobris, quem ad regem deferendum is curaret, in manum tradunt. In hoc praeteritorum offenſam deprecari; ac *peccatum magiſtratus potius culpa* dictitare. *Quod armati concones adiiſsent, non iniuriae inferendae, verum propulſandae factum. Terruiſſe lanienam Vaſſiacenam, in vicina pridem Gallia perpetratam; dum in cauſa plane eadem ſuum quoque periculum putant. Ita autem exiſtimaret, nulla vi religionem imperari, ſed benigni Dei dono animis hominum inſinuari; ideoque Gamalielem ſequeretur; quam neguio, quem probarent ipſi, cultu, & mandato; a quo plane abhorrerent, per rigorem magiſtratus, & libidinem puniendi, ad ſententias de religione impias hominum libertinorum mox compelleret. Se doctrinam, ſacris literis comprehenſam, Symbolumque Apoſtolicum, & concilia antiquiſsima oecumenica, proba habere; neque unguem ab his diſcedere. Tum paratos Synodo alicui generali, aut nationali, in Germania, Galliave, aut Britannia, convocandae ſubſignare. Interim petere, ut religionem ſuam liberam habeant. Quod concedi ipſis poſſe, exemplis clarum. Ita olim Imperatores Chriſtianos libertatem Arrianis, & Novatianis ſuam indulſiſſe. Et Iudaeos, Chriſtiani nominis hoſtes, a Pontifice tolerari. Carolum quoque regis patrem, non Germanis denegaſſe. Denique vicinos Gallos iſto beneficio frui. Neque vero a conventibus iſtis ſuis quicquam ipſi metuendum; nec conſilia clandeſtina, quando omnibus paterent, illic capi. Spondere autem obſequium omne, & vectigalia, ac tributa, quae deberent. Praeter iſta, ſi concederet quae rogarent, declarandae gratitudini, tricies centena millia florenorum polliceri.* Haec orantes, & tam magna obferentes, fruſtra nihilominus habiti; quia illuſum illis etiam, *ceu potentiae oſtentandae, aut auxiliis aliunde eliciendis, hunc libellum exhibuiſſent. Neque ſupplicationem, ſed ſuperbiam, illam eſſe; &, humilitatis ſpecie comminatos, perterrere voluiſſe.* Per id tempus rex Segoviae, febri aeger, decumbebat: valde ad nuntium irritatus. Reque varie in ſenatu agitata, multis factum exaggerantibus, tandem univerſim placuit: *Belgii motus a praeſente componendos, ac de itinere inſtituendo conſultandam. Interim ita Parmenſi reſpondendum eſſe, ut ſilentio, quae cum foederatis ipſa ſtatuiſſet, tranſirentur: ne laudare, aut improbare, unde turbae iterum aliae metuendae, videretur. Sed comitia, uti pluries decretum, non permitti, ſalva conſcientia, poſſe. Tum monendam, quod iam ante item factum, ut Germaniae principibus penſiones ſuas ſolveret; idque inprimis niteretur, ut mandatis morem gereret.* Itaque binae menſe Octobri literae datae; quarum illas cum ſenatu, ac proceribus, communicaret; iſtas vero clam haberet. Atque illarum iſthoc argumentum erat; *prolem ſibi primogenitam, filiamque natam eſſe; cui ob natalem diem, S. Clarae dedicatum, nomen ipſe Iſabellae Clarae Eugeniae indidiſſet. Iam Segovia ſe Madritum proficiſci conſtituiſſe; inde porro in Belgium iter maturate habiturum. Neque autem perſuaderi ſibi poſſe, turbas iſtas per comitia ulla ordinum univerſorum, ſe abſente, ſatis tranquillatum iri; itaque omnino adventurum. Interim hortari ipſum, ut principibus per Germaniam in obſequio retinendis operam imperatam daret; tum curaret, ut mandata eius omnia ſervarentur.* Ad haec apud Maximilianum Caeſarem aliis literis de turbato Belgio ſuo graviter queri; qui, ut animi aequitate, & prudentia excellebat, ſingillatim reſpondere; quin obferre etiam operam, ſi qua adiuvare poſſet. *Se negotium ſumma cura expendiſſe, idque longe difficillimum inveniſſe. Multo maxime, quum religionis catholicae tantum odium plurimos Germaniae principes invaſiſſet. Qui, ut nobilitati Belgicae amicitia, aut ſanguine iuncti, ſi vim tentet, arma quoque coniuncturi viderentur. Quae res non damnoſa ſolum, aut luctuoſa Belgio foret; ſed imperium illic eius in diſcrimen item ſummum adductura omnino eſſet. Ea propter utiliſsimum, & tutiſsimum, arbitrari; ſi benigne, quam ſevere agere vellet. Ac, conſilium ſi probaret, ſe paratum inter ipſum, ſubditoſque, intercedere.* Inſuper ad Parmenſem quoque eandem ob cauſam literas dare; quo adiunctae ad Auriacum, Egmundanum, Hochſtratanum, Mansfeldenſem, & Hornanum, aliosque e proceribus. Verum iſtae, quia arbitrio ipſius, & voluntati regis permiſſae, tradi vetitae. Iam e Belgio multi etiam ad Regem in Hiſpaniam ſcripſerant; cum Auriacus, Egmundanus, Mansfeldenſis, Megenſis, Arembergius, Barlaimontii; tum Noircarmius, Raſſingemus, Academia Lovanienſis, aliique, pro adfectu quisque ſuo, quae ubique accidiſſent, exponentes. Singulisque perbenigne rex reſpondet: *gratum ſibi obſequium eſſe, & hortari, ut perſeverent*, tum & praefidem ſenatus, Viglium Svichemum, ſcriptis ſua manu literis, humaniſſime compellat, gratiasque pro labore, & induſtria, ſummas agit; ſimul rogat: *quanquam, gravi iam ſenecta, & infirma valetudine, eandem operam, in adventum uſque ſuum, ut navaret.* Sed Auriaco, & Egmundano, qui conqueſti apud regem, & amicos in Hiſpania, *varie ſe inſimulari per calumniam, tanquam fidei, atque obſequii, parum certos; eaque in re iniuriam ſibi gravem fieri:* a quibusdam e ſenatu Hiſpanienſi reſpon-

orbis LXVI.

Digitized by Google

MDLXVI. respondetur, *ſubſpicionem, ac calumniam evaſuros, ſi ad regis voluntatem, bonam, & ſanctam, ſe componerent. Eam vero ſatis ipſis manifeſtam; & obſequium, ſine noxa. Id clientis, ſubditique officium eſſe, quae placere Principi ſciat, quamvis in deliberando contra ſenſerit, ea promte tamen exſequi. Neque enim convenire, ut, natura quem ſubmiſerit, ſapientia hic ſe ſupra dominum putet. Penes illum imperii decus, penes hunc obedientiae gloriam eſſe. Multos autem arbitrari, ſi allaboraſſent paulum, facile turbas probibere potuiſſe; atque hanc notam: ſi etiamnum annitantur, deleturos. Igitur nulla poſt hac ſimulatione, aut conniventia, res collapſas reſtituerent: aut praeſentes, ſin id poſſent, ſaltem in adventum regis, ne in peius etiam ruerent, ſtabilirent.* Ex his literis, aliisque, quae clam indies ex Hiſpania ferebantur, quum Parmenſis ſat perſpiceret, quam haec regi, ac ſenatui; diſplicerent; ne in regnis eius ceteris, aut provinciis, ad exemplum forte auſuris, cultus priſcus turbaretur, occurrendum omnino ſtatuit. Neque deerant, qui haec agitantem porro inſtigarent, homines aemuli, quibus Belgii libertas, privilegiis tot munita, gravis erat; & occaſio evertendae, per religionis adſerendae ſpeciem, videbatur. Ac conſilia rex in hanc rem, quae in praeſens ſequeretur, ſubmittebat. Quem id animo agitare, non diu fuit: cum nobilibus, mercatoribusque, certum: partim literis, inde adlatis; partim fama. Quin Parmenſis foederatos, quos maiorum religioni addictos ſciret, clam monere. Qui benignis eius verbis, de propenſa in ſe regis voluntate, fidem habentes, ſtatim ipſi adhaerere. Vnde factum, quum non pauci regiae benignitati ſe permittere, quam extrema experiri, potius ducerent, ut nobilitas foederata, tertia plus parte minor ingens detrimentum caperet. Qua iam ita aſtu tali imminuta, ceu ſupplicium illis parans, qui imagines deieciſſent, militem legit. Et Megenſem legionem unam cogere, alteramque Arembergium, alias duas e Germanis Eberſteinium quoque iubet: deinde e Gallis tres adiungit, ſub Hiergio, Rhetiano, & Mansfeldenſi. Ad haec equitatum addit. Quis inſtructa, mox oſtendere vires incipit conciones, ceu non uſitatis locis haberentur, paſſim turbans. Concionatores quoque alibi oppreſſos capit, & in captos varia poena animadvertit; unum etiam prope Aloſtum in crucem agit. Tum ſecuritatis literas pridem datas, aliter interpretatur: ac, *quantumvis conciones permiſiſſet, non proinde exercitia, modum iſtum matrimonii confirmandi, aut baptiſmi, coenae ſacrae, funerandi; non ſynedria, & quae alia, conceſſiſſe.* Denique iam palam edicit, *vi coactam, ideoque nec teneri.* Valentinianis imperat, *ut praeſidium a praefecto ſuo admitterent.* Vrbs a Montibus iſta prima in Hannonia, ad Scaldim flumen; ampla, ac frequens, florens opibus, & commerciis; vallo, ac foſſa communita; praeter ceteras Proteſtantibus habitata, deinde Galliae affinis. Hinc praetextus, ceu diſcrimen aliquod eſſet, ne ex eo regno plures, qui eandem religionem ſectarentur, ſe inſererent. Recuſantibus oppidanis, & privilegia obtendentibus ad xx. diem Octobris, Noircarmius, tum Quercetī agens, ſpondet; *quod ſi extra urbem habere conciones vellent: a praeſidio immunes fore.* Quam quum illi conditionem, de conſenſu miniſtrorum, & ſynedrii, accepiſſent; ac Noircarmius, Valentiniana venturus, pacta iſta rata facere, concionibusque locum ſimul adſignare, deberet; is, promiſſi ſui poenitens, poſtquam magno comitatu ad portam urbis adveniſſet, neque adeſſet magiſtratus, aut ſynedrium, capta offenſa, indignabundus retroceſſit; multa illis, & Amandi item fano interminatus. Hinc Parmenſis ad xxi. Novembris iuſſa iterans, inobedientiamque criminata, ni parerent, minas addit. Quumque ne ſic quidem admitterent, & in regias cohortes, apud Salvi monaſterium divertentes, tormenta ſua exploſiſſent; tum Carthuſianorum coenobium, & Vedaſti etiam fanum, diripuiſſent, ad Decembris xiv. perduelles pronuntiati non multo poſt obſidentur. Interea temporis data opera, ut res Proteſtantium in dies inclinare cogerentur; concionibus per blanditias, aut vim, paſſim interceptis. Itaque eae, ſive metu, ſive propter aſpera hiemis, in Flandria, Hannonia, Hollandia, & alibi, intermiſsae; verum tamen Amſtelodami, Vltraiecti, Silvae-ducis, Traiecti ad Moſam, & Antuerpiae, Gandavique diutiſſime continuatae. Contra autem in Eburonibus ad Maſecum, & Haſſeltum, ſimulacra deturbare inchoatum; quamquam impetus ab Leodienſi epiſcopo, obſeſſo Haſſelto, mox repreſſus. Eae res Antuerpianos perculere: qui Henricum Berchemium conſulem, Lancelotum Vrſelium, Nicolaum Rocoxium, Carolum Falium, equeſtri dignitate viros, & Ioannem Aegidium ſyndicum, ad Brabantiae ordines mittunt, regis literas, die xx. Novembris ſcriptas, audituros; & conſilia, de pacando Belgii ſtatu, coniuncturos. Tum mandata illis addunt: *de comitiis omnium ordinum poſtulandis, ut quamprimum prohiberi ad tempus conciones poſſent: ac decerni, quae ad conſervationem priſcae Chriſtianae fidei, regiaeque maieſtatis, & tranquillitatis publicae pertinerent: promiſſa interea Proteſtantibus, qui manerent, ſecuritate, ac praeteritorum venia; illis vero, qui decretis, iam a Rege, ordinibusque generalibus, promulgandis, acquieſcere minime vellent, dato ad migrandum tempore. Si comitia negarentur, cum ordinibus tunc provinciae conſultarent, an non denuo quis ad regem ablegandus videretur; qui aut illa impetraret, aut, quo modo componendae turbae eſſent, indicaret: ne cum armis ille in Belgium ſibi omnino veniendum, ac vim adhibendam duceret. Quin Parmenſis in rem iſtam intercesſionem peterent, & per illam Caeſaris quoque, ac Sabaudi. Tum ut ordines Brabantiae ſcrupulum omnem, de ordinibus generalibus convocandis, regi eximere conarentur. Idem ordines caeterarum provinciarum rogitarent, Reip. a periculis imminentibus liberandae, uti adiutare vel-*

MDLXVI.

MDLXVI. *vellent*. Sed consilium hoc, etsi longe utilissimum, frustra fuit. Proceres quoque, quum offensum adeo regem intelligerent, & Montinium, ac Bergensem, maxima prudentia viros, quibus nulli ad representandum regi rerum statum aptiores, nihil plane effeciſſe, quin & detineri illic, copiasque militares a Parmensi comparari; siniſtra omnia cogitare inceperunt, ac prospiciendum sibi existimarunt. Quare Auriacus, Egmundanus, Hornanus, Hochstratanus, & Ludovicus Nassovius, Teneramundae congregati, super iis, quae Montinius de offensa regis scripserat, in commune consultabant. Et Auriacus proferebat literas a Francisco Alava, eius apud Galliae regem oratore, ad diem XVIII. Augusti, alterasque, eodem mense ad XXIX. diem, utrasque autem Lutetiae datas, & in via interceptas; qui Parmensem confirmabat, arbitrantem Belgicorum motuum auctores tres hos esse: arcana eius numeri nota Auriacum, Egmundanum, & Hornanum designante. Tum suadebat: *benevolentiam erga illos summa industria simularet; diceretque, quicquid Belgii in obsequio permaneret, solis ipsis regem id acceptum ferre Qui tamen mox, tempus opportunum nactus, cum in eos, tum Montinium, Bergensemque, & Renardum, prout meriti, animadversurus esset. Ac Madritum quum venisset, coram multis regni magnatibus iureiurando adfirmasse, satis se compertum habere, Belgii turbis non se unum tantum laesum, sed supremum quoque Numen, cuius cultum homines impii temerassent. Quae res ita eum offenderet, uti regna potius omnia, ceteroque ditiones, in discrimen summum adducere, quam supplicium perduellibus remittere, mallet. Quin iturum ipsum in Belgium; & si vires puniendis iustae desint, Papam etiam, Caesaremque ad suppetias vocaturum.* Deinde addebat, *ex his turbis magnum regi, confirmandae ibi potentiae commodum fore Belgiumque universum, hactenus privilegiis ferox ad exactam obedientiam, quam priorum principum nemo obtinere potuisset, perducendi honestam occasionem esse.* Quibus lectis, dum deliberant, quo se modo tueri queant, non consensum est. Et Auriacus *ad concordiam* adhortari, *sine qua non libertatem, non fortunas, & nec vitam salvam habituri essent. Quippe ingenium Hispanorum, & consilium, sibi gnara; qui in belli occasionem, Belgiique subiugandi, animo intenti, turbas, quam obsequium, vellent.* Contra niti Egmundanus, *neque rigidum adeo regem inducere animum posse ut crederet; ac, si esset, meritis fidere: quibus benevolentiam eius satis sibi obstrictam putaret. Tum fortunas, sine quibus neque vitam tolerare, nec tueri dignitatem etiam posset, ut ita eius ditionibus, it potestate esse. Ea propter e benignitate eius quum penderet, maxime interesse sua, uti gratiam, sive incolumem, conservaret, sive offensa aliqua laesam, novis meritis reparrarent. Qui rigorem formidarent, his suadere, ut discedant. Sibi vero nec consultum id videri, nec licere.* Sic colloquio frustra habito res dilata; quum non desperarent quidam, si repeterent, Egmun-

A danum tandem in sententiam istam adductum iri. Proceres e foederatis, quum animadverterent, nunquam regem, aut Parmensem, ut in religione quicquam mutaretur, quamquam simulate id fieret, permissuros; sperarentque, Augustanae si confessionis titulus sumeretur; non auxilia, aut tutelam defutura; visum fuit Antuerpiae, Valentinianis, Tornacique, & Amstelodami, quae praecipue Protestantium urbes essent, serio eorum delegatos, per Nassovium, aliosque
B adhortari: *ut ubique ad praecepta summi Numinis se componerent, & obsequium magistratui, quatenus ille conscientiis nil imponeret, exhiberent. Tum servarent, quae Parmensi, ac foederatis, proxime statuta essent; neque inconsultis ipsis, aut ignaris, novi quicquam inceptarent. Ita omnes Deo, regi, & reipublicae facturos satis. Res in peius iam prolabi, militemque passim legi; neque dubium ullum esse, adventurum ipsum regem cum ingenti*
C *undique manu; qua & inquisitionem, adeo reformidatam, constitueret; & religionis reformatae usum prohiberet, privilegia conculcaret, libertatem profligaret, vitam denique aut eriperet, aut acerbiorem ipsa morte faceret. Recte igitur & pro subditis, facturos, si iratum graviter regem nunc pacare conarentur. Non tam sua eum offensa, quam calumnia aliorum irritatum; ideoque veniae faciliorem multo fore. Darent igitur istic operam, & legitimo principi suo se submitterent, cui quantum promtae fidei,*
D *& obsequii, tantum etiam innocentiae declararent. Porro supplices rogarent, daret aliquid conscientiis, neu religionis suae exercitia interdiceret; offerentque, quod iam pridem, si permitteret beneficium, tricies centena millia florenorum: iisque passim colligendis certos aliquot constituerent. Quando vero inimici adeo potentes essent, ut adversus illos Caesar, Electores, principesque Imperii alii, implorandi viderentur, qui pro ipsis apud regem intercederent; hique forsin minus promti deprecandi,*
E *nisi pars confessionis Augustanae esse vellent; e republica, & ecclesia item Dei, existimare, ut quamprimum istud fieret, itaque deliberarent, & mature rem decernerent.* Haec Nassovius quum exposuisset graviter, respondere delegati; *semper regi, & magistratui obsequutos: idque porro, si nil contra conscientiam mandaretur, facere certos. Pacta quoque foederatorum, & Parmensis, quibus locis promulgata, observasse, ubi vero nulla promulgatio*
F *facta, quando illic ignorarentur, non potuisse. Ac facilius libertate, nondum nota, carere homines; quam amittere, postquam semel cognovissent: idque turbas, aut discrimen certe maximum secum trahere. Tricies centena millia, redimendae religionis libertati, dare paratos; verum edicto a Parmensi, quae vetuisset, ne pecuniae usquam ullae colligerentur, retineri itaque veniam a praefectis provinciarum postulandam, literasque concedendas, aut promissa quibus certi esse possent, sine damno, aut offensa, factum fore. Quod suaderet, ut confessioni sese Augustanae adiungere vellent; minime istud, quatenus ea sacris literis responderet, detrectare. Sed, quum arduum id negotium,*

MDLXVI.

CIↃIↃ LXVI.

tium, non se inpraesens constituere quicquam posse. Dandum tempus, quo deliberarent amplius; & ministros ecclesiarum, ac praesbyteria consultarent. Brabantiae Ordines etiam apud Parmensem queri: *hactenus se e die in diem exspectasse, uti turbis, ob dissidium religionis excitatis, ipsa occurreret. Verum frustra spem fuisse. Adeo vero mora invaluisse malum, ut, si porro negligatur, mox, remedio omni maius, pessum Belgium universum sit daturum. Nec catholicam religionem, neque maiestatem regis, nec commercia, in quis res vertatur publica, salva fore. Quando vero nihil magis expedire videatur, quam ut rex sententiam suam apud Ordines provinciarum exponere velit, ac cum iis constituere, quonam modo emendari cuncta possint; orare enixe uti eos convocaret, plane ut convocati erant, cum Philippo a patre Carolo Belgium istud traderetur. Sin id posset, saltem ipsos advocaret; & consilia, avertendo imminenti infortunio, quod atrocia minaretur, secum haberet.* Hic Parmensis, *ut Provinciarum Ordines convocentur, nullo modo, dum abesset, regem velle. Quippe tumultum vereri. Dein sectariorum audaciam, qui ubique se insererent, summam esse. Sed permittere, ut Bruxellis ipsi veniant, quaeque e Rep. putent, ibi exponant.* Deinde datis ad vigesimum Novembris literis, ad penultimum eius mensis convenire eos iubet. Quam rem postquam Protestantes, qui Antuerpiae, accepissent; Hochstratano, & magistratui per libellum supplicare: *die Septembris secundo conveniisse inter ipsos, & Auriacum, at religionis suae exercitium, dum rex aliter cum provinciarum ordinibus constitueret, liberum foret. Ac quantumvis maluissent, Belgioque universo multo utilius etiam fuisset, in aeternum, quam ad tempus, id decretum; tamen, adfectu in tranquillitatem publicam, quando hoc requireretur, accepisse conditionem, ac subscripsisse. Quumque Auriacus, a Parmensi auctoratus, promisisset, iura tecta semper pacta habituros; nunc rogare, ne quid statuant, neve statui permittant, quo provinciarum Ordinibus contra ista quicquam praescripturum esset.* Huic libello alium quoque ad Brabantiae Ordines addunt, & offerri a se petunt. Sed reiecti, incassum supplices Brabantiae Ordines, quum Bruxellas conveniissent, ac consilium de Rep. ordinanda habuissent, inquiunt: *videri sibi, ut edictum rex proponat, quo religionis novae exercitia, cuiuscumque tamdem modi prohiberet; dum in Belgium ipse veniat, &, provinciarum Ordinibus in consilium advocatis, porro de re summa statuat: interim vero, si qui morem gerere nolint, ii: ceu turbare quietem publicam ausi, aut exsilio, aut arbitrio iudicis, luerent. Vtque edicto vis sit maior, promtiusque pareatur, Ordines provinciarum consulendos, maximamve eorum portem, arbitrari; qui non alia de causa convocandi istuc essent, saltem eo ipso modo, quo vocati ante proximos octo annos, quum de novennali regis rogatione ageretur. Tum in convocatione generali provinciis ceteris faciendam seorsim fidem, sic Brabantiam, Flandriamque, & Hollandiam, sentire, neque earundem aliquam in comitiis generalibus quicquam mutaturam esse: neu passurum, ut quid aliud agitetur. Ac iam nunc spondere id Brabantiae. Ordines priores duos, praesulesque, & nobilitatem; atque e tertio cum Lovanium, tum Bruxellas, & metropoles minores duas, Thenam, ac Levviam: Antuerpiam autem de prioris membri iussu; Silvam ducis, de prioris utriusque. Neque parum valiturum; si & ipsa, & provinciarum Ordines, adpromittant regem sese oraturos, ut benigne, quae delicta hactenus a sectariis essent; condonare omnino velit. Denique si tuendo edicto, capessendum vim existimet; Belgam militem, quam extraneum, adhiberet. Idque minus subditis damnosum fore.* Placuit Parmensi haec sententia; itaque mox, vicesimo quarto Decembris die edictum concipit in hunc modum. *Exortas praeter votum turbas, quae quidem crevissent adeo, ut sectarii, arma etiam capere ausi, multis locis aedes sacras, communitis imaginibus, diripuissent; ac speraisse, si benigne obviam iret, emendari malum posse. Sed spe ista excidisse; quin invaluisse tantum, ut potestas prohibendi nulla fuerit. Quam ob rem, ut ceterum Belgium conservaret, coactam tandem cum nobilibus foederatis depacisci, ac spondere; non se vim intentaturam adversus eos, qui, religionis novae exercitiis addicti, concionnes frequentarent; itum vero, reditumque liberum cuique fore; dum provinciarum Ordines de re tota constituerent. Ea tamen conditione, ut, quae invasissent, templa restituerent: & Catholicos, sacra sua prisco ritu celebrantes, nullo modo perturbarent. Nunc, quum multi contra irent, potestate sua usuram, & in delinquentes poena.* Hoc edictum quum Ordinibus expendendum proposuisset; illi, postquam inspexissent, immutari, quae notassent, postulare: deinde addere: *quando ipsos in consilium advocasset, ac sententia approbata, edictum etiam concepisset; quod mutatis tantum paucis, bonum omnino visum esset; orare maxime, nisi inutile istud vellet, uti sine mora ulla exequeretur. Nam periculum ingens esse, ne, dum in Hispaniam mittat, rex deliberet, dein comitia habeantur, Ordinesque constituere aliquid possint, validum magis isto intervallo malum, aut remedium omne evadat, aut maiore cum negotio corrigatur. Idque experiundo certum; & turbarum ipsa initia, valde adhuc imbecilla, dum edicta expenderentur, & de mitigandis iis ageretur, ita mora confirmata, ut, quae prius componendis satis essent, post momenti nil habuerint. Et in praesens magis istud adparere; quando arma, pridem in tutelam sumta, nunc ad vim haberi coepta. Tum edicta, si confestim exsequaris, deterrere; se protollas, adversariorum astu, varie eludi. Vrbes quoque non impensae, ad tranquillitatem suam defendendam ultra pares; agris, unde annona illis, devastatis; & commerciis, opificisque omnibus manuariis, interceptis. Quibus malis quum remedium adhiberi omnino debeat, idque peti a provinciarum Ordinibus sit necesse, habenda eorum comitia esse. Quod quantumvis, se absente, rex faciendum non putaverit; quia tamen de plerisque satis certo persuadere sibi possit, de edicto asserendo, quod*

MDLXVI. *potiſsimum ille urgeret, conſenſuros; cauſam ullam non videri, cur diutius differantur. Itaque iterum rogare, quod neceſsitas iuberet, & illaeſa regis maieſtate poſset, ſi remp. ſalvam vellet, ut permitteret, curaretque.* Haec Brabanti, etſi fruſtra; quum Parmenſis, varie excipiens, gratias tamen illis quam blandiſſime ageret, pro adfectu in remp. & regem ſuum, quem factura etiam certiorem eſſet. Rogare porro: *uti in provincia ſua, quantum poſsent, operam darent, ne ſectarii promoverent; idque regi, iam propediem adfuturo, gratum fore.* In calamitate publica, de remedio publica quoque cura erat; & deliberare omnes, qui evaderent. Fundus aerumnarum erat inquiſitio; quam omnino, ad avitam religionem conſervandam, rex invectam cupiebat. Itaque diſpiciebant: *an permitterent, anne contra ſumma ſeſe vi obiicerent. Si obiicerent; an id poſsent, & quo modo: utrum ſine ullis turbis. Quod ſi eae nulla ſane ratione caverentur; utrum publice vim obponi expediret. Propulſari autem poſse, ſatis certum exiſtimabant. Nam initio regis vires, Belgarumque inter ſeſe comparandas. Illum, nihil ſine promto ſubditorum obſequio poſse; quorum animos quum ab ipſo Inquiſitio alienos plane faceret, deteri potentiam eius: ac, quod peius, tantum auxilii advocandum, quantum odii inter ſuos concitaverit. Inſuper, plerumque reges, in deliciis educatos, rerum imperitos eſse; dum eorum conſiliarii iſtud agunt, ut, effaeminatis illis, ipſi regnum adminiſtrent. Verum nec conſiliarios, dum ambitio quemque impellit, convenire. Hinc diſcordiam, inde impotentiam naſci. Contra, in Belgio multos proceres, aetate vegetos, & prudentia militari, ac civili, excellentes inveniri; qui tuendae libertati & ſaluti reipublicae, vitam omnes, fortunasque, impendere promti, cum concordia ſumma agant. Non adeſse vires tantum, ſed quae ſupra has, prudentiam. In prudenti autem concordia non periculum ullum eſse, ne abduci ſeſe aliqui, quod pernicioſum ſibi omnes norunt, patiantur. Nam diſſidio quod obnoxia multitudo, aut conſiliis perturbandis, tardandiſve, putaretur, nihil eſse. Quippe; ſi hoc metuatur, facile adeo e tam multis, qui virtute, & prudentia antecellunt, unum eligere, cui ſummam rem committant. Et in eo contra reges praevalere, quos imponit pro arbitrio ſuo Deus, ſapientes fatuoſve; nec mutare, quod hic licet, fas ſubiectis.* Haec multorum diſſertatio; Auriacus, ita arbitrari: *finem ſibi proponendum, iuſtum, & aequum. Iuſtius autem, aequiuſve, nihil eſse; quam ſpectare honorem Dei; ſalutem, fortunamque principis: reverentiam magiſtratus, item iuris obſervantiam. Non mirandum autem eſse, neu ſumenda etiam arma, quia ſeorſim Belgae ſentiant, & ſententiam ſine involucro exponant, quamvis contra magiſtratus voluntatem. Id a mundi uſque exordio uſitatum; maxime ſub regibus illis, ac principibus, qui tam late, ut Philippus, imperarent. Et exempla in promtu eſse. Tum vix aliter fieri poſse, quin provinciae, iis terris, quae mutarunt religionem, adiacentes, aliquid etiam per commercia inde trahant.*

Huc adcedere, quod ſuperiore bello, tam in caſtris, quam praeſidiis, conciones ſint permiſſae. Deinde nunc, neceſsitate impellente, idem factum. Cogitandum, non immerito poenas dari; quae maiores impenderent, ni remedia, conſcientiis ſubditorum, & univerſae reipublicae profutura, maturato quaererentur. Eadem vicinos paſsos; aliosque; qui religionis ſtatum immutaſsent: & coactos, poſt aerumnas quam graviſſimas, animum tandem hic applicare. Atque in praeſens oportere, ut provinciarum Ordines, omniumque, & ſingularum, apud regem intercederent; uti ea, quae Parmenſis conceſsiſset, rata habere ad tempus velit; quando effectum iis foret, ut iam poſita arma eſſent, ac tumultus deſtiſſent. Quos ſopitos plane haberent, niſi poenae a rege metus, & armorum adparatus excitarent; maioreſque mox futuros, ſi vim porro agitaret. Neque vero ita comparatum eſse, ut ſeorſim habitare Proteſtantes iuberi poſsint, aut expelli. Imo regnum nullum eſse, aut ditionem, quae accomodare ſeſe ad vicinos magis debeat, quam hoc Belgium. Ac quemadmodum praeſtat multo, cum Imperio ſe coniungere, quam quocumque alio regno; ita oportere etiam, huius inſtituta ſequi, quantum, ſalvis conſcientiis, & auctoritate regis, fieri poſsit. Quae non parum augeretur, ſi praeteritarum rerum univerſis veniam Caeſar impetraret; deinde cetera ordinaret, ut quiete ſempiterna non provinciae tantum iſtae, ſed Imperium quoque totum frueretur. Quod nonnulli arbitrentur, prohibendas conciones, & religionis novae exercitia, vimque etiam adhibendam, non conſultum id videri. Neque enim diuturnum illud fore, & diſcrimen magnum habere; uam quum ſine externo milite perpetrari id non poſsit; iſque nullo in provincias has adfectu, ſolo quaeſtus incentivo ſtimulatus, ferret omnia, ageretque; ſine ulla ratione ſontes paſsim, inſontesque, afflicturus; nil effectum aliud iri, quam ut mercatores omnes, Belgae iuxta, ac peregrini, merces inde, ſeque transferant; nudas regi has provincias, ac tantum non deſolatas relicturi. Neque rectius arbitrari, qui exilio, redactisque in fiſcum bonis, in alienos a maiorum religione animadvertendum putent. Non videri quidem iniquum, uti principis ſui iuſſa, aut magiſtratus, ſubditi patienter ferant; tamen ſic exiſtimandum, multos vitam prius ipſam, quam fortunas, patriamque amiſsuros: & venturos rurſum ad arma. Interimque diffugituros tot opifices, ſine quibus Belgium totum peſsum iturum. Qui permitti libertatem conſcientiarum velint; aut abeundi, ſalvis bonis, facultatem; multo ibi putari aequiores poſsent, niſi ſectis omnis generis, &, quae deteſtanda maxime, impietati, viam ſternerent. Certum quidem, minime paſsurum regem, ut religio, praeter veterem, habeatur; quam ſententiam procerum quoque plurimorum, Hiſpanorum, Belgarumve, & ſenatus univerſi, ſine dubio futuram; quorum pars ambitione, & avaritia ſua, impulſa: alii, rerum Belgicarum, & adfectuum, imperiti, valde impingant: Verum tamen, deplorato adeo ſtatu, ad vicinos reſpectandum; quibus illi ſe remediis, quum

eodem

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVI. *eodem nuper malo laborarent, reſtituerint. Quippe, prius cuncta experti, ne religio, quam avita, in ſuis terris ulla eſſet; nihilominus, ne perirent, ſua etiam Proteſtantibus exercitia indulgere ſunt coacti. Tum conſiderandum regi, cum principibus tam potentibus ſit vicinus, nunquam illi pacem aliquam certam eſſe. Ac, ſi bellum oriatur, hoſtem exulibus contra ipſum tunc uſurum. Qui offenſi ereptis bonis, quae recuperare ſperent, nocere quam graviſſime velint: & periti arcanorum, etiam poſſint. Tum & intus, qui manſiſſent, dubiae fidei multos fore. Itaque ubique, quos metueret, habiturum. Quam ob cauſam, quando cuncta expendiſſet, nihil magis expedire regi viſum, quam ut liberum unicuique religionis exercitium eſſe velit, deſtinatis per provincias quaſque locis; urbibus etiam, dominiſque, aut* A *nobilibus, quibus ſumma iurisdictio, poteſtatem rei faciat: ita tamen, ut ubique id potiſſimum caveatur, ne, qui ſacra ritu priſco celebrarent, ullo modo turbarentur, aut proterve laederentur; & hac certe indulgentia plus, quam armis effecturum. Quod nonnulli obiectarent; nec ſuadere haec quenquam regi, neque admittere etiam eum, ſalva conſcientia, poſſe: his videndum, num permittere tot provinciarum interitum, eius pariter conſcientiae, atque illorum, qui conſulere ipſi utilia teneantur, oneroſum ſit futurum. Se profecto exiſtimare, non tam grave conſcientiae regis fore, exercendae religionis, cum modeſtia imperata, libertatem indulgere; quam per vim periculoſam, quum mederi inſtituerit, malum augere. Cui item cogitandum poſt ſuorum certam hinc & inde caedem, a qua abhorrere debeat, incertum exitum.* B CIↃIↃ LXVI.

GVLIELMI AVRIACI

LIBER TERTIVS.

CIↃIↃ LXVII.

Interim Valentiniana a Noircarmio obſideri. Quae iam a Novembri menſe etſi poene milite circumſeſſa eſſent, tamen cives, ſine cetero praeſidio, animos plane militares oſtenderunt, cum ſaepiſſime excurrentes, tum frumenta circum nata importantes; loca quoque, urbi iniqua, incendentes: denique hoſtem varia clade efficientes. Erant Noircarmio peditum cohortes decem, equitum vero ala una; huic additus Raſſegemius, Inſulae, Duaci, & Orcheſii praefectus, cum trecentis ſclopetariis, alteraque equitum ala. Vrbi autem liberandae militem Flandri Occidentales conſcribebant; cui ſuum, ſub Ioanne Soreavo, Tornacenſes adiungebant. Sed hae copiae, quum, militiae imperitae, ducem quoque ſat peritum non haberent, a Noircarmio, & Raſſegemio utrimque impetum facientibus, facile inter Waterloum, & Lanoiam, proſligatae. Plures caeſi. Soreavus, crure ſaucius, vix evaſit. Alii Tornacum elapſi. Quo Noicarmius, introducto per arcem milite, mox potitus, Proteſtantes illic deprehenſos capit, punit, fugat. Valentinianis Galli auxiliarium decem millia, duce principe Portiano, offerebant; ſed hos illi, gratiis actis, cum nobilibus foederatis, qui tunc ipſis vicem magiſtratus eſſent, quae ad liberandam urbem pertinere exiſtimarent, agere iubent. Tum libellum equitibus aurei velleris porrigunt: *in quo perduellionis crimen, quod Parmenſis impegiſſet, removerent. Nam quod conciones habeant, qui iſtius criminationis fundus, de mandato id illius, ipſorumque, abs ſe fieri. Si Parmenſis de praeſidio tamen urgeat, idque neceſſarium putet, admittere promtos, dum promittat, non vim ullam conſcientiis, aut relgionis ſuae exercitio factum iri.* Hoc libello nil effectum, niſi quod mox C menſe Martio, quum adductae ad urbem verberandam machinae, miſſi ad eos Arſcotanus, & Egmundanus, qui caverent: *ſi redirent ad officium, ſalva omnia, veniamque ante actorum habituros; ac miniſtris, quoque vellent, liberum commeatum fore.* Quod quum ipſi, nuntio accepto, prope Antuerpiam, alibique, arma liberandis capi, recuſaſſent; mox Noircarmius machinis XXIV. muros inter Montanam, & Cardanam portam quatere incipit. Nec multo poſt, quum de ſuorum apud Auſtervelam clade, tum quae geſta Antuerpiae eſſent, mox dicenda, accepiſſent, nulla iam ſpe liberationis reliqua conſternati, ad XXIV. Martii. arbitrio regis urbem, ſeque, pollicente benevolentiam ſummam Noircarmio, dediderunt. Sed is, promiſſorum negligens, occupatis ſtatim portis, cives plurimos, prout dignitate, aut opibus, antiſtarent, primum capit, dein ſupplicium varie ſumit. Herlini uterque, pater ac filius, ceu turbarum primi auctores, gladio caeſi. Guido Breſſius, & Peregrinus Grangaeus, concionatores, in furcam acti. Mox ducenti amplius alii, diverſo tempore. Amandi fanum paullo ante ſe dediderat. Inde Cameracenſium ducit. Sed ad famam de Valentinianis captis dilapſi ſtatim Proteſtantes, magnam partem a militibus inſequentibus retrahuntur. Inter quos Philippus etiam concionator; cui gula, manu prius amputata, laqueo fracta. In Gelria Megenſis gnavus, provinciam totam ad obſequium reducebat. Elburgenſes, conciones intermittere, templaque inſtaurare coacti, tum arma omnia, & tormenta, in curiam comportare iuſſi, arbitrio ſe offenſi regis permiſere. Neomagus, Hardervicum, aliaeque in praefectura eius urbes, veniam pactae. Arembergicus, cum, aſſumptis Germanorum ſignis quatuor, & equitibus ſexaginta, agri Tranſiſalani urbes ordinaſſet, Friſiam petiit; in qua prima Leo- D E F CIↃIↃ LXVII.

Digitized by Google

MDLXVII vardia Proteſtantibus tenebatur. Qui, ſecuri anni hieme, glacieque minus firma aditum impediente, quum oppreſſi pene eſſent; ac metuerent, ne praeſidium, quod in arce, ſe coniungeret, ſtatim ſeſe dedidere. Vrbem ingreſſus, Ordines vocat, proponitque: *ne deinceps conciones ullae fierent, neve foedera. Ac ſi aliqua forte eſsent, uti his renuntiarent. Vt miniſtri concionum, tertio ab edicto promulgato die, urbe excederent, & provincia. Qui manerent, quive eos retinerent, capite poenas daturos. Templa quoque, & monaſteria reſtituerent; ac, religionis novae exercitiis intermiſſis, ſacra priſco ritu colerent. Tum promulgaturos item edicta omnia, quae a rege mitterentur. Inquiſitio, & de ea publicata pridem edicta, nulla forent. Immunes etiam, ut provinciae omnes aliae, quae in poteſtate regis, haberentur. Oſtergoi, Weſtergoi, & Sevenvvoldii, obſequii ſui obſides darent, quot, & quales cunque, vellet; dimittendos, ſimul rex, iam adventurus, de negotiis Belgi eorum aliquid conſtituiſset; aut elapſo inde anno.* Ad haec illi, paucis tantum immutatis, concedere cetera ſe teſtantur. Porro rogant: *ne provinciae militem ullum imponere vellet; neve ſupra privilegia, aut immunitates priſcas, eam oneratum iret.* Quumque ad iſta Arembergicus reſponderet: *ita regi placuiſse, cui obſequendum eſset; neque adduci militem poſſe, niſi poſtulatis eius adquieſcerent:* deinde, octavo Februarii, alia quaedm rurſum offerret, quae non multum a prioribus differebant; illi etiam adfirmare: *ſe omnino, ne in iſta conſentirent: legibus patriae prohiberi:* atque orare: *apud regem, ac Parmenſem ſic negotium commendaret, ne provinciae privilegia laederentur.* Inter urbes Tranſrhenanas nulla magis a Parmenſi timebatur, quam Groninga: libertate, opibusque agri ferox: dudum Proteſtantibus favens, &, vicinitate Embdae, quae perfugium ob religionem profugis, ad quietem provinciarum adiacentium perturbandam valde apta. Itaque mandat Arembergico: *daret operam, per blanditias ut praeſidium introduceret.* Deinde ipſos Groningenſes adhortatur perbenigne: *darent iſthuc regis gratiae; qui, obſequii promtitudioe delenitus, privilegiis, quae praetenderent, & querelae, quae adverſus Ommelandos, magis indulturus eſſet.* Arembergicus ſedulo hic adlaborare; & blanditiis partim, ac minis, apud cives varie uſus, nihilominus fruſtra fruit. Nec Parmenſis, apud veteres libertatis, ideoque animi elatiores, ac praeſidii inſolentes, aliquid ſperare potuit. Erat ibi legatus regis, Ioannes Mepſchius; is, auctoritate validus, cives ſingulos circumire, ac primores collegiorum, quorum magna potentia eſſet, univerſos compellare: *ne obſequium recuſarent, regi gratum, ſibi utile.* Quumque nihil, perſuadendo neceſſarium, intermitteret; tandem effecit, ut pars maior conſentiret. Pacta quaedam, non ſervata unde facti mox poenituit. Admiſsa peditum Germanorum ſigna quatuor, duce Blaſio Vegersheimio. Sub hoc tempus iterum Auriacus Hellegati, ac deinde Willebroci, ad rem Belgicam contra Hiſpanos adſerendam ſummo opere Egmundanum permovere nitebatur. Sed quum ille nec periculo communi, neque ulla ratione, induci poſſet, irritus conatus fuit. Quippe arbitrari ipſe: *ſi deinceps conciones vetarentur, tum ſectarii, ac turbones punirentur, ſat placatum regem fore; neque poena quicquam ultra agitaturum.* Et Auriaco adhortante, *ſpem incertam, cuius poſtea ſine dubio poeniteret, ne teneret, neve pertinacia ſua Belgium, ſeque perditum iret;* nihilominus, ſive meritis nimis fidens, ſive opes aegre amittens, & vitae media vita potiora ducens, animi obſtinatus manſit. In diſceſſu, quum ſupremum vale dicerent, & *Auriacum, ſi perſiſteret, brevi bonis exuendum* Egmundanus adfirmaret: ille contra; *ipſum vitam etiam amiſsurum eſse. Atque Hiſpanis pontem fore, deſtruendum, poſtquam per hunc in hoc Belgium exſcendiſsent:* &, fuiſſe verum vatem, res oſtendit. Sic libertas priſca Belgii, quam Auriacus vindicatam maximopere cupiebat, deſerente Egmundano, cui devotus fere miles, in diſcrimen ſummum venit. Hoc colloquium Proteſtantes ad res ſuas confirmandas non iniuria pertinere arbitrati, quemdam, clam auſcultaturum, in cubiculi camino occultaſſe perhibentur. Porro ut hi duo proceres, ita nobiles foederati, uti quiſque in hunc, aut illum, propendebat, diſſidere; & vix tertia pars eorum in foedere ſuo permanere. Proteſtantes in Auriacum reſpectabant, prudentia clarum, & potentem varia adfinitate per Germaniam; quemque Hochſtratanus, & alii ſequuturi viderentur. Verum ille, dum potentiam regis ſpectat, quem ingenio partim ſuo, atque inſtinctu Hiſpanorum, religionem reformatam, Belgiumque univerſum, nimia libertate grave, odiſſe vehementer notat; tum incertum populi impetum, per initia quidem validum, ſed mox facile langueſcentem; dein adverſum Egmundanum, & cum eo militem quoque veteranum, ac pleramque nobilitatem, item clerum irritatum, permoveri, ut ſe ducem ad vim opponendam daret, minus potuit. Qua de cauſa Brederodius, aliique, inter foederatos primi, omnia prius, quam extrema, experiri decrevere. Hinc per literas a Parmenſi veniam accedendi ad aulam poſtulantes, quiritantur: *ſummam ſibi iniuriam fieri, & ſecuritatis fidem, quam dediſset, violari: ſi concedat, iuſtam eſse querelam ſuam, oſtenſuros.* Sed haec, aula interdicens, addit: *ſuo pridem adventu, Aprili anni ſuperioris, turbas omnes concitaſse.* Tum praeſidio, quo Bruxellae tenebantur, mandat etiam, *ne e foederatis quemquam in urbem admitteret.* Itaque rurſum Brederodius ad VIII. Februarii Antuerpia ſcribit, *non libellum, abs ſe oblatum, ſed decreta de rep. confirmanda nimis lenta, item inquiſitionem, quaeque alia, nunquam hactenus cuiquam principum uſitata, intentaſſet, placidos natura Belgas irritaſse. Nil propoſitum ſibi eſse, quam ut de concordia ageret, ac quiete reip. inſtauranda. Quando autem urbe ipſos prohiberet, alterum ſe nobilitatis foedera-*

MDLXVII

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVII. *ratae libellum mittere. Quo nimirum exponebant, menſe Auguſto ſuperiore, quum turbatum ubique Belgium, populuſque in armis eſſet, malum impendens prudentiſſimis decretis propulſatum, ac ſe fidem liberaſſe. Quod ſi alibi res ſucceſſu caruiſſet, illis iſtud, qui tranquillitati publicae minus iuſto ſtuduiſſent, imputandum. Inde, quum in melius cuncta manifeſto mutarentur, ac decretum quoque regis, de ſententia Ordinum generalium factum indies exſpectaretur, praeter ſpem mandaſſe ipſam, datis literis, ne quae uſquam conciones, neve ulla religionis reformatae exercitia haberentur. Hinc calumnia ſe gravari, & a populo malae fidei accuſari; idque e libello eius, quem huic ſuo adiunxiſſent, apparere. Inſuper vim adhiberi, interdictis contra pacta concionibus, & miniſtris interceptis, nullo adhuc decreto regis, Ordinumve generalium. Tum & peſſime habitam eſſe, haberique, nobilitatem foederatam, iam vocata in dubium fide, ſine ulla ratione. Quin proceribus imperatum, ut ipſorum conſuetudine abſtinerent; ipſi vero, regis urbibus ut excederent. Atque intendi capiendis, ſicut regis, patriaeque, de quis tamen aliter meriti, hoſtes eſſent. Denique arma, domi, ac foris etiam capi; cum in ipſos, tum religionis item reformatae ſectatores, contra datam a ſe pridem ſecuritatem mox vertenda. Quare, quum perniciem certam toti Belgio imminere, vimque contra pacta augeri, animadverterent; rogare enixe, ut diſertis verbis dicat, an non pactis ſtare velit, ac permittere conciones, quaeque ex illis exercitia dependerent: prout ipſi, eius procerumque verbis, promiſiſſent; an non etiam, quam dediſſent nobilitati foederatae, ratam eſſe fidem cupiat. Quod ſi vellet, ut conſtare benevolentia magis poſſet, militem exauctoraret; & mandata, contra pacta promulgata, revocaret. Ita Belgium in quiete permanſurum, ſeque in obſequium regis, ipſiusque, vitam ſuam, fortunasque impenſuros. Sin vero id quamprimum fieret, metuendum, ne in caedes inteſtinas populus ruat; qui nunc in promiſſis eius, ipſorumque adquieſceret. Haec ſe in regis, patriaeque ſuae commodum, cui utrique obnoxii eſſent, praemonere voluiſſe; orare autem, & benigne, ut reſpondeat, & ne diu etiam differat.* In libello, quem adiunctum memoravi, queri apud nobilitatem foederatam Proteſtantes: *quam iniqua, contra datam ſecuritatem, multis locis paſſi eſſent. Quare, niſi id mandati a Parmenſi, proceribuſque, habuiſſe ſe oſtendant, fraudis factae manifeſti teneantur. Quod ſi haec ſententia ſtaret, fidem non ſervandam eſſe, ſaltem palam ut cavere ſibi quiſque deinceps poſſet, eloquerentur.* Brederodio a Parmenſi decimo ſexto Februarii ſic reſponſum: *Ignarum ſibi, quinam e nobilitate libello ſuo participarent. Nam pleriſque, qui ad diem v. Aprilis anni elapſi queſti eſſent, de regis ſuper inquiſitione ſententia, nunc abunde ſatisfactum. Ac mirari, quod permiſſu novae ſuae religionis exercitia adfirmarent; neque enim in mentem unquam id fuiſſe. Indulſiſſe quidem populo conciones: verum eas ſine motu, aut offendiculo, ut haberent, edixiſſe; bisque verbis ſat expreſſe vetita illa arbitratam. Saepe queſtam, quam errarent; qui conceſſa conſiſtoria, aut collectionem item pecuniarum, ſacramentorumque ritus innovatos, ac connubiorum quoque, exiſtimarent. Quin, ſi etiam voluiſſet, tamen valide probiberi; quum per iſta res humanae, divinaeque perturbentur: & maieſtas porro regis, auctoritasque magiſtratus labefactae convellantur. Quod implorent fidem publicam, nuper quinto Aprilis datam, demirari impudentiam; qui obtenderent, nunquam ſibi, nunquam regi cogitata. Nam quae tum promiſſa eſſent, pro ſecuritate libelli tunc oblati, non religionis libertate, fuiſſe. Ipſos vero plebis animum contra regem, ſacrum ordinem, ac rempublicam univerſam, concitaſſe. Hanc ob cauſam officii ſui credidiſſe, quae remedia expedirent, malo huic adhibere. Proin ſerio admonere, domum abirent; vitamque ita illic agerent, ut ſe regi, iam in Belgium adventuro, adprobarent. Niſi facerent, paenam in promtu eſſe ſcirent.* Foederati. quum iam minime dubium foret, quid Parmenſis agitaret, eaque ſatis hoc reſponſo mentem ſuam declaraſſet, tum & copias produxiſſet, iamque Valentiniana, uti dictum, obſediſſet, militemque alium legeret ſub Megenſi, Mansfeldenſi, Arembergico, & Erico Brunſvicenſi; de ſumendis item armis cogitare inceperunt. Ea propter ad Vianam Brederodius, ad Antuerpiam Toloſanus, alii in Flandria, quas opponant, copias parant. Brederodium inimici per libellos criminari, ceu Hollandiae ſucceſſorem, & heredem ſe inſcriberet. Oppidum Viana illi, ad Leccam flumen, e divergio Rheni natum, prope Vltraiectum, ſitum. Quod non tantum ad ſe ipſe pertinere; ſed dominium quoque eius nulli obnoxium, contendebat. Nam Hollandiae olim comites, quorum e proſapia eſſet, id maioribus conceſſiſſe. Qua de re quum litem ei fiſci procurator pridem in Machlinienſi curia intentaſſet, atque haec etiam duceretur, vir ingenio iracundo, contumeliam aegre ferens, pro ſoluto legibus principe ſe gerebat. Ac, libellum quum priorem v. Aprilis obtuliſſet, nummum aereum excudebat; cuius in antica parte Burgundicae domus inſignia eſſent; in averſa, Vianae ſuae: atque in illa circumſcriptum, PER TELA, PER IGNES: in iſta, INSIGNE VIANENSE. Nunc repulſam, poſt ſecundum hunc libellum, iterum paſſus, & vim metuens, communita feſtinato opere Viana, arma capere. At Parmenſis Silvam-ducis Petershemium, & Brabantiae Cancellarium, Ioannem Scheiffium, ablegare; qui clam cives, melius ita in obſequio retinendos, novo ſacramento obſtringerent. Quod quum palam factum eſſet, motus iterum excitatus, denuoque imagines ibi deturbatae. Quam praeſidii immittendi, quod trimeſtre iam conata variis modis fruſtra fuerat, iuſtam occaſionem putans, etiam Megenſem mittere cum cohortibus peditum decem equitumque turma una, non tam urbem, pacaturum, quod praetextum, quam in poteſtatem eam redacturum. Scheiffius, ut fidem*

CIↃIↃ LXVII.

Digitized by Google

MDLXVII. fidem sibi apud cives compararet, auctor es- A se, ne Megensem admittere vellent, sed praefectum Petershemium constituerent. Quod quum minus Protestantibus probaretur, queis compertum, illum id agere, ut Megensem astu in urbem introduceret; & mane quodam, nihil ceteris sentientibus, conaretur; Henricus Agylaeus, iureconsultus non ignobilis, qui faveret Protestantibus, id effecit, ut ex iis octingenti, armis sumtis, in cohortes se dividerent, ac centuriones caperent. Quo peracto, Antuerpiam ad Brederodium B missus, petendarum suppetiarum, Hermannus Ruterus. Isque Antonium Bombergum legat, virum acrem, & militiae duce Lazaro Zwendio actae, pridem clarum. Qui ad diem XVI. Februarii quum in urbem advenisset, statim eius munitionem inchoare; ac Petershemium Scheldiumque, sub custodia habere. Megensis, astu deprehenso, se ad vim apertam vertit, atque obsidionem incipit; adituque prohibendo commeatui, omnes claudit. Hinc in arctum mox redacti C cives, animis dissidentes, etiam turbant: & *Parmensi obediendum, ac Megensem admittendum, pars censere; &, dum veniae qdhuc locus, tempestiva poenitentia culpam emendandam esse. Si exspectent, dum commercio, quo urbs tanta solo alatur, intercepto, nervi omnes incidantur, frustra preces tentaturos.* Alii contra, *libertatem, quam non ultra legibus possent, armis defendendam esse. Neque enim hanc virum quenquam, nisi cum vita, amississe. Itaque opes, animamque impenderent potius; quamque a maioribus ipsi accepissent, posteris quoque suis traderent; perpetuo eorum convitio obnoxii, nisi extrema conarentur.* Sic diversos plebis animos quum Megensis accepisset, clam cum iis, quos favere sibi sciret, de tradenda urbe agit. Ac conventum, ut nocte proxima, in illam partem, in qua ipsi excubarent, impetu facto, admitteretur. Idque sic patra tum fuit. At Bombergus, qui non amplius urbem se tueri posse animadverteret, tam incertis consiliorum Protestantibus, quum E stipendium prius sibi, militique, exegisset, sustinens tantisper hostem, dum in tutum oppidani se reciperent, imminenti mox periculo se eripuit. Ita, recepto Megensi, in Parmensis potestatem urbs redacta est. Isque inde in Hollandiam, ubi magna foederati agitabant, copias ducens, suo adventu eorum consilia perturbavit. Interea temporis Tolosanus, & cum eo ex nobilitate quidam, de Vlissinga, Valacriae urbe, opprimenda consilium ceperant; Petri Haecquii, Mid- F delburgensis praetoris, opera istic adiuvandi. In hanc rem cum navibus aliquot postquam Antuerpia solvissent, nave illos oneraria praevertente, monitis ante Vlissinganis, irritus conatus fuit. Itaque copias Osterwelam, prope Antuerpiam, retro duxit; indiesque augentibus iis, se munire illic statuit, ut propinquitate sua foederatis, ac fautoribus, qui in ea urbe multi, animos faceret; &, si quid inexspectatum eveniret, ad auxilium praesto esset. Nam momentum in Antuerpia magnum valde; &, si hanc in partes traheret, alias urbes, ac provincias, proceresque, omnibus illam respectantibus, facile se pertracturum, neque temere existimabat. Verum etiam hoc consilium, dissidente civitate, & magistratu, cognita regis voluntate, in Parmensem propendente, secus cessit. Nam a primo usque initio, ut iam dictum, magistratus Augustanam confessionem profitentibus templum dederat, iisque supra ceteros Protestantes faverat: ceu doctrinam, quae recepta in Imperio, ad quod marchionatus titulo urbs haec sua pertineret, prohibere minime posset. Quo praetextu nihil aliud agitabat, quam ut eos, alioquin praevalituros, in discordiam adductos coërceret. Cui augendae, hos Martinianos item, istos autem Calvinianos, nominibus ad accendendum inter utrosque odium factis, adpellabat. Et hic multum adiutare Mathias Flacius, e Germania advocatus; qui vir, disceptandi acer, animos, per se diversos, magis etiam disiungebat. Tolosanus Osterwelae, in obposito Scaldi aggere, castra habebat; loco, & opere, ut putabat, satis tuta. Id Parmensis reip. pernicioſum arbitratus, mox Bruxellis Philippum Lanoium, Mandevillanum, & Aegidium Villenum, cum cohortis stipatorum quadringentis, quibus additus Valentinus Pardeus Mota, castrorum praefectus, illuc mittit. Tum cohortes etiam duas Egmundani, quae Axellae in Flandriae erant, & Ioannis Grevii agmen, accedere iubet. Qui quum omnes, die XIII. Martii, loco indicto convenissent, Tolosanum improviso adorientes, copias eius sine ullo negotio caedunt, dissipantque; ipsum vero, domo quadam occupata, vim quamcumque sustinere illic certum, igne iniecto, vivum cremant: ac cum eo Boerzelarium, aliosque e nobilitate plures. Isto casu graviter animis consternati Antuerpienses, etsi studiis dissiderent, neque inter se satis fiderent, arma sumunt; & pars opem Protestantibus ferre cupit; alii rursum, & cum his praefectus etiam, veriti, ne victor miles ista occasione urbem forte invaderet, obnituntur; inde illis suspicantibus, procurasse ipsos caedem, idemque in se conaturos. Itaque qui ex Protestantibus Calviniani adpellati, Merae pontem, & urbis portas, occupare; ac tormenta, ad securitatem suam, ex armamentario rapere. Toto eo die Auriacus, Hochstratanus, magistratus, & in his Stralenus consul, apud cives gratia validus, de constituenda pace laborabant. Sed conatus, in discordiae pertinaces, frustra erat. Quin tumultuatum adeo, ut e turba quidam Auriacum, sclopo in pectus admoto, nil reveritus, proditorem adpellaret. Ac postridie, procurante magistratu, etiam Martiniani in armis esse; tum Hispani, Italique institores. Angli publicae nationis suae domi servare iussi mandata ex usu accepturi. Catholici Martinianis, qui in ripa collocati, se adiungere. Miles forum, curiamque insidere. Omnia terroris iuxta, & metus, plena. Ac Calviniani, armis; ceteri, numero praevalere; & futura publica quaedam laniena videbatur. Quam dum

cuncti

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVI. cuncti pertimeſcunt, opera Auriaci, Hochſtratani, & Straleni, adnitentibus Proteſtantium delegatis, civiumque prudentiſſimis, conſtituta partium ſecuritate, res compoſita. Et ex armis domum quiſque diſceſſere. Vt Antuerpiae, in Brabantia; ſic turbatum Amſtelodami, in Hollandia. Conſtitutum pridem ab Auriaco erat, ut a curia quidem unus, duo a magiſtratu urbano, totidemque a Proteſtantibus ad Parmenſem mitterentur; quae probare, ac rata facere, acta ab ipſo, & magiſtratu, in negotio Proteſtantium, rogaretur: atque interea nihil contra iſta fieret: neve miles intra urbem ſupra numerum, ab Auriaco conſtitutum, legeretur. Nihilominus, qui a curia, & magiſtratu ablegati, ſeorſim, excluſis Poteſtantibus, cum Parmenſi clam egere; ac peractis, quae volebant, ſoli quoque Amſtelodamum rediere. Proteſtantes, ſimul rem intellexiſſent, neque in via cum Auriaco quicquam ab ipſis communicatum: ſubſpicati, contra ſe decretum aliquid, feſtinato ſubſequuti, ſuis cuncta expoſuere. Inde turbae; auctae etiam, quum reſcirent, clanculum conſcriptum militem, & conſcribi etiam tum. Itaque multi ante curiam, in qua magiſtratus erat, convenire; &, ſe proditos adfirmantes, alter alterum excitare. Alii addere, Megenſem etiam cum ſignis decem adventare. Quidam item Iuſtum Buyckium conſulem adire, ac ſcitari: *quorſum miles clam adlectus contra pacta.* Quum initio is negaret, *quicquam contra pacta fieri; nec quid eſſe, quod timerent*: hique inſtarent, *certo nimis id conſtare*: rem confeſſus, *a Parmenſi id mandatum*, reſpondere: *atque ad ſecuritatem urbis publicam pertinere. Certum autem magiſtratui, pro auctoritate agere.* Quo reſponſo irritati, ſumtis circa veſperam armis, noctem totam inter iſta habuere. Conſules, milite ante curiam ordinato, cives quoque, quos maiorum religioni addictos ſcirent, per apparitores vocant; & adeſſe in armis iubent; hiſque forum defendendum adſignatum. Proteſtantes pontem novum occupaverant, iamque numero ſupra novem millia erant: quum vix duo a magiſtratus partibus eſſent. Quo comperto, ne accedere quiſquam poſſet, fori aditus omnes obſident. Tum armamentarium capiunt, & tormenta inde abrepta in forum ducunt. Conſules, vim metuentes, ad blanditias ſeſe vertunt; & Simonem Copſium mittunt, tunc collegam in conſulatu, qui turbantibus perſuaderet: *ut diſcedere ab armis vellent, ac libello potius agerent: obtenturi, quicquid iuſtum, aut aequum foret.* Et iam animi inclinabant; niſi praetor, cum militibus trecentis capere armamentarium iuſſus, gravius iterum concitaſſet. Itaque, ſumma cum verborum contumelia repulſo Copſio, pars in forum, pars in curiam, invadendum clamitare. Ac patrata res fuiſſet, ni prudentiores quidam repreſſiſſent, dictitantes: *non in cives, conſuleſve arma ſumta: verum defendendi ſui. Ac benigne potius agerent, quam ut ſanguine civili; cines ipſi, manus impie cruentarent.* Tandem electi, qui adirent magiſtratum, quiritantes: *ipſum turbas concitaſſe, quando & militem contra pacta conſcripſiſſet; & Bruxellis, ſpretis delegatis ſuis, cum Parmenſi clam egiſſet; inde prius ſubſpicionem, poſtea arma ſe cepiſſe: quae deponerent, ſi praeſtare pacta vellet.* Itaque placuit, *uti duo e ſenatu, duo quoque e Proteſtantibus, Hagam Comitis ad Parmenſis delegatos mitterentur; qui mandata ab ea facerent, & inquirerent, quid Auriaco ſuper iis viſum foret. Qui ſi nihil ſtatuiſſet, tum ad eum ſtatim illi iter caperent; &, expoſito urbis ſtatu, quid ſentiret, explorarent. Interim ceſſarent omnia, neque quicquam tentaretur.* Id per totam urbem edictum, ad tubae ſonum; & diſceſſum etiam ab armis. Delegati, ut convenerat, quum Auriacum acceſſiſſent, is negare: *quicquam ſibi in promtu eſſe, quam quod pridem ſtatuiſſet. Quod ſi minime ſatisfactum videretur, ad Parmenſem porro irent, & praecepta tranquillandae urbi ſuae ab ea peterent.* Ita urbani delegati perrexere; Proteſtantes, ceu Auriacum ſolum accedere iuſſi forent, Amſtelodamum retrogreſſi. Sub hoc tempus Brederodius, quartus ipſe, clam advenit; ſive ſponte, & negotii ſui cauſa, ut aiebat; ſive, uti putabatur, advocatus. Certe ingratus magiſtratui, contra Proteſtantibus laetus; qui frequentes apud eum, & conſilia conferebant. Tum e Friſia, habitu diſſimulato, multi accedere. Id Parmenſi quum ſignificatum eſſet; haec Torraeum, Vltraiecti cum Megenſi tunc agentem, protinus ire illuc iubet; & rogare ſuis verbis, ac mandare, ut urbe excederet: quae quieta, praeſente ipſo, eſſe haud poſſet. Quod ſi nollet, tum Megenſem, militemque adhiberet; & compelleret ad obſequium. Iuſſa exſequitur Torraeus, & contemnit Brederodius. Turbant gravius Proteſtantes; in quis, qui praecipui erant, ut componi motus poſſet, quaedam a magiſtratu petunt permittenda, ſi tranquillam urbem cuperent. Iſque, quum Parmenſis metu non auderet: ipſe quoque a Proteſtantibus, quaedam petit, ad Auriaci arbitratum: qui conſentit, & miſſurum etiam quemdam ad Brederodium ſe promittit, per quem eum certiorem de ſententia ſua faceret. Haeret tamen Brederodius; dum mox, ad exemplum Auriaci, & conſilium, urbe pariter, Belgioque toto excederet. In Brabantia Proteſtantes, potiundae iam Antuerpiae, qui conſilii fundus erat, ſpe deiecti, cetera quoque deſperantes, tempori cedendum rati, a conatu deinceps alio deſtitere. At Parmenſi, ut in rebus laetis ſolet, crevit animus. Inde aurei velleris equites, ac provinciarum praeſides, ad religionem avitam defendendam novo ſacramento obſtringit; recuſantibus id Auriaco, Hochſtratano, Hornanoque, & Brederodio. Mox & urbes, & provincias, nobileſque ſingillatim huc perducit; ceu offenſam remiſſuro ſtatim rege, copiaſque, quas iam magnas comparaſſet, dimiſſuro; ſimul res prudentia ſua tranquillatas intelligeret. Affirmare etiam auſa: *ſe auctoritate ſua effecturam, uti*

CIↃIↃ LXVI.

Digitized by Google

MDLXVI. *uti militem, vel ab ipso Belgii limite revocaret; nec passuram, ut laboris tam periculosi fructum, gloriamque reip. restitutae, alter ferat. Deindè, virium adhuc satis superesse, si redirent in concordiam, excludendo, aut propulsando, externo militi.* Sic persuasi, in id incumbunt, ut ipsius postulatis satisfacerent. Itaque passim prohiberi conciones, mali fundamentum, coeptae; templa quoque, & imagines instaurari. Neque omissum quicquam fuit, quod putatum ad placandam regis iram pertinere. Tum quae Protestantes templa tota Flandria exstruxissent, summo animorum impetu rursum diruta. Quod Gandavi aedificatum, a militibus intra horae unius spatium solo aequatum. Ac patibula e materia etiam facta; ad quae violatarum imaginum, templorumve, reos figerent. Itaque sublati plures eo anno; ducenti alibi, trecentique in una urbe: praeter illos, qui in agris deprehensi a latrunculatore ad supplicium rapti. Ineunte mense Aprili Antuerpienses, quum Parmensi cuncta e voto evenire animadverterent, ablegatis oratoribus, sic cum ea ad diem VII. transegere: *ut cessarent Protestantium conciones, ac, religione maiorum restituta, templa quoque instaurarentur, priora edicta servarentur, nemo ob res ante actas vita, aut bonis multaretur: idque donec aliter regi, atque ordinibus videretur. Exemti tantum, qui aut maiestatis rei, aut templorum violatorum, & imaginum confractarum. Quorum tamen illa in gratiam apud regem, literis datis, intercedere, veniamque postulare, etiam vellet; ut ad istos pacis item beneficium pertineret.* Quas conditiones quum Antuerpienses accepissent, biduo post permisere, ut Parmensis, cum praesidio qualicumque, urbem intraret. Inde conciones vetitae, & migrare concionatores iussi. Qui, petito commeatu, magistratui vale dicunt; acriter verbis castigantes: *ceu ingratum, & mox facti huius poenas luiturum. Neque enim dubitandum ipsi esse, quin insignem summo deo contumeliam factum iret; qui, iustitiae rigidus praeses, verbi sui administros, tam indigne nunc eiectos, graviter ulturus foret.* Ita ad diem decimum Aprilis, multis illos comitantibus, urbe excedunt. Principes quidam in Germania Protestantes a Parmensi postulabant: *saltem ut confessionis Augustanae sectatoribus mansionem indulgeret;* Maximilianus Caesar, *ut negotium horum motuum universum sibi componendum daret.* Verum illa & huic, & istis respondere: *non in sua id potestate, sed regis esse.* Haec quum ita se haberent, mox Auriacus, qui adsertam maxime Belgii libertatem cupiebat, quum nil ultra in commune consuli posse animadverteret; resque adeo foederatae nobilitatis inclinatas, multis palam ad Parmensem deficientibus; aliis discordibus partim, aut consilio destitutis; & Albanum cum exercitu adventare certus esset; tum Franciscì Alavae literas, supra iam commemoratas, cogitaret; tempestati, quam instare providebat, cedendum ratus, ipse quoque ad XI. diem Aprilis Antuerpia exit, iter Bredam versus capiens: rebusque ibi constitutis; inde in Germaniam abit: relicto tamen Academiae Lovanienси Philippo Gulielmo filio, tredecenni: quem aetate, & innocentia, tum Brabantiae, & Academiae, privilegiis satis tutum, etsi opinionis falsus, existimabat. Eius abitus varie protestantes habuit; & pars graviter consternari, pars non multum laborare, quod suasisset Augustanam confessionem: ideoque non fidendum arbitrari. Plurimi tamen una excedere; qui, prudentiam eius sequuti, & fortunae suae patriam infelicem relinquentes, tutum alibi domicilium quaesituri, ultro in exsilium ibant. Paullo ante quam discederet, delegati clam ab iis, qui rogarent; ecquid spei, aut consilii superesset. Quibus ille respondere: *se, ut pridem, etiam tum auctorem esse, uti accederent Augustanis; ita auxilium e Germania promtum fore. Si id nollent, ut sexcenta aliquot millia florenorum procurarent.* Quumque prius recusarent; conscientia prohiberi, adfirmantes: alterum vero effecturos se reciperent, modo usum indicaret; isque exciperet, si emanet, nullum fore; sine fructu consilium fuit. Postera die quam Antuerpia abiisset, quum senatus universus convenisset, magistratus coram exponere: *iam Parmensi interceptis concionibus, & excessu ministrorum, morum gestum. Ac restare, ut praesidium intromittant; sine quo non urbs tranquilla, aut commercia salva satis esse possent. Nisi faciant, iram regis metuendam; & tot milites, qui immineant. Centum signa in Provinciis a Parmensi iam conscripta praeter turmas ordinarias. Ab Hispania adventare Hispanorum decem millia, cum quingentis item equitibus; sex quoque Italorum millia, equitum duo: Germanorum viginti millia, equitum octo. His se pares minime esse.* Et responsum a senatu: *porro obsequi regi velle, ac praesidium quale cumque intromittere: sed Parmensem oratam cupere, quando plurimi, veniae incerti, passim excederent; ne commercia, desolata tandem urbe, intercideren: apud regem operam daret, ni praeterita condonaret, saltem, postquam voluntatem indicasset, mensem unum indulgeret; quo se illi, & fortunas suas omnes alio transferre possent.* Haec Parmensi per legatos statim nuntiant. Quae respondet: *gratum sibi obsequium esse; ac venturam cum praesidio. Tum & mensem, quem requirerent, polliceri; praeterquam iis, quos responso superiori excepisset.* Mox cohortes sedecim mittit, sub ductore Mansfeldensi; & subsequitur ipsa statim, magno procerum, equitumque mille item quingentorum, comitatu. Tum familias urbis omnes quaeque in singulis arma essent, scribi iubet; inde in vincla multos ducit, spoliatorum templorum reos, aut imaginum confractarum: & nonnullos capite punit. Exemplum Hollandiae Antuerpia dedit; ac Amstelodami magistratus, quum hic, & Brabantia passim universa, Flandriaque, intermissas conciones intelligeret, postulare a Protestantibus: *uti idem, avertendae regis irae, isthic facerent.* Hi respondent: *non id posse. Quippe pridem ab Auriaco, & senatu, prae-*

MDLXVI.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVI. *praefectisque regionum, has permissas; dum a rege totiusque Belgii ordinibus aliter statueretur: ac firmata sacramento utrinque pacta. Tamen, si necesse putent, se consulibus, & senatui, praefectisque regionum, rem permittere.* Mox ieiunio, precibusque indicto die, opem dei, & benignitatem implorant. Iterumque biduo post convocatus magistratus: *etsi Auriacus, ad quietem conservandam, conciones permisisset; tamen, quia certum esset, maximopere eas regi, & Parmensi displicere: iamque in Brabantia item, Flandriaque, aliisque huius Belgii ditionibus, plane omitti, rogatos velle, ut exemplum ipsi acciperent: mox cogendi, nisi sponte sua facerent.* Itaque tandem, quum spes nulla supereſſet, consensere. Brederodius, qui huc usque illic egerat, nunc ad incitas Protestantium res redactas quum videret, & admonitus ab Auriaco etiam esset, Embdam abit; inde ad Iustum Schouwenburgicum: moxque, anno insequente, in Harembürgensi arce diem obit. Miles, qui Vianae, aut circa, ab eo lectus, magnam partem herum statim, signis explicatis, sequi. Ac propinquus Amstelodamo, quum in armis cives essent, & introitu prohiberent, Carthusiorum monasterium, ante urbem ipsam situm, & Egmundanum populatus, per Hollandiam borealem facto itinere, Medemlaco postea solvit. Reliqua erant signa tria, sub Renessio, ac Niveldio, & Vchtenbroucquio; quae, quum Vaertae imminerent, a Megensi profligata: capto Renessio, & abducto Vltraiectum; ubi postea, in Vredenburgensi arce, caput illi amputatum. Viana deinde ab Erico Brunsvicensi occupata; & detractis statim portis, pagus facta. Nobiles quidam, in quis duo Batenburgici, Siffridus Beima, Hermannus Galama, aliique quum evadere navi vellent, a nauclero suo proditi, ac Mulerto, Arenbergici centurione, comprehensi, Harlingam in arcem abducuntur. Cum discessu Brederodii, qui praecipuos mercatorum, civiumque aliorum, secum traxerat, & trahebat indies plures, quum detereretur valde Amstelodamum, Iustus Buyckius, urbis consul, ut commerciis subveniret, per libellum a Parmensi supplex petit: *quando Antuerpiae perturbatae quaedam ipsa pridem, urbi conservandae, indulsisset; eandem gratiam nunc Amstelodamo faceret, & succurreret pereunti.* Haec respondet: *si rediret ad obsequium, ad Antuerpiae exemplum, & praesidium a se admitteret; facturam esse, quod Antuerpiae feciset.* Qua de causa regi statim se submittunt, & cohortes a Noircarmio quasdam accipiunt; quod & paulo ante fecerant Brugae, Iperae, Silva-ducis, & Traiectum ad Mosam flumen, aliaeque multae urbes. Parmensis, constituta Antuerpia, curiisque provinciarum, & Hollandiae praefectura, dum Auriacus inde abesset, in Bossuvium translata, Bruxellas rediit. Vbi, retinendis Belgis, qui diffugere, & commerciis confirmandis, blande passim ad urbes scribit, edictumque a rege proponit. Quem per literas dehortatur; *ne, iam tranquillato Belgio, perduellibus castigatis, aut captivis; urbibus, praesidio impositio, ad obsequium reductis; militem Hispanum mitteret. Id se cunctis promisisse, & promisso turbas omnes composuisse; iterum exorituras, si quid contra fidem a se datam faceret.* Bene illa, ac pro Belgii salute, & regis etiam dignitate; qui, si obsequuuts foret, etiamnum tot provincias in obsequio retineret. Verum illum, qui quietem illic nollent, & imperium adfectarent, in diversa iam impulerant: *imparem regendo foeminam, ideoque a rep. dimovendam*, dictitantes. Hinc deliberare incipit, & consilium cum Madriti, tum Segoviae etiam habet; duplici consulentium adfectu: *utrum venia, an vindicta uteretur.* Ruisius Gomesius Silva, Svaresius Figueroa Ferianus, & Bernardinus Fresneda, clementiam suadere, ac *delicti poenitentiam Belgis concedendam esse.* Contra Ferdinandus Alvaresius Albanus, Spinosa Cardinalis, & Inquisitionis praeses: *coërceri rebellionem, & in auctores animadverti* cupiebant. His Philippus se adiungit, bellumque in proximum ver decernit, & exercitum, a se ducendum. Tenax illi offensae animus; & occasio videbatur: *obnoxia iam provinciarum libertate, munire principatum, per tot privilegia hactenus precarium.* Itaque non ultra offensam clam habere. Et poenae initium a Montinio, ac Bergensi, qui anno praeterito oratum missi ad mitiganda de inquisitione edicta, in hoc tempus dilati, in custodiam abducuntur. Vbi Bergensis, iniuriae impatiens, dubium moerore animi, an veneno, vitam finit. Montinius postea extra Segoviam productus, securi percutitur; vir magni animi, & adfectus in remp. Bona utriusque fisco addicta; neque profuit, quod maiorum religionem tuerentur. Bergensis, uti se regi probaret, datis ad uxorem literis, imperaverat, ut quicumque in sua ditione pueri a sectariis lustrati essent, denuo etiam lustrarentur. Pro Montinio, quae adventabat, Philippi sponsa, Anna Austriaca, deprecatura dicebatur. Sed, ne gratiam illi hanc invitus faceret, maturato mox supplicio, interceſſionem exclusit. Iam Philippus, in Belgium iturus, de via deliberat. *Oceanum ingredi exiguo navigio, praeter eius dignitatem; cum magna classe, longi adparatus visum. Et periculum in Hollandia, aut Zelandia timebatur; ob Auriacum illic praesidem, in provinciis turbatis si non fidei ambiguum, at suspectum. Ac per mare mediterraneum, longa via, & magnae impensae; &, ut per Italiam iter non difficile, ita tamen per Germaniam, propter principes Protestantes, quorum terras transeundum, minus tutum.* Ea propter per Sabaudiam, & Burgundiam, ac Lotharingiam ire placuit. Brevior via ista erat, & periculo, etsi non molestia, vacua. Cui etiam minuendae, quia, anno inclinante, transitus per aspera montium in Sabaudia impeditus, a Galliarum rege Carolo commeatum item petit; utque a foro Iulio copias, ubi exponeret, per Provinciam, inde Lugdunensem agrum, caelo, ibi mitiore, traducere in Burgundiam liceret. Quumque ille excusaret,

MDIC LXVI. ob frequentiam iſtis locis Proteſtantium, per quam tranſitus militi minus tutus foret; conſtitutum eſt, per Sabaudiam iter facere. Sed in ea quia commeatus inopia, ad Philibertum Emmanuelem, ducem amicum, Ioannem Cunigam, & Franciſcum Ibarram, mittit; ut venturo exercitui iſte tranſitum, hic annonam procuraret. Eandem ob cauſam Antonius Mendoſa ad Lotharingum amandatus. Nec legatio fruſtra fuit. His peractis, quum rex in procinctu ſtaret, alii, poteſtatis avidi, ſuadere *ne iret. Caſtigandos eſse Belgas; ipſum natura nimis benignum: inſuper, ſpectare poenas, principi indecorum eſse.* Igitur ſententiam mutat; & legatum cum exercitu, ac plena poteſtate deſtinat, dumque diſpicit, cui negotium id committat, alii Carolum filium ſuadent; cuius, ceu legitimi principis, reverentia facile Belgas ad obſequium revocaret; alii Medinacoelium; alii Albanum, militiae clarum: cuius virtutem coercendis perduellibus neceſſariam, magis extollere, qui remotum ab aula mulum cupiebant. Et obtinuere iſti, valde indignante Carolo; qui, benigne in Belgium adfectus, tranquillari illud mallet, quam puniri. Mox Neapoli, & Sicilia, Sardiniaque, evocatae legiones veteranae, & duplicatae leves omnes armaturae; additaeque ex Hiſpanis turmae duae, Lopeſii Sapatae; & Sanchii Avilae, Sclopetariorum equitum item 11. Petri Montani, & Conſalvi Monteri. In Svevia, & comitatu Tirolenſi, Albericus Lodronius quum delectum peditum Germanicorum habuiſſet, ſigna xii. e militibus ccc. ſingula, ſcribit. MDIC LXVI.

GVLIELMI AVRIACI

LIBER QUARTVS.

MDIC LXVII. Hoc paratu, ad diem x. menſis Maii, cum filio utroque, Friderico, ac Ferdinando, Barcinone Albanus ſolvit; & febri pariter atque arthritide correptus, curandae valetudini Nicaeae cum iv. triremibus ſubſiſtit; ceteram claſſem Genuam praemittit. Inde ſubſequitur, viribus refectis; & ſeptimo die, quam diſceſſerat ex Hiſpania, Genuam adpellit. Ibi vexilla tironum ſelecta iv. veteranis miſcet, in Belgium iturus; & Alexandriam profectus, Gabrielem Cuevam Alburquercium, Mediolanenſis ducatus praeſidem, obvium habet. Mox Mendozam ad Pontificem ablegat, renovando conſilio, ſe auctore cum regina ante biennium Baionae habito. Deinde, militem luſtraturus, Ambroſii fanum contendit. Id provinciae ſubalpinae eſt oppidum, ad Ceniſium montem ſitum; quo Ibarra, advecta annona, convenire exercitum iuſſerat. In hoc ſigna xlix. erant, ſub queis peditum Hiſpanorum paullo minus novena clo. quorum primi ductores, Alphonſius Vlloa, Iulianus Romerus, Sanchius Lodonius, & Conſalvus Braccamontius. Et Vlloa ſigna xix. reliqui x. quisque ducebant. His in fronte ſclopetarii maiores xv. additi, pugnae maximum momentum, ut compertum. Equites Hiſpani, Itali, Epirotae, in xii. turmis, clocc. Luſtrato exercitu, & a morbo recreatus, Aſtam venit: inde porro Poërinum. Vbi quaedam cum Sabaudo colloquutus, Ambroſii fanum, quo exercitum praemiſerat, iter capit: mox Ceniſio Alpibuſque ſuperatis, Monflorium, in Burgundiae limite. Exercitum omnem trifariam diviſerat. Primum agmen ipſe ducere: medium, filius Ferdinandus: ultimum Cetonae marchio, Chiapinus Vitellius, belli egregius. In itinere magnae moleſtiae, per abrupta, & convalles difficillimas, quas Arva ſcindit Streperum flumen, in Iſaram, ubi ponte iungitur, ſe exonerans. Ad haec alia difficultas quoque obiecta; quippe ſterili admodum loco, ſine quiete continuata diu itinera militem defatigabant; fame omnino morituram, ſi eodem in hoſpitio die amplius ſubſtitiſſet. Dum ſic per Allobroges ducit; pertimere ſibi Helvetii, & vicini Genevenſes; qui auxilia foederatos, pariter anxios, oratum mittunt; item in Heduos, ad Condaeum, *ut periculo communi, arma capiens, opem ferret*. Sed hunc metum ipſe Albanus ſtatim exemit; quum, itinere feſtinato, in Belgium tendit. Dum in Burgundia eſt, adiunxere ſeſe copiis ſclopetarii c. cataphracti cccc. a Philippo conſcribi iuſſi. Iis praeerant comitatus praeſes Vergius, & nobilitatis principes, Chevereaulxius, Mommartinus, Clarovallius. Monflorio digreſſus, Fontenaium, in limite Lotharingiae poſitum, duodecimo die attigit. Hinc quum villam Theodonis perveniſſet, in principatu Lutxemburgenſi, a Parmenſi obviam miſſi Barlamontius, & Noircarmius, mandatorum, quae a rege acceperat, exemplar petunt. Eo exhibito, quum tranquilla omnia in Belgio eſſe illi adfirmarent, mox Germanicum equitatum, qui in limite praeſtolari, ſuo auctoramento ſolvit. Obvius ibi Egmundanus, & adventum dicis ergo gratulatur. Hunc ut eminus venientem conſpicatur, ad praeſentes ſe convertens, clara voce: *en haereticum*, inquit, *magnum*! Audiebat ille elogium, vixque animum perturbatum componebat, quum, benigne mox exceptus, dictum ambiguum in meliorem partem capit. Lodronii legionem Antuerpiam praemittit, & Belgarum xvi. ſigna excedere iubet. Bruxellas, ſalutandae Parmenſi, Ibarram deſtinat. Et cum cetero ipſe milite MDIC LXVII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVII. te die XI. Kal. Septembris urbem intrat. Neque mora, quin praesidia legionibus hic distribuit. Ac Sardoam Anguiano. Neapolitanam Gandae, Langobardicamque Lirae; Ferdinandum autem filium, cum quam maximo equitatu, Deiestae imponit: solam Siculam sibi servat, & hospitia adsignari a metatoribus illi curat. Tum Parmensem in palatio magno comitatu adit, ac mandata regis explicat; quibus illi armorum summa, & religionis arbitrium, item ius in magistratus castigandos: vel mutandos, denique potestas vitae, ac necis, data: ipsa tantum obire res civiles iussa; &, ne quicquam controverti unquam posset, in negotiorum dubiis, uni illi interpretandi ius concessum. Hinc a rege literas profert, quibus scriberet: *iussa etiam secreta dedisse, non promenda, nisi in occasione*. Haec quae essent, percunctanti; renidens ille: *oblitum se in praesens dicere: sed, quum tempestivum foret in memoriam revocanda*. Sat contemtim id responsum videbatur; sed offensam prudens femina, & provincia decessura, dissimulare. Calumniae de ea apud regem fuerant: *conniventia, & lenitate muliebri, foviisse turbas, severissime compescendas*. Has refellere absentia sua statuebat; &, tam dispari successore, saepius desideranda, in meliore Belgarum adfectu solatium ponebat. Statim iussa Albanus agit, & responsum ad libellum anni proxime elapsi regis nomine etiam parat; tum Caroli Caesaris, & Philippi, de religione cuiusque inquirenda: edicta reponit; deque ordinum conventu spem conturbat. Provinciis, quae rex mandasset, per literas nuntiat. Simul ad obsequium hortatur, & sacrorum veterem cultum. Etiam diploma regium, auctoritatis firmamentum, typis vulgat. Arcanum mandatum erat: *punire proceres, fidei incertos*. Hoc Parmensi quum ingratum existimatet, clam habere Philippus iusserat. Et colloquio compertum, quum adseveraret ipsa: *si clementer haberentur, constantes obsequii omnes fore. Experiundo didicisse, Belgarum ingenia cogi non posse. Si blande agat, fide inter se certaturos; si vim intendat, pro libertate quidvis ausuros*. Verum ille institutum porro urget, ac urbano magistratui claves adimit. Cunctis imminui ius suum indignantibus, Gandavenses, quis plus animi, per provinciae praefectum Egmundanum, de iniuria queri ausi, responsum accipiunt; *conquiescerent: se, quod regi expediret, consulturum*. Postquam isthaec pro libidine ita gesta, Ordinum amoto imperio, XII. viros rebus iudicandis instituit; qui, se praeside, imminuta curiarum auctoritate, & Senatus item Belgici, contra omnium provinciarum privilegia, de perduellibus, ac sectariis, cum plena potestate cognoscerent. Huic Senatui destinati initio erant promiscue provinciales, & extranei; Arembergicus, Barlamontius, ac Noircarmius; Hadrianus Marius, Gelriae cancellarius; Artesiae praeses, Ioannes Porta, Iacobus Hesselius, Ioannes Vergas, Ludovicus Delrio, Belinus Biesius, Ioannes Bosius, cognitor regius, & Iacobus Torraeus, qui ab actis esset. Albani vicem praeses Vergas adsideret, propudium hominis, & qui, ob illatam vim propinquae virgini. Hispania exsul ferebatur. Cuius saevitiam ipsi quoque Hispani testati: *dignum Belgii carcinomate cultrum* adfirmare. Primo trimestri comparare ipse Albanus, ac ius solus pro libidine sua dicere; ceteris tantum consulendi potestas esse. Qua iniuria mox nonnulli commeatum postulare; alii, tyrannidem istam detestati sponte sua emanere: itaque vix tres reperti e duodecim, qui sententiis damnatorum subsignarent, Vergas, Delrio, ac Torraeus: tam insigni omnium odio, ut hi TVRBARVM, illi SANGVINIS SENATVM adpellarent. Quumque initio decretum esset, litem nemini intentare, quam nobilibus foederatis, tunc absentibus, profugisque, & concionatoribus, quosque illi consistorianos dicerent, tum imaginum direptoribus, ceterisq; perduellibus; alia his capita mox adiungitur, quibus qui obnoxii essent, ii maiestatis rei, bonisque omnibus excidisse, iudicarentur: idque interpretatione tam diffusa, ut vix quisquam crimini isti non propinquus videretur. Hic Senatus, ista auctoritate munitus, decreta Hispanica exsequi paullatim coepit. Auriacus, Egmundanus, Hornanus, Hochstratanus, Bergensis, & Montinius, multo maxime regem offenderant; neque poena differenda. Quam ob rem negotium Albanus simulare; ac Bruxellas proceres omnes, de summa rerum consulturus, evocare. Conventum ad V. Eid. Septembris in Culemburgica domo indicit; quam, palatio a Parmensi occupato, ipse insederat. Vbi postquam conveniissent, Senatum ignarum armis obsidet; & de arce urbi Antuerpiae imponenda, dum consultat, die exemto, vesperi demum dimittit. Inter exeundum autem, ut minore res tumultu gereretur, seorsim emissos, Egmundanum Sanchius Avila; & Hornanum Hieronymus Salinas capit. Egmundanus, animi egregius, cum gladium ponere iuberetur, quo tam fortiter aliquoties pro rege usus, nequicquam ordinis sui ius obtestans, aegre discinxit. Hornanus autem, circumstantes de eo percunctatus, respondente nemine, oculos in coelum attollens, & suspirans: *nempe*, inquit, *aequum erat, cuius me consiliis credidi, eius ut fortunam sequerer*. Captivis adpositus miles Hispanus. Re patrata, per Barlamontium, & Mansfeldium, Parmensi nuntiat: *hoc fuisse in regis literis intellectu subobscurum, & explicari istuc temporis haud consultum. Factum, ut, si turbaretur, derivata in se invidia, ab odio populi, quem rex ipsi commisisset, & periculo, immunem praestaret*. Animum feminae, quum ingenio sexus sui, tum potentia imminuta, multo magis irritabilem, pupugit ista excusatio; qua illudens, tot rebus gestis perspectam fidem in dubium traheret: &, provincia decedere iussae, tanquam etiam tum praefectae, insultaret. Nec his contenta Albani ira, ultra pergit. Mox Ioannes Casembrotius Backerselius, ut consiliorum, ita fortunae pars herilis, carceri datur. Et Lodro-

CIↃIↃ LXVII.

ɔIↃIↃ LXVII. dronius Antonio Straleno, conſuli Antuerpiano, opibus iuxta gratiaque inter ſuos eminenti, in Machlinienſi via manum iniicit; bona in commentarium referri, aedeſque obſignari, mandat. Inde capti plures alii, neque loco, neque ſorte, inter ſe pares. Carolus Mansfeldius, qui initio foederatis ſe adiunxerat, exemplis territus, ſive patri inuenti obſequutus, clam ex aula ſe ſubduc-
B cit; minime tutum arbitratus, aut offenſi regis gratiam, aut praefecti ſeveriſſimi amicitiam, experiri. Hochſtratanum caſus ſervavit. Nam in aulam dum contendit, Albani iuſſu, conſilia ſua collaturus, laeſo forte per viam cruere, emanendi cauſam invenit. Ingens Belgas metus cepit; utque tutam innocentiam habere liceret, hi trans mare in Britanniam, illi in finitimam Galliam, ac Germaniam, iſti ad urbes Anſiaticas, paſſim fugiunt, ſedemque ibi novam ponunt. Erant item, qui Veſaliam ſe reciperent, Cliviae urbem, Rheno flumini adia-
C centem. Verum id Albanus poſtquam accepiſſet, Clivienſem, datis literis, adhortatur; ne ſubiectos regis ſui, perduelles, domicilio, aut patrocinio, adiuvaret. Qua de cauſa convocati a, magiſtratu. Quum in capita quaedam obiecta conveniſſent, iamque urbem impetraſſent, non contentus Clivenſis, per legatos capita illis nova obfert, ad quae ſinguli reſponderent. Ea quia multa eſſent, tum permultis, linguae ignaris, minus etiam intellecta, ut expendi apte poſſent, quum deſcribi, & exemplum ſibi dari, poſtularent; ac
D legati, in iuſſu ducis non id fieri abs ſe poſſe inquientes, denegarent, reſpondere. *Non ſe quicquam innovatum in religione cupere; verum iiſdem, quis Veſalienſes ceteri, concionibus uſuros. Neque perduelles eſſe, neu adverſum regem turbas conciſaſe. Cuius criminis ſi quis accuſare vellet, magiſtratus Veſalienſis, cuius nunc in poteſtatem tranſiiſſent, iudicium accepturos eſſe. Porro promtus duci, & magiſtratui ſuo, fidem omnem, & obſequium, exhibere.* Hoc reſponſum, ſcripto
E mox repreſentatum, legati accipere noluerunt; promittentes, nihilominus, cuncta ad ducem relaturos. Qui reſcribere magiſtratui: *uti profugis urbe ſua interdiceret, iuberetque intra menſem emigrare. Haec tempeſtas commorandi ſumma foret.* Quo mandato, tam praerupto, conſternati homines miſeri, ſupplicare duci inſtituunt: *benevolentiae ſuae famam effeciſſe, ut, ſe fortunaſq; ſuas, ipſi crederent. Quam ob rem orare enixe, ne hanc ſpem tot miſerorum profligaret; neve, graviter adflictos, magis premeret. Daret pacem,*
F *& libertatem, conſcientiis; idque omnino exiſtimarent, vota pro ſalute eius habituros. Quod ſi impetrare haud poſſent, ſaltem abitum ne praecipitare cogeret, ac trimeſtre largiretur.* Poſt has preces, quanquam aegrae, venia manſionis data. Captivos proceres ſub cuſtodia ɔIↃIↃ. militum Gandavum mittit, in arce urbis aſſervandos; iuſſo prius Egmundano teſſeram a praefecto repoſcere, & Alphonſo Vlloae tradere, qui cum praeſidio illic eſſet. Nobilitas reliqua, pars Vilvordae pars Bruxellis cuſtodita. Poſtea Antuerpiam Albanus veniens, in ſuburbio Kiliano, meridiem verſus, diruto muro; ac turre antiqua, cui porta Cronenburgica nomen erat, arcem ordinat, arduo opere, & impenſa quaterdecies centum ɔIↃ. florenorum. Quorum ɔɔɔɔɔIↃ Antuerpienſibus imperata; ex centeſima, & viceſima, decimaque, repetenda. Praeponitur fabricae Paciottus, ſimili in Taurinis opere artis clarus. Operae ɔIↃIↃ. laborem continuantes brevi tempore exſtruxere. Circum propugnacula v. ex his uni a ſe DVCIS, alterique FERDINANDI, tertio autem TOLETANI, quarto ALBAE nomen ponit; quintum, in memoriam artificis PACIOTTVM vocat. Inde equitibus ɔɔɔɔ. comitatus ipſe ingreſſus, opus inſpicit, Gabrieli Serbellono praeſidium mandat; tormenta bellica, urbi erepta, illic locat: magiſtratum denique lectos, aliaque, quae praeſidio neceſſaria, curare iubet. In urbe cum legione Germanica Lodronium relinquit. Eo facto Bruxellas repetit. Interim, commota denuo Gallia, Carolus rex auxilia ab Albano poſcit, ex foedere debita, quod Baionae cum regina clam contraxerat. Legatur fano Quinctini praefectus; quum tribus aliis e primaria nobilitate. Nec irrita legatio fuit. Quin Albanus, ceu pacatis Belgii rebus, ipſum ſe ducem offerre. Sed ſubſpectus Gallis favor, nimis obvius; &, *venire in regni penetralia talem, exploratio, non auxilium*, putabatur. Ea propter gratias agunt, & reſpondent: *magis tutum ſi auxilia alteri tradat. Nam ut ipſe ea ducat, Belgiumque nunc reliquat, neutri regem expedire.* Tum deſignat Arenbergicum cum equitibus ɔIↃIↃ., peditibus ɔIↃɔIↃ. Hiſpanis ac Belgis; qui, ut patriae tempeſtati ſe ſubtraherent, in militiam ſeſe dederant. Conſtitutis Belgii rebus, adfuturus iam Philippus credebatur: ac initio ſic ſtatuerat; ſed in aula, ac regno, turbae retinuerunt. Carolus filius; ceu novarum rerum ſtudio, in cuſtodiam coniectus; & Elizabetha uxor, accita morte, intercepta tum Maurorum in Baetica compeſcendi motus. Albanus, ubi comperiſſet, plurimos Belgas, in Galliam profugos, contra regem arma cepiſſe, edicto eos, menſe Septembri promulgato, revocare animum inducit. Moxque Octobri proximo iterat; vetans: *ne quos patria excederet, aut extraneo etiam principi militaret. Qui negligeret, huic crucem, bonorumque publicationem, promtam.* In praeſentes paſſim ſaevit, & brevi tempore per carnificem interfecti amplius ɔIↃIↃ ɔɔɔ. Hinc qui ultro ſolum verterant, ſe beatos arbitrari; exſiliumque, ac paupertatem, graviore aliorum tunc miſeria, multo aequius tolerare XIV. Kal. Ianuarias regius cognitor, Ioannes Boſius, publice in iudicium vocat Gulielmum Auriacum, Ludovicum Naſſovium, Antonium Lalanium Hochſtratanum, Gulielmum Bergenſem, Florentium Pallantium, Culemburgenſem, Henricum Brederodium, aliosque; & Bruxellis, intra ſextam ſeptimanam, adeſſe iubet. Auriaco beneficia memorat, quos-

que

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVII. que honores inde Carolus, hinc Philippus, contuliſſent; tum, obiecta ingratitudine, perduellionis rerum varie agit. Hochſtratani, & ceterorum, eadem fere accuſatio. Parmenſis, commeatu accepto, ordines Belgii, literis ad v. Eid. Decembres datis, valere iubet: *in regem fidem, in ipſos adfectum*, teſtata ſerio; ſimul hortatur, *ut maiorum religionem, & regis cultum, quam conſtanter tuerentur. Animo angi, ob biennii elapſi turbas; quas nonnihil tamen ipſa, Dei gratia, operaque ſubditorum, collocato per obnoxia oppida milite, tranquillaſſet. Nec reſtare aliud quicquam, quam ut, malis poena inhibitis, rex de ceteris pro arbitrio conſtitueret. Huc conſilia contuliſſe. Sperare autem, eam curam adhibiturum, qua felicitatem priſcam in provinciis reſtauraret. Et optare, quam cepiſſet coram illis poteſtatem, etiam deponere poſſet. Sed mandato prohiberi; & nolle regem, ſe abſente, conveniri.* Non multo poſt Italiam petit, proſequente paullum Albano. Et reliquit deſiderium ingens ſui in Belgarum animis femina, poteſtatis exercendae temperans prae ſucceſſore. Rex provinciae bene pridem adminiſtratae gratias egit, aureorum tricena clↃ. florenorum, annua vicena addens. Alii quadragena memorant. Captivi proceres, mox avecti, angere omnes; & exempla tam illuſtria nemini veniae ſpem permittere. Sabina Bavara, Egmundani uxor, caſu adeo violento conſternata, dato Nicolao Landae negotio, virum carcere liberare nitebatur. Conatus irrita: *ſaltem ut aurei velleris equitem, aut Brabantiae baronem, haberi* ſupplicat. Et libellis pluribus agit: *ut collegis, pro antiquo ordinis iure, iudicandus traderetur. Vſitatum id fuiſſe, & Novocaſtello, Montagae, Romonio, Gruythuſio, Raveſteinio, Haultbordino, aliiſque factum: quos & ipſos perduellionis reos a principibus ex ſtatutis ordinis ſui iudicatos. Neque aliter quenquam habitum, niſi prius, de ſententia principis, collegiique, ordine motum. Quo ſi excidiſſet, tamen, per Brabantiae privilegia, in quae rex ſe ſacramento obſtrinxiſſet, quaeque reum e provincia exportari prohiberent, dandum iudicem ordinarium.* Feminam principem, pro marito recte, & ordine, ſupplicantem, improba diſtinctione Albanus luſit; & regem dividens, non ceu velleris aurei praeſidem, ſed ſupremum Belgii dominum, cauſam cognicturum ait. Ac deinceps Landam abſtinere iubet. Hic Sabina, de liburnicis paratis fama, metuens, ne e Brabantia pridem avectum in Hiſpaniam mox transferrent, orare Ordines provinciae: *darent operam, ne iniuriam Albanus faceret.* Illi rati, aequa adeo poſtulantem deſeri non oportere, intercedunt: *ne nigraret leges populi, neve datam a rege fidem violaret.* Iſque reſpondet: *ex aequo, & bono curaturum: nec in nomina tam illuſtria, fideique, & meritorum, in regem ante id tempus clara, temere quicquam commiſſurum.* Eadem niti, una cum Hornani matre, apud Caeſarem, Imperii principes, equiteſque eius ordinis, in Hiſpania, Italia, Germania, alibique. Interim cuſtodia nihilo liberior fuit. Et IV. Eid. Novembris, iuſſu Albani, Vergas, Delrio, Pratiusque, Hornanum adeunt; ac ſine ulla exceptione, reſponderi ad interrogata poſtulant. Si detrectet, actum iri in contumacem. Id quatriduum exemit. Dein anno CIↃIↃLXVIII. ad diem IV. Eid. Ianuarii: coram Franciſco Monteſio, & Antonino Avila, LXIII. accuſationis capita Pratius tradit, quibus intra V. diem reſpondere teneretur. Idem Egmundano factum. Auriacus, futuri prudens, Dillemburgum, in Germaniam, ſe receperat. Hochſtratanus, in Vbiis erat. Vterque ſcripto crimen removent. *Fidei ſemper in regem certos, omnia turbis componendis pertentaſſe. Falſo in ipſos culpam verti, Inquiſitioni potius imputandam. Verum illum Hiſpanorum aſtum eſſe: qui, libidine dominandi, antiqua regionum iura convellere adniſi, anſam quaererent ſumendis armis, & Belgarum opprimendae libertati. Hinc creatos novos epiſcopos, & concilium Tridentinum promulgatum, impulſore Granuellano; qui proceribus Belgarum infeſtus hoſtis, proſapiae obſcurus, potentia illuſtriſſimum quemque ſupergreſſus, eaque ambitioſe uſus, remp. omnem pervertiſſet. Non iudicium declinare; ſi idoneum, & ſecundum equeſtris ordinis iura, daretur.* Aliorum, in eodem hoc reatu, par reſponſum. Interim in Auriaci filium, Philippum Buranum, impetum faciunt; miſſo Verga, qui Lovanio eum abduceret, ubi ſtudiorum cauſa tunc agebat. Nec etatis innocentia, aut implorata a Rectore Academiae privilegia, tredecenni profuerunt. Paſſim etiam in vincula acti provinciarum, urbiumque, advocati, ſyndicique. Omnes crudeliſſime habiti. Inter hos Iacobus Endius, Hollandiae advocatus, ſaevienti Albano miſerrime obiectus. Virum gratiae, fideique, inter ſuos perinſignem, Boſſuvius, per Auriaci abſentiam provinciae praeſes, ad coenam vocaverat; eaque finita abiturum, apud ſe detinuit. Inde in illius domum Sandium mittit, ipſi ab epiſtolis; & Gulielmum Berendrechtum, actuarii curiae adiuvam: qui & ſchedia, & ſcripta omnia, in indicem referrent. Inde noctu per praetorem, addita militum aliquot cuſtodia, captivum Bruxellas mittit. Illic, confectus moerore, anno poſt in carcere periit. Innocentiam viri Ordines tueri niſi, Antuerpiamque, ubi Albanus cum Senatu ſuo eſſe, ablegarunt e primaria nobilitate Aſſendelfium, ac Matheneſium, & primariarum aliquot urbium conſules; additusque Ioannes Treslongus, vir forenſis eloquentiae tunc laudatus, poſteaque primus in ſupremo Hollandiae ſenatu praeſes. Is cordate bonam cauſam tuebatur; ac oratio nimis libera pene exitioſa fuit. Quippe in cubiculo domus totum diem aſſervatus, nemine ad colloquium admiſſo, quum ſilentii iuramento vix dimiſſus; tanto ceterorum metu, ne prehenderentur etiam, ut, mutatis ſtatim hoſpitiis, re infecta urbe excederent. Sub hoc tempus rex Philippus, de re Belgii animi incertus, univerſam ad Inquiſitores defert, ex ſententia eorum deinde acturus.

CIↃIↃ LXVII.

CIↃIↃ LXVIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVIII. rus. Iique XIV. Kal. Martias reſpondent: *Belgas omnes, cuiuſcumque loci, aut ordinis, & divinae, & humanae maieſtatis reos eſse. Solis his exceptis, quorum in probationibus mentio eſſet. Hos aperte Dei, eccleſiae, & regis ſui reverentiam exuiſse; illos, quum reprimere ſectas, turbasque omnes debuiſſent, per initia minus validas, tolerando vires iſtis addidiſse. Eidem culpae nobilitatem adfinem videri, quae, praetextu publicae tranquillitatis, populum per libellos ſupplices concitaſſet.* Ratum regi hoc conſilium. Qui Albano, ad diem III. Kal. datis literis, imperare, in ſectarum ac perduellionis reos de praeſcripto S. Inquiſitionis uti quaeſtionem habeat. Iſque, ne deinceps quicquam, per mollitiem quorundam, in ſententiis ferendis peccaretur, abrupti rigoris iudices ponit; qui ex placito conſilii, quod iam ante SANGVINIS adpellatum dixi, noxam, & poenas aeſtimarent. Horum licentia quum in innocentiſſimos quoſque graſſaretur, nec, tam laxa ſanctione quiſquam omnino eximius eſſet; angi ſane vehementer, quotquot dignitate, aut opibus anteſtarent. Nemo non periculum ſuum arbitrari. Et augere etiam metum miſerorum tot ſpectacula, in praeſentes, abſenteſque, graves poenae, & bonorum publicatio. Tam abrupto hoc rigore paſſim plurimi patria exacti; parſque in Flandria occidentali ſilvis ſeſe abdidere. Vnde facta deinde manu erumpentes, in ſacerdotes, monachoſque noctu invadunt, comprehenſis bona eripiunt, & immanitate ea, quam paſſi erant, nares foede, auresque, obtruncant. Quibus coërcendis miles poſtquam fruſtra miſſus eſſet, ruſticos vicatim Albanus ſui quemque curionis curam gerere, ac bona erepta, a loci iudice aeſtimanda, reſtituere edicto iubet; & cavere pro eorum vita deinceps, fortunisque, ſine ullo privilegiorum obtentu. Auriacus, intellectis Albani conſiliis, tam inique ſe ac filium divexari indignatus apud Caeſarem, Electores, ceteroſque Imperii principes, de iniuria ac vi queritur, & intercedi apud Philippum regem orat. Caeſar, animi valde aequus, literas, & legatum mittit, pro Auriaco oraturum, etſi fruſtra. Quippe reſpondet Philippus: *rerum Belgicarum negotium Albano abs ſe creditum eſſe. Huic ſe Auriacus ſiſteret, perbenigne audiendus.* Verum ille, qui ſaevitiam Albani noſſet, non id tutum arbitrari. Igitur ad Imperii proceres, & propinquos ſe recipiens, iterum offenſam repraeſentat: *ſe defenſione ſua prohiberi, boniſque everti. Filium in Hiſpaniam adductum, conculcatis & Brabantiae, & Academiae Lovanienſis privilegiis.* Tum iniuriae privatae publicam addit: *priſcam Belgii libertatem oppreſſum iri. Paſſim arcibus, munitisque locis aliis, Hiſpanos imponi, Belgii, & Germaniae hoſtes. Alibi arces novas fieri. Miſeros Belgas, dum, tuendae libertati, Inquiſitionem avertere adnituntur, in aerumnas graviores incidiſse. Nec diſcrimen Belgii tantum iſthic verti: ſed, ſubacto prius illo, in Germaniam, ſolo proximam, & culpa, iram Hiſpani transferendam.* *Itaque in communi cauſa operam darent; hominibusque, praeter ius & fas oppreſsis, ne auxilia, maximum libertatis ſuae firmamentum, denegarent.* Inclinati hac oratione quidam, religione, aut genere iuncti, ei militem promittunt. Interim apologia innocentiam teſtantur. Sub hoc tempus nobiles aliquot ſaevitiam Albani ulciſci ſtatuunt. Forte quadrageſima erat, & ſuadebat pietatem anni tempus. Ad eamque exercendam Groenendalium, in nemore Sonoio monaſterium, proficiſci cogitabat. Id gnarum aliis, occaſionem conſilio dedit. Riſoirius, & Carlous, e gente Vander-Notia fratres, duces erant. Carlous, ut periculo temporis ſe eriperet, in hoc ipſo monaſterio latitabat. Parati pedites Ↄ. equites fere Ↄcc. plerique in caſtello Ohanio occultati. Et patrata res fuiſſet, niſi inſidias miles quidam prodidiſſet. Is domeſticus pridem Licquii, ad ipſum defert; ille porro ad Albanum. Qui, indicio fidem negans, ceu auſurum nullum crederet, vix differre deſtinatum pietatis exercitium perſuadetur. Quidam e coniuratis miles, de cohorte Egmundani, comprehenſus fortiter quaeſtionem excepit, neque conſcium quenquam prodidit. Ineunte quadrageſima eorum ſupplicia, qui audierant conciones, Albanus parat; itaque paſſim in urbes mittit, qui in vincula noctu oppreſſos ſecum abducerent. Verum plurimi, ſuo metu, monituve amicorum, mutatis locis, e periculo evaſere. Et e praetoribus ipſis nonnulli, tam aperta iniquitate, officium ſuum detrectabant. Inter alios talis Leidae Ioannes Berendrechtus erat. Adventabat in hanc urbem e mandato Arnoldus Sasboutius, cives aliquot LXXX. prehenſurus. Ac feciſſet, niſi vir honeſti animi homines ſimplices, publicatis pridem a Parmenſi literis, & clementia regis fretos circumveniri indignum ratus, clam praemonitis fugam, aut latebras, ſuaſiſſet. Alibi tamen non ſine effectu imperium fuit; & oppreſſi perquam multi, varia morte perierunt. Vltraiectinis porro inſtat, ut concilii Tridentini decreta recipiant. Miſſique praeſes Machlinienſis, & decanus Bruxellenſis, Archiepiſcopum adiuturi. Sed eccleſiaſticus ordo hic diſcrimen aliquod facere. *Fidei catholicae profeſsionem, errorum reformationem, cetera omnia libenter admittere; at de iuriſdictione extraordinaria capita, aliaque, ambigui ſenſus, ea nullo modo poſse. Interpretationem factam a Parmenſi ante biennium; illa ſe uſuros eſse,* Quumque urgeret Archiepiſcopus, deprecatum Bruxellas mittunt; quibus ſevere Albanus reſpondet: *morem omnino gerendum; idque ita regem velle. Nam quae nuper a Parmenſi indulta ferrent, ea iniquam temporis conditionem extorſiſse.* Ad reſponſum literas addit; & mandata archiepiſcopum exſequi iubet, clerum illico parere. Auriacus amicos, & exercitum in Germania parare; cum foederatis clam conſilia ſua habere: & vix exſpectante Albano, impreſſionem pluribus ſimul locis moliri. Tum a profugis, qui in Anglia, Clivia, & alibi, inſtaurando bello opem,

CIↃIↃ LXVIII.

CIↃIↃ LXVIII. opem, ac pecuniam, corrogare: Ludovico quoque fratri, & Guglielmo Bergenſi adfini, mandata dare, providerent, ne reſp. detrimenti quicquam caperet. Theodorus Sonoius cum fiduciariis literis foederatos paſſim adit, rogitatque, ut praeſcripto omnes loco, ad XIV. Kal. Maii, adeſſe velint. Et ſtitere ſe nonnulli; aliis conſilii ancipitis exitum operiri placuit, animumque pro fortuna inclinare. Dum haec fiunt, Ludovicus Naſſovius militem, a ſe collectum, navigio imponere apud Embdanos ſatagebat. Verum illi, etſi clanculum faverent, tamen palam, Albani metu, prohibebant. In propinquo arx Wedda erat. Hanc ſtatuerat occupare, & in agrum Groningenſem, reliquamque inde Friſiam, & Hollandiam Borealem copias mittere. Id conſilium quum Embdani evertiſſent, nihilo tamen ſegnius agit; & Sonoium ad Veſalienſes mittit, quis ſponſoribus arma plurima compararet. Neque ceſſare Bergenſis; qui, collecto paſſim milite, Criſpinum Zeltbrugium in Gelriam mittit, ac Zutphanienſem agrum. Iſque Herenbergam capit; & praeſidium, a Megenſi impoſitum, pellit. Sed, auxilio ab Albano feſtinato, ne quid hoſtis, debellari per initia adhuc facilis, mora ſeſe communiret, miſſa ſtatim legione Longobardica, duce Sanchio Lodonio, non tueri locum potuit. In Gugernis quoque copiae convenerant; iamque erant CIↃCIↃ. ſed ſine armis. Haec cum incremento etiam exſpectabant; ſed in alieno ſolo nimis temere ſecuri, praeter ſpem opprimebantur. Conventum Albanus intellexerat; quem turbandum ſtatim ratus, Sanchium Lodonium, quinque ſignis legionis ſuae abſumptis, Namurcum proficiſci iubet: eiuſque copiis Sanchius Avila, Nicolaus Baſta, & Petrus Montanus, ſuas adderent. Avila quidem ſtipatoribus praefectus, Baſta equites Epirotas, Montanus ſclopetarios ducebat. Hi deflectere via iuſſi, Traiectum Moſae iter capiunt. Ibi, viae fatigati, quum ſe paullum recreaſſent, ex Eberſtenii legione IV. Germanorum ſigna ſibi adſciſcunt. Cum his Ruremondam movent, munitam in Cliviae Gelriaeque finibus urbem, ad Rurae & Moſae confluentes. Id dolo pridem foederati, atque aperta vi adgreſſi fruſtra fuerant. Itaque ſuburbium, ac templum populati recedentes, cum tumultuario ponte Ruram flumen tranſmiſiſſent, Waſſenburgum, inde Herculenum verſus, viam habebant. Avila, gnarus ubi agerent, cum equitatu propere urget, Lodonium cum peditatu ſubſequi iubet. Hic coacti pugnam inire foederati, aciem ordinant: ſed, non bene inſtructi armis, & adventu Hiſpanorum inexſpectato conſternati, cum magna clade pedem referunt, ac Dalemum ſe recipiunt. Idque mox, ad VII. Kal. Maii, auctis per Lodonium copiis, impetu facto, expugnatur. Venere in hoſtium poteſtatem ſigna ſeptem. Caeſi mille, & ducenti. Villerius, ac Dueus capti, mox Bruxellas abducuntur. Ex Hiſpanis XL. cecidere. Franciſcus Verga, in conflictu eo egregius, vulneratus. Lodonius, re praeclare geſta, cum V. ſignis Ruremondam urbem ingreſſus, laqueo captivis aliquot gulam frangit. Hinc digreſſus, peſte oborta, Venlonae, ac Graviae, militem imponit. Signa item alia v. Vilvorda miſſa, & Tornaco, per vicina loca diſtribuit. Ad famam cladis miles, qui circa Bergenſem, perterreri, ac dilabi. Eodem metu Weſalienſes perculſi, conceſſa prius viris Io. arma abnuere. Idque Sonoium irritum conatus fecit. Inde, quum rumor increbeſceret, novas in Gelria copias cogi, Albani iuſſu, profecti contra eos Megenſis, provinciae praeſes, & Andreas Salazarius, arcis Panormitanae in Sicilia praefectus. His Conſalvus Braccamontius ſigna acto e ſua legione iungit, Silva ducis advocata; & praeſidium Aldenardae. Caeſar Avalus, marchionis Piſcariae frater, ad Graviam adeſſe cum tribus equitum turmis iuſſus. Vrbs in Gelriae, Cliviaeque collimitio iſta ſita; ac foederati occuparant: ſed, obſidionis metu, paullo poſt deſeruerunt. Inter haec plurimae Albano moleſtiae. Ac ſub nundinas Francofurtenſes Fridericus Palatinus aureorum centum quinquaginta CIↃ militum in Belgio ſtipendiis deſtinata, Manhemii detinet, ubi in Rhenum Nicer illabitur. Ob id factum regis ſui nomine multum queri. Albanus, Italique mercatores; literas commendatitias ab Emanuele Sabaudo aſſerentes. Adlegare Palatinus decretum Imperii, a novennio promulgatum: *ne pecuniam e Germania exportare quisquam auderet. Inſuper fraudem veſtigali factam eſſe.* Tandem, implorato etiam Maximiliano Caeſare, prius merces, mox pecunia quoque dimittitur. Hanc rem, clades magna excepit, Ludovicus Naſſovius, infeliciore initio, animum in fortunam obfirmans, collectis copiis, Friſiae incumbit. In promtu ipſi equites pauci: pedites inſtar VIICIↃ. armorum titulus: *patriae, & conſcientiarum, libertas;* vexillaque inſcripta, AVT RECVPERARE, AVT MORI. Weddam, Arenbergici arcem, ſitu ac munitione peridoneam, per delectos L. ſtatim capit. Militem omnem Groningam convenire iuſſerat. Illic, & vicinis locis, aliquot dies commoratus, Damum petit, Ommelandiae oppidulum; ubi copias ſuas iunxit frater Adolphus: inde, ordinibus eius provinciae advocatis, per Tiallingum Eiſſingam, iureconſultum, arma poſtulat, ac pecuniam, ſubſidia belli, ſi benigne dare nolint, per vim tamen impetranda. Quum rogarent, ut Groesbequio conſulendo tempus daret, qui, abſente Arembergico, vices praeſidis obtinere, ut obſtringeret ſibi ſtudia, non gravate id indulſit. In metu erant, ne, ſubſidiorum faciles, in provincia undique aperta, & praedae obnoxia, iram regis concitarent. Ac reſponſum conſulentibus: *ne quid temere pactum irent. At pecuniam, in diſcrimine manifeſto, damno avertendo, darent; eo magis, quum nequicquam recuſarent.* Nam Groesbequius paullo ante Wittevverum, ad primum inde lapidem ſitum; feſtinanter CCCC. aliquot ducens, militem nec dum auctoratum, & inermem magna parte, opprimi facilem arbitratus, omnia contra expertus fuerat.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVIII. rat. Interim Naſſovius, adlata pecunia, copias ſuas auctorare; monituſque per Groeſbequium Albanus, Arenbergicum mittit, provinciae praeſidem. recens advenam, pace in Gallia conſtituta, addit huic Braccamontium, tum Sardoam legionem, Germanorum ſigna quatuor, Curtiique Martinengi alam unam. His accedere Carolus Brimeus Megenſis iuſſus, qui equites Hiſpanos & Epirotas cccc. pedites clↃ lↃ. ducebat. Arenbergicus per Hollandiam iter maturat; &, Belgarum ſignis v. advocatis, Groningam prius, inde Wittevverum tendit, vi. tormenta bellica minora ſecum trahens. Vixque advenerat, quum Naſſovius, gnarus, Megenſis abſentiam haud exiguum victoriae momentum, antequam iungeret, hoſtem invadit. Loco idoneo ſclopetarios clↃ. diſpoſuerat; per quos acriter velitatum, dum pugnantes nox dirimeret. Inde Weddam caſtra movet. Ac poſtridie fugam eum agitare Hiſpanus ratus, ne evaderet, ab ardore perſequendi non prudentia ulla ducis retineri. Quin convitia etiam in cunctantem iacere: *ac ſectarium* dictitare, *& regi ſuo parum fidum*. Ille autem, loci gnarus, auctor eſſe, *ut Megenſem exſpectarent, vix diei unius itinere ſeparatum: cuius vires ſi adiungerent, ſine diſcrimine victoriam fore*. Sed conſilii, quam animi, meliorem impetus militis in praeceps abripuit. Itaque inſequitur, praelii aleam experturus. Quum Winſchotam adtigiſſet, proximum Damo pagum, eminus aciem bene ordinatam, & pugnare certam, prope Heiligerleum videt. Paribus utrinque animis pugna committitur. Sed Naſſovius, explorato Arembergico vix ccc. Martinengi equites eſſe, Germanos c. adverſum mittit. Ex inſidiis ſclopetarii cccc. latus invadunt, atque diſſipatos fundunt. Multos praelium, plures loci paludes hauſere. Arenbergicus, fortiter pugnans, glorioſa morte occubuit; & cum eo ex Hiſpanis viri illuſtres, Alvarus Oſorius, Ioannes Pereſius a Soto maiore, Petrus Caprarius, ordinumque ductores vii. e gregariis clↃlↃc. cecidere. Qui evaſerant, Heiligerleum ſe recipiunt. Id in propinquo monaſterium, dum expugnatur; Adolphus Naſſovius, inter primos animoſe obpugnationem juvans, ſclopi ictu interficitur. Poſt quam cladem, captis caſtris, ac direptis, praedam ingentem victor habuit. Et Arenbergico Heiligerslei, Naſſovio Weddae funus factum. Illa ſtrages Groningenſium animos perculit; ac magiſtratus, turbarum metu, in Walburgis arma ponere cives jubet. Poſtridie Megenſis adeſt, cum Chiapino Vitellio, adducens equitum turmas v. peditumque ſigna viii. Ad haec in urbe iv. erant, praeſidio relicta. Itaque iam ſatis tuti oppidani videbantur. Ludovicus Naſſovius gnarus, recentem hoſtium conſternationem egregiam rei gerendae occaſionem, ut victoria uteretur, non cunctanter copias Groningam ducit, & coenobium proximum capit. Illic dum interdum leviter dimicatur, ſuffoſſo equo, Martinengus in diſcrimen ſummum venit. Megenſis ictu ſclopi ſaucius, eo ex vulnere poſtea obiit. Quam cladem ulturi ſui, expugnato mox coenobio, praeſidium omne contrucidant. Arenbergici caede, & exercitus ſtrage, aſperior Albanus, ocius Namurcum Hiſpanos fere omnes, Traiectum Moſae clↃclↃ. pedites, equites lↃ. proficiſci iubet. Maximiliano Hennino Boſſuvio, Hollandiae praeſidi, aliorum locorum tutelam mandat. Inde ad poenas animum vertit, Belgioque ob religionem profugos edicto revocat; non redeuntes graviorum metu, perpetuo exilio, bonaque eorum fiſco addicit. Quumque audiret novos motus, maioresque etiam indies pertimeſceret, ne qui porro quicquam auderent, ſuppliciis omnes deterrere animum induxit. Igitur extremo Maio, Gulielmo Auriaco, Ludovico Naſſovio, Antonio Lalanio Hochſtratano, Florentio Pallantio Culemburgenſi, Gulielmo Bergenſi, & Henrico Brederodio, qui citati non adeſſent, exilium indicit. Et Bruxellis dirutas aedes Culemburgenſis ſolo aequat. Nam illic congregati proceres, de tutanda libertate conſilia ceperant; & libellum porrecturi, hinc proceſſerant: unde poenam meruiſſe item viſae. In area columna ingens marmorea poſita, quae quadruplici inſcriptione facti cauſam teſtaretur. Haec poſt annos aliquot fracta, tam manifeſto Albani odio, ut abducta quiſque fruſta, aliquod praeclarae operae teſtimonium oſtentaret. Kal. Iuniis in captivos gladium expedit. Eoque Bruxellis percuſſi e primaria nobilitate viri octodecim, Gisbertus & Theodorus Batemburgici, fratres; Petrus Andelotus, Philippus Wingelenus, Maximilianus Cocus, Philippus Trieſtius, Ioannes Bloiſius Treslongus, Bartholemaeus Vallaeus, Arturus Batſonus, Harmannus Galma, Siffridus Beiema, Iacobus Ilpendamus, Firminus Peletarius, Conſtantinus Bruxellus, Ioannes Rumaltius, Ludovicus Carlerius, Petrus Waterlezius Altzius, & Philippus frater. Atque ex his Batenburgicus uterque, Andelotus, & Cocus, qui proſapiae dignitate antecellerent; extra portam Scarenbergenſem, ad ſacellum hierocomii, ſine loculis bini uno tumulo conditi. Ceteri ad palos fixi, & ſubſpenſa ſupra capita. Quum ad mortem ducerentur, ne querela aliqua iuſta, vel alloquio generoſo, ſpectantis populi miſericordiam, aut virtutem, atque Albani etiam odium excitarent, pulſata magno ſtrepitu tympana audiri quemquam prohibebant; intermiſſa, ſi ſilentium, aut maiorum in morte fidem, promiſiſſent. Denique, turbis inhibendis, circumpoſita morientibus Hiſpanorum ſigna ix. Poſtridie, eo ipſo in loco, ſimili ſupplicio affecti Villarius, ac Dueus; infelici ad Dalemum pugna capti. Praetor etiam Anguiani, Quinctinus Benedictus, ac Cornelius Menius, eloquentiae in concionibus clarae. Tot nobilium ſupplicia proceribus praeluſere. iii. Non. Egmundanus Hornanuſque curru Gandavo advehuntur; illuc antea, ſub diverſa cuſtodia, in carcerem miſſi. Captivos equitum turma una, peditum ſigna decem, ducere. In advectos ſententia mortis poſtridie fertur. Crimen utrique par intentatum: *negligentes fidei ſuae interturbaſſe; foederique ſub-*

CIↃIↃ LXVIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVIII. *subscripsisse S. Inquisitioni, sub praetextu defendendae libertatis, restituisse: nobilitatem factiosam patrocinio adiuvisse, ac provinciam minus recte administrasse: tum sectariorum audaciam, magno religionis Catholicae detrimento, impie dissimulasse*. Caula Albano exitii maturandi, odium maxime in Egmundanum; ut dignitate, & meritis parem, ita gravem. Tum nutantem clade nupera Frisiam denuo confirmare, armisque Nassovii cum omnibus copiis quamprimum occurrere, oportebat. Inde metus, ne oppressa per vim provincia, abducto milite, per absentiam tumultuaretur; &, effracto etiam carcere, tantis belli sui ducibus uteretur. Quam ob rem, sublatis illis, *nihil* sibi metuendum, ac terribilem se futurum existimare. Venire in urbem iussus erat Martinus Riethovius, Iprensis episcopus; isque, audita Albani sententia, cum rigorem precibus flectere supplex vellet; ille indignatus valde: *nuntium se in praesens voluntatis suae, non deprecatorem, acciviſse* ait; *itaque iret; iussaque Egmundano exponeret*. Igitur, invitus quamquam, frusta tentata clementia, sub noctem mediam nuntium captivo defert. Qui initio adtonitus, interrogare: *an nulla gratiae spes restaret*. Quum Riethovius negaret, & nequicquam impensam operam memoraret: *ea propter adveniſſe, ut praestaret morituro extremum pietatis officium: ergo*, inquit, *gratias Deo, & Albano; quod eiusmodi conciliator mortis mihi nunc obtigerit*. Inde animum obfirmans: *at qui nec tam me nocentem, aut offensum adeo regem, arbitrabar. Cui quando sic videtur, unum oro, ut in me deponat iram; uxorem autem, & aetatem liberorum, plane innoxiam, misereturr*. Inde ad regem, & Albanum literas scribit; enixe petens: *pro tot meritis, ut suorum innocentiae parceretur. Se in regem fidei certum, & obsequii semper vixisse. Quicquid contra videretur, a necessitate expressum. Sat virtutem ipsi olim adprobasse. A qua nuper si aliquantum deflexisset, iniuriam temporis, quam malitiam suam, fuisse. Quando tamen ita omnino statuisset, mortis legem patienter tolerare; idque egregiae voluntatis testimonium putaret*. Quum scripsisset obsignatas Riethovio tradidit: additis precibus, ut recte curaret: quod ille non gravate recepit. Inde consilium petenti, quod mox in pegmate sequeretur, idem suadet: *sermone ad populum abstinere. Neque enim a multis intellectum iri, ob frequentiam circumstantium Hispanorum: etiam verendum esse, ne quis verba forte non bene intellecta male interpretaretur*. Inter has curas noctem egit. Postero die, pervigilio Pentecostes, a Iuliano Romero, & Francisco Salina ad supplicium producitur. Euntem comitabatur, is quem dixi, Martinus Riethovius, pio adloquio solaturus. Erat in foro exstructum pegma, iniecto nigro panno velatum; & in eo pulvilli serici nigri II. ac spicula totidem. Item abacus in quo posita crux argentea. Subter quaesitor Spellaeus, cum lictore; quem a pedibus fuisse fama erat. Circum XIX. Hispanorum signa stabant, ne quid populus benignior turbaret. Adhaec III. alibi disposita. Vnum omnes urbis plateas, reliqua II. palatium servabant. Sub meridiem in pegma adscendens, & inambulans paulum: *utinam pro rege*, inquit, *& rep. mortem hanc oppetere mihi licuisset*. Tum Romero interrogato, an spes nulla gratiae esset: quum is negaret, dentibus frendens, proiecto in terram indignanter pallio, togaque, post pauca cum Riethovio verba, in genua procumbit: crucemque argenteam, quae in manibus, subinde venerans, fortiter lictorem excipit. Abscisso capite, pannus trunco, & effuso sanguini, iniicitur. Tum productus item Hornanus, multiplicem Dei offensam fassus, ac bene adstanti coronae precatus, quum peccasse in regem suum, hoc quo rogabatur modo, pernegaret, in pulvillum subiectum itidem inclinatus, gladio percutitur. Capita utriusque, per horas II. spiculis impacta, triste populo spectaculum praebuerunt. Tum loculis plumbeis condere corpora ministris permissum. Et solenni pompa illud ad Clarae, hoc ad Gudelae, deponitur. Postea Sottegemum, suum in Flandria oppidum Egmundani; Campiniam Brabantiae Hornani avehitur. Vidit supplicia haec, uti fertur, capto loci alicuius secreto, Mondolcetus, qui tunc regis Galliarum negotia illic procurabat; & regi illico nuntium misit: *eius se spectasse necem, cuius virtute bis concussa Gallia universa contremuisset*. Nimirum clades innuebat, egregia Egmundani virtute, prius ad Quintini fanum, inde ad Grevelingam acceptus. Insignia luctus, more in magnatum funeribus usitato, pro foribus aulae domestici statuerant; verum ea, Albani iussu, statim amota: nec lugere palam licuit. Ingenti moerore perfusa civitas. Et plerique detestari abruptum rigorem; omnes aeque infelicem procerum fortem miserari. Quin nonnulli tincta effuso sanguine sudaria, odii, & vindictae, olim irritamentum, adservare. Maxime autem dolere miles ereptum sibi Egmundanum, virum animi excellentem, & clarissimum belli ducem. Quin & populi pars magna, ad occisi loculum effusa, dum in Clarae fano esset, cum lacrymis oscula certatim dabat. Interim in Frisia gnavus operae Ludovicus Nassovius; indiesque, fama victoriae, auctae copiae; iamque cum equitatu Germanico Iustus Schouvvenburgicus accesserat. Quo rerum statu Groningani Ioachimum Panserum legere signum subsidiarium iubent: sed id mox Bartholemaeus Entesius Hareni oppressum noctu aggressus, captis plurimis, aut interfectis, dissipavit. In Germania ab Auriaco, & Hochstratano item laboratum fuit. Sed iis varia impedimenta. Et Sonoius, Ioanne Basio ac Reinero Cantio adiutantibus, etsi via ab Enrico Brunsvicensi obsessa, Nassovii ad Groningam copiis CIↃCCC. sclopos curat. Inde Franciscum quoque Boshusium, qui, instructus VIII. navibus, in Amasia commeatum prohibebat, in fugam propellit. Dum haec fiunt, ne mora Nassovius robur contraheret, Albanus ipse

CIↃIↃ LXVIII.

CIↃIↃ LXVIII. in Frisiam proficisci statuit. Ac Chiapinum Vitellium cum x cohortibus praemittit, praelio abstinere iussum. Addit Germanos CIↃ IↃ. qui sub Erico Brunsvicensi Davent iam convenerant: & VI. alas, duce Roblesio. item militem, ab Hiergio lectum. Ac mox ipse secuturus Hispanorum XVII. signa legionis Neapolitanae Gandavo advocat; relictis tantum arcis praesidio II. vexillis. Alia XX. e Longobardica, Siculaque, Bruxellis, ac Traiecto Mosae, Silvam ducis ire iubet: & Noircarmium, data levis armaturae praefectura, equites CIↃ. in Burgundia parare. Croio, ac Blondo mandat; ut, curato Valentinianis praesidio, in Hannonia, & Atrebatibus peditem recenserent: Cressonerio, ut Machlinia, ubi publicum provinciarum armamentarium, tormenta bellica XVII. submitteret. Inde Silvam ducis iturus, eo consiliarios omnes, de Frisiae auxiliis consilia daturos, adesse iubet. Quamvis enim huius belli gloriam sibi destinaret, tamen ceu distractus varie, ideoque ne ipse iret impeditus, voluntatem dissimulabat; vel, ut vano hoc rumore negligentiorem hostem, ceu abfuturo ab exercitu imperatore, facilius vinceret; vel, ut per adversa rerum apud regem maius operae pretium faceret. Itaque Bruxellis V. Kal. Quinctiles profectus, quum postridie Antuerpiam venisset, e Lodronii legione sex cohortes urbi imponit, arci duas, sub praefecto Serbellono. Inde Silvam cum universa manu tendit. Hic quum nuntium accepisset de expugnata per Bergensem Herenberga, Lodonium mittit. Isque cum equitum Epirotarum ala I. & cathaphractis L. ac machinis V. profectus, locum, a praesidiariis iam desertum, sine negotio ullo recipit. Tum Daventriam ire Ibarram item iubet, curandae annonae, & navigiis conquirendis; quis transmitteret peditatum, Isela, Mosa, Vahali, & Rheno, tunc distentum. Quae res, etsi auctis aquis imbrium frequentia, sat feliciter festinata. Igitur tandem Daventriam venit, obvio equitum CCC. Germanicorum ductore, Ioanne Bernardo. Ibi Lopesio Acunae mandat, ex Hispanico levis armaturae equite alam scriberet; Baptistae Montano, Aurelio Panormitano, & Georgio Macucae, tantundem ex Epirotis facerent, Italisq; pridem in Gallia exauctoratis Postridie Coverdiam movet, inde Groningam. Apud Coverdiam eum Vitellius cum equitatu Brunsvicano excepit; & mox in itinere Megensis. Groningam advenit pridie Id. Quinctiles, cum Priore Melitensi. Id gnarus Nassovius, Gemingam versus, ad Amasiam flumen, castra movet; locum metatus, advehendo e Frisia Orientali commeatui satis oportunum. Illic opperiri hostem certus, aditus omnes propere munit: ac parte ab una fossa ingenti, ab altera se Amasia tuebatur. Et in via passim emissaria, pontesq; disiiecerat; uti insequentem hostem impediret. Interim cum navibus captis Delfsiliam Sonoius adpellit, & intellectum Nassovium, Groninga digressum, ad Gemingam castra posuisse; postquam Cnocum attigisset, haud procul Embda, nec maiores naves flumen ferre posset, lembo vectus, ad eum properat: iussusque annonam procurare, ocius facit. Dumque id agit, ab Vnico Manninga, praefecto Embdano, per Gulielmum Niveldium Arentsbergium admonetur, uti sub arcis urbisque moenia naves duceret, sua opera tutam illic stationem habituras; oblatoque opportune beneficio usus, minoribus Gemingam missis, maiores illic reponit. Albanus pleno ad proelium impetu ferebatur; ac tametsi impediret, abruptis ubique pontibus, & restagnantibus aquis, difficilis via, tamen XIII Kal. Sext. Nassovium assequutus est. Mane erat, & multa nebula obscurus aër, quam mox clarior sol discussit. Et explorato per Sanchium Avilam, quo res loco sitae essent, ipsum mittit, ac Monterum, cum nonnullis sclopetariis pugnae initium facturos, ac post illos ceteram aciem succedere iubet; sic distinctam, ut in fronte Hispani essent, inde Germani, post hos Belgae: quos sequebantur CCC. cathaphracti, & Ioannis Bernardi ala I. omnes agmine quadrato singulatim incedentes alter alterum sequebantur. Nam & iter angustum esse, & plerumque aqua mersum, per quam miles umbilico tenus interdum ambularet. Erat canalis, in Amasiam se exonerans, ponte stratus. Hunc deiicere, &, aggere effosso, aquas immittere, Nassoviani moliebantur. Sed hos Avila, Salazarius, Verga, Mendosa, aliique e nobilitate plures aggressi fortiter, opus inceptum deserere coactos, intra castra compulerunt. In hoc quando ingens pugnae momentum esset, Nassovius, recuperandum omnino ratus, illico sclopetariorum IVCIↃ. his submittit. Ii, sociorum turpem fugam correcturi, acrem denuo pugnam instituunt; verum animo, quam fortuna, meliore. Nam Hispani. initio pauci, acriter locum occupatum defendentes, auctis per auxilia animis, mox in fugam hostem fatiscentem vertunt. Illo conflictu Gabriel Manrices Osorius cecidit. Iul ianus Romerus, & Sanchius Lodonius, qui in prima acie erant, victis instant. Quos sequuti sclopetarii CIↃCC. sub Roderico Sapata. & Didaco Carvaiali, Nassovii copiae in agmina II. distributae. Ac dexterum quidem latus eques, sinistrum Amasia flumen claudere. Frons obversa hosti esse; & tormenta ante eam. His explosis, quum ad manus veniretur, Hispanorum paucitate audentiores Nassoviani, extra fossam temere proruunt. Sed repulsi a Lopesio Figueroa, suo pavore reliquos percellunt. Ac trepidantibus cum equitatu Avalus incumbit; Mendosa, & Medivilla, cum sclopetariis. Inde totas copias Albanus inducit; ordinesque, iam turbatos, penitus profligat. Reliquiae praelii Avalo mandatae, & Martinengo; qui fugientes usque ad IV. milliaria persequuti. Hac in pugna Nassovium destituit suorum virtus, qui in ipso principio refractarii incondito clamore stipendium postulabant; nihil ducis sui monitis, nihil proprio periculo moti. Ipse certe, animi egregius, ut socordiam ceterorum excitaret, fortitudinis exem-

CIↃIↃ LXVIII

CIↃIↃ LXVIII. exemplum alacriter dabat; & omnia militis munia capeſſens, incumbentem hoſtem aliquandiu ſubſtinuit. Sed quum fruſtra victoriam tentari, tam obſtinata ſuorum ignavia, ſeque cum paucis in acie reſtare animadverteret, explosis ſupremum ſua manu machinis omnibus, non tam victus, quam deſertus proelio exceſſit; parvoque navigio in obiectam Friſiam orientalem evaſit. Iuſtus Schouvvemburgicus in initio praelii, ubi turbare militem animadvertit cum pleroque equitatu ſe ſubduxerat. Tanta vero omnium ignavia erat, ut, abiectis turpiter armis, pecudum inſtar mactarentur, aut in flumine mergerentur. A meridie in veſperam continuata caedes; & vix nocte diremta, poſtridie renovatur. Viae cadaveribus, & armis oppletae. In quodam Amaſiae aeſtuario inſula erat, in quam ſe Germani aliquot receperant. Hos Figueroa, Hiergius, & Robleſius, ad internecionem caedunt. Vniverſim VII. fere CIↃ. caeſi. Capta item ſigna XX. & impedimenta omnia. Inter quae & Hochſtratani, qui biduo ante, ad Auriacum profectus, a caſtris abierat. Ex Hiſpanis vix LXXX. deſiderati. Geminga, ac Reidani pagi miſere direpti. Abacta pecorum aliquot CIↃ. ruſtici paſſim crudeliter vexati. Foeminae, ac virgines ad libidinem habitae. Cuius rei Albanus ut invidiam amoveret, legionem obnoxiam auctoramento ſolvit. Friſiae orientalis comes, Embdanique valde anxii, ne, obtentu hoſtium perſequendorum, invaderentur, per oppoſitum Amaſiae aggerem ſubditos cum armis diſponunt. Vrbisque praefectus, qui non ita pridem navium tutelam in ſe receperat, per adverſa fidei negligens, Sonoium, ac navarchos ceteros ad ſe vocatos, torvum obtuens, acriter increpat: *ipſos pariter, navesque raptas, ac Naſſovium, aerumnarum cauſam praebere*. Et mox, ſecurior Albani diſceſſu, abire iuſſis, damnum alibi acceptum obiiciens, naves, praedamque omnem detinuit. Victor Albanus, tanquam hoſtem fugientem inſecuturus, tranſmittere Amaſiam in animo habebat. Verum navium egenus, relictis antea Groningae pontibus, qui per loca aquoſa non ſat tempeſtive advehi poterant; tum & crebris nuntiis monitus, adventare cum ingenti manu Auriacum, mutata ſententia, retro pedem Delfſiliam flexit. Vbi, cognito loci ingenio, portum maris opportunum arbitratus, urbem condere omnino ſtatuit; eo magis, ut commercia Embdanorum, qui ſectariis palam addicti, interverteret. Itaque ſtatim foſſa, ac muris deſignatis, urbem futuram Marsburgum adpellat; & per Groningenſem epiſcopum, Ioannem Cnivium, templo locum conſecrari ſimul curat. His peractis, Groningam tendit; ubi convenire Ordines, & adventum praeſtolari ſuum iubet. Mox victoriam ad Gemingam qui Philippo nuntiaret, Andream Salazarium; Pontifici, Carolum Merlum mittit: Ioannem Hoium, Monaſterienſem epiſcopum, per literas certiorem facit. Tum de Friſiae orientalis etiam comite, atque Embdanis, qui Naſſovium commeatu adiuviſſent, valde queritur. Quum Groningam adveniſſet, Ommelandiae ordinibus, ac ſenatui urbano, inquit: *inobedientia ipſorum, & ſectarum nuper introductione, publicisque concionibus, ac ſacrorum priſco ritu conculcato, laeſum regem. Adhaec multos e nobilibus, qui in urbe, aut provincia, contra avitam religionem, regiamque maieſtatem, cum Naſſovio conſpiraſſe. Quin cum perduellibus ceteris arma quoque coniunxiſſe. Quam in rem quum rex pecuniae vim ingentem, Arembergicus vitam ſuam, ipſe autem laboris tantum, ac moleſtiae, impendiſſet; bono iure, ceu armorum vi ſubactis, privilegia adimi poſſe. Eam ob rem ſtatuiſſe, ne hoc malum negligentia invaleſceret, ſtatim occurrere idque ſibi demandaſſe. Idcirco velle, uti Cnivium, pridem a rege, & pontifice deſtinatum, praeſulem acciperent. Viſum inſuper, de religionis cauſa nova edicta promulgare; ac, rep. ordinata, innocentium ſalutem, & ſecuritatem arce munire. De cetero autem Megenſi, qui ſucceſſor Arenbergico in praefectura datus eſſet, Cnivioque, ſacrorum antiſtiti, morem gererent*. Ad haec omnes, ius dicentem in armis veriti, graviter animis conſternati. Et arcem quidem Paciottus, ac Vitellius, ſimilem Antuerpienſi, verum ambitu minore, ſtatim delineant, quamvis in annum proximum dilatam. Quumque deinde conſtitutum intellexiſſent, ut in urbem mox Delfſilia mutaretur; multis praecibus, ac Megenſi adiutante, & Albernoſio, qui Albano ab epiſtolis, gratia apud illum inſignis, aegre tandem impetrarunt, ut conſilium, magis ipſis, quam Embdanis, noxium, omitteret. Tamen placuit, ut inceptum a Naſſovio propugnaculum perficeretur; ac Masburgum, deſtinato urbi nomine, diceretur. Quod obtinuit, quam diu potitus Hiſpanus praeſidium ibi loci tenuit. Hiſce rebus exacto biduo, per Amſtelodamum, & Vltraiectum, rurſum in Brabantiam tendit. Ac dum Amſtelodami agit, in tribunos, & Sardoae legionis centuriones, Arenbergicanae cladis pridem auctores, animadvertit. Hinc digreſſo Vltraiectum, advenit filius, Fridericus Toletanus, pedites bis mille & quingentos ducens, ac ſtipendium in aliquot menſes. Quem quum peditatui mox praepoſuiſſet, & exercitum luſtraſſet, peditum triginta millia, equitum ſex, ſub ſignis comperit. Tum laudata urbani magiſtratus fide, ut terrorem populo iniiceret, Diemenam, magnis opibus foeminam, magno natu, annorum octoginta quatuor, quia hoſpitium concionatori praebuiſſet, gladio percuſſit. Quae in pegma ad ſupplicium producta quum eſſet, ad carnificem ſe convertens, ceu iocata in aetatem, cui reverentia, aut venia, debebatur, virilis animi femina quaerit: *an bene gladium acuiſſet, nam lentam ſibi cervicem eſſe*. Vt primum Bruxellas rediit, de Straleni, ac Backerſelii, cauſa cognoſcere adgreſſus, ex ſenatus ſui ſententia utrumque ſupplicio adfecit. Ac Stralenum, ob egregia pridem merita, venia dignum ipſi iudices pronuntiaverant. Sed immitis animi virum, quem in Belgas propri-

CIↃIↃ LXVIII.

CIↃIↃ LXVIII. prium odium, regia voluntate munitum, crudelem fecerat, nulla meritorum ratio retinebat. Additur poenae Alfonſus Lous, Hornano pridem ab epiſtolis, & conſiliorum particeps. Dein edicit: *ne cum profugis, ac proſcriptis, literas quis, aut pecuniam commutaret; atque in iſtis ſi quid regem, aut rem publicam ſpectaret, morte infami, & bonorum publicatione item luiturum. Si nil tale appareret, tum de cauſa iudici arbitrandum fore. Qui eorum quemquam ſciret, is aut manum ipſe iniiceret, aut indicium magiſtratui loci faceret.* Nobiles quoque, qui in foedus nomen dederant, anno LXVI. in provincia latitantes, dolo adgreſſus, ut proderentur, gratiam facti publicis literis denuntiavit. Quibus tamen, per ſaevitiae tot exempla, nemo temere fidem habuit. Contra multi, quibus vindex patriae libertatis animus, variis ſcriptis, ac libellis, odium populi adverſus eum concitarunt. Inter cetera clam vulgata octodecim capita in ſchedis Vergae praeſidis reperta, quaslibet criminum ſpecies complexa; tam immani interpretatione rerum, ut Belgarum nemo fere extra noxam haberetur. Ac prolata tredecim alia, a Granuellano; in quibus conſilia erant, de conſtituendo Hiſpani per hoc Belgium dominatu. Sed licentiae huic edicto mox occurrit, benignum animum, & bonam fidem, ſpecioſo valde elogio apud populum teſtatus. Interim Auriacus, comparatis in Germania magnis copiis, amicorum paſſim opera, oratores ad Caeſarem mittit, qui excuſarent: *huc neceſſitate adactum*; rogarentque, *ut dignitate in familia Auſtriaca princeps, miſerari potius vellet, quam iraſci; atque adflicto graviter Belgio unde ipſe oriundus, ſubveniret. Florentes olim has provincias, tranquillaſque moderatione Ordinum, Hiſpanorum nunc adventu perturbatas. Inquiſitionis nomine proceres pariter, & quoſcunque opulentos divexatos; nec ſaevitiae, aut libidini, avaritiaeve modum factum eſse. Saepius ſupplices, ſemper reiectos deprecatoribus aut deluſis, aut occiſis. Hac de cauſa, quum fruſtra apud regem proces tentarentur, verſa in iram deſperatione ſua, arma ſumpſiſſe, extremam vitae, ac libertatis tutelam. Quae deponere paratus eſſet, ſimul vim Hiſpanus omitteret. Oratum etiam demiſse velle, ut pro miſeris apud Philippum patruelem intercedens, una ea ratione tranquillari Belgii turbas poſſe oſtenderet, ſi, remoto milite extraneo, & graviſſimo Inquiſitionis metu, libertas publica redderetur.* Auriaci preces non neglexit prudens, ac benignus princeps, &, ceu univerſi Imperii negotium eſſet, ſine mora cum Philippo agendum ſtatuit. Et legatio ut momentum ex perſonae dignitate aliquod caperet, Carolo fratri, ob privata tunc negotia in Hiſpaniam proficiſcenti, rem commendat. Qui, natura pacis amans, &, diſtracto Belgii motibus patruele, adverſus Turcam minus praeſidii Imperio fore animadvertens, non gravate in ſe recepit. Itaque in Hiſpaniam profectus, quum negotium ſerio ageret, reſpondet Philippus: *nullo modo integrum eſse, ut Albanum, aut Hiſpanienſem militem revocaret. Se conſilium id cepiſſe praeter principum foederatorum conſcientiam; cuius ne tam cito poenitentiam oſtendat, famae maxime intereſſe.* Ac ſequenti deinde anno, ut invidiam amoveret, quam graviſſimam apud Imperii Ordines contraxerat, ſcripto publico facti rationes dedit. Ludovicus Naſſovius, poſt pugnam Gemingenſem, collecto undecumque milite, ad Auriacum fratrem conceſſit. Qui, etſi turbatis recenti clade conſiliis, copias coactas ſedulo movere, quas Belgio liberando ducebat. Ad harum ſtipendium eccleſiae Belgicae reformatae, procurante Marco Perezio, ccccl. dalerorum polliciti erant; exhibenda, quum primum exercitum collegiſſet. Extremo Iulio, quum iam in procinctu eſſet. libello edito, belli contra Albanum ſuſcepti cauſas exponit: *Gloriam Dei, ac commodum regis propoſuiſse; item Caeſaris, filiorumque, qui Philippo ſanguine proximi. Nec ſe aliud agitare, quam ut ſaevientem Albanum cervicibus innocentis populi, & per vim oppreſſi depelleret. Ac rogare univerſos, ut favore, atque auxilio inſtitutum tam praeclarum adiutum velint.* In caſtris eius Germanorum peditum ſigna XLIV. erant; quae ducebant, Nicolaus Hadſtadius Alſatus, vir antiqua nobilitate, & belli clarus: Vitus Schonerus, Balthaſarus Wolfius. Equitum autem VII CIↃ. ſub Haſſiae tribuno, Friderico Rollenhauſeno, militiae in Gallia actae egregio; Theodoro Schombergio. Iuſto Schouwenburgico. Alberto Naſſovio, Burchardo Barbio, Othone Malsburgio, Hermanno Rudeſalio, & Adamo Welſio. XVI. Gallorum turmis, & ſclopetariis, CIↃ CIↃ. praeerant Franciſcus Hangeſtus Ienliſius, Ludovicus Lanoius Morvillerius, Ioannes Raguerius Sternaeus, Arcturus Valdraeus Movius, Anglurius Autricurtius, & Rantius. Peditatum Poietus ducebat. Ex Belgis aderant, Naſſovium ſecuti, Antonius Lalanus Hochſtratanus, Batemburgicus, cuius fratres pridem Bruxellis gladio percuſſi, Warrouxius, Riſoirius, Carlous, Hamelius, Boxtelius, Lonnervallius, Ohanius, Opdamius, Sonoius, alii. Mox etiam Gulielmus Marcanus Lumaeus adceſſit cum inſtructo equitatu: qui, adfectu in Egmundanum, Hornanumque, non ſe comam poſiturum adiuraverat, niſi morte utriuſque vindicata. Tormenta illi bellica X. campeſtria VI. maiora IV. vexilla quorundam inſcripta erant; PRO LEGE, REGE, ET GREGE. Aliis effigies pelecani erat, ſanguine pullos nutrientis. Nonnulli in galeis roſas ferre. Vetus Britannorum inſigne, ceu reginae Elizabethae auxilium teſtati. Cum his copiis ſub initium Septembris; caelo pluvio, expeditionem inſtituit; habitoque ad Romerſdorfiam in Treveris delectu, Rhenum traiiciens, Viti fanum, ſuae ditionis pagum, devenit. Vbi paulum commoratus, a Clivienſi commeatum poſtulare. Quo negato, Arenberga a Naſſovio fratre capta, & praeſidium Hiſpanorum obtruncatum. Eppena quoque, Duram inter & Agrippinam, arx Carpenſis, Hor-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVIII. Hormesona Withemumque: atque iu Rheno octodecim naves, in quis merces multae Italicae, quas, deinde institores redemere. Tum pecunia Aquisgrano imperata, & cohortes ad Noitemum aliquot caesae. Quae quum nuntiata Albano, is, consiliorum incertus, quum haerentem illic videret, ac in Galliam modo iturum, modo Belgio, aut Luxemburgensi agro, imminere existimaret; ne quid Sequani paterentur, etsi ex foedere ad tutelam eorum Helvetii tenerentur, curata praesidi Vergio pecunia, si usus foret, postridie Noircarmium, ac Mandragonium, cum copiis omnibus ad suppetias adesse iubet. Tum Roblesium cum sua legione submittit. Antonio Berrio, Didaci Carvialis signifero, cum Hispanis L. arcem Limburgensem mandat. Ipse munitis ad Traiectum Mosae castris, defensionem parat, ac flumen ponte sternit; facilius excursurus quocunque, & itinera vel obsessurus, vel vastaturus. Vtque eum fluminis transitu prohiberet, vadosis locis murices dispersérat. Habebat peditum sedecim millia. Ex his Belgarum signa quindecim, Hispanorum quadraginta. Philippus Lanoius Bellovacus sex ducebat; Carolus Arsilius, & Iacobus Briacus, ille Landrecii, iste Marienburgi praefectus, singuli quinque. Hiergius decem, Mondragonius quinque; totidem Roblesius: cui etiam destinatum Ruremondae praesidium, Viginti Germanorum Albertus Lodronius, & Philippus Ebersteinius. Adhaec fossorum ingens manus, e propinquis Eburonibus: item tormenta, naves, commeatus. Auriacus in proelium pertrahere Albanum omnibus modis nitebatur. Sed prudens belli imperator, cunctando frangere hostem certus, dubiam aleam detrectare. Sciebat enim, tam varium militem, sine stipendio, non concordem, aut obsequentem diu fore. Dein timebat, ne Germani, queis cum hoste eadem religio erat, aut a proelio abstinerent, aut in eo destituerent, Deinde neque in proceribus ipsis Belgicis plus fiduciae; qui, quando quidem metu magis, quam adfectu obsequentes, victore Auriaco, facile in partes eius transituri putabantur. Iis de causis cunctante Albano, quod praeviderat, seditio militum in Auriaci exercitu orta, gravi eum periculo involvit. Quippe, dum pacare laborat, ad latus gladii capulus decutitur. Malsburgius, aliique, a turbantibus occiduntur. Composito tumultu, in Eburones castra movet; &, auxilium a Leodiensibus sperans, Laurentii, ac Margaretae suburbia, & Afrodium pontem occupat. Sed Albanus, agri vastitiem interminatus, oppidanos, satis ceteroquin pronos, deterruerat. Ac quantumvis pars adiutum omnino vellent, tamen metu, & Groesbequii episcopi opera, qui ad securitatem urbis signa pridem sex conscripserat, conatus oppressus est. Igitur spe quum excidisset, varie exercitum circumductans, ut incertum Albanum teneret, tandem ad diem Non. Octobris ad Stochemum, non longe Maseca, Mosae admovens, vadum tentat, muricesque iniectos tollit. Inde equitem dense A B C D E F

satum, agmine usque ad ripam adversam continuato, in flumine consistere iubet. Quo commento impedito eius impetu, quum inferius iugiter defluens mox decresceret, peditique pervium etiam esse inciperet, exercitum universum transmisit; obstupescente rem inopinatam Albano, adeoque trepidante, ut quidam existiment, si e vestigio recta in eum copias duxisset, hostem, plane imparatum, & consternatum, oppressurum omnino fuisse. Atque ipse quidem recenti terrore utendum censebat. Verum miles, viae fessus, & traiecto flumine madens, pugnam abnuere. Ac quum mox refectum duceret, frustra fuit. Quippe Albanus, militem intra castra tenens, mora, quam pugna, vincere malebat; certus fore, ut per imminentem hiemem, sine suo commeatu, & stipendio, copiae ultro dilaberentur. Ergo quum neque hoc succederet, explorare Traiectinos statuebat, missō tubicine; quem Albanus comprehensum, ne consilia oppidani clam miscerent, in furcam egit. Postquam saepius velitatum, nec ad pugnam provocari Albanus posset, exiguo commeatu, in Tungros movet, Eburonum oppidum, satis munitum; ubi exclusus, fanum Trudonis retrogreditur, insequente semper Albano, & postremum agmen vexante. Hic pugnatum acrius fuit, atque egregium virtutis specimen Marcus Toletanus dedit. Inde Thenas contendit, ab Hiergio occupatas; quem Albanus noctu praemiserat, ut vel laborantem Brabantiam tutaretur; vel nutantem, in officio contineret. Ipse Albanus in propinquo castra munit. Post quatriduum prope Tilmontium divisas copias Auriacus partim ultra flumen ire iubet, partim collem occupare. Quem munire dum festinat, Albanus, per suos interturbans, eum extorquet. Ideo, relicto ad dexteram Tilmontio, propter Geteram, in Brabantiae & Eburonum collimitio, iter faciens, traiicere exercitum conabatur. Id Albano postquam exploratum esset; Fridericum Toletanum, ac Chiapinum Vitellium, cum IVCↃ. sclopetariis, equitumque aliquot turmis, transeuntem invadere iubet; ipse cum cetero exercitu subsequitur. Quumque angustum iter esset, silvisque obsessum, Montesdoca, & Salinas, cum sclopetariis Ↄ. angustias occupant; Fridericus, & Chiapinus, cum Gallorum, Belgarumque, & Hispanorum aliquot signis, ac nonnullo equitatu, silvas circumiectas insident. Sed eo die, declivi sole, etsi urgente valide proelium Hochstratano, res dilata est, propter imminentem noctem; quam utrimque, exiguo tantum colle disiuncti, in statione transegere. Postero die incedere agmen Auriacus iubet. Atque Albanus, quo tenderet ignarus, ordinata ocius acie, levem armaturam praemittit; quam cum omni peditatu Fridericus Toletanus sequebatur. Extremo in agmine sex Germanicorum equitum turmas locat. Inde leves armaturae, colle occupato, unde in hostem despectus esset, captoque signo, pugnam inchoant. Ac praemissis reliquis copiis, quum Germanicus equitatus adpropinqua-

CIↃIↃ LXVIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXVIII. quaret, viſum Cheveraulxio, ſclopetario- A rum equitum duci, ut, quamvis abſente adhuc peditatu, in poſtremum agmen invaderent; facili victoria, poſtquam hoſtis amne Getera ſeparatus. Sed conſilium perquam utile dum Albanus, loci imperitia, differt, & exploratorem mittit, egregia occaſio paene elabitur. Itaque Avila, & Braceamontius, cum delectis mille ducentis, anguſtias occupare; Gaſpar Robleſius, cum legione Belgica, hoſtem adoriri iubetur. Acri aliquamdiu pugna, tandem victor Albanus evaB dit, exigua ſuorum clade. Ex Auriaci copiis ſupra duo millia caeſi. Lonnervalius captus, poſtea Bruxellis gladio percutitur. Poſt hanc ſtragem auxiliis Gallicis Auriacus ſe Iodoniae iungit. Ea erant cIↃcIↃcIↃ. pedites, IↃ. equites. Quibus copiis non tam vires, quam annonae penuria aucta. Facto ac cum iſtis per Luxemburgenſem agrum itinere, & direpto monaſterio Andagienſi, incenſoque Huberti fano, urbibus paſſim adverſis, caſtra in dies fere mutans, proelii occaſionem fruſtra quaerit. Itaque commeatus egens, & ſtipendii, quum ex ccc. dalerorum cIↃ. vix xii. accepiſſet, exorto tertium in Gallia bello civili, adiungere ſe Condaeo ſtatuit, maxime Gallorum inſtinctu. Id dum proſequitur, ac Queſnaeum iam veniſſet, agro Cameracenſi imminens, ſubſequente uſque Albano, in eum converſus, profligatis decem Germanorum ſignis, octo autem Hiſpanorum, & levis quoque armaturae turmis tribus, acceptam pridem cladem ulciſciC tur; inque eo conflictu Rodericus Lopeſius, Sanchius Avila, & Franciſcus Toletanus vulnerati. Caeſar Avalus interfectus. Inde arcem Cameracenſem adgreſſus eſt; quam egregie, etſi graviter conſternatis oppidanis, Mollinius defendit. In Galliae limite Coſsaeus erat cum bis mille ſclopetariis, & peditibus bis mille ducentis: Ac, quamvis rex negotium dediſſet, uti Auriacum Gallia arceret, tamen is, ſupra Quinctini fanum Somona tranſmiſſo, Sveſſiones venit; & adventus ſui E cauſam per legatum, Fanellium Serium regi exponit. Qui praevertens, per Caſparum Schombergium quaerit: *quid in Galliam cum ingentibus adeo copiis adveniſſet. Ac mirari vehementer, pro militiae priſco more, non praemiſſum fecailem. Quod ſi, uti rumor ferret, in Germaniam tranſitum peteret, eum minime negaturum, modo ne pro hoſte ageret.* Ad haec pridie Non. Decembris Auriacus reſpondet: *conſilii ſui certum pridem regem feciſſe. Neque vero tam vecordem, aut rerum imperitum eſſe; ut cum rege tam potente armis experiri velit. Quin ſi ita videretur, quantascunque duceret copias, pro ipſo militaturas, cui honorem, & obſequium omne, obferret. Sed eorum, qui ob puram religionem, quam amplexi, infeſtis plurimis, in exitio praeſentiſſimo verſarentur, ut periculo ſubveniret, neceſſarium exiſtimaſſe. Itaque orare, ut, pro digna ſua maieſtate clementia, miſertus hominum, quibus ſummi Dei gloria, vitae quies, & fidele in regem obſequium, imprimis cara, promulgata ſemel edicta violari ne permitte-* *ret.* Rex Schombergio demandaverat, quo CIↃIↃ libentius copias Auriacus reducere vellet, ut LXVIII. ſtipendium militi offerret. Isque, dum id ſedulo agit, ductorum animis, quos noviſſet, exploratis, propoſita rerum difficultate, ad defectionem multos clam ſolicitat. Ita ad expeditionem ſegnior paullatim miles; & aperta mox querela: *male duci, infeſta anni tempeſtate, ſine ſtipendio adverſus regem, quem iniuria nulla obnoxium reddidiſſet.* Quumque Auriacus porro inſtaret, ut Condaeo ſe adiungere maturarent, praefidenter pernegabant; &, *ſe tantum contra Albanum auctoratis*, obtendebant. Praeterea *cui ſe, nulla omnino ſpe ſtipendii, perditum irent, Quod quum exhibere haud poſſet, aliquot iam menſibus debitum, ſaltem patriam, e qua eduxerat, reddere vellet. Vnum id facile, rege nondum laceſſito.* Hoc diſſidio concitato, Schombergius recedit. At Auriacus gravius diſcrimen metuens, ſi perſiſteret, concedendum tumultui ratus, in Germaniam iter vertit. Vbi exauctoratis copiis; coacta e ſupellectile pecunia, ut promta in poſterum ſtudia haberet, pro militia trium menſium equiti ſolvit. In reliquum ſtipendium principatum Arauſienſem oppignerat, intra proximos xii. annos liberandum. Inde ſe Wolfango Bavaro Bipontino, in Galliam eunti, cum cIↃcc. equitibus iungit. Exauctoratos magnam partem aſpera anni hiems confecit. Reliqui aut Bipontino nomen dederunt, aut, in Galliam retrogreſſi, regi militarunt. Hic D belli exitus dupliciter Auriaco infelix fuit. Nam & Angliae regina, Caleti recuperandi occaſionem rata, conſilia cum eo communicare, & opera uti conſtituerat. Sed, dum famulus legati, qui in aula regis erat, Cardinali Lotharingo literas ad ipſum prodit, isque reſponſum contrarium reddit, commutanda ſcriptione elapſum tempus hoc conſilium penitus evertit. Igitur depulſo hoſte, ſecurus Albanus, in hiberna militem dimittit. Romeri legio Bruxellis datur, & Machliniae. Lodronii Antuerpiae, & Valentinianis. Alfonſus Vlloa Graviam, Bertinium, Silvam Ducis, & Traiectum Moſae accipit. Croningae Caſpar Robleſius Billius, Daventriae Mondragonius imponitur: Bommeliae, Vltraiecto, & Gorcomio, Sanchius Lodonius. Tum ex arce Cameracenſi, quo inſecutus Auriacum erat, x. Kal. Decembris Bruxellas litteras ad Senatum mittit, reique geſtae ſeriem, ac ſucceſſum exponit. Deinde regi, & principibus item ceteF ris. Belgis paſſim ſupplicationes mandat, occulto plurimorum dolore, etſi palam laetitiam oſtenderent. Item decurſus ludicrus ordinatur; quo Haurechius crure graviter ſauciatus: Vbi procerum populique voluptati iſta dedit, ad ſe ornandum animum vertit. Igitur, tot victoriis clarus, gloriae ſuae apud poſteros monumentum, per Iacobum Iongelingum in Antuerpienſi arce ſtatuam ponit, e tormentis, pridem ad Gemingam captis. Ea forma, ac ſtatura, ipſum referre; nudo capite, brachioque dextro inermi, ceterum corpus, armis indutum. Sub pedibus

Digitized by Google

MDLXVIII. bus calcabatur homo gemino capite, manibus quatuor; in quarum prima, fax accensa; in secunda, malleus fractus; tertia, clavam nodosam; quarta, securim tenebat. E collo eius abpensa bulga; e qua serpentes proserpebant. Subter larva conspiciebatur, ad cuius aures mendicorum gemina paropsis inde scriptum, IVNGELINGI OPVS EX AERE CAPTIVO. Inferius paullo, in lamina, topho innixa, FERDINANDO ALVAREZ A TOLEDO ALBAE DVC. PHILIPPI II. HISP. REGIS APVD BELGAS PRAEFECT. QVOD EXSTINCTA SEDITIONE REBELLIB. PVLSIS RELIGIONE PROCVRATA IVSTITIA CVLTA PROVINCIAE PACEM FIRMARIT REGIS OPTIMI MINISTRO FIDELISS. POSITVM. Vniversi operis altitudo pedes XV. Ab una parte, ara erat, inscripta, DEO PATRVM NOSTRORVM. Ab altera, opilio spectabatur, ad pascua gregem educens, quem lupi, ac leones fugerent. Item aurora, noctis tenebras dispellens, cum inscriptione Graeca, ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΣ ΗΩΣ. Vtrimque, tanquam belli spolia, variae armorum species cingere. In basi autem scriptum, PIETAS. Huius statuae invidia ingens apud plurimos, etiam Hispanos, qui deberi regi potius arbitrari: cuius armis, ac stipendio omnia gesta, Et de ea coniecturae quoque variae, prout animi quisque adfectus. Ac effigiem bicipitem, quae subiecta, Egmundanum, Hornanumque, nuper caesos, pars putare; alii Auriacum, & Nassovium, Belgio exactos. Erant, qui interpretari ordines Belgii, in nobilitatem & plebem distinctos; quos, erepta libertate, conculcabat, Arscotanus, vir liberrimae in aula urbanitatis, & gratiosae, cum Albano eam aliquando spectans, ac rogatus quid videretur, per risum illusisse dicitur: *eorum vultus, quos calcaret, irae manifestos, si resurgerent, vindictam minari.* Idque dictum oraculi instar multis habere visum fuit. Et Antuerpienses postea, recuperata libertate, opus istud confregerunt. Alii memorant, a successore, Ludovico Requesensio, tolli iussum. Sub id tempus etiam Haurechius, suo vulnere, aut veneno, in vinum iecto, diem obiit III. Eid. Decembres; dolente Auriaco, rebus adflictis eripi virum, animi, & consilii insignem. MDLXVIII.

GVLIELMI AVRIACI

LIBER QVINTVS.

MDLXIX. INitio anni quum Auriacus in Germaniam recessisset, ceu tranquilliore imperio usurus Albanus, nunc id tempus existimabat, quum obsequii faciliores Belgas habiturus esset. Itaque passim exploratum quosdam mittit, si qui cum eo consilia contulissent, aut se turbis miscuissent. Tum ut subditos in officio retineret, de variis passim arcibus agitat. Et Amstelodamenses, non ferre id commerciorum rationem questi, florenorum ducentis millibus immunitatem redemerunt. Groningae quoque, & Frisingae opus interceptum. Alibi perfectum. Inde episcopos, dato singulis administrandae dioeceseos praescripto, sedibus novis imponere adgressus est. Caroli Brimaei Megensis opera, qui Arenbergico in Frisia successerat, curia adiutante, etsi Ordinibus repugnantibus, Cunerum Petri Leovardiae constituit. Qui, vel odio populi ingratus, vel impar dignitati, mox ludibrium publicum fuit. Plus molestiae Ioanni Cnivio Groningae obtigit. Sed is prudens, modicusque exercendae potestatis, gratiam sibi conciliavit Monasteria duo, Wittewerum, & Adewartum, maxime adversa habuit. Atque illud quidem mox Pontificis, & Albani minis cessit, in ecclesiam cathedralem S. Martini mutatum. Istud vero fortius restitit, opulentum admodum, neque impensae ulli parcum. Quumque episcopus luxum monachorum argueret, necessario corrigendum; & hoc potissimum telo pugnaret: rogatu ipsorum, abbatisque Clarocampii, venit, propulsandae iniuriae, e Burgundia Morimontius, supremus ordinis Cisterciensis inspector, vir auctoritatis primariae, & virtutis, ac doctrinae, clarus. Isque, ut praeterita corrigeret, amoto abbate Arnoldo Lautzio, Aruoldum Kemningum, Muntii ad Amasiam abbatem, administrum ordinat, qui defuncto mox successit. Inde, ordinibus adiuvantibus, acriter se Cnivio opponens, tandem effecit, ut adsignatis florenorum vicies. annuis, contendere porro desisteret. Nec hic desiit cura Albani; &, postquam de episcopis egisset, concilii Tridentini decreta ubique promulgare instituit; ac, quanquam interdum obiecta difficultas, imminutis alibi provinciarum, urbium, aut monasteriorum privilegiis, nemo tamen, metu ne a maiorum religione desciviisse videretur, se opponere ausus fuit. Varia deinde edicta facit, urbesque praecipuas privilegia omnia sua consilio sanguinario exhibere iubet. Tum interdicit: *ne quis Belga in extraneo Academia, praeter Romanam, aut professionem, aut studia exerceret; neu notarii, actuarii, aut tabelliones aliqui, de rebus turbas praeteritas spectantibus acta publica ulla scriberent. Qui negligeret, is exilio sempiterno, & bonis omnibus mulctaretur. Vxores etiam, quae maritos profugos* MDLXIX.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXIX. *secutae eſsent, ne redirent; niſi poenae ſubiacere ipſae vellent, quam in eos conſtituerat; qui conſilia miſcuiſsent cum perduellibus, aut eorum neceſsitati ſubveniſsent. Copias quoque nullus ſcriberet; niſi regis, aut ſuo permiſsu; & nec nomen miles daret, niſi mandati prius literas inſpexiſset.* Tum ad poenas ſe convertens, paſſim captos, aqua, igne, cruce, aut gladio, varie puniendos tradit; tam ingenti populi terrore, ut, dilapſis fere omnibus, brevi tempore vaſtum pene, ac deſertum Belgium fieret, & opificia antea multo frequentiſſima, aliorſum transferrentur. Profugorum plurimos Britannia excepit; ob communem ſacrorum cultum, libertatemque conſcientiarum, gratum hoſpitium: &, Oceano interiecto, ac favore Elizabethae, tutum omnino adverſus vim Albani perfugium. Hi, cum Belgii iactura, in Anglos hoſpites varium lanae artificium tranſtulerunt: tanto numero, uti urbes paullo ante infrequentes, & collapſas reſtaurarent. In quibus Norvica, Sanduica, Colcheſtria, Maidſcona, Hamptona, & aliae: ſic ducentis ante annis, nimia inundatione in eandem inſulam acti, eius incolas agri tantum, & pecoris gnaros, pannos texere docuerunt. Porro Albanus paſſim delegatos mittit, qui depoſcerent ad ſupplicium abſentes reos, & a magiſtratu loci opem quaererent; quam nonnulli, offenſae timidi, praeſtitere. Alii, quibus paulo plus cordis, privilegia obtendentes, ſe difficiles praebuere. Inter ceteros id mandatum Arnoldo Sasboutio, curiae Hollandicae ſenatori ordinario. Ac quum exequi Leidae vellet, & ſenatus deliberaſſet, magiſtratus recuſavit; indecorum arbitratus, alieni iudicii miniſtrum videri. Idque Sasboutio repraeſentans, privilegia bina oſtendit, capitali ſententiae alibi latae, & bonorum publicationi contraria: datum a Gulielmo, Hollandiae comite, anno CIↃCCCXV. alterum vero a Ioanne, Brabantiae Duce, anno CIↃCCCCXVIII. prius illud *ſoli iudici urbano ſententiae in cives ſuos ferendae ius* permittit: alterum ſtatuit, *ne quis civis, vel graviſsimi criminis reus, plus florenis* LX. *mulctaretur*. Inſuper veterem conſuetudinem adlegare, *ne quem, etſi criminis ſui manifeſtum, morte afficerent; niſi reum extra vincula, & tormenta, confitentem nacti eſsent*. Sic Sasboutium dimittunt. Albanus tamen ſine ullo privilegiorum reſpectu, in captivos quosque graſſari; adeo contra ius fasque nitens, ut, tutelam ſi dediſſet, iudicemve ordinarium multi facile cauſam obtenturi fuerint. Vnum memoriae poſteritatis eſt tradendum: Quidam Bruxellis captivus, ob commune temporis crimen, indicta cauſa, nec a iudice condemnatus, iuris contemtu, an errore, cum ceteris ad ſupplicium ducitur. Poſtea autem, quum diſquireretur crimen, ac ſiſtendus reus foret, non dumtaxat interfectum, ſed & nulli culpae adfinem, comperiunt. Quam ob rem perculſis iudicibus, ut firmaret animum Vergas: *nil omnino eſſe*, inquit, *cur tantopere angerentur; innocentiam animae viri profuturam*. Groningae, debellato Naſſovio, quatuor Germanorum ſigna in praeſidio ab Albano diſcedente poſita erant. Ea quum ſuperbe agerent, ad querelam magiſtratus menſe Februario Billius permutare illa iuſsus, ſex Gallorum introducit; minus quidem populo inviſa, ſed quae gravius tamen incumberent, imperatis in ſeptimanam CIↃ. CC. florenis: quorum tamen neceſſitatem mox Ordinibus Ommelandiae impoſuit. Conſules quoque, ac ſenatum urbanum omnem, magiſtratu abire vetitum, annos octo continuavit: fabis nigris, albisque ereptis, quibus uti in electione ſoliti. Poſtea in Friſiam Occidentalem mittitur Carolus Quarraeus, curiae Brabanticae abſeſſor, de turbis proximis quaeſiturus, & in obnoxios animadverſurus; ibique dato regio cognitori negotio, Groningam profectus, Albani mandatum magiſtratui exponit, dari ſibi collegam poſtulans, ne imprudens contra privilegia loci quicquam faceret, aut deſpectos ipſi ſe exiſtimarent. Datur munus Ioachimo Vbbenae, conſuli, ſatis praeter animi ſententiam, tam praeſenti civium odio. Et initio, cum quibusdam operis ſuis, Ioannes Barnenda, urbis fabricenſis, capitur. Qui Franciſcanorum templum magiſtratus pridem iuſſu purgaturus, colliſarum imaginum reliquias inde ſubſtulerat. Id crimen capitale erat. Quod quantumvis publica auctoritate commiſſum, poena tamen a miniſtris exigenda videbatur, quum invidiam magiſtratus declinaret. Qui induſtrie, futuri providus, mercedis cauſam inter urbis rationes diſſimulare quaeſtorem iuſſerat. Id Barnenda ubi mox compertum habet, effracto carcere, cum duobus criminis ſociis, periculum evadit. Alii, varie divexati, & per tormenta culpam faſſi, gladio feriuntur. Ea re ingens populi odium magiſtratus concitavit, cunctis aeque indignantibus: *quod imperia ipſe ſua, & civium obſequium, praeter fas punitum iret*. Et auxere viduarum, ac pupillorum adſidua lamenta; quis minuendis, ceu commiſeratus eſſet, ex aerario alimenta clam adſignat. Quarraeus, diligens mandatorum, profugis diem dicere pergit; &, niſi intra tres ſeptimanas praeſentes ſe Albano excuſent, vita pariter, fortunisque exuendos. In his plurimi e primaria eius loci nobilitate. Qui conati privilegiis ſe tueri, per quae *extra pomerium quemquam, aut territorium evocare non licebat*; literis ſcriptis magiſtratum exhortantur, *operam apud Albanum daret, ut eorum ratio quaedam haberetur*. Sed quum ille, offenſae metu, ſegnius publicae libertatis cauſam ageret, per libellum ab Albano *patriae leges, iudicemque ordinarium*, ſupplices petunt. Ad quae ille reſpondere: *ſe praeſentibus ius dicturum; ſi emaneant, ceu in contumaces ſtatim actum iri*. Ergo iterum citati, ubi nemo compareret, tanquam perduelles forent, ipſi poenae capitali, bona fiſco addicuntur. Igitur vim manifeſtam ad Caeſarem, & Germaniae principes deferre placuit: quando vetus Imperii membrum provincia eſſet, eiusque tute-

Digitized by Google

MDLXIX. tutelae adhuc nuper a Carolo V. commendata, anno seculi XLVIII. verum neque id succeſſit. Quum Quarraeus diſceſſiſſet, ſtatim Robleſius ad arcem inſtaurandam animum vertit; quae ſuperiore anno a Vitellio, & Paciotto ita deſignata erat, ut e propugnaculis quinque, in finitimos Tubantes tria, in urbem duo obverterentur. Circum autem foſſa, centum pedes lata, duceretur. Sed, deficiente impenſa, rurſum opus intermiſſum. Hoc in Belgio rerum ſtatu, Bipontino, in Galliam paranti, cum fratre utroque, Ludovico & Henrico, comitem ſe Auriacus iungit. Idque Albanus non ignarus, ut obſtringeret ſibi regem, ſuppetias ei Petrum Erneſtum Mansfeldium mittit, cum II. equitum millibus, peditum ſignis viginti quinque. Sub id tempus, III. Eid. Febr. egregio inter tot probra iuſtitiae exemplo, Ioannem Grovelſium Spellaeum, ſummum rerum criminalium adminiſtrum, concuſſionum reum, in furcam agit. Cui aliquando extrema quaeque comminanti Gemma Friſius, ſtudiorum valde clarus, exitum vitae hunc praedixerat. Pontifex Romanus, Pius V. virtutis collaudandae, Albano enſem inauratum, & galerum gemmis ornatum, rite conſecratum, mittit; non niſi ab epiſcopi cuiuſdam manu, poſt peractos ſacrorum ritus, accipiendum. Adferebat munus tam inſigne Carolus Ebulus Neapolitanus, oblatumque exquiſita caeremonia in manum tradidit Archiepiſcopus Machlinienſis. Ac honorum laeta Albanus ludis, ſpectaculiſque publicis eſt teſtatus. Non ita pridem, firma, ut videbatur, Belgii pace, ab Anglia turbas Elizabetha dederat. Navis e Cantabria una, & minores aliae quatuor, merces pretioſas multas, ac pecuniae vim ingentem advehebant. Quumque has piratae Galli perſequerentur, in Angliae portus confugerunt. Et neque illic tuti nautae, incumbentibus etiam Gallis, ac diſceſſum obſervantibus, legato Hiſpanico, Gerardo Eſpeſio, periculum ſuum exponunt. Iſque ſtatim reginam adcedens, rem narrare: *in illis navibus exercitus Belgici ſtipendium eſſe, Albano tunc perneceſſarium. Et orare, in ſuis portubus ut periculum prohiberet; deinde commeatum daret Antuerpiam uſque, aut vectoribus arma ſaltem indulgeret* Nec gravate, aequitatis, & amicitiae tuendae, conſtans princeps poſtulatis acquieſcere. Sed reſponſo, dum Albano nuntium mandat, tardiore, a Cardinali Caſtellionaeo edocta, mercatorum Genuenſium, non Philippi, pecuniam eſſe: cui Albanus, ſolvendis ſtipendiis, manum iniicere ſtatuiſſet; ipſa praevertit, ſuoſque in uſus educere iubet; ac Londinum, in aerarium, ciſtis quinquaginta novem clauſa, deferre. Ea ducenta aureorum millia excedebat. Vbi factum Eſpeſius legatus intellexit, graviter de iniuria queſtus, a regina reſponſum refert: *in Philippi gratiam factum, ut rapinam imminentium tunc Gallorum prohiberet. Quando autem compertum haberet, mercatorum Genuenſium, non regis ſui, pecuniam eſſe; extenuato valde aerario ſalva dominarum gratia, bonaſta uſura mutuam ſumere decreviſſe. Idque ius principibus ſemper uſitatum.* Ita dimiſſus, ocius rem Albano nuntiat. Is irae praeceps, ut fortuna fere excelſa iuxta, & laeta, offenſae facilis, non diſſimulandam iniuriam regis ſui arbitratus, nec conſultis prius Ordinibus, nec conſiderato diſcrimine commerciorum, ſine quibus opes Belgii non conſtarent, comprehenſos per provincias mercatores omnes Anglos in domo publica Antuerpiae ſub cuſtodia habet, bona deſcribit, & deinde haſtae ſubiicit. Idem a rege in Hiſpania decretum. Viciſſim in Anglia Elizabetha, ut indemnes ſuos faceret, Belgas quoſcunque retinere, bonaque ſequeſtrare permittit. Inde iure a ſe factum, ſcripto edicit; cui Eſpeſius, ſe perſtrictum in eo ſentiens, aliud opponit. Inde in Hiſpaniam ablegat, de Albani qui iniuria conqueratur. *Cauſam omnino nullam eſſe, cur in Belgio regni ſui mercatores, aut eorum facultates adtinerentur. Se quidem id pecunia feciſſe, quam Hiſpanicae naves advexerant, in ſuos portus a piratis Gallis acta. Eam autem Genuenſibus, ad quos pertinere crederet, poſt aliquot menſes cum uſura reddituram. Nam ut in ullam regis pecuniam manus iniiceret, nunquam in mentem veniſſe; & legato quoque eius, ut aequum erat, declaraſſe. Adeo tamen humanitatis, veterisque amicitiae oblitum Albanum, ut Anglos ſuos adeo proterve invaderet. Quod ſi ille hanc pecuniam exhiberi omnino vellet, quamvis Genuenſium propriam, tamen illico facturam; dum ſuos modo in Belgio ſubiectos, bonis omnibus reſtitutis, Albanus dimittat; & amicitiam, integris utrinque commerciis, rectius deinceps colat.* Interea Albanus, erroris poenitens, quum, translatis Hamburgum commerciis, nihil Anglis, plurimum Belgis noceri videret; ad reginam Chriſtophorum Aſſonvillium mittit. Quem illa, ſine mandato regis, admittere nolens, neque ut legatum habens, contemptim ad Senatum reiecit. Quumque indignum id is cenſeret, irritus legationis, domum rediit. Ea re irritatior Albanus, pridie Kal. Apriles edicit: *ne quis, donec aliter cautum, ulla cum Anglis commercia habeat: naves quoque, niſi armatae, Oceano abſtinerent.* Delinquentibus poenam addit, publicationem bonorum. Et, ut ratum edictum foret, delatores etiam ſtatuit; quis e bonis publicatis pars dimidia proemium foret. Verum munus odioſum, praeter exules quosdam Anglos, nemo fere adire voluit. Inter hos erat Ioannes Storius, iureconſultus, ſub Maria Inquiſitoris officio functus; homo egenus, &, mutata religione odio in ſuos praeceps. Datuſque vicarius, Gulielmus Parkerus; qui mox, certa gratiae ſpe, dominum prodidit. Quippe in navem introductum, mercibus Anglicanis onuſtam, dum explorat, nullo fraudis alicuius metu, magiſter navis, Cornelius Eickenus, egregio, pro patria facinore, expanſis velis in Angliam avectum reginae ſiſtit; ubi, fracta laqueo gula, tanquam patriae ſuae hoſtis, pro ſperato ingenti proemio poenam invenit. Albanus ad diem XIII. Kal. Maias con-

CIↃIↃ LXIX. convocatos Bruxellas Ordines hac oratione compellat. *Neſcium nulli, ideo ſe a rege miſſum, ut provinciarum motum componeret, ac quietem deinceps certam conſtitueret. Hac de cauſa, ſimul remp. adtigiſſet, in auctores turbarum inquiſitos animadvertiſſe. Ac maturius illud factum voluiſſe, ut regi ſuo ſatisfaceret, & gratiam ceteris conciliaret, quorum illi ſimplicitatem circumveniſſent. Sed praeclarum hoc conſilium homines ſeditioſos perturbaſſe, quorum arma ut propulſaret, maximam anni partem ſub pellibus egiſſe. Quando vero conſideraret, plurimum illos in mutata religione momenti poſuiſſe, quam plerumque ingens populi inſolentia, & contemtus magiſtratuum, ſequeretur; ideoque contra leges, per quas antea reſp. tranquilla, nefaria conſilia agitaſſe; nihil ipſum prius habuiſſe, quam ut ex mandato regis reddita quam primum antiqua religione, leges quoque, ac ſtatuta reſtitueret. Idque etiam praeſtitiſſe ab epiſcopis, & ceteris ſacrorum praeſulibus, adiutum egregie. Quam in rem cum rex, impenſae nulli parcus, aerarium graviter attriviſſet, deinceps ipſi providerent, ne deeſſent paci publicae, ac ſubſidia neceſſaria deſtinarent. Multa cohortibus ordinariis, & reliquo militi ſtipendia reſtare. Locorum communitiones, militarem annonam, & tormenta bellica, magnam pecuniae vim exigere. Plurimum eſſe, quod mercatoribus deberetur. Nihil in caſum praeſto eſſe. Perpendiſſe diligenter, quibus ſubſidiis uſa quondam reſp. fuiſſet; nec convenientius quicquam, iuſtiuſve deprehendiſſe, quam quod ſuo in provincias has adventu rex Ordinibus propoſuiſſet. Id quia haud intellectum minus proceſſiſſet, nunc operam dediſſe, ne quis, veluti ambiguum nimis, aut obſcurum, detrectare merito poſſet. Quamobrem placere, ut rerum mobilia, quotieſcumque venum irent, decimam; quae ſoli eſſent, viceſimam penderent: utraque autem indiſtincte ſemel centeſimam exhiberent. Et, quo ſingula commode fierent, modum praeſcripſit.* Ea petitio Ordinibus permoleſta accidit: & grave alii, *divitias ſuas*; alii probroſum putare, *paupertatem profiteri*. Vniverſis inviſa exactio. Tamen centeſimam a plerisque metus expreſſit; quam mox Gelrii, Friſiique, redemerunt. In decima vero, & viceſima, cur non item acquieſcerent, cauſas, libello comprehenſas, repraeſentarunt. Ac communis fere omnium querela fuit: *commercia interverti, potiſſimum reip. nervum.* Seorſim etiam Brabanti, Hollandi, Zelandique, *ſibi graviſſimam decimam* queſti, *quum ob halecum reliquamque piſcium capturam; tum propter ſalem, vinum; pannique texturam; & merces, Balthico mari advehi ſolitas. Quin tributum potius annuum poſtularet, quamvis ſupra veterem modum, pro fide in regem, & obſequio, libentius ſolvendum. Quod viceſimam adtineret, eam plane ferri non poſſe. Quippe uſu ſaepe venturum, uti ob eundem agrum, domumve, intra annum vertentem ſexies centeſima ſolveretur.* Harum rationum Albanus, animi obſtinatus, nullam admittens, decimam, & viceſimam urgere non deſtitit. *Non certum ſibi remp. peſſundare, ſed felicitatem eius firmam, ſtabilemque reddere. Ea de cauſa indulgere, ut onera ſua per libellos teſtarentur, benigne deinde arbitranda. Inpraeſens vero velle regem, uti poſtulata concedant; ſi recuſent, aut cunctentur, aliud quicquam tentaturum. Nihil eſſe, cur ita grave exiſtimarent. In Hiſpania uſitatum, ubi una ſua Alba annis ſingulis quinquaginta aureorum millia redderet.* Provincialium cauſam prudenti moderatione Viglius praeſes ita tuebatur, uti nec obnixe ſeſe viro propoſiti rigido opponeret: *conſiderandum diverſum regionum ſtatum. Hiſpaniam, late diffuſam, agri cultu, & feracitate ſoli, aeſtimari; in limite nullos vicinos montibus tantum, & mari terminari. Belgium contra anguſtum eſſe, pannificioque, ac commerciis cenſeri: deinde pluribus populis circumfundi: ad quos ea, ſi tributis onerentur, commigrarent. Id prudenter Philippum Burgundum, Belgicae felicitatis auctorem, praevidiſſe. Eoque diligenter caviſſe, ut portoria, ac tributa, levia eſſent, viliſque annona; & externis mercatoribus hac de cauſa privilegia indulſiſſe. Nunc, ſi contra ipſe nitatur, arceri peregrinos, expelli indigenas, ac commercia interverti. Si exſtruere arces vellet, aerarii rationem haberet; neque adeo neceſſarium, novas fieri; quam, quae olim in limite fuiſſent, reparari. Nunquam tributa provinciales continuaſſe; tantum rogas, quas appellant, conceſſiſſe: quales vel requirerent principes, vel facultates ſuae ferrent. Quis in pace, nimia exactione, nulla in aliquem belli caſum ſubſidia relinqui, nullo modo expedire. Si ſubventum agricolis vellet, ne propterea mercatores oppreſſum iret. Porro de reditibus Albae, ut longe maximis, ita plurimum gratulari.* Ita Ordines, amplius deliberaturi, in provincias quiſque ſuas retrocedunt. Interim, datis ad praeſides literis, inſtare propoſito ſingulos iubet. *Se quidem ea moderatione uſurum, qua in obiectis difficultatibus aequum eſſet. Id in ſua manu ſitum. Et vel omnia mittere poſſe, ſi commerciorum ratio flagitaret.* Nonnullis quoque interminari, *niſi concederent, vim adhibiturum. Atque regi ſic videri. Motibus nuperis obnoxios eſſe, hancque culpam promto nunc obſequio luendam.* Hannonios, Atrebates, ac Namurcenſes, eius noxae immunes, ut exemplum ipſi ceteris darent, blanditiis, & promiſſis ingentibus impellere clam tentavit. Reliquis praeſidiorum metum iniecit. Idcirco territi nonnulli, ut evaderent iram eius, & tot militum imminentem inſolentiam, quibus animus per ſtipendia debita ferox, & occaſio tantum praedae quaerebatur, ea lege tributum promittunt, ſi provinciae quoque ceterae id exhibeant. Orant praeterea: *ut expenſis querelae momentis, clementer ſtatuat, quod publice utile ſit futurum.* Hollandiae nobilitas, & primaria urbs, Dordracum, prima adſenſerat; cui mox reliquae civitates acceſſerunt. Tantum initio recuſare Amſtelodamum; &, ſeorſim cauſas ſuas adlegare: ſubſcripturum nihilominus, ſi ab aliis acquieſceretur. Maior vero difficultas apud Vltraiectinos fuit. Ii Albano reſponſum mittunt: *ſerio omnia petitionis*

CIↃIↃ LXIX.

CIↃIↃ LXIX. his ſuae membra expendiſſe, neque modum invenire potuiſſe, quo ſatisfacerent. Exiguam admodum provinciam eſſe; e qua, ubi quam latiſſima, duabus horis exire liceat. Mediam partem ingenio loci ſterilem valde, alteram vix cum magna impenſa fructum ferre. Proximis XL. annis, quibus in Caroli Quinti poteſtatem tranſiiſſet, praeter alia quoque tributa, aes alienum centum florenorum millia contraxiſſe; cuius uſura etiamnum premerentur. Inſuper praeteritis turbis valde adflictos in tutelam cogere militem debuiſſe, cuius ſtipendio exhauſtum aerarium. Inde deſertam civibus urbem, & commercia imminuta, ne in pace quidem frequentia. Agrum etiam ſubiectum, in tranſitum copiarum apertum, amicisque pariter, & hoſtibus expoſitum, fortunis plurimos evertiſſe. Huc accedere maxima agriculturae incommoda; exeſa paſſim a muribus ſata, aut aggeribus ruptis merſa: ac mortalitatem pecoris. Nunc ſi tributum intolerabile porro flagitet, publicam paupertatem fore. Olim regem Philippum, florentiſſima adhuc provincia, quum centeſimam rebus ſoli, mercibus autem quinquageſimam indixiſſet, intellecta territorii anguſtia, & tributi ordinarii gravitate, tantum XXVIII. florenorum CIↃ. in octennium diſtributa, imperaſſe, ac ſperare, indulgentiam tam laudatam ſibi hoc tempore in exemplum propoſiturum. Quia tamen, adfectu in Belgium, quietem eius, ac religionem avitam, maximis omnino impenſis conſervaſſet, ut agnoſcere beneficium viderentur, ſeptuaginta duo millia florenorum in ſexennium proximum obferre, ita tamen, ut duodecim, iam expenſa, ei ſummae deducerentur; & interea tributi ceteri immunes forent. Deinde etiam, ſi tempeſtas alibi aggeres diſſiparet, tum illius anni portio in ſequentem differretur. Non contento his Albano, iterum oratum ablegant. Magno turbas proximas ſtetiſſe; & expenſa c. florenorum CIↃ. ut obſequium, fidemque in regem tueri liceret: quam ut porro teſtarentur, concedere paratos, quantum nulli principum ſuorum unquam feciſſent. Ea propter, praeter XII. illa CIↃ. quae ſolviſſent, alia adhuc c. offerre, ſexennio proximo perſolvenda. Sed quum vir propoſiti rigidus, ne ſic quidem placatus, niſi parerent, datam a rege poteſtatem, & arma, non obſcure minaretur, tertium deprecatores mittunt. Eam ſibi ſpem fuiſſe, ut honeſtam orationem obtinerent, praeſertim tam ingenti pecunia; quam, obſequii in regem proni, nunquam antea conceſſam, in ſumma aerarii neceſſitate, decreviſſent. Supra illam nihil poſſe. Seorſim etiam quinque collegiorum praeſules repraeſentabant, ſuorum bona, ſine ſummi pontificis conſenſu, ſub commercio laicorum nullo modo comprehendi. Et in bulla de coena domini, eos qui tributa permittunt, non minus quam ipſos exactores, uſu ſacrorum prohiberi. Item proximo cum Carolo V. tractatu, quando ius in illum rerum temporalium transferretur, a tributis gravioribus expreſſo pacto immunes habitos. Nequaquam ignaros, datum regi a pontifice, ut dimidiam bonorum partem ditionum ſuarum eccleſiis imperaret. Quae res quando gravius ipſos, quam ſecularium quenquam premeret, enixe iniuriam manifeſtam deprecari. AEgerrime hanc exceptionem Albanus tulit, & bullae eius adlegationem; quam de oppreſſoribus loqui inquiebat, non de veris eccleſiae patronis: inter quos locum ſibi minime poſtremum deberi. Inde, accito Antuerpia typographo, cum, Senatu permittente, excuſam intelligeret, graviter illi ſuccenſere. Moxque certior, factum negligentia Torraei; prius eum aliquamdiu in publicum prodire vetat, deinde in annum munere ſemovet. Vt autem Vltraiectinos cogeret, quorum exemplo alii quoque iam recuſabant, legionem Longobardicam illuc mittit; in qua x. Hiſpanorum ſigna erant; quîs promiſcue, nullo ordinis ullius reſpectu, hoſpitia ſua cives darent. Neque excuſaretur quiſquam, praeter epiſcopum, templi Martiniani Decanum, & Wyckerslotium, ad D. Mariam Canonicum; cuius frater regi a cubiculo erat. Eorum effrenis inſolentia eo gravior civibus incubuit, quia, ſi non mandatum Albani, certe deſtinatio fuerat; idque illis minime ambiguum impunitas flagitiorum magis prodidit. Sed immite conſilium conſtanti patientia fregerunt: & extremo Novembri, quum praeſidii anguſtiam ipſe miles quereretur, ſigna duo Amersfortiam ſunt translata. Quia vero gravem omnibus decimam, & viceſimam videret; ut inviſa nomina mutaret: differre propoſitum velle oſtendit, ſi pro iis univerſim in annos ſingulos ſex ſequentes vicies centena CIↃ. promitterent, initio facto a die X. Kal. Septembris, quo viceſimam, decimamque conceſſiſſent. Inſuper, cum tantilla pecunia ſumptibus vix ſubfectura videretur, poſt ſexennium, altera centeſima aerario ſubvenirent. Huic rei deliberandae menſem dedit. Et initio aequior quibuſdam viſa fuit; ſed expediendi ratio, gravi pridem aere alieno, perdifficilis cenſebatur. Alii opinari: temere conſenſum dici, quamdiu Vltraiectini detrectarent; quum non aliter promiſiſſent, quam ſi omnes acquieſcerent. Erant etiam, qui viceſimam, decimamque, leviorem exiſtimarent: per tot profugos, & diſſidium Anglicanum, detritis vehementer commerciis. Nonnulli privatim amplius rato ab ſe exigi quaerebantur. Quippe olim inſtitutum, ut pecuniae, a principibus rogatae, Flandriae trientem ſolveret Brabantia quadrantem. Hollandia Flandrici tributi quadrantem; Arteſia, Hannonia, ac ceterae provinciae, ſextantem ſingulae penderent. Quibus temporibus bellum contra Galliam geſtum, placuiſſe, ut limitaneae tributi expertes haberentur: nunc pacatis valde iniquum, ut Flandriae trientis neceſſitas, Brabantiae quadrantis maneat. Rectius tributum omnibus legitimum diſtinctum iri. Contra Arteſii, Hannonii, Inſulani, Duaceni, Orchienſes, ac Namurcenſes contendebant, a maiorum inſtituto nil omnino recedendum. His diſſidiis difficilior rerum ſtatus, ac provinciarum diverſa ſtudia novas poſtea turbas dederunt. Quin augente Albani odio, plurimi mutationem exoptabant; etiam illi, qui maiorum religionem ſequebantur. Publica

Digitized by Google

CIↃIↃ LXIX. ca passim querela erat, & perpetuae servitutis ingens metus. Ac plerique ita sibi persuadere: *post decennium bonis omnibus evolutos, nondum tamen a tributo iniquissimo liberos fore*. Angebat magis, quod suspecta cuiusque conscientia, curas animo occultare, nusquam profiteri ausi, cogebantur. Quippe empti delatores, qui colloquiis sese hominum inserentes, innoxia saepe verba proderent. In tam iusta populi querela, aut occulta indignatione, deploratas Belgii res ad Auriacum defert Paulus Busius, tunc Leidensis urbis syndicus, post Hollandiae advocatus; qui aliis ab Hollandiae Ordinibus Bruxellas legatis collega datus, quum redirent domum ceteri, simulato Antuerpiae negotio, & quibusdam aliis locis, clam Dillemburgum diu noctuque iter festinat; ibique Auriacum alloquutus, iniquam Albani pertinaciam, & Belgarum communem offensam multis exponit. Inde biduo quam venerat discedens, suosque quantocius subsequutus, non multo tardius in Hollandiam redit. Atque ex eo tempore crebra illi cum Swetano, ac Calslagio, consilia; & occulta nonnunquam in Albinianis, ubi aedes Calslagius habebat, colloquia fuerunt. Exorientis dissidii fama ingens profugis spes adfulsit, brevi fore, ut, mutatis rebus, patriae, ac fortunis redderentur. Auriacus vero, nova de Belgio liberando consilia agitans, omnia rerum momenta expendit, prioris propositi fortunam correcturus. Et, ut certior successus esset, cunctandum aliquantisper ratus, interim Lancelotum Brederodium Veenhusium, Albertum Egmundum Meresteinium, Adrianum Menningum, Bartholemaeum Entesium, Embisium, Ruichaverium, aliosque naves bellicas parare iubet; classemque universam Hadrianus Bergesius Olhanus duceret. Qui, dum mare passim infestat, tempestate in Flevum actus, naves prius sexaginta, quae e Dania, Sveciaque adveniebant; mox alias XL. adgressus, expugnavit: mercibusque direptis, terrore ingenti commercia concussit. Eadem aliis quoque mandata. Insuper ipse, nullius laboris parcus, passim omnes, quos causae suae favere crederet, orat, atque obsecrat: *oppressam graviter libertatem provinciarum ne desererent*. Per literas quoque ubivis locorum profugos hortatur: *tam egregiam voluntatem ut pecunia adiuvarent, sine qua frustra quicquam tentari, nec patriam liberari posse*. In hoc proposito praeclaram illi operam dabant, Didericus Sonoius, Albertus Vchtenbroucquius, Hadrianus Svvetanus, Iacobus Wesenbecius, Ioannes Basius, Reinerus Cantius, aliique. Quin ut tuto commutare literas possent, inventae arcanorum notae; quae neque interceptae consilia proderent. Elizabetha, Angliae regina, *Henricus Philippi* dicebatur. Daniae rex, *Petrus Petri*. Navarrae, *Antonius Iacobi*. Ferdinandus Albanus, *Paulus Albasius*. Gulielmus Auriacus, *Martinus Gulielmi*. Megensis, *Vultur*. Didericus Sonoius, *Daniel Santenus*; aut, *Nathanaël Calcarienſis*. Albertus Vchtenbroucquius, *Adolphus Sonnius*. Drunaeus, *Gerardus Traiectinus*. Dein urbibus quoque, ac provinciis novata nomina; & appellata Hollandia, *Aes*. Enchusa, *Triton*. Horna, *Pollux*. Medemlacum, *Castor*. Alcmaria, *Pluto*. Amstelodamum, *Saturnus*. Edamum, *Hercules*. Monachodamum, *Radamanthus*. Brila, *Vulcanus*. Ager Vornensis, *AEacus*, Delphi, *Apollo*. Haga, *Iupiter*. Leida, *Mercurius*. Woerda, *Satyrus*. Dordracum, *Ianus*. Gouda, *Mars*. Roterodamum, *AEolus*. Delfs-havia, *Achelous*. Muda, *Phoebus*. Flevus, *Titan*. Texela, *Boreas*. Vltraiectum, *Proserpina*. Durostadium, *Thetis*. Gelria, *Chalybs*. Transisselania, *Stannum*. Bommelia, *Ida*. Daventria, *Venus*. Zutphania, *Ariadne*. Campi, *Iuno*. Zvvolla, *Pallas*. Arnhemium, *Io*. Novimagum, *Ino*. Groninga, *Astraea*. Embda, *Brunsvicum*. Hamburgum, *Hedelbergum*. Dillemburgum, *Dantiscum*. Wesalia, *Hafnia*. Ac haec XII. Zodiaci signa totidem anni menses erant; dies *gradus* nuncupabantur. Albanus interea, graviter Vltraiectinis succensens, quorum pertinaciam provinciis aliis exemplo esse aegerrime ferebat, quum insolenti valde praesidio adsensum extorquere frustra speraſſet, medio Decembri ad causam dicendam coram Senatu adesse iubet. Id quum constanter aliquoties feciſſent, multorum precibus, qui gratia in aula, & auctoritate valebant, offensam mitigare conantur. Insuper ad centena millia, quae obtulerant, alia quinquaginta addunt. Sed ille, neque sic placatus, sine exceptione parere iussos: *etiam ante actorum veniam supplices postulare* voluit, *& arbitrium exspectare. Aliter nec ius remissurum, nec praesidia deducturam*. Quod ubi ipsis intellectum, etsi iudicum haud occulta iniquitate, patientiae obstinati: *iure porro experiri; neque, integra conscientia, infamiam tantam in se, suosque admittere* statuunt. In ceteris provinciis id effecerat, ut e vicies centenis CIↃ. in biennium proximum dandis, singulae partem ratam promitterent. Paucis aliquot, quae Philippi dominatum pridem acceperant, permissa redemtio, ac Gelri quidem, quingenta quinquaginta CIↃ. Frisii, CXXVIII. Transisselani & Tubantes, XCIV. Groningenses, LX. distincta in certos annos penderent. Linganis decem CIↃ. dalerorum imperata. Per haec annus exspiravit. Indies vero crescente in Albanum odio, vix ultra obscurus adfectus erat; & clam agitari plurima, palam per occasionem mox tentanda. Sed Auriacus, explorato, pridem per aerarii inopiam se consilii frustra fuisse; quosdam etiam parum fidei constantes: qui, simul in Belgium cum exercitu adveniſſet, urbes se aliquot tradituros, aut auxilio adfuturos, promisissent; iterum incerta casuum experiri haud consultum arbitratus, symbolam prius ubique rogare; mensibus singulis, & septimanis, colligendam: etiam in ipsis Albani provinciis, ubi terrore cuncta oppleta. A Sonoio iussi hanc operam concionatores quidam praestare, qui ignoti per Hollandiam, & Vltraiectinum agrum versabantur; & occultis domiciliis apud religionis suae socios usi

CIↃIↃ LXIX.

CIↃIↃ LXX.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXX. usi, vim pecuniae satis magnam corradebant. Quippe in communi negotio, vindicandis conscientiis, patriaeque libertati instituto, nulli magis efficaces: quum homines forte haud indiserti, si non eloquentia sua, at pietate facile animos commoverent. Et fuerunt, qui, adfectu in Auriacum, patriamque, se quoque ipsos, sanguinemque suum offerrent. Idem mandatum Leidae acceperat Petrus Adrianus Weruius, & cum eo Georgius Epo; qui cum illic, tum Dordraci, Roterodami, Delphis, Hagae, alibique symbolam non contemnendam impetrarunt. In Frisia e selecta nobilitate, Petrus & Asinga Ripperdae, ac Pompeius Vfkensius, ad diem Kal. Febr. Sonoio nuntiant: *nulli se antea foederi obnoxios; neque quemquam, uti esset, petiisse: tamen bonis spoliatos, ceu communes noxae forent. Itaque patriae suae ergo, & libertatis, deinceps, ad vim propulsandam, Auriaco auxilia ferre certos. Quae tametsi nulla ipsis tunc in promptu, in proximam tamen Pentecosten sclopos trecentos parare velle.* Interim ad remp. ordinandam Albanus fertur. Ac Dordraci monetae praefectum, aliumque, adulterandae administrum, in carcerem coniicit. Et illi quidem, poena capitalis indicta; huic, ob imprudentiam aetatis, multorum interventu, gratia facta. Vtque porro fraudem prohiberet, Id. Martiis edicto cavet: *ne moneta quis argentea qualicunque uteretur, nisi quae Philippo auctore cusa, aut signata esset.* Res utilissima publice visa, magis privatim ipsi quaestuosa. Inde ad religionem animum advertens: *libris vetitis plane abstinere* iubet; & Theologis Academiae Lovanienſis dat negotium, *Vt, notatis auctorum locis, quae maiorum pietatem laederent, indicem facerent;* editum postea, hac cautione: *ne in eo, sine praefecti, aut senatus auctoritate, quisquam aliquid mutaret.* Additur curae isti Arias Montanus, vir egregia literarum fama; qui, mandata a Philippo Bibliorum editione, recens ex Hispania advenerat. Tum typographis quoque, & ludi literarii magistris leges praescribit. Cameraci, & Machliniae synodos habet; in quibus episcopi multa decrevere, secundum Concilii Tridentini statuta: a quibus discedere quemquam, fas non esset. Item de iudiciis criminalibus multa constituit, in speciem non iniqua; quae nullo privilegiorum, legum, immunitatum, aut consuetudinum respectu, tantisper observarentur, donec de iis, scripto repraesentatis, plenius cognovisset. Formulam quoque sacramenti proponit, iis sequendam, qui ad iudicum officium, aut aliud aliquod munus publicum promoverentur. Per hoc tempus, quum comitia Spirae Nemetum Maximilianus haberet, profugi Belgae, communicato cum Auriaco consilio, de vi, & oppressione Albani conquerentes, Caesarem, atque Imperii principes, supplices orant: *ut suo nomine apud Philippum intercederent.* Idem Culemburgensis, Bergensis, Hornana, & Batemburgicus, fecerunt debitum Imperii clientibus patrocinium implorantes. Ac faventes e principibus multos sane habuerunt; qui & causam adiutare, & orare etiam Caesarem: *quando pars Imperii Belgium esset, miserius aerumnarum, pacem religionis, qua Germania frueretur, ipsis quoque procuraret. Iam semel apud Philippum egisse, nec propositum tam laudabile destituere. Pergeret pacis istud studium praeseferre; ac suaderet porro regi, ne vim ullam conscientiis in negotio fidei faceret: neve vita, ac fortunis subditos supplices everteret.* Et inclinabat in rem aequam Maximilianus; quum legati ab Albano, & Catholicae religionis reliqui principes, optimum Caesarem in contraria omnia agerent: *licere regi, in rebelles pro arbitrio animadvertere: neque hanc curam ad Imperium pertinere.* Tunc sententia in Vltraiectinos lata, qua suffragium in comitiis clero iuxta, ac nobilitati ereptum. Magistratui urbano, aliisque civitatibus tertii ordinis, etiam privilegia omnia. Qui, hoc quasi fulmine percussi, ad regem provocant. Idque Albani iram accendit. Igitur deprecatum mittunt in Hispaniam Gulielmum Veuselium, ad D. Petri Decanum, antiqua pietate, & praestanti eruditione, virum; quamvis periculosa legatio crederetur, recenti exitio cum Montinii, tum Bergensis, aliorumque. Isque cordate factam ab Albano iniuriam regi supplex repraesentat. Sed Albanus, spreta provocatione, per literas Vltraiectinis nuntiat: *etsi post sententiam latam, omnium in provincia munerum penes regem potestas esset; tamen singulis magistratum prorogare, donec aliter facto opus viaeretur. Interim providerent sedulo, ne quid in iure dicendo, aut civibus regendis resp. detrimenti caperet.* Tum provinciae quoque praesidem, ac senatum, *comitia deinceps ulla habere, aut ordinum munere defungi*, vetat; Franciscum Bothium, aerarii quaestorem, rationes publicas Bruxellas transmittere, pecunias vero fisci quaestori tradere iubet. Huius quoque rei certiorem regem faciunt, & quoscumque faventes sibi in aula eius existimabant. Interim, quia intoleranda Hispanici praesidii ferocia vexabantur, omnino satisfacere Albano, & placare iratum studeant, Sed illi rei Florentius Thinnius ter ablegatus, re infecta domum rediit. Et obtulerant, si comitia antiqua daret, ac praesidium evocaret, florenorum centum octoginta millia. Rex Philippus, pontificis consensu, & consilio Albani, ac senatus, Madriti anno superiore diploma dederat XVI. Kal. Decembres, quo turbarum veniam Belgis promittebat; sed tam lata exceptione, ut paucorum beneficium videretur. Illud, hactenus dilatum, nunc Antuerpiae promulgat, XVI. Kal. Sextileis. In foro maximo, ante curiam, theatrum ligneum erectum erat, aliquanto sublimius, panno oppansum. In summo, solium magnifice instratum, regis locum repraesentans. In hoc consedit, fastu nulli legatorum in id tempus usitato. Ad utrumque latus, depressiore paullo sedili, feminae duae Antuerpianae, praestanti forma; quod indicium populo erat: *iam placatum regis animum, ac clementer ipsum deinceps esse habendum.* Prodeuntem ad gradus usque stipatores deducebant; forum miles obsidebat. Ita cum magno armorum terrore pacem pronuntiat, gratiamque delictorum, minus acceptam, quia

CIↃIↃ LXX.

pau-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXX. paucis adeo utilem, omnibus dubiam. Quamobrem rari confidere ausi domum redierunt, homines nullius fere loci, quos tenuitas fortunae, numerique infrequentia, tutos praestitit. Mense Augusto Anna Austriaca, Philippi matrimonio destinata, in Belgium venit. Proficiscentem fratrum minimi Albertus, ac Wenceslaus, & selecta nobilitas comitabantur. Deducendam Caesar dederat Ioanni Hoio, Monasteriensi episcopo, & Borussici ordinis praefecto, Sub adventum, profugi Belgae Emerica exacti, ubi tunc Arscotanus, ac Noircarmius, erant, honoris ergo obviam missi. Quum regina Noviomagum adpulisset, solemni ritu in Albani manum traditur. Illic Gelriae, Hollandiae, Vltraiecti, Frisiae, Transiselaniae, Groningae, Ommelandiae, ac Tubantum, obvios legatos habet; matrimonium novae nuptae gratulantes, tum egregia quoque munera offerentes. Inde Albano deducente, Antuerpiam abiit; ubi regio plane adparatu excepta, a ceteris Belgii sui provinciis, ultra Mosam, & Scaldim, positis, vota itidem, ac munera accepit. Hinc profecta in Zelandiam, classem Flissingae conscendit; ducente Maximiliano Bossuvio, maris praefecto. In Hispaniam abeunti comites ab Albano dati, Ferdinandus Toletanus filius, Rodericus Toletanus, & Christophorus Mondragonius, cum legione sua eam ob causam Daventriam evocatus. Ipse Albanus, quum & antea successorem dari sibi a Philippo postulasset, id potissimum nunc agebat, ut novam dominam ad regem maritum deducere liceret; sed obtinere commeatum non potuit. Dum haec fiunt, sedulo Auriacus de restituendo Belgio agitare. Pridem naves plurimae, eius iussu, mare commerciis infestum reddebant. Nunc de urbibus quoque capiendis cura erat. Itaque clanculum per Sonoium Enchusam solicitat: isque pene rem perfecerat, occupatis civium plurimorum animis, quum obortum tamen aliquod improviso impedimentum, summo, quod mirandum valde, consilii secreto, in sesquiannum differre coegit. Interim symbolae in Hollandia boreali, duorum maxime concionatorum opera, per pagos plurimos institutae; & conventicula item crebra, nullo Albani metu, habita. Illi ad populum commeare frequentissime, & periculum alternare, literas ferre, ac referre; quae interceptae, ne arcana consiliorum revelarent, de frumento, aut commercio aliquo simili agere visae. Id vero commercium urbes erant, Horna, Enchusa, aut Medemlacum. Pariter in australi Hollandia de Dordraco occupando, Brila, Roterodamo, Delphis, agitatum. In Transiselania, de Daventria, Campis, Swolla. Sed consilia haec, impedita, aut non tentata, irrito in hunc annum conatu fuere. Quia autem naves bellicae insolentius piraticam exercebant, ut infamiam belli sui emendaret, dato illis praefecto Lumbresio edictis pluribus licentiam adstringit. Inter cetera, laudabili virtutis exemplo: *procul ambitione omni, & avaritia, boni tantum publici curam habere* iubet; *neque militem, nisi famae integrum, legere; criminique, aut lictori non obnoxium.* Tum concionatorem singulis item navibus imponit: qui pietatem, & sacras preces exerceret. Non multo post, diversis temporibus, naves circiter quinquaginta, varie onustas, invaserunt. Ductores dati, Lancelotus Brederodius, Hedrianus Menningus, aliique, Valentinianis tria Germanorum millia in praesidio agere; & stipendium, diu debitum, per tumultum flagitantes, Lodronio, ac ductorum nonnullis, vincula iniicere. Idque Albanus indignatus, stipendii parte per legatum, & venia, data, in auctores clam inquirit. Mox Antuerpiam, in spem reliqui, evocatos, quum haud longe ab urbe abessent, immissis Hispanis, separata tumultus capita ante arcem gladii, aut laquei poena adficit; ceteros exauctoratos, sine stipendio, ac commeatu, Belgio excedere iubet. Hoc Septembri mense gestum. Novembri proximo, quum gravissima tempestate rupti aggeres, plurimum passim per Belgium aquarum exundavit; multiplici hominum, ac pecoris strage. Mersa passim templa, domusque, & ager pene universae Frisiae; vix urbibus salvis, quae aquis undique circumsessae. Tristis rerum facies erat; pluribusque interceptis, nonnullos aedium quarundam tecta, aliaque fastigia, aut trabes innatantes, servarunt. In tam magna calamitate egregium pietatis specimen Caspar Roblesius Billius dedit, provinciae praefectus, qui Groningae tunc agebat. Quippe praeclaro in miseros adfectu, passim nutantibus, aut excelsa quaeque complexis, navigia submisit, quibus a morte praesentissima tristissimas fluctuum reliquias reduceret. Insuper, reip. misertus, quae aggeribus, aut cataractis reparandis iusto gravius premeretur, anni sequentis tributum remisit. Et, homo Lusitanus, antea odio gentis invisus, tam insigni beneficio, animos omnium sibi obstrinxit. Vix aestimari clades possit, & periere in sola Frisia hominum fere xxclↃ. nec immunis Flandria fuit. Grevelinga, Dunkerka, Neoportum, Ostenda, Watervlietum, aliique pagi, experti. Concussae vehementer Brugae. Eversa cataracta Gandensis, quae Sassa vocatur; & Gandavum ipsum usque ad Caesaris portam aqua excurrit. Minus periculi Brabantia habuit, si Antuerpiam excipias, & pagos aliquot, Scaldi vicinos. In Zelandia, praeter reliquam pecorum, aggerumque cladem, hominum clↃ. clↃ. clↃ. absumta. Gravissime vero Hollandia quoque laboravit. Roterodami, ac Dordraci, aliisque in urbibus, ad tertium pedem aqua plateas supergressa est. Ad Papendrechtum; & in insula Crimpensi, septem locis disiectus agger, incredibile quantum hominum, pecorumque, abripuerit. Pagos mari adiacentes, eadem procella invasit; ac potissimum Scevelingam, ubi eversae aedes cxxviii. Naves, in litore stabulantes, statione sua eiectae, per plateas, ceu Oceano, ferebantur. Et ingressa templum aqua, supra tertium pedem alta, in ipso sacrario gravem e ferro cistam subvertit. Im-

CIↃIↃ LXX.

ma-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXI. mane damnum Amſtelodamum etiam accepit & qui Mudam ducit agger, tredecies perforatus. Partem cladis provincia Vltraiectina ſenſit, & Hollandia Borealis, inſulaeque adiacentes. Zypae e CIV. aedibus vix relictum quicquam fuit. Caninam ſilvam, miraculum loci, rupto exteriore aggere periclitantem, interior moles, tam immanis, vix ſervavit. Certe Belgio luctuoſus iſte caſus: & qui, praeter ceteram iacturam, hominum ſupra centum CIↃ. intercepit. Hiſpani iuſtae ſanctorum irae rem adſcribere; quorum imagines temere Belgae violaſſent. Sed ſimplicius ipſi Belgae iudicare, nec vindictae eos cupidos arbitrari: nulli tamen dubium erat, irati, ob peccata Dei indicium eſſe. Multum haec res conſilia Auriaci perturbavit; nam de Enchuſa capienda, aliisque Hollandiae urbibus cogitabat; iamque in Amaſia flumine naves, copiaeque paratae; & in Anglia item Lumbreſius claſſem inſtruere. Sed, quia tempeſtas aliquot naves valde adflixerat, & egreſſae ripas aquae incertum nautis alveum fecerant, dilatum neceſſario propoſitum. Mox obiectum aliud quoque impedimentum. Ioannes Baſius, qui literas ad ſenatum, & mandata, allaturus expectabatur, vix IV. Non. Decembris Embdam venit. Quo tempore, Euro flante, obortum gelu intenſum fuit. Et Lancelotus Brederodius, qui, negotio in ſe recepto, cum quibusdam navibus praeceſſerat, Texelam inſulam occupaturus, eiecta ex imo mari glacie, irritus profectionis, aegre rediit. Enteſius, Mentheda, & Ruichaverius, quo evaſiſſent, aliquamdiu ignoratum. Ac Ruichaverius, in Flevum delatus, naves quinque obvias invadens, redemtionem vectoribus imperavit. Hinc Embdanus, ceu illato ditioni ſuae damno, offenſam praetendens, naves XI. detinuit, ac cum iis nobiles Friſios, Mepſium, & Ianſemam, abbatemque Heumelium, quem e Friſia captum abduxerant. Inſuper Theodoro Bremano vincula iniicit, & arctam navibus cuſtodiam adponit. Hoc rei eventu, ut impenſae minuerentur, retentis navibus, militem dimittere placuit; ſed non ſpem occupandae Enchuſae, quae in occaſionem dilata. Adhuc clam conſilia erant, neque quicquam ad Albanum emanaverat: eo que enixius occultata, ne ille, aliqua ſuſpicione, interea praeſidium imponeret, ac ſucceſſus ſpem eriperet. Embdani factum Sonoius Auriaco per literas exponit; interimque ex Haio & Vnico Manningis fratribus, uno Embdae, altero Nordae praefectis: *rem a Caeſare mandatam* intelligit, *& Embdanum dilaturum etiam fuiſſe, niſi certo per Monaſterienſem epiſcopum comperiſſet, eas Albanum invaſurum; aut, gelu impeditas, exuſturum. Ideoque, quum primum ſalva exiſtimatione poſſe videretur, praevertendum exiſtimaſſe. Maxime, ſi conventu proximo circulorum rata Auriaci mandata haberentur. Graviter conqueſtum Albanum, quod piratas adiutaſſet. Et libellos ſeptem traditos, quis deberet reſpondere. Inſuper, non obſervatam uſquequaque militiae diſciplinam; &, nulla ductorum reverentia, in amicos, pariter atque inimicos incurſatum. Ac potiſſimum Baſii culpa id eveniſſe; qui promiſcue, in paucas ſaepe ſeptimanas auctoraſſet homines per egeſtatem flagitioſos, quique arma in praedam verterent: quumque ſacri Imperii ſubditi, de illato ſibi damno conquerentes, reddi bona poſtularent, his ferociter reſpondiſſet; alios, ne reſponderet, eluſiſſet.* Menſe Decembri Hermanus Ruterus, pridem inſtitor boarius, vir audacia inſigni; ſolis tribus comitatus, Loveſtenium, arcem prope Gorcomium ſitam, in Bommellienſi inſula, ad Moſae & Vahalis confluentes, ſub veſperam habitu Franciſcano ingreſſus capit; ac, praefecto caeſo, aliquamdiu tenuit; dum ſperatum a Bergenſi auxilium adeſſet, quod gelu impeditum. Interim cum XXIV. commilitonibus locum munit. Ad rei nuntium miſſus a Roderico Toletano Silva Ducis Laurentius Perea cum ſclopetariis CL. & haſtatis X. iſque ubi ad arcem adveniſſet, deditione poſtulata, quum negaret Ruterus, adductis tormentis, vim tentare. Suorum virtutem egregia oratione Ruterus accenderat: certumque omnibus: *extrema pati; & honeſtam potius in armis mortem, quam infamem lictoris manum experiri.* Primo adventu, quum pro muro nullae excubiae agerentur, petitis e loco vicino ſcalis, duplice, quae interiacet, foſſa clanculum ſuperata, praeſidiarios intra arcem Hiſpani compulerant. Inde, impetu facto, cominus utrinque pugnatum eſt. Tandem per adpoſitas ſcalas ex altera parte irrupere, obvium quemque obtruncantes. Ruterus ſe in conclave recipere, ſparſo in aditu pulvere tormentario; ac, romphaea acriter pugnans, irruentes ſubſtinere: ita ut viri fortitudinem ipſe hoſtis miraretur. Ad extremum, edita ingenti ſtrage, vulneribus obrutus, iniecto in pulverem igne ambuſtis obpugnatoribus, glorioſa morte occumbit. Mortui caput, Silvam adlatum, patibulo affixum fuit. Capti e ſociis decem & ſeptem, atque Antuerpiam adducti; moxque ex his ſuſpenſi quindecim, duo in rota excarnificati. Conſilium Rutero erat Gorcomium etiam, ac Worcomium, fluvioſque occupare. Et e civibus nonnulli coniurarant, qui valde angi, ne proderentur. Verum id, Ruteri morte, apud quem chartarum indicia nulla omnino deprehenſa, occultatum. Adiuverat negotium inter primos Hadrianus Hovelius, vir conſularis, tunc in Cliviam profugus, & Vchtenbroucquio, Weſenbecio, Sonoio, Cantio, aliiſque, arcanorum particeps. Circa id tempus res ridicula plane accidit, in qua animi moderati ſignum ab Albano datum. Lovanii declamator quidam eius laudes, ceu ob Belgas, Germanos, Italos, Gallos, atque Mauros debellatos, putide ſatis, & ad auditorum nauſeam, memorabat. Qui quum hominem ingratae eloquentiae incondito ſtrepitu exploſiſſent, idque adfine contumeliae videretur, angi animis Academiae profeſſores; utque offenſam declinarent, Elbertum Leoninum, & Ioannem Wameſium, primi loci nominiſque iureconſultos, Bruxel-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXI. las deprecatum mittunt. Hi quum factum multis verbis excusare niterentur, edito ab adstantibus strepitu vicissim turbati, ab Albano dimissi fuerunt. Neque is ulla ultra ira contumeliam vindicavit. Anno sequente explorato quid Sonoius, & Haestrechtius, molirentur; apud ducem Cliviensem, ac senatum per literas queritur: *homines noxios, & turbarum contra regem irritamenta, in sua passim ditione tolerari.* Megensis quoque, Gelriae praeses, senatui nuntiat: *captivos aliquot pridem per tormenta fassos, Vlstae expugnationem, & Herenbergae, Sonoium, ac Drunium adiutasse; illum vero, etiam pecunias, bello contra regem gerendo, corrogare. Ideo petere, uti poena crimen adficerent; aut, si negligant, se, quod facto opus esset, curaturum.* Inde veritus Cliviensis, ne consilium invadendae Emericae, ubi agebat Sonoius, Albanus caperet; Stephanum Stenium, urbis praetorem, capere Sonoium, ac Drunium iubet. Isque noctu postridie Eid. Febr. quinque lictoribus comitantibus rem adgressus, neutrum in aedibus comprehendit. Sonoius, urbe forte absens, a Maria Malsena uxore monitus, ut periculum evitaret, aliquantisper emansit: graviter apud Cancellarium, Gulielmum Leium, aulae praefectum, & Ioannem Laurimannum questus: *se indigenam, & equestri dignitate, nulla principis sui offensa, praeter iusque fasque obprimi. Permittendum omnino fuisse, ut anni isto seculo decimi beneficio iuxta alios frueretur. Hanc vero tam iustam querelam ad ordinem equestrem comitiis proximis deferre statuisse.* Intercedere etiam Hermannus Nuenarius; literasque ad senatum universum, ac Cancellarium, & nonnullos senatorum seorsim scribere; quis effectum, ne quid sequius in Sonoium, in praesens quidem tentaretur. Mense Martio naves grandiores xxx. quarum viii. commeatum a Ludovico Nassovio acceperant, piratae invadunt. In Flandria Miegenus, & Blommartus, per Petrum Ryckium clam officia sua deferunt, copiis in agro Aldenardensi comparandis auctoramentum postulantes. *In promtu magnam praedam, tanta opulentissimarum abbatiarum, aut monasteriorum, per agros circumiectos frequentia. Ronsae S. Hermetis capulum* c. *florenorum* clↃ. *aestimari. In propinquo ingens nemus, ubi occultari copiae possent, tum illic parari faciles, tum Schorsae, Marcae, Meldae, Edichovii, Quarmontii, & Sulsecae, quibus locis conciones clandestinae habebantur. His accessuros quoque alios, qui Gandavi, Tornaci, & Aldenardae, clam patriae libertatem agitarent.* Sed hic conatus, etsi dato ab Auriaco auctoramento, sine successu postea evanuit. Petrus Arlerius itidem secreto, iussu Auriaci, de Camporum, Daventriae, Svvollae, Zutphaniae, aliarumque urbium, deditione cum civibus earum agere; quae non ita difficilis foret, ipso mox cum magno exercitu adventuro. Atque ut is consilia eo dirigere posset multo certiore eventu, pecuniam, aut obsides darent, Sonoius, & Vchtenbroucquius, Vltraiectinorum animos tentant, hortanturque: *considerarent gravissimas aerumnas suas; quas iugo excusso, cum libertate commutarent. Id praestare, quam tam durae servituti obnoxios sese, ac posteritatem habere. Ab Albano nil aliud agi tam immani tributorum indictione, quam, ut, omnibus in extremam egestatem dejectis, resurgendi postea potestatem adimeret. In procinctu Auriacum esse, qui Hispanis urbem, arcemque eripere velit; & rationem pridem ostenderit, libenter ipse obsequuturus, si quid rectius, aut facilius excogitassent.* Eiusdem mandato Nicolaus Camerlinus, in Hollandiam profectus, Iacobum Duvenvordium Warmondanum, Othonem Egmondum Kenenburgium, Benthusium, alioque e nobilitate pariter ac cives, rogat, in sua idem provincia facerent, ubi cum exercitu Auriacus adesset. Haec consilia, non sine ingenti periculo agitata, ita tamen clam Albanum fuerunt, ut egregio post eventu imprudentem plane obpresserint. Sed Vltraiectinis, arce munitissima, & praesidio valido, infestis, audacia defuit. Omnia extrema patiebantur, concussiones, contumelias, stupra, latrocinia. Quodvis flagitium impune erat. Saepius apud Albanum questi, quum nihil agerent, tum ad regem ecclesiastici querelam deferunt; utque semel tandem liberentur, supplicant. Sed ab eo ad Albanum reiecti, frustra se esse animadvertunt. Iam xx. totos menses, quidvis passi, nec spes ulla miseris reliqua; quum tanquam e machina Deus subito casu obpressos liberat. Augeri indies naves bellicae Auriaci, & ingentem saepe praedam mari adducere, Eam ob causam metuens Albanus, ne in littore locum aliquem occuparent; cohortes aliquot desinente mense Martio Leidam inde, & Alcmariam ire iubet. Moxque reliquas, postridie Non. Maii evocatas, Delphis imponit. Et, quia navibus bellum inceptari, ipse suas item instruit. Ex his unam, egregie armatam, Sigebertus Franciscus Medemlacenus, & Eligius Rudanus, Auriaco tradunt. Qui explorato, augeri quotidie Belgarum in Albanum odia, iterum cum illo experiri statuit; & auxilium ab amicis per Imperium totum petit, varieque classem parat. Qua instructa, magni aliquid praestitisset, si, quod enixe operam dabat, imperia eius valuissent. Sed homines, odio & licentia iuxta feri, leges, & ductores spernere; veteremque disciplinam conculcare. Eoque effectum, ut militiae tam corruptae praefecturam nemo in se, dignior paullo, admittere vellet. Sperans autem, si quem alibi a quoquam principe, restaurandis navibus suis, portum impetrare posset, tum se melius rem navalem correcturum; connivere, & poenam differre coactus fuit, Etiam a principibus quibusdam per legatos adversus vim Albani auxilia petiit. In Gallia fratre Ludovico Nassovio usus est. In Daniam, & Sveciam, Didericum Sonoium, Hermannum Merium, & Ioannem Clusium misit; vetitos tamen, Daniae regem quicquam rogare: nisi id legato Gallico, Carolo Danzaeo, videretur. Hique quum Hafniam viii. Cal. Iunias adpulissent,

CIↃIↃ LXXI. sent, ut iussi erant, Danzaeum consulunt. Isque edocet: *Nihil a Dano expectandum, qui Petro Oecksio ab arcanis uteretur. Nec spem esse, qui tam intra regnum agenti extraneo militi commeatum denegaret, eum aliunde advenienti concessurum, maxime quum pridem etiam, firmandae veteri amicitiae ab Hispano legatus adfuisset. Insuper armare naves, quae adversus piratas quosvis mare suum, cuius fines quam latissime ipse extenderet, tutarentur.* Quamobrem auctor esse illis, ut discessum maturarent. Quem adiutans, navi Rupellanae eos imposuit. Itaque avecti in Sveciam, Stocholmium, ubi aula regis, postridie Kal. Iunias venerunt. Quumque ab urbe rex abesset, unaque cum eo Pontus Gardius, cum quo consilia communicare iussi erant; Sonnebenum, Gardii pagum, quo vocatum ad epulum regem post biduum adfore intellexerant, abierunt. Vbi quid venissent effatos, ceu minus idoneo epuli tempore, Stocholmium rursum, quo rex brevi reversurus, discedere suadet. Solum Clusium apud se retinet. IV. Eid. missus a Gardio Ioannes Moinius ipsis nuntiat: *certum de legatione regem, sed decernere nihil posse, nisi gnarum, quo loco res Moscoviae essent: & bellum illa, an pacem, agitaret. Ab ea sua consilia pendere; nec militem alias necessarium dimitti integrum. Difficile insuper, annonam navibus procurare Cum fratre Carolo tamen conferre, eiusque affectum clam explorare velle. Et, quando nuper ab Hispaniae rege, atque Albano, legatus amicitiam orasset, tutius fratri persuasurum, ut negotium totum in se reciperet.* Pro hoc beneficio prolixe Gardio gratias agere Moinium rogant; & nonnulla, utiliter apud regem differenda, subgerunt. *Ac si, palam Auriacum iuvare, anceps putaret; quod periculi minus haberet, fratre Carolo uteretur.* Ad haec literas ad Gardium addunt. Interim quum Sonnebeno Gardius redisset, nec rem diligenter satis adcurasset, per Moinium conqueruntur. *Illudi sibi, frustraque tempus eximi, in negotio tanti momenti, & maturando.* Id postquam ei relatum, ut culpam amoveret, XV. Kal. Iulias Svvertzium eos ad regem adduxit. Illic admissos rex interrogat: *clam, an palam audiri vellent.* Quumque, *clam malle*, respondissent; iusso secedere comitatu, praeter Marescha-llum, & Gardium, literas ab Auriaco exhibent. Quas quum legi ipsi orarent rex respondit: *legationis testimonium se adgnoscere; iamque ante edoctum esse, ab Auriaco oratores advenire.* Tum latine adloquutus, si quid vellent, paucis enuntiare iubet. Itaque, data fandi copia, supplices exponunt: *virtutem ipsius effecisse, ut rem aequissimam, & orbi Christiano utilem, Auriaci mandato orare auderent. Non dubium esse, quin de Albani, primi antea Maurorum inquisitoris, in Belgas crudelitate audiisset. Advenisse cum magnis copiis Hispanorum, & militum exoticorum, quibus oppressas Belgii provincias adeo graviter vexaret, ut nullum sevitiae genus esset, quod non passim intentasset, nullo populi, aut procerum discrimine. Tyrannidi autem, ut tanto licentius graſsaretur, violatae religionis culpam praetexere. Atque hoc crimine regi suo omnino imponere. Quin, firmandae tam iniquae dominationi, in urbium plerisque praesidia, aut arces posuisse; contra Belgii iura, ac privilegia, quae rex a maioribus tradita sacramento confirmasset. Igitur coactum summa necessitate optimum principem, quando saepius tentatus Philippi animus nullum rationi, aut precibus locum faceret, occurrere Albano; &, restaurandae libertati arma adversus tyrannum sumere. Quando autem animus eius erga remp. Christianam, & cura, in aperto essent, eamque ob causam facilem adflictis, ac benignum, fore considerent, supplicatum adveniſse ne desereret iustam adeo piamque causam, quae ad omnes orbis Christiani principes pertineret. Quippe Albanum, subacto Belgio, caetera quoque, quamuis longe dissita regna, eodem religionis praetextu invasurum Idque ex foedere Baionensi anni* LXII. *satis manifestum esse.* Ad haec verba rex respondet: *& amare se Auriacum, & calamitatem Belgii deplorare. Ratum autem, Philippum regem, principum aliorum monitu, clementius multa acturum fuisse Quod quando aliter evenisset, cum Carolo fratre deliberaturum, sine quo nil constituere posset; ac responsum intra octiduum Stocholmium missurum. Interim, si videretur, ad eum proficiscerentur, & consilia conferrent; nec id sibi ingratum fore.* Illis dicentibus, *etiam hoc Auriaci mandatum esse, atque ad ipsum literas ferre*, rex rogare argumentum; quumque responderent: *commendatitias tantum esse* honeste dimissos e familia sua nobilem, arcisque praefectum, comitari iubet. Iamque in procinctu erant, quum per aulae praefectum mandat: *si quid ultra iussi essent, ipsi exponerent: aut, si mallent, per literas significarent, quo rectius negotio animum adverteret.* Igitur ad regem scribunt: *quum antea legationem summatim tantum enarrasent, id nunc pluribus facere certos. Ac denuo submisse orare, si palam ipse auxilia mittere non consultum existimaret, Carolo fratri partes traderet; qui, illustri virtutis exemplo, egregiam famam in prima aetate ad exteros transmitteret Idem proximis Galliae bellis quosdam Germania principes fecisse. Quod si neque hoc expedire regni sui rebus videretur, hominibus extraneis, quorum certa fides consilium permitteret, a quibus naves impetrarent. Tum militem quoque peregrinum, & portum Elsburgensem concederet.* X. Kal. Iulii Novicopium ad Carolum venerunt; ac postridie ad eum admissi, eadem, qua apud regem fratrem, oratione utuntur. *Notam orbi Albani tyrannidem, cui obicere se Auriacus pararet. Sed quum vires egregiae voluntati impares essent, auxilia oratum ablegasse, quem bene sibi velle, & reip. Christianae ex animo studere confidebat.* Laudare orationem Carolus; &, *gratum esse Auriaci iudicium. Iam diu Albani superbiam, ac ferociam, fama accepisse, & Belgii aerumnas commiseratum. Quas si quid levare posset, cum rege fratre consulturum, ad quem iter instituebat.* Quum recessissent, eo ipso die redire iussi, ac

CIↃIↃ LXXI.

CIↃIↃ LXXI. ac mandata plenius referre, postridie apud Carolum verbis pluribus legationem repetunt. Ac seorsim plus duabus horis Sonoius cum eo colloquium habuit. Quum Stockolmium venissent, Carolum illic exspectaturi, Gardium iterum, & Carolum Mornaeum Varennium accedunt; quibus ante discessum, datis ab Auriaco literis, negotium commendaverant. Ibi quum Mornaeus diceret: *Constare sibi voluntatem, nec bono publico quicquam anteferre*, Gardius interpellavit, *vidisse capita, quae mississent; & multum de* B *iis cum rege sermonem fuisse: cui naves concedere visum non esset, ob Erici praedecessoris aes alienum, quod in regni perniciem contractum. Dein, si Scotis in solutum naves daret, e vestigio alios quoque debitum flagitaturos. Atque hunc contrahendi modum cum contemtu regis coniunctum esse. Tamen naves permissurum, si de pecunia, in diem certum repraesentanda, mercatores caverent. Ad commeatum quod adtineret, eum curare minime posse. Ita pridem, quum in Prutenos duae mitterentur, penuria reverti coactas. Quod portum Elsburgensem peterent, eum bona fide promittere.* Postridie reversis, *non propositum se mutare* Mornaeus ait; *& adfuisse ductores Scotos, qui rogarent, daret operam apud regem, ut stipendii reliqua* LXXX. *dalerorum* clↃ. *solverentur. Respondisse autem, per contaturum ipsos, si naves tres quatuorve rex daret, an, quod Scotis placuisset, transferri in se illas vellent.* Biduo post nuntiare Gardius, *nolle regem ipsis naves dare, velle Scotis; igitur cum illis primum agerent. Ac nisi inter se convenirent, ne eos quidem accepturos.* Dicente Sonoio, *in alieno territorio, sine principis voluntate, legere militem non licere, eo que prius veniam a rege impetrandam*, respondere ille, *visum ipsi, ut cum Scotis transigerent.* Itaque cum iis actum, ut si tres quatuorve naves bello instructae in portu Elburgensi sisterentur, has acciperent eo pretio, quod Stocholmii, a delectis utrinque arbitris, existimaretur, Auriaco deinceps militaturi. Et equites lↃc. pedites cccc. imponerent. Ac illis quidem, qui plerique e nobilitate, etsi pedestri militia, equestre tamen novem in mensem dalerorum, stipendium daretur; itidem ductori peditum, & legato; quippe tale a Sveco habuisse. Et singulis trimestribus exhiberetur, quum primum urbem aliquam, aut portum occupassent. Sed post colloquia plusscula, quum promissis multiplicibus varie res protracta fuisset, tandem Erbovililus, aulae Caroli praefectus, & Lubbertus Covelius, consiliarius, xiii. Kal. Augusti, Caroli nomine denuntiant: *dolere ipsi, quod destinata Auriaco auxilia negare cogeretur. Perturbatas res Livoniae, quibus succurrendum esset. Insuper imminere etiam cum Poloniae rege bellum. Ea propter naves ullas, militemve auxiliarem, dare non posse.* Ad verba sua Caroli etiam literas addunt; quîs se ille apud Auriacum excusare. Postero die ad Petrum Brahaeum Wissinxburgium, & Nicolaum Guldensternium, cancellarium, vocati accedunt. Ibique, segregato comitatu, A Wissinxburgius illis exponit. *Accepisse nuper regem de afflicto Belgii statu, cui suppetias ab Auriaco postulatas. Nec alienum ab his animum; sed tam bonam voluntatem antiquum cum Hispaniarum rege foedus impedire, nec dum sibi violandum. Huc accedere ingruens bellum, per quod iusta excusatio. Cetera benigne erga Auriacum adfectum esse.* Sic dimissi, de portu tamen Elsburgensi quum serio agerent, eius usus per tempestatem, aut aliam quamvis causam honestam, vix permissus. In discessu Clusium illic reliquerunt, cum thalassiarchi vicario acturum, qui per Ioannem Coloniam centurionem Auriaco fidem operamque suam obtulerat. Ita irrita legatio fuit; nec cessare tamen Auriacus, & auxilia ubique locorum sollicitare. Ac nonnulli, Albani odio, si exercitum ad urbes adduceret, ut facilior expugnatio ipsi esset, aedibus suis ignem sese iecturos polliciti erant. Gulielmum Blosium Treslongum, qui post proelium ad Gemingam in C Edsardi Embdani familiam se dederat, duas naves armare iussit. Isque, petito ab Edsardo commeatu, Embdam profectus, & ab Anglo quodam navem bello instructam vclↃ. florenis mercatus, cum, Robollio in Angliam misso, qui inde abduceret, ipse Embdae rebus ordinandis haereret, magistratum per literas Edsardus comprehendere hominem iubet. Qui ocius obsequens, in vincula coniectum Lerortium mittit. Ibi per trimestre amplius, arcto admodum carcere detentus, D spondente Agatha Benigna Oplewertia, iniussu Edsardi Embda non se exiturum, vix dimissus, post trimestre amplius alterum, de iniuria, & vi questus: quia non iudicaretur causa, clam discessit. Ante urbem aliquot Auriaci naves erant. Has praefectus maris Boshusius mox invadit: & urbani Lumaeum quoque eiecerunt. Vltraiectini, etsi evocato praesidio, metuebant tamen, ne sub hiemem, profligatis Auriaci navibus, reduceretur: quod futurum rumor ferebat. E Hanc ob causam, ut periculum anteverterent, quando occlusae Albani aures, per Veuselium, nuper in Hispaniam profectum, id ne fieret supplices a rege petunt. *Obsequio in ipsum, & patrem Carolum, gratiam faceret, cuius exstarent praeclara exempla; ac pridem Megensem cum universa legione tutelae causa ultro in urbem recepisse. Postea Albanum Longobardicam imposuisse. Cuius licentia, ac superbia omnino summa; quam flagitiorum impunitas etiam auxisset,* F *impensa in banc* cc. *florenorum* clↃ. *adeoque aerarium suum adtrivisse, ut cetero tributo par non esset. Praeterea in urbe, longe a limite remota, & quam arx munita satis in officio contineret, praeter praesidium ordinarium aliud nullum opus esse. Itaque ne innoxios homines, & obsequii constantes, gravius premeret.* Et rex iustis precibus motus Albano mandat, *ne subditos suos sine iusta causa praesidio vexaret; maxime Vltraiectinos; quibus ea res perniciosa. Id pergratum sibi fore. Si necessitas tamen exigeret, negotium omne praesentis ipsius arbitrio permittere.* Ante

CIↃIↃ LXXI.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXI. te biennium pro viceſima, decimaque, imperata vicies centena clↃ. florenorum in annos duos obtinuerat. Id tempus quum nunc fere elapſum, conſilia priora revocare ad animum ſtatuit. Explorata quidem illi Belgarum odia; ſed vir rigidus, & offenſae, dum metueretur, ſecurus, propoſitum urget; recuſandi audaciam tot iam arcibus, & praeſidiis ſat coercitam arbitratus. Igitur pridie Kal. Sextileis idem edictum, ſed in ſpeciem moderatius, denuo proponit. Id cum ſumma querela exceptum; quam annonae, rerumque omnium maxima caritas aggerabat, &, *quo tempore vitam tolerare perdifficile, tributa intendi iniquiſſimum* videbatur. Exiſtimarant *decimae loco vicies illa centena* clↃ. *ſubfectura*. Sed dicere Albanus, *id in Hiſpania aliter acceptum; magiſque regi conceſſam ſemel decimam placere*. Hic quum Viglius, Schetus, aliique, reponerent, *non omnino ab Ordinibus conſenſum: inſuper periculum eſſe, ne hac ratione ſecundae centeſimae quadragies centena* clↃ. *amitteret*, ſtomachatus, *verum illos dicere* negavit. iterato aliquoties iuramento, *invitis omnibus exacturum. Conſiliarios, qui populum contra concitarent, aut defenderent, inſtar perduellium eſſe. Intereſſe regis, ne, noxio principibus exemplo, illuſiſſe maieſtati ſuae populus, & promiſſa per ludibrium immutaſſe, cognoſceretur. Daturum conſilio ſanguinis negotium, ut ceu de perduellibus cognoſceret. Magnam omnibus, ac potiſſimum Flandriae Ordinibus, qui Auriaco, aut Egmondano, non minus peccaverant, factam gratiam. Placando regi decimam fuiſſe, quam promiſiſſent. Longe plus conquiſiturum, ſi, quod iure optimo poſſet, bona cuiuſque ſub haſtam miſiſſet*. Plurimum id Hollandiae Ordines anxios habuit; &, indictis Hagae comitiis deliberarunt, quo pacto Albanum a propoſito divertere poſſent. Amſtelodamenſes, admittere promulgationem primo dubios, tamen Albani metus impulit. Nihilominus referri per apparitorem curant; *edictum publice univerſis, ſibi privatim maxime grave. Ex quo in ſuperiorem indictionem conſenſiſſent, damna plurima terra marique a praemiatoribus, & piratis, tum ab aquis, anno proximo menſe Novembri, accepiſſe. Deinde extraneos quoque principes naves, merceſque varie detinuiſſe. Ad has clades accedere rerum caritatem, & reliquum aeris alieni, adhuc pendendum; ut ab arce, & milite Hiſpano liberam commerciis urbem praeſtarent. Praeter haec ſi decimam etiam, & viceſimam, exigere pergat, ſalvam amplius civitatem eſſe non poſſe. Quamobrem promulgationem alia lege admittere non poſſe, quam ante biennium, cum ceteris Hollandiae Ordinibus, feciſſent*. Id Albanum valde offendit, & ad provinciae curiam in ius vocatos aliquot florenorum clↃ. mulctari voluit. Egerunt cauſam Ioannes Treslongus, & Nicolaus Diertius, uterque celebri tunc in foro facundia; ſed per iudices metu obnoxios ſecundum Albanum lis pronuntiata, & reis xxv. florenorum clↃ. multa indicta. A qua ſententia quum ad ſenatum Machlinienſem provocarent, iſque ad Albanum reiiceret, conſultum non rati, eundem actorem iudicemque experiri, negotium intermiſere. Sed tam rigidam Albani voluntatem obortae ſtatim turbae mutarunt, aut impedierunt. Ceterarum provinciarum eadem querela erat. Et per legatos depreçari ſingulae: *ne propoſitum exſequeretur. Quod ſi faceret, brevi remp. nullam habiturum. Potius aliud tributum imperaret, minus publice perniciоſum*. Quaedam exceptione uti, *non aliter ſe indictioni acquieviſſe, quam ſi communis conſenſus foret. Nunc quando Vltraiectini recuſarent, nec ſe teneri*. Vrgere nihilominus edictum Albanus, & vehementer ſuccenſere Vltraiectinis, cum quod novo ſe tributo obpoſuiſſent, tum quod de ſententia lata ad regem provocaſſent; & de ipſo, pariter ac praeſidio Hiſpanico conqueri apud eum auſi fuiſſent. Praeterea ſoli etiam legatos ad haec comitia mittere neglexerant; quod graviter interpretari ceu exemplo audaciam aliorum excitaſſent; quum conſilia tamen nuſquam contuliſſent, & aliam provinciae ſuae rationem crederent, quae nuper ſponte in Caroli V. poteſtatem certis conditionibus veniſſet. Itaque ſine regiarum literarum reſpectu, per quas parcere illis iubebatur, quamvis nullo circa urbem hoſte, & infeſto per Auriaci naves littore Hollandico, Harlemo, Delphis, Leida, Brilaque evocatos Hiſpanos Vltraiectum commeare iubet. Erant univerſim ſigna VIII. ſex priora, e legione Ferdinandi Toletani; ſeptimum, Conſalvi Braccamontii; octavum, Roderici Toletani. Haec per literas ad diem V. Kal. Novembris recipere in urbem, & cives profugos revocare praecipit. Itaque redit antiquum praeſidium XIV. Kal. Decembreis. Binis literis deprecati, reſponſum accipiunt: *imperatam militi modeſtiam, quam ſi migret, in promtu poenam fore*. Etſi tamen ille non minori licentia poſtea graſsatus. Queri Vltraiectini, *& aerarii publici, & civium ſuorum egeſtatem; neque exhauſtos ſubpeditare neceſſaria poſſe. Deinde iniquum, quatuor pridem urbium praeſidia, quarum aliquae, magnitudine pares, opibus ſuperarent, uni ſuae per vim imponi*. Sed obſtinato conſilii Albano, quum nil niſi perniciem manifeſtam exſpectarent, iterum fruſtra apud regem conqueruntur. Manſitque ad III. Non. Aprileis anni ſequentis, quum recuperandae Brilae emitteretur. Auriacus ubique ſuppetias rogare; & firmata in Gallia pace, Colinium, maris praefectum, cum proceribus religioni reformatae addictis fratris Ludovici opera, in ſuas partes pertrahere. Quin eo ventum eſt, ut ad regis quoque conſcientiam res deferretur; non inviti, ut praeferebat. Iamque, ceu vetere gentis odio, honeſtus belli praetextus quaerebatur; & iuſta ſatis cauſſa videbatur; *vel recuperatio urbium Belgicarum, quas olim Galli tenuiſſent: vel contumelia nuper facta in morte ſororis, quam Philippus veneno procuraſſe certis teſtibus ferebatur*. Ludovicus Naſſovius, ut rem promoveret, quae, non ſatis tuta literarum fide, niſi co-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXI. coram rege agi non poterat, quasi in Belgium iter adornaret, mutata veste, cum Franciſco Lanovio, Carolo Telinio, Ioanne Hangeſto, in aulam venit. Erat tunc rex Luminii in Bria, venationibus intentus. Hic cum eo de bello Belgico totos VI. dies privatim occultis colloquiis differit. Eius gerendi utilitatem, ac neceſſitatem, deinde rationem oſtendit. Ac placere oratio regi: A ſed quando inconſulto Colinio, quem belli ducem deſtinabat, ſtatuere, nihil quicquam poſſet: *maturare reditum* iubet, *ac Colinio ſuadere, ut ad ſe accederet*. Tum Auriaco literis valde benignis mandat: *ĕgeret militem, quemcumque in Germania poſset: neque quicquam, Belgio liberando neceſſarium omitteret*. CIↃIↃ LXXI.

GVLIELMI AVRIACI

LIBER SEXTVS.

CIↃIↃ LXXII.  Neunte anno a Sveciae rege ad Edſardum Embdanum legatus venit Pontus Gardius, cuius ſupra mentionem fecimus, XVI. equitum, & III. rhedarum comitatu. Is Edſardus Sveciae regis ſororem duxerat; & ſponſale pactum erat, ut Embdanus comitatus ipſi cederet. Sed id compoſitum inter fratres videbatur, quo facilius regiae adfinitatis honore alter potiretur: quandoquidem, illis celebratis, ius ſuum transferre in fratrem Ioannes nollet. Haec initio legationis cauſa credita. Quum vero tres amplius ſeptimanas apud Epiſcopum Monaſterienſem haereret, & Saxoniae Electorem, quem impediiſſe unum opinio erat, ne Auriaco ab rege Sveciae, ac fratre Carolo auxilia ulla ſubmitterentur, ſubſpicione non exigua adventus hominis, cuius verſutum valde ingenium compertum haberent, laboravit. Tum etiam, quando per Belgium in Galliam turus ferebatur, ipſo rem hanc adiuvante, metus erat, ne in tranſitu Auriaci conſilia, & legationem nuperam, nimis mature Albano aperiret. Igitur diu, quidnam agitaret, anxie exploratum; ſed cognoſci nihil aliud potuit, quam quod palam fama ferret. Vltraiectinos praeſidium revocatum nihilo, quam pridem, inſolentius adfligebat; & nec magiſtratui parcebat. Ioannis Tatii Amerongii conſulis filius in ipſa excubiarum ſtatione graviter vulneratus: ipſe, domi ſuae pene occiſus, quum ubique periculum timeret, apud ceterum magiſtratum cauſam teſtatus, ut ſaluti conſuleret, urbe exivit. Haec incommoda quum minuere Albanus deberet, augere inſuper, & tot iniuriis novam aliam graviſſimam addere; privilegia urbis, & ſtatuta poſtulando: archetypa omnia per praeſidem exhibere iuſſis. Id, quia iniquiſſimum foret, quum negaſſent, iterum iuſſi, deſcripta obferunt. Quae quum praeſes recuſaret, literas ad Albanum mittunt, per quas factum excuſarent. His Albanus irritatior, omnino mandata exſequi iubet: &, *ni pareant, minas addit, ſe praeſidiarium militem adhibiturum*. Tribuno etiam Hiſpanico mandat, *praeſidem, ſi uſus foret, adiuvaret*. Quum- B que nec dum morem gererent, ad terrorem congregari miles coepit. Vimque etiam intentaſſet, niſi, delinito praeſide, in diem poſterum res dilata fuiſſet. Tunc quum vincula cunctis parata, & invitis extorquenda omnia intelligerent; metuerentque, ne inſolens miles, cui iam fere XIX. menſium ſtipendium deberetur, occaſionem urbis diripiendae invaderet, aegre tandem minis armiſque coacti, ceſſerunt. Tam egregia tamen nonnullorum conſtantia fuit, ut *extrema omnia pati, quam imperio iniquiſſimo obſequi*, mallent. Inter plures Henricus Valckenarius fuit, cuius ea ſaepe vox audita; *vitam potius, ſi obnoxiam regi putarent, quam privilegia ſua amitterent*. Inſtrumenta omnia in arce Vredenburgo repoſita, & in Ludovici Requeſenſii adventum, qui Albano datus ſucceſſor, adſervata; isque, regis iuſſu, reddidit. Per provincias ceteras decima, ac viceſima non minore ſeveritate exigebantur. Et quantumvis varie deprecati Ordines, publicam difficultatem quererentur, viciesque centena clo. annua continuanda obferrent, quum nil tamen obtinerent, nonnulli ad regem oratores ablegare; quos Albanus, ne auderent proficiſci, capitis ſupplicio deterrere conatus fuit. Quumque in urbe Bruxellenſi, quam cum tot Hiſpanis ipſe inſideret, promptiſſimum per arma obſequium ſperaret, praeſentiſſimo tamen periculo odium eius, ſtudiumque libertatis praevaluere. Igitur quicumque panem, cereviſiamve coquerent, clauſis officinis, ab opere ceſſare. Ianii quoque macello abſtinere, neque alii inſtitores merces ullas venum dare. Quamobrem vim coercendis adhibere animum inducit; ac noctu praecipuos tumultus auctores e foribus aedium, aut feneſtris, quemque ſuſpendere. Iuſſuſque lictor cum laqueis XVII. & ſcalis decempedalibus praeſto eſſe. Iamque in armis miles erat, ac Fridericus Toletanus Viglium acceſſerat, pronuntiatam in reos mortis ſententiam relaturus; quum de Brila capta nuntius, admodum inexſpectatus, eoque magis animum percellens, cruentum conſilium mutare coëgit. Vt increbuit rei fama, inviſus antehac Albanus, nunc contemni etiam coepit. Iamque verba libe- CIↃIↃ LXXII.

ra

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. ra magis palam audiri. Id Auriaco non ignarum, qui, clam comparatis copiis, invadere ipsum inopinato moliebatur. Neque armorum adparatus Albanum latuit. Verum is securus nimis, negligere hostem, tanquam semel debellatum; &, si resurgeret, opprimi facilem. Ac paratae Auriaco quidem copiae idoneae, sed adhuc stipendium deerat. Nam pecuniae, quas collegerat, etsi magnae, aegre recensendo militi, & auctorando, sufficiebant. Neque ad ceteram militiam reliquum quicquam futurum erat. Huic difficultati a rege Galliarum subventum; a quo, bello maturando, cc. aureorum clↃ. mutuo primum, mox dono accepit. Gulielmus Treslongus, iussu Auriaci, navem unam sibi instruxerat; quam, IV. Eid. Febr. Flevo egressus, in insulam Texelam ducere statuerat. Sed gelu obortum ad Wieringam in Martium proximum stare coëgit. Id Bossuvius quum resciisset, Auriaci loco ab Albano Hollandiae praeses constitutus, Ioannem Rollium cum signis IV. expugnare eam misit. Isque adeo improvisus supervenit, ut Treslongum, qui cum maiore militum parte in insulam exscenderat, fere interciperet. Sed evasere tamen omnes, praeter unum, qui sua sponte ad hostem dilapsus. Inde navem adgressus, dedi postulat. Sed Treslongus, vir animi militaris, impetum facientes fortiter reppulit. Longe hostis numero maior; &, obsessa glacie, navis tantum non captiva tenori. Tamen, illo acriter explosis tormentis propulsato, hac aperta, uno tantum suorum amisso, integram in mare primum, inde vicinam Angliam eduxit. Quo tempore collecta ibi sociorum multitudo in Albani gratiam, a regina Elizabetha insula prohibetur. Inde maior illi spiritus, itaque ad Belgii libertatem evertendam animum firmat; ne deinceps privilegia ulla, aut iura obtendere posset. Et egregie sibi pacem muniisse existimabat; cum arrepta ecce arma, per XXXIV. annos continuanda. Quippe bellum hactenus vix anxiis miserorum votis, & consiliis magno metu occultatis agitatum, robusta audacia palam coeptum est. Ac ceteris provinciis libertatis vindicandae, excusso iugo, prima signum Hollandia substulit. Causa rei maturius tentandae Elizabethae edictum. Nam perfugium ubi denegatum fuit, in virtutem profugis desperatio vertit. Primi libertatis patriae vindices sub Lumaeo fuerunt; is, quem dixi, Gulielmus Treslongus, Bartholemaeus Entesius Mentheda, Iacobus Cabeliavius, Gulielmus Gravius, Nicolaus Ruichaverius, Marinus Brantius, Omius Heddingus, aliique. Hi, in navibus XL. interdicto littore solventes, in Texelam iter dirigebant, quatuordecim, quindecimve, Albani liburnicas illic profligaturi. Et in via ex Hispania adventantes duas capiunt. Alii Hollandiam borealem, & Enchusam cogitabant; aut ubicumque exscendere commodum. Sed vento adverso in Mosam acti; ubi iunctis Rheni aquis Oceano incidit, in ipso Ostis Kal. Aprilibus contra Brilam classem applicant. Mirati primo adspectu oppidani, mercatores esse credebant, contrario vento illuc compulsos. Nulla cogitatio erat, bellum advehi, Maselantsluisa, qui pagus, Brilae obpositus, flumine interluitur, Ioannes Petrus Coppestocus in urbem adversam mercatores aliquot ducens, conspecta navium multitudine, id quod erat ratus, sociis desertis, recta in classem navigium vertit; ibique de Treslongo scisitatus, quum adductus in adspectum eius esset, adventum gratulatur. Is Lumaeo hominem sistit, commendatque, ceu rebus suis per quam utilem. Itaque ad Brilanos mittitur; annulumque Treslongus addit, satis notum a patre Caspare, qui praeturam oppidi, & insulae pridem gesserat. Advenienti porta recluditur, & ad curiam contendentem circumfusus populus comitatur, cupidus scire quid adferret. Inter eundum varie habent, pro ingenio quisque suo pars benigne adloquuntur, pars convitia homini dicunt. In curiam, & coetum magistratus quum venisset, a Lumaeo & Treslongo nuntiat: *binos darent ad colloquium, extra urbem, idque innoxium ipsis fore. Quippe ideo venisse, ut a decima graviter pressos liberarent*. Tum, quia fides verbis esset, notum omnibus annulum ostendit. Ac de modo copiarum inquirentibus: inconsulta libertate in immensum omnino extollens, instar quinque millia dicit. Qua re consternatis cunctis, vix inventi, qui prodire in colloquium auderent. Quos Lumaeus *in Auriaci manus, regii per provinciam praesidis, urbem seque dedere* iubet. Tum deliberando duarum horarum tempus concedit: atque ita illaesos, uti promissum erat, remittit. Tantus autem omnes metus occupaverat, ut propere convasatis rebus, per portam australem tumultuaria fuga erumperent. Interim e navibus exscendere miles, & urbem accedere; atque in muris, quos viderent oppidanos percunctari: *utrum portas aperire, an vim exspectare mallent*. Cunctanter admodum respondere magistratus. Quippe quum dilaberentur, quotquot civium potiores; aliique recipere advenas liberatores vellent: illorum metu, horum studio, ipse quoque impulsus diffugit; adeo ut vix universim quinquaginta remanerent. Elapso deliberandi tempore, quum etiam tum cunctarentur, veritus Lumaeus, ne se forte communirent: nil morandum arbitratus, copias bifariam dividit. Ac Treslongus ad portam australem partem ducit; ibique Ioannem Duvenvordium, aerarii quaestorem, e fuga comprehensum retrahit; atque, interfectum paene a militibus, e periculo praesentissimo oportuno adventu eripit. Borealem Robollius exurit, & effringit; ac per hanc Lumaeus ingreditur. Qui urbem ceperant, ducenti quinquaginta erant; ceteri classem servabant. Civi nulli vis illata; tantum sacrum ordinem invadunt, odio quod calamitas temporis animis hominum profugorum tunc iniecerat. Postridie in templis omnibus comminutae, aut direptae, imagines Sanctorum, reliquaque ornamenta. Praedam omnem in naves inferunt, tanquam rursum discessuri. Et Lumaeus

Digitized by Google

MDIO LXXII. maeus nihil aliud animo agitaſſe viſus, quam, direpta urbe, & inſula, ut abiret; quum diffideret, impetum irrituuri mox Hiſpani cum tantillis adeo copiis ſuſtineri a ſe poſſe. Sed Treslongo, ac centurionum aliis, quibus cognitum, *locum bello inchoando opportunum*, aliud conſilium fuit. Igitur ſuadent, *daret ad Auriacum literas, & ſuppetias poſtularet*. Tum de oppido defendendo foedus ineunt; & tormenta e navibus inferunt. Nullum loco praeſidium erat. Duo antea Hiſpanorum ſigna fuerant: quae aeſtate ſuperiore, cum aliis aliquot evocata, Albanus Vltraiecto impoſuerat: nulla quidem neceſſitate, ſed ut urbem, contra decimam magno animo nitentem, gravius vexaret. Gratus eius rei nuntius Bruxellanis, apud quos ſumma tunc vi Albanus decimam exigere conabatur: iamque turbantibus ſupplicia parabat, quum hic caſus virum irae praecipitem inhibuit, iraque praeſentem poenam, dum differre ille cogitur, iſti evadunt. Albanus vero, etſi oppiduli unius iactura haud valde moveri; gharus tamen, *exigua quamvis principia, ſi neglexeris, incrementum, & robur ſaepe magnum, mora accipere*, Maximilianum Henninum Boſſuvium, qui praeſidium Vltraiecti tunc habebat, cum cohortibus decem Hiſpanicis Ferdinandi Toletani, belli initia profligatum ire iubet. Sic una Brila, tenue per id tempus oppidulum, duas Belgii maximas urbes, Bruxellas, & Vltraiectum, illas decima, hoc graviſſimo Hiſpanorum praeſidio, liberat. Ac Bruxellae, ubi ipſa principis aula, & terroris domicilium: tam egregio libertatis praeludio concuſſae, fauſtum patriae vindicandae omen fuerunt. Vltraiectinis, quod variae, ac diuturnae preces, & promiſſa florenorum centum octoginta millia, obtinere non potuerant, caſus inexſpectatus dedit: idque valde opportune. Quippe miles, qui XVIII. menſium ſtipendium flagitabat, clam creato novo Electo, ita vocant, quem in eiuſmodi turbis ipſi ſibi praeficiunt; & tribuno, ac centurionibus captis, diripere urbem conſtituerat. Id conſilium eo ipſo die detectum: quo adlatae Albani literae, quae excedere urbe iuberent. Quamobrem, ubi res comperta, nocte proxima magiſtratus Electum futurum comprehendit, moxque crimen confeſſum ſtrangulat. Inde ſub diei auroram ante curiam corpus collocat; & Hiſpanica lingua elogium etiam addit, quod ſupplicii cauſam exponeret. Mos Hiſpanis illa nocte, quae ſubſequitur feriam quintam magnae hebdomadae, ut vicatim diſcurſantes, multis ad cereos deducentibus, nuda terga deflagellent; adeo ut, perforata cute, largus ſaepe ſanguis emanet: idque ipſis magnae pietatis inſtar. Illud tempus incoeptando huic facinori deſignatum. Sed meridie, qui hanc noctem antecederet, exire ad recuperandam Brilam iuſſi, etſi, coniuratione iam detecta; nihil auſuri viderentur, magno urbem metu liberant. Maſelantsluſam, ac Schiedamum quum veniſſent, flumen tranſgreſſi, navibusque in Berniſſa relictis, in inſulam Vornenſem, ubi Brila ſita, nullo reſiſtente exſcendunt. Lumaeani, numero longe inferiores, quum inſula prohibere haud poſſent, urbem tueri ſtatuerunt. Idque ut facilius eſſet, ſuburbium, quod ad portam auſtralem, igne iniecto, exuſſerunt. Hiſpani recta Brilam petere: ſed appropinquantes oppido collocatus per arbuſta ſuburbana miles ſclopetis excepit: ac civium quidam, in profluentem inſiliens, effractoque novi agri emiſſario, tantum aquarum intromiſit, ut, planitie inundata, in editiorem aggerem ſe recipere cogerentur. Quumque oppido nihilo ſegnius ad auſtralem portam incumberent, exploſis intus crebris tormentis, fortiter repulſi diſceſſerunt. Dum haec geruntur, Treslongus, & Robollius, clanculum egreſſi, naves, Berniſſae relictas, quibus in inſulam Hiſpani tranſmiſerant, partim incendunt, partim perforatas mergunt, alias in flumen propellunt. Quod ubi illi reſcivere, quum immenſum aquae creſcerent, veriti, ſi permanerent, ne per eas pereundum ipſis foret, temere ſe in fugam dedere. Ac pars navibus adhuc reliquis in obpoſitam Beierlandiam evaſere; pars amotas, atque in aquis fluctuantes, nando aegre conſectati. Alios gurges, lutumve hauſere; ac ſine ullo ſane negotio magnam ſtragem Lumaeani edidiſſent, niſi civium, & profugorum ex agris hominum, incerta fide, egredi oppido inconſultum exiſtimaſſent. Hac victoria, uti adſolet, animi illis, copiaeque accrevere. Itaque poſtridie Paſchatis, habito inſulanorum cenſu, fidem inter ſe obſtringunt; atque Auriaco, regio per Hollandiam praeſidi, ſacramento omnes dicunt: in eius fide, atque obſequio, oppidum pariter inſulamque ſtrenue propugnaturi. Et prior quidem iurare Lumaeus, quem mox reliqui ſequuti. Tum lembos ad praedandum inſtruere, quibus flumen percurſarent, inſigni quotidie praeda. Campanas etiam tota inſula turribus detrahunt. Nec multo poſt aliquot monachos, uſque ad novem miliaria evagati, iuxta Worcomium comprehendunt. Ac ſtatim viris innocentiſſimis, homines arma, & ſanguinem, ſpirantes, impotenti Albani odio, indigna contumelia ad mortem protractis, gulam frangunt. Vbi Auriacus Brilam captam intellexit, etſi rem quam maxime optaret, Lumaeum tamen eo tempore iniuſſu ſuo tentaſſe nolebat. Namque, bello nec dum inſtructus, verebatur, ne conſilia, minus tempeſtive prodita, Albani ſocordiam excitarent. Quia tamen ſumma loci utilitas erat, auxilia promittit, & alicunde etiam ab amicis curat. Ac Lumaeo, undequaque profuga nobilitate, copiae in dies augebantur; quis Delfshaviam, portu valde opportunam, in adverſa Moſae ripa, facile capit, nullo in habitatores delicto. Hiſpani autem, poſtquam turpi adeo fuga Brilam, & inſulam circumiectam deſeruiſſent, feſtinato itinere laſſi, dein ab aquis, per quas evaſerant, etiam madidi, lutoque obruti, Dordracum venere. Sed, negato in urbem introitu, Boſſuvius veritus, ſi e tractu illo diſcederet, ne urbes vicinae, Albani odio, deditionem item facerent, Roterodamum ſe recepit. Sed &

illic

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. illic vix admissus, circumvento magistratu, praeter fidem per vim urbem occupavit. Nam metuentes oppidani, ne quid praeter voluntatem paterentur, arma sumserant, ut excluderent adventantes. Id gnarus Bossuvius, quia vi admitti posse desperaret, ingenium ad dolum vertit. Itaque cum nobilibus paucis intromissus, petiit a magistratu, ut militibus suis tantum transeundi copiam daret; alio enim ducere velle. At oppidani, recte dolum subspicati, praeter urbem transire posse respondebant. Tandem, ubi deliberatum, id videtur, ut manipulatim transeant. Ita ingresso primo manipulo, quum occludi porta deberet, reliqui omnes, impetu facto, irrupere. Erant ad portam exiguae excubiae, nec resistere satis validae. In his faber ferrarius quidam, vir manu promptus, quem, prae ceteris repugnantem, stricto pugione Bossuvius occidit. Id quasi audendi signum esset, nobiles, qui circa eum, ac milites alii, in excubitores versi, portam invadunt; ac partem caedunt, partem extra urbem propellunt. Deinde in obvios quosque grassati, civium pene cccc. interficiunt. Sexum sequiorem pro libidine habent, tam nefaria sane licentia, quamdiu urbem tenuerunt. Vt felices putarentur, qui, incursu primo caesi, nec aerumnas patriae suae intuerí, nec gravissimam servitutem experiri cogerentur. Hoc facinore Bossuvius, vir primariae inter Belgas nobilitatis, satis hactenus populo gratus, omnium odia irritavit. Roterodamo sic potiti, mox Delfshaviam, paullo ante a Lumaeanis occupatam, noctu invadunt, summa in victos saevitia. Loco capto praesidium imponunt, & Casparum Vraeam praefectum. Inde pagos circumiectos populantur. Exeunte Februario, quum Vltraiectini de inexorabili Albani rigore diu regem interpellassent, ad eundem reiiciuntur: *ex aequo, & bono ius dicturum. Quod ni fieret, tum de singulis iterum monerent; operamque datum iri, ne a ratione quicquam alienum paterentur*. Sed displicuit responsum, nulla spe iuris obtinendi apud praefectum adeo offensum, ut nemo causam oppressorum agere auderet. Tamen, anxii supra modum, iterum in aulam mittunt, qui negotium cum quibusdam communicarent. In his Viglius, ut prudentiae, ita moderationis clarus, indicat Albano datum successorem, Ludovicum Requesensium, ac quamprimum adfuturum; quamobrem tantisper rem differrent. Brila capta, Flissingam, Zelandiae urbem, arce communire statuit. Itaque evocatas e Brabantia VIII. Hispanorum cohortes sub Osorio Angelo mittit. Iam fundamenta iacta erant; eaque re magis in se civium animos concitavit. Sed ille odia, & querelas pariter spernens, maiore praesidio rem gesturus, quum duntaxat pauci illic Belgae essent, metatorem misit; qui Hispanis, mox venturis, hospitia curaret. Id valde indignati cives; & nonnulli palam dicere: *servitutem longe pessimam sibi parari. Neque ulli Belgii urbi magis arcem, militemve, gravem fore*. Advenerat paucis ante diebus Ioannes Cuyckius Herptenus; qui se passim immiscens civibus, si qui rebus novis studerent, eorum audaciam clam accendere, & ad libertatem vindicandam instigare, hortarique: *palam edicerent, non se ultra Hispanum militem recepturos. Praesto esse vindicem Auriacum cum magnis copiis, qui adversus Albani tyrannidem Belgium adsereret*. Nec ingrata multis oratio; qui, periculo exaggerato, viri conatum adiuvare. Adeo ut tandem postridie Non. Aprileis Belgae praesidio expellerentur. Quumque eo ipso die in portum Hispani adnavigarent, orto tumultu, idem Cuyckius omnes hortari: *virtutis suae meminissent. Quod si Hispanos in urbem admitterent, de vita, & bonis actum scirent. Eieciisse semel praesidium; ideo maiestatis reos, nec deinceps gratiam sperari posse. Egmundanum, Hornanumque ob oculos ponerent; meritorum, & dignitatis, iuxta claros: quorum quando ratio nulla habita esset, ne quid temere sibi promitterent*. Inter haec verba quidam e turba, potu largiore audacior, si quis duos cerevisiae cantharos daret, in adventantes machinam aliquam e muris urbis explosurum se pollicitus, tribus a Cuyckio florenis acceptis, rem perfecit. Idque ita Hispanos perculit, ut abruptis retinaculis, vela dantes Middelburgum protinus naves dirigerent. Antonius Burgundus Capellus, provinciae praeses, ubi rem gestam intellexisset, Middelburgo illuc profectus, qua auctoritate erat, coërcere initia turbarum statuit. Itaque populum ante curiam convocatum, vir non adeo indisertus, blandis verbis demulcere conabatur. *Nihil ita praeter spem sibi evenisse, quam hunc motum; cuius culpam poenitentia eluere possent. Igitur ad obsequium redirent: facili adhuc apud benignum regem venia. Se promittere etiam operam, ut delictum dissimulare Albanus velit*. Et fortasse suadis verbis animos nonnullorum impulerat, quos post tumultus temeritatem regiae potestatis adspectus percellebat. Sed immixtus turbae Cuyckius, ad astantes; *egregium*, inquit, *oratorem, qui verborum hoc lenocinio unum id agit, ut simplicitatem vestram circumveniat*. Ita irritati quum interturbarent, impetrato iterum silentio, prosequi orationem coepit. *Considerarent rem praesentem. Ingens nimium facinus esse, urbe expellere missum praesidium, & excludere. Ignorare potentiam regis; cui, si animos obstinarent, resistere nullo modo possent. Neque enim impune laturos. Deinde vires suas expenderent. Nulla belli instrumenta, nullum militem, aut stipendia in promptu esse. Ac, si essent, tamen belli incertam aleam urbes saepe potentissimas, & provincias evertisse*. Plura conantem, iram vultu ostentantes, & verbis etiam interminati, illico urbe facessere iubent. Inde eiectis, qui novam arcem moliebantur, initia invisi operis, quod iam quartum pedem supra terram exstabat, protinus diruunt. Mox in urbem Paciottus venit, ratus Hispanos, qui praemissi ab Albano, ab oppidanis receptos esse. Simul in terram egressus esset, navem, qua vehebatur, invadunt, ac diripiunt. Id, inopinatum

CIↃIↃ LXXII. omnino hominem perculit; nam de rebus anteactis nil acceperat. Inquirenti de Hiſpanis, nemo reſpondet. Dederat in mandatis Albanus, ut praeſidio, & arci praeeſſet. Dum autem privatum eius inſtrumentum inveſtigant, fertur inter ſchedarum occulta repertus index, qui deſignatas adhuc per Belgium caedes proderet. Eo rerum ſtatu Cuychium ad ſe magiſtratus vocat, & de aſſerenda libertate conſilium rogat. Iſque auxilium a Lumaeo petere auctor, ad ipſum miſſus, quum Dordracum adplicuiſſet, e veſtigio per fidum quemdam tabellarium, primo Weſaliam, inde Dillemburgum, deferenda ad Auriacum tam laeta rerum principia curat. Tum Brilam pergens, a Fliſſinganis literas Lumaeo tradit. Qui initio difficilior, cauſabatur: *exiguas ſibi copias eſſe: novitium militem, qui in dies adflueret, parum adhuc armis inſtructum*; Sed quum Cuyckius reſponderet: *viros daret, ipſos arma curaturos*; ſubmiſſurum, ſi uſus foret, auxilia promiſit. Nec multo poſt Treslongum mittit, qui tribus navibus cc. aliquot ſubvehebat, homines templorum ſpolia indutos, & quibus caſiolae pro loricis, aut ſimilis ſacrorum ornatus. Quippe ea temporis iſtius fortuna erat, ut homines magna pars profani, impetu magis quam conſilio, religionis libertatisque reſtaurationem per ſacrilegia, ac rapinas conarentur. Sed divinae providentiae uſitatum, in illis rebus, quas ſine conſilio homines gerunt, ſua ſaepe conſilia oſtendere. Quum ad urbem acceſſiſſent, datis armis, habitoque delectu, in praeſidium recipiuntur. Ac ſtatim Treslongus Paciottum in furcam agit, & ſupplicii ſocios duos Hiſpanos addit. AEgre mortem Paciottus accipere, & vitae pretium ingens offerre. Sed Treslongus, morte fratris aſperior, quem Albanus anno CIↃ. lↃ. LXVIII. capitis ſupplicio adfecerat, ut iniuriam ulciſceretur, nullum gratiae locum dare; & ſe maxime Albanum laedere exiſtimabat, ſi munitionum artificem tam inſignem, belli egregium miniſtrum, & propinquo ſanguinis nexu, tempore tam alieno eriperet. Quum ad mortem duceretur, ſupplex furcae ignominiam deprecari: *nobili ſe proſapia natum, itaque gladii ſaltem honorem morituro indulgerent*. Claudius quidam, e civium numero, capti gladio latus cinxerat; &, quum e ſcalis tam anxie ſupplicem eminus audiret, ratus hunc ab ipſo repeti, homo facetus: *at tu, domine*, (ita contemtim Hiſpanos Belgae adpellabant) *ſecure*, inquit, *crucem adſcende: ego illum recte ſervabo*. Subſpenſo quum detraheretur veſtis, torques aureus, ſubter occultatus, decidit; quem Treslongus, a Roberto Coco Nerinio quaeſitore redimebat. Iam alea iacta quidvis audendi pro libertate recuperanda. Itaque gnari non impune facinus fore, cuncta hoſti excipiendo neceſſaria parant. Ociuſque in Germaniam ad Auriacum, in Galliam ad Ludovicum Naſſovium, rerum geſtarum nuntium mittunt, & auxilia ſimul poſcunt. Interim feſtinatis operibus, quantum pote, ſeſe muniunt. Mox Hieronymus Tſerartſius, e familia Auriaci, eiusque ſtabuli praefectus, a Naſſovio e Gallia cum aliquot Gallorum copiis Walacriae praefuturus, ſubmittitur. Et ab Anglia miles aderat. Per haec itaque adeo illis animus crevit, ut bellum exſpectare iſtis viribus non contenti, plus auderent, ac vicinis, qui Albani partes ſequi, ipſi inferrent. Ceperant Brilani piſcatores quosdam Verianos; hiſque per literas libertatem ſine pretio Cuyckius obtinuit; ac praeterea commeatum Lumaeus dedit libere exercendae capturae. Et beneficium id, ceteris etiam piſcatoribus mox indultum, adeo omnium animos flexit, ut, exſuto Albani obſequio, in Auriaci fidem recipi exoptarent. Quod ubi Tſerartſio & Cuyckio compertum, ambo Veriam, inſulae totius armamentarium, cum militibus LX. poſtridie Kal. Maii abeunt; ac, relicto ante portam comitatu, oppidum ingreſſi, a magiſtratu petunt: *uti ſe vindici libertatis Auriaco dederent, & praeſidium aliquod admitterent*. Illoque negante, quum Tſerartſius diſceſſiſſet, Cuyckius in hoſpitio remanens, convocatis, quibus pridem libertatem impetraverat, eadem veſpera id effecit, ut horum opera piſcatores alii perſuaſi oppidum promitterent. Nec res differtur. Poſtero die, adducta ad terrorem cohorte, ipſi quoque armati, nequicquam reſiſtente magiſtratu, deditionem faciunt. Rebuſque ex tempore ordinatis, quum praeſidium non ſufficeret, petitum ex Anglia ſupplementum virorum CXXV. quos eccleſiae illic Belgicae ſtipendio Cuyckius legit. Fama rei Albanum perculit; etſi vir prudens, atque animi ingentis, metum diſſimularet. Quippe domi odia provincialium noverat. Foris in Germania Auriacus, in Gallia Naſſovius, foedera quotidie nova tractabant. Vbique praeludia magni motus. Itaque copias ſedulo parare, quas conatibus tantis obponeret: & ſolicite explorare, quid Naſſovius moliretur. Amſtelodami, & Enchuſae, per Boshuſium naves aliquot bello inſtruit; ut, Moſa flumine occupato, & Lumaeum coërceret, & nutantem Enchuſam adſereret. Id oppidum, in auſtralis freti faucibus ſitum, ubi obiectam Friſiam habet, & in ea Staveram, olim commerciis florentiſſimam, qua naves Dania, & toto illo tractu, advectae, tranſire debent; aditumque in fretum ſubiectum aperit; quia maximum belli momentum videretur, vario conatu, ac valde obluctante magiſtratu, aegre tandem, pronis civium ſtudiis, Auriaco deditur, cuius iuſſu tradita Sonoio praefectura. Iſque Brema Embdam profectus, feſtinatis diu noctuque itineribus Enchuſam ingreſſus, magno per viam prope Medemlacum diſcrimine, ne a Gallis auxiliaribus interciperetur, ſtatim rebus ordinandis animum adpellit; &, oppido quadrifariam tributo, excubias diſponit. Tum ad Auriacum nuntium mittit, & ſuppetias poſcit, quibus reliquum borealis Hollandiae tractum, facili adhuc per initia ſucceſſu, in tanta animorum aut conſternatione, aut favore, ad partes traduceret. Inde rumor, hoſtem molas extra urbem incendere velle, ac proditionem agi-

Digitized by Google

MDCIC LXXII. agitari. Ideo Ioannes Coltermannus, rem exploraturus, noctu emittitur; dumque inquirit quid geratur, ab excubiis vulneratur. Mox, ubi tuta satis omnia, ad urbes vicinas animum adplicat: ac centuriones Cabeliavium, Ruichaverium, Robolliumque, & cives aliquot, Medemlacum mittit; qui magistratui persuaderent; uti se Auriaco adiungeret. Sed arcis praefectus, Cornelius Riswicus, rem impedivit. Paucis tamen post diebus urbem capiunt. Quumque in arcem cives fugerent, illinc vim facturi, eam oppugnaturi victores, uxores eorum, liberosque, contra in prima acie locant. Quod ubi obsessis conspectum, ut occurrerent pignorum suorum periculo, deditionem statim faciunt. Deinde III. Eid. Iunias, etsi successu perdifficili, armatis contra se oppidanis, Hornam quoque Sonoius capit: ac mox reliquas illic urbes, Alcmariam, Edamum, Monachodamum, Pumerendam. Tum instituit praefecturas ordinare; & Medemlacum Cabeliavio, Hornam Iosuae Alveringo Hoffwegio, Alcmariam Gulielmo Mostardo, Edamum Gulielmo Gravio decernit. Ipse, a Lazaro Mullero tribuno adiutus, qui advenerat cum instructa legione, quotidie cum hoste manu conserere. Nam Boshusius classe urbem infestabat, quamvis irrito conatu; quum tres cohortes in Auriaci partes transirent. Per hoc tempus Auriacus cum rege Carolo, & proceribus reformatae religionis, per fratrem Nassovium de tyrannide Hispanorum propulsanda foedera inierat. Idque Albanus non ignarus, qui cetera contemneret, maximopere verebatur. Et sedulo per exploratores consiliorum arcana captabat. Ac quamvis de milite conscribendo nulla publice fama esset, illud tamen unum Nassovius agebat, ut Albani potentiam frangeret; tanto quidem rei secreto, ut Montes Hannoniae prius cepisse, quam Lutetia discessisse, nuntiaretur. Impulerat Carolum, ut vulgo iactatum, quod in Belgium ea ratione arma transferret, regnumque suum a belli incommodis liberaret. Tum & animum commovisse putabatur iniuria sorori Elizabethae facta, quae a Philippo, cui nupserat, diu contumeliose habita, tandem etiam violenta morte sublata esset. Augere offensam, quod qui Gallos, sub ductore Ribaldo militantes in terra Florida, Americae regione, interfeciissent, facinus suum impune haberent. Ita vero actum erat, ut, si bene consilia caderent, victor Carolus armorum pretium maximam Belgii partem acciperet, qua se id cis Rhenum extenderet: Hollandia, Zelandia, Frisia, Vltraiectum, Auriaco cederent. In eam rem ipse militem in Germania legeret: Alenconius, regis Caroli fratrum minimus, cum Colinio archithalasso, ac delecta suorum manu, e Gallia impressionem faceret. Hunc conatum classis quoque, Broagii instructa, sub Philippo Strozza, & Polinio Garda, adiutura putabatur. Item in Etruriam missus Ioannes Galeacius Fulgosius ad Cosmum Medicem; qui, Senae suae ab Hispano metuens, distractis per hanc occasionem eius armis securior futurus, cc. aureorum clo. mutua daret. In Germaniam profectus Caspar Schombergius, cum Imperii principibus ad vim pariter inferendam repellendamque foedus icerat: ea lege, ut Germanicas omnes copias Friderici Palatini Septemviri filius, Ioannes Casimirius, duceret: & Christophorus, natu minor, honorarium, ordine suo & familia dignum, acciperet. Idem negotium tribunus equitum Momorantius in Anglia apud reginam Elizabetham egerat: & decreta utrinque auxilia, vel si religionis caussa arma forte sumerentur. Per haec Nassovius confidentior, cum Lanovio, & Iensilio, de Montibus opprimendis deliberat. Ea urbs Hannoniae prima, augustis aedibus, curia provinciae, & antiqua arce, insignis: moenia solida, e lapide quadrato; atque in illis turres crebrae, & propugnacula. Circum fossa triplex ambit. Ab hac initium audendi factum, ut quantum animi ad vindicandam libertatem adferret, illustri exemplo in ipso statim principio ostenderet; & de reliquo conatus egregii successu provincialibus spem, aut coniecturam, daret. Et adcesserat pridem Antonius quidam Olivarius, fecialis, pictorque; qui quum veniam ab Albano impetrasset, ceu res Gallicas exploraturus, animum eius solicitaverat; adseverans, si cum copiis saltem exiguis ad urbem accederet, oppidanos amplius septingentos fore, qui se adiungerent. Igitur cum quingentis aliquot levis armaturae equitibus, sclopetariisque mille, clam sub vesperam ad urbem venit; copiisque in silva vicina occultatis, duodecim selectos milites, casum tentaturos, emittit: qui, dissimulato habitu, ceu vinarii mercatores, idem diversorium ingressi, inter coenam hospitem rogant, quae aperiendae portae hora solita. Esse ipsis vini plurimum, ob solis aestum noctu advehendum. Atque is, ignarus doli, quartam dicit. Attamen, si maturius vellent, aliquid custodi offerrent, non gravate praeversuro. Ita summo mane illum accedentes, quum spe pretii portam is maturius aperuisset, hominem obtruncant, clavesque eripiunt. Inde urbem e vestigio cum equitibus quinquaginta Nassovius invadens, eos per vicos disponit; ac, sicubi ostia, aut fenestras, aperiri conspicerent, illuc sclopos explodere iubet. Et vociferari interim: *ne timerent, aut hostile quicquam tentarent. Adesse libertatis auctores, & Auriacum in propinquo; qui decimae tributum, gravissimasque Albani exactiones averteret.* Id aliquot horis tam incondito clamore actum, ut vel milleni in armis esse viderentur. Vrbe capta, dum sic domus obsidentur, neque reliquae copiae procederent, ocius se Nassovius proripit, cogniturus, quid morarentur. Itaque per silvam oberrantes equites lo. qui singulos a tergo pedites veherent, in urbem ducit. Inde, curia occupata, portas claudit; ac per vallum excubias statuit. Tum magistratum convocatum blande adfatur. *Non hostem, sed amicum venisse: ac proinde illaesam urbem habituros. Adventare Auriacum* fra-

MDCIC LXXII.

CIↃIↃ LXXII. *fratrem, cuius nomine rem tam magnam incoeptaßet. Nihil aliud agitare, quam ut Belgium, longe pridem florentiſſimum, contra Albanum adiuvaret.* Ea oratione deliniti, ſe, ſuaque omnes illi ultro permiſere. Deinde incertis obſequii civibus arma adimit; alios conſueta artificia, aut commercia exercere per tubicinem iubet; ſuos ptoterve agere vetat. Inventa ibi arma multa, & cetera belli inſtrumenta; aerarium ingens. Sed, ut in urbe limitanea, commeatus exiguus. Gaza plurima, plurimum ſacrae ſupellectilis, & ex auro, argentove imagines ſanctorum, Quas vicinae abbatiae, & monaſteria, fama captae per Lumaeum Brilae territa, ceu in loco maxime tuto, adſervandas depoſuerant. Triduo poſt ſclopetarii clↃ. clↃ. adceſſere, feſtinantem Naſſovium ſubſequuti. Mox Iunio menſe, ſub Lorgeo Mongomerio, equites clↃ. cc. pedites clↃ. ccc. Eodem tempore capta a Lanovio, & Famarſio, Valentiniana; ſed quod in arce praeſidium erat, valide repugnare. Eique ſuppetias ferre iuſſus Ioannes Mendoſa, levis armaturae praefectus, duas equitum turmas, Aldenarda evocatas, & quas Cheverauxius colligebat copias, eo ducit. Ac, armato propere tirone, pridem conſcripto, ſumtis ex armamentario Tornacenſi armis, in arcem duo Belgarum ſigna introducit. Reliquos in adverſo colle ponit. Vtque maior oppidanis, qui adſpicere inde poterant, numerus videretur, lixas, ac calones miſcet. Tum, ceu Hiſpanicae copiae eſſent, more gentis tympana pulſare iubet. Idque obſeſſis metum iniecit. Quamobrem Famarſius, digreſſo pridem Montes Lanovio, quum iuſtae illi vires deeſſent, & oppidanorum ſtudia deficerent, irruentibus praeſidiariis, deſerere urbem, & vi erumpere coactus fuit. Ac fugam eius cives, animis conſternati, tam frequentes ſequebantur, ut in exitu, portae anguſtia, plurimi obtererentur. Albano gravis Montium iactura viſa, propter ingens loci momentum; & magis turbabat tam inexſpectata clades. Quippe Naſſovium non ita pridem Lutetiae viſum, ac ſe pila oblectantem, per exploratores, acceperat. Et nuntium cladis tam impatienter tulit, ut detractum capiti pileum, irae immodicus, conculcaret. Culpam in reginam matrem, Catharinam Mediceam, conferebat; ſtomachatus: *ab Etruſca muliere ſe deluſum; cui pro liliis Florentinis brevi Hiſpanicas ſentes daret.* Sed hanc offenſam laniena Pariſienſis mox placavit. Colinius, hoc initium rebus gerendis opportunum ratus, urgere vehementer regem; *tam bonam occaſionem invaderet, & Hiſpano bellum indiceret. Quod, quamdiu occultatum, minus ſtrenue gereretur; timentibus e nobilitate pleriſque, ne, per praeliorum incerta comprehenſi, pro latronibus, transfugiſque punirentur.* His rationibus in ſpeciem victus, quum initio ſpem feciſſet, idque ad occultanda arcana conſiliorum neceſſarium exiſtimaret; nec indicere tamen bellum, aut Philippum regem laceſſere animus eſſet: ne, adfectum recuſatione prodens, aut offenderet, aut ſubſpectum ſeſe reddaret; quod inter offenſam, & ſuſpicionem, medium, eximere callide tempus ſtatuit. Ac CIↃIↃ LXXII. praeferre: *nihil iſto bello gratius. Tamen, declinandae invidiae, cupere ut ſenatui probetur. Quamobrem rogare, ut ſententiam, ſcripto complexus, inquirendam ei proponeret; ne quid in tam gravi negotio nimis praecipitanter actum homines maligni ſugillarent.* Ille igitur prolixas ad regem literas ſcribit, quibus conſilii ſui rationes exponit. Eaſque rex collaudatas, ut nulla fraudis ſuſpicione cunctaretur, Ioanni Morvillerio, viro auguſti collegii principi, quem Colinio adverſum ſciret, ſerio expendendas tradit. Iſque acceptas menſe Iunio, quum ad caſtrum Bononienſe rex veniſſet, tertio ab urbe lapide, accurata oratione refutat. Qua diſceptatione dum res protrahitur, commeantibus ad Colinium internuntiis, qui Caſtellione ad Loniam erat, de deletis Ienliſii copiis nuntius fertur. Id ſibi acerbum rex egregie ſimulare; & ad Claudium Mondulcetum, qui tunc res eius apud Albanum procurabat, ſtatim ſcribere: *daret operam, ut capta eo proelio nobilitas Gallica dimitteretur.* Colinium autem, qui interea, etſi praeter amicorum conſilium, fiduciae plenus, in aulam venerat, in limite copias, quantas vellet, conſcribere iubet. Nihil ultra bellum Belgicum Carolus iuvit, pernicioſa Galliae ſuae ſimulatione, magno antea ſtudio incitatum. Albanus, manifeſto iam ſatis plerorumque in Auriacum favore, rebus omnibus relictis, quamprimum Montes recuperare, & Naſſovium opprimere ſtatuit; tam egregium belli ducem coërcere, ſibi maxime glorioſum, ceteris omnibus terribile, ratus. Ac dum haec in Hannonia fiunt, in Hollandia multae indies urbes deſciſcunt; & tantum non ſponte apertis portis Auriaci nomine praeſidia recipiunt. Tam gravi enim odio Albanus laborabat, etiam apud eos, quibus certum a maiorum religione non diſcedere, ut decimae cauſa rerum novarum occaſionem optarent. Iam Hollandia borealis, praeter Amſtelodamum, tota defecerat. In auſtrali prima Audevvatra, urbs ad Iſelam flumen ſita, ad Auriaci partes acceſſit. Quam XIII. Kal. Iulias Hadrianus Switenus cum exigua manu cepit. Dieſque paucos commoratus, quum novas ſibi copias paraſſet, relicto illic exiguo praeſidio, cum L. aut LX. aliquot militibus Goudam petit. Ac, per fautores porta aperta, urbem ingreſſus, forum occupavit. Oppidani excubias in curia agebant; ex quibus quum vim tentandam quidam putans explodere in illos ſclopum vellet, inhibentibus aliis, ſtatim citra ullum ſanguinem facta deditio. Switenus ductor in prima ſuorum acie verſari, eumque ſequi Vtenengius, e nobilitate Vltraiectina iuvenis, & Wenceſilaus Tzerclaſius Hagienſis. Ducto circum curiam agmine, quum initio vix ſexageni eſſent, pronis in patriae cauſam civibus, adeo ſtatim auxit numerus, ut mox fere IↃ cc. eſſent. Convocato magiſtratu, in Philippi regis, & Auriaci praeſidis verba ſingulos iurare iubet. Inde ad praefectum arcis, Cor-

ne-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. nelium Mylium, Gerardum Franciſcum Kegelingum, & Cornelium Reinegomium, intimos viri amicos, mittit, poſtulatum: *uti ad urbis ſecuritatem ad* XXV. *praeſidiarios, quos mandato Albani habebat, totidem alios a ſe acciperet: niſi faceret, alia neceſſario auſurum.* Is autem, ubi captam urbem acceperat, famulum, clam ex arce dimiſſum, Vltraiectum properare iuſſerat; qui rem illic nuntiaret, & ſuppetias ſimul poſceret. Sed hunc oppidani retraxerunt. Igitur initio difficilior, cunctando protraheretempus nitebatur. At quum famulum interceptum, & vim parati intelligeret, quamquam invitus, conditionem accepit; placuitque, ut liber omnibus adceſſus eſſet. Mox quum plebs tumultuaretur; nec ultra ei praefecturam credi permitteret, ex arce in urbem commigravit. Inde per aedes ſingulorum inveſtigatum, quantum quiſque annonae haberet. Quumque vix in ſolum octiduum ſuffectura inveniretur, miſſi illico mercatores, qui neceſſariam a Dordracenis pretio peterent. Et illi, etſi adhuc Albani partes ſequerentur, vicinae urbi non gravate ſubvenerunt. Quumque Hiſpani, qui Roterodami praeſidium agerent, Iſelae oſtium obſtruxiſſent, adpoſitis ad ſecuritatem liburnicis ſuis, Crimpenum uſque frumenti plurimum navigio devexerunt; unde Goudani, curribus impoſitum, porro in urbem adduxerunt. Interim neceſſaria omnia Svvitenus curare, & ſacramento fidem oppidanorum obſtringere, ac praeſidium etiam loco ordinare. Tum ductis Leidam copiis, quum non ita pridem, miſſo a Sonoio Gulielmo Gravio Gandavenſi, hominem extraneum recipere magiſtratus noluiſſet, opera Pauli Buſii ſyndici, aliorumque civium, ſtatim admiſſus, Ioannem Eilofium Groningenſem cum cohorte urbi imponit. Dordraceni, iam dudum affectus in Auriacum proni, quia impetu quorundam praecipitata conſilia infeliciter cecidiſſent, palam eius partes amplecti hactenus diſtulerant. Sed hoc rerum ſtatu non ultra deſerendam remp. rati, advocato Bartholemaeo Enteſio, qui in propinquo ſub Lumaei auſpiciis cum bellicis aliquot navibus agebat, VIII. Kal. Iulias Albanum hoſtem renuntiant. Statimque iis ab Auriaco Ioannes Hornanus Boxtelius, cui etiam comitatus Burani, Lederdami, Bredae, & Iſelſteinii cura commiſſa, praefectus deſtinatur. Paullo poſt Harlemum quoque ad partes venit, Gulielmi Berkerodii, Ioannis Coltermanni, & Petri Kieſii, inſigni opera. Illi enim quum mandata ab Auriaco oſtendiſſent, reſtare initio magiſtratus, & deliberationem petere; qua negata, quum civium ſtudia animadverterent, hiſce legibus urbem dedunt: *ut ſacramentum, Philippo olim, & Auriaco praeſidi datum, ne mutarent; magiſtratu, ſaltem ad Auriaci adventum, nemo amoveretur. Albanus vero hoſtis publicus haberetur. Cunctis vita, ac facultates ſalvae eſſent. Clero, aut monaſteriis nulla vis fieret. Mileſque nullus, extra Ruichaverii cohortem, niſi arbitrio magiſtratus, urbi imponeretur.* Tam fauſta foederatorum initia Gorcomium auxit, & ſe quoque VI. Kal. Iulias dedidit. Atque arce per vim expugnata, eius praefectum cum uxore, ac filia captum Brilam adduxerunt. Inde, dilapſo per metum praeſidio, caſtrum Loveſtenium capitur; & per noctem oppreſſa Leiſveltia. Tandem Schonhovia, & Woerda quoque armis Lumaei cedunt. Iamque Hollandia tota in Auriaci partes tranſierat, nec praeter unum Amſtelodamum quicquam reſtabat. Id in Albani obſequio perſtitit, aegre avulſum anno demum LXXVIII. Dum haec in Hollandia a Lumaeo geruntur, Gulielmus Bergenſis, Auriaci adfinis, in vicina Gelria ſumtis armis comitatum Zutphanienſem invadit. Et, quum paſſim ſine praeſidio oppida eſſent, plurima cepit. Inter haec Zutphaniam ipſam, Dotecomium, & Dusburgum. In Velavia eius legatus Zacharias Gliſenbergius, Harderwicum VII. Eid. Iulias cepit. Moxque etiam Herenbergam, Hartemum, Elburgum; in Tubantibus Oldenſaliam, Goriamque. Per haec Bergenſis, ubi laetum conſiliorum eventum, & propenſa populi ſtudia comperiſſet, occaſione utendum ratus, in ditione Tranſiſelana Campos obſedit Eam in rem miſſa a Sonoio auxilia, & triremes item ſeptem. Cives nonnulli cum Andrea Arlerio pacti erant, urbem ſeſe dedituros, ſimul cum copiis Auriacus adeſſet: & effectum horum opera, ut deditio promiſſa fieret. Swolla, Haſſeltum, & Stenwica, exemplum ſequutae. Etiam Gelmuda, ac Vollenhovia. Arx Tautenburgum per centurionem, a Sonoio miſſum, capitur. Mox, translatis in Vltraiectinam dioeceſin armis, Amersfortia occupatur; unde excurſionibus crebris totam ditionem infeſtant, ſaepe ab ipſis Vltraiectinae urbis portis abducta praeda. Poſtquam autem pars magna Gelriae etiam defecit, odio Albani, ſive foederatorum armis; in Friſiam quoque occidentalem tranſitum eſt. Ibi Doco Martina cum nobilitate profuga de occupanda Leovardia; provinciae metropoli, conſilium ceperat. Et mandatum id, ab Auriaco acceptum, exſequi hactenus non potuerat. Nunc autem opportunum ratus, a Sonoio, Hollandiae borealis praefecto, cohortes quatuor quinque poſcit, Sed is, quia miſſis iam Bergenſi auxiliis, & variis praeſidiis, copias diſtraxerat, unicam tantum Friſiorum cohortem, Holzone Buma ductore, ſubmiſit. Bergenſis autem Nederwormterium, Friſiae agrique Groningenſis praefectum, ſupplere defectum iuſſit. Iſque, centurionibus aliquot conſtitutis, brevi cohortes tres quatuorve comparavit; ac cum iis Cundertam adgreſſus, diffugientibus Belgis, qui in praeſidio, ſine negotio occupavit. Quo ſucceſſu auctis animis, inde in Friſiam perrexerunt. Hiergius, quem in Friſiae praefectura Megenſi ſucceſſorem Albanus dederat, Arnhemii in Gelria morabatur. Et ab Auriaco, qui cum magno tunc exercitu illuc venerat, plurimaſque urbes ceperat, obſeſſis viis, praefectura excludebatur. Quamobrem Caſparum Robleſium Billium Luſitanum, qui Groningam cum legione Bel-

CIↃIↃ LXXII.

CIↃIↃ LXXII. Belgica tenebat, Leovardienſes, ut provinciae laboranti ſubveniret, datis literis, evocarunt. Isque poſtquam adveniſſet, in primis urbem communivit; &, mutato arcis praeſidio, pro Germanis Gallos impoſuit. In Harlingae, ac Staverae arcesſe legione ſua lectos miſit. Wilhuſium venerat Adolphus Holſatus, qui Albani iuſſu militem auxiliarem collegerat; &, ſtipendii inopia, quum ulterius progredi non poſſet deſtinatam ſibi ab Albano pecuniam ſubmitti poſtulabat. Ac quando, loci intervallo, conſuli abſens Albanus minime poſſet, & periculum mora longior adlatura videretur, e Megenſis theſauro, qui in arce adſervabatur, mutua ſumere IX. florenorum CIↃ. placuit; ex pecunia, ab Albano adſignata, mox refundenda. Sed quum illic vix VCIↃ. reperirentur, reliquum aliunde ſubfectum eſt. Iam animi alieni ſignum Sneca dederat; ac timeri, ne in novas etiam partes inclinaret. Placuit ergo ut animos Billius exploraret, aliquid fortaſſe viri auctoritate valitura. Isque quum curiae ſenatore Petro Fritema, eo profectus, intromitti poſtulavit; de adfectu oppidanorum coniecturam hinc facturus. Et praemiſſus Fritema, ut eventum tentaret. Ex quo quum mox Billium adfuturum acciperent, clauſis portis, armati in moenia prorumpentes, ſaltem cum domeſticis recipi poſtulantem reiecerunt. Quin auditae voces quorundam, qui ſclopeta minarentur. Fritema, ut dimitteretur, vix blanditiis impetravit. Per id tempus, ambigua etiam Bolſwerdiae fide, ut experiretur Billius, literis benigne ſcriptis, percunctatur: *an non in tutelam urbis aliquod praeſidium cuperent*. Sed illi eadem humanitate viro reſpondent: *gratam ſibi pro ſalute publica curam, ceterum praeſidio opus non eſſe. Curaturos, ne quid detrimenti caperent.* Hoc reſponſo ſatis manifeſtus affectus. Tum de Franekera etiam laboratum; ſed nec quemquam eo mittere, aut literas dare, viſum fuit, antequam ipſorum Lovardienſium ſtudia cognoſcerent. Idcirco decretum, ut exquirerent, an in fide erga regem oppidani permanerent. Inde in urbem annona plurima, & commeatus belli illatus: edictumque, ut quicquid in ſubiectis agris, aut monaſteriis, abbatiiſve eſculentum, id in urbem comportarent. Et conſulibus mandatum, ut quos civium minus certa fide ſcirent, eorum nomina exhiberent. Tum, repetito ſacramento, arma omnibus imperata; additaeque cohortes quinque Germanorum. Quibus ut ſtipendium eſſet, ſenatorum collegio, & ditiſſimis aliquot provinciae nobilibus, VI. florenorum CIↃ. indicta: eique continuando conſcripti provinciae delegati indictionem recuſarunt. *Nimium hactenus impenſae fuiſſe; ac ſupra tributum ordinarium, pro quo regis, ad provinciam defendendam obſtricta fides. Extra ordinem quinque prius, mox ſex etiam* CIↃ. *dediſſe. Inde, honorarii vicem*, CXXVIII. CIↃ. quumque publica neceſſitas obtenderetur, nihil minus pernegarunt. *Neque rem in ſua poteſtate eſſe: plenis comitiis pertractandam. Hoc tamen adniti velle, ut, provinciae quiete conſtituta, in cohortium quinque ſtipendium, quas paraſſent,* XXIVCIↃ. *curarentur*. Porro cives quinquaginta, obſequii invitos, aut incertos, eiecerunt; ultimum ſupplicium comminati, ſi redire, praeter curiae voluntatem unquam auderent. Snecani, legato excluſo, certi offenſae, ne annona deeſſet laborarunt. Itaque e viciniis abbatiis, ac monaſteriis, vi abreptam in urbem tranſtulerunt. Nec multo poſt a foederatis praeſidium admiſerunt. Et exemplum mox ſequuti Bolſwerdiani Nederwormterium advocarunt. Tum Doccomium, auctis per haec copiis, invaſerunt. Erant in praeſidio urbis Belgae aliquot, & hoſtibus facile ſuperiores, niſi cives conſpiraſſent. Ii fortiter repugnantes, e feneſtris aedium ſuarum ſclopis terga ferire adgreſſi, incuſſo metu, in fugam propulerunt. Atque ita in victoris poteſtatem urbs venit. Sed homines militiae ignari, & qui per tumultum arma ſumſerant, nec timere hoſtem didicerant, neglectis excubiis, mox iterum a victis per noctem oppreſſi, nullo adhuc victoriae fructu, urbem amiſerunt. Ac interfecti fere quinquaginta. Ceteros tenebrae eripuerunt. Victores irati recentem contumeliam rapina, & incendio vindicant. Et, quia munitionem adiuvare ruſtici pridem recuſaſſent, in pagos quoque proximos ſaeviunt. Adiunxerant ſe foederatis nobiles eius provinciae plurimi. Inter eos, Doco Martina, Sidus Botnia, Titius Hottinga, Siffridus Galama, Petrus Camminga, Auguſtinus Oetſma, aliique; quibus cognita locorum regio, & occulta civium multorum in nonnullis urbibus ſtudia. Eorum opera ad auſtrale fretum Stavera, Enchuſam adverſam ſpectans, occupatur. Verum arcem e legione Billis Belgae tenuerunt. Quam obſidentes tormenta admovere, Sneca, Bolſwerdia, & Franekera advecta, & auxilia a Sonoio miſſa. Dum ita arcte obſidentur, adflicta valetudine Billius, convocato ad ſe ſenatu: *momentum loci, & neceſſitatem obſeſſorum*, repraeſentat; ſimulque hortatur, *ne tam egregiam militum fortiſſimorum fidem, ac virtutem deſererent, ſibi auxilia praeſto eſſe. Sed, educto per hanc rerum neceſſitatem praeſidio, abſente ipſo, operam darent, ne quod urbi incommodum eveniret. Tum etiam docerent, qua via tutiſſime militem duceret*. Igitur placuit, *uti copiae per legatum quidem Coudomam, aut Bolcam, navigio ſubveherentur; ipſe autem urbe ne exiret. Id neque morbum eius ferre, nec civilis prudentiae legem. Per belli incerta, ſi quid accidat adverſum, gravius multo periculum fore. In eius capite ſalutis publicae ſummam verti*. Quamobrem miſſae quinque cohortes Belgarum, duae Germanorum, adventu inexſpectato adeo obſeſſores terruerunt, ut maiores longe copias adventaſſe exiſtimantes, turpi fuga arcem ſimul, urbemque deſererent. Poſtea quum ſe ad Galedamum collegiſſent, iterum irruentes hoſtes, caeſis centum quinquaginta, reliquos diſſiparunt. Coudomam autem, quo confugerant, populati, idem Staverae mox fecerunt; ac deinde, igne inie-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. iniecto, exusserunt. Machinas captivas in arcem liberatam transtulerunt. Atque ita cum ingenti praeda laeti Leovardiam redierunt. Interim annonae caritas Leovardienses premere, coactis rusticis circumiectis frumentum omne in foederatorum urbes convehere. Quamobrem Billius Franekeram inopinato invadere statuit, aut, si consilium non successisset, Berlicomium, opportunum situ pagum, opere, & praesidio communire. Inde Biltam copias ducere, & quicquid illic frumenti esset, Leovardiam devehendum accurare. Igitur noctu cum cohortibus quinque egressus, alias Harlinga accedere iubet, statuta hora ab una urbis parte arma concitaturus, ut, seductis illuc praesidiariis, ab altera facilior irruptio esset. Sed, obseptis itineribus, quum conatu excidisset, ad Angumam, Berlicomium, & Lidlumam, castra metatus, loca opere festinato munit. Vtque incommodum Franekeranis aliquod daret, opplere fossam Snecanam iubet. Circa id tempus cum cohortibus VIII. Germanicis in Frisiam Iustus Schouwenburgicus venit, ab Auriaco praeses provinciae, ac Groningae, agrique Groningani, destinatus. Posito vero Franekerae domicilio, multa a Nederwormterio statuta immutauit. Deinde curiam iuri dicendo novam instituit, ad quam Sneca, Bolsvverdia, aliaque loca, quae foederatorum partes amplexa, pertinerent. Varie utrinque velitatum est: & pagi aliquot, monasteriaque praedae obnoxia, armis, & flamma, deleta. Albano autem undique nuntii minus grati perferuntur; quibus etsi angeretur, egregie tamen curas dissimulat. Vexabat animum successoris cogitatio, cui se, ut pridem iactaverat, tranquillam provinciam tradere posse desperabat. Insuper de Galliarum rege, ac regina matre querebatur; a quibus Nassovio clam auxilia destinata aut permissa. Neque aliunde magis sibi metuebat. Itaque in primis obsidere Montes statuit, antequam plures copiae adcederent aut Auriacus cum exercitu adveniret. Tunc enim vires, adhuc integras, varie distractum iri. Quamobrem, conscriptis tribus legionbus Belgicis, Fridericum filium cum IVCIↃ. peditum, CCCC. equitibus, obsidioni inchoandae praemittit; ipse, simul res alias ordinasset, cum copiis maioribus sequuturus. Et is Iulio desinente profectus, proximum urbi monasterium Bethlehemum statim occupat, atque adversus vim communit. Oppidani, nihil territi, urbem seque hosti excipiendo parant. Premebat Albanum aerarii angustia; nam & plurimum Hispanis debebat, quorum iam militia uti cogebatur. Insuper copiis novis opus: neque decimae, aut vicesimae spes supererat. Quamobrem, quod temporis ratio poscceret, invidiosum nimis tributum differre statuit; dum, qui in Hispaniam missi a provinciarum Ordinibus, in impetranda indulgentia laborarent. Vtque animos alienos demulceret, remittere decimam, ac vicesimam velle edixit; dum modo alias rationes pecuniae colligendae ostenderent. Idque etiam Hollandiae Ordinibus Bossuvium praesidem proponere iussit. Et seorsim ad eos quoque literas dedit, quibus in XVIII. Kal. Sext. comitia Hagae habenda indiceret. Sed eo iam illic loco res erant, ut mandatum contemneretnr. Tamen in praescriptum diem Dordraci, in primaria Hollandiae urbe, conventum ordinant; ubi de rep. deinceps administranda decernerent. Eius rei Auriacum certiorem faciunt; & legatum, qui interfit, mitti postulant. Vbi praescriptus dies illuxit, convenere ad libertatem vindicandam ex equestri ordine Iacobus Wingardus, & Arnoldus Duvenvordius Lumaei Legatus. Ex urbibus delegatos miserunt Dordracum, Harlemum, Leida, Gouda, Gorcomium, Alcmaria, Oudevvatra, Horna, Enchusa, Medemlacum, Edamum, & Monachodamum. Reliquis voluntas, vel audacia, defuit. Interim in Hispania res decreta. Et post longam supplicationem facta tandem indulgentia. Hopperusque convocatis regis nomine haec denuntiat: *ita eum erga Belgium adfectum esse, ut privati commodi causa nihil unquam intentaverit. Sed hoc tantum voluisse, ut resp. illis quieta, ac religio salva maneret. Id persuasum omnino habere; semper Ordines, fidei atque obsequii praeclaros, in rebus omnibus, & consiliis Dei gloriam, publicamque utilitatem spectavisse. Quamquam autem in responso decimae, vigesimeque indulgentia non diserte exprimeretur, hanc sententiam esse tamen. Involucro ideo usum, ut apud subditos ipsi maiestas, legato auctoritas, integra esset.* Post haec verba, qui curandae rei missi, pro adfectu tam benigno magnas sese regi gratias agere dicunt; idque reduces apud Ordines testaturos. Iam Auriacus iustas copias comparaverat, in tres menses auctoratas, aut quamdiu usus foret; ea militiae conditione, ut, quia pecunia in stipendium non subficeret, pignoris vicem urbes acciperent, quibus solvenda adsignaretur. Collegerat peditum millia quindecim, equitum septem. Cum his se Nassovio fratri adiungere animus erat. Ac quandoquidem Hollandiae Ordines ad destinata in medium Iulium comitia legatum postulassent, Philippum Marnixium Sancto-Aldegondium mittit, multa rerum peritia virum, qui consilia adiuvaret. Is quum XV. Kal. Sext. advenisset, postridie, mandatis exhibitis, ita Ordines adloquutus est. *Satis Auriaco, a quo missus, cognitum pridem ipsorum adfectum; & nunc re manifestum esse, quando tanta animi constantia cum ipso, legitimo provinciae praeside, se Albano obponerent, ad vindicandam patriae libertatem, quae oppressa aliquot iam annos ab Hispanis; quorum libidini, aut saevitiae necdum adhuc factum satis. Orare vero, tam praeclaram voluntatem ne mutarent. Egregia semper erga Belgium fide fuisse, ac Hollandiam potissimum, & ceteras curae suae provincias. Eam ob rem doluiste vehementer, tam immania dudum passas. Neque in votis magis quicquam habuisse, quam ut felicitatem antiquam restaurare aliquando posset. Ideoque non labori, aut impensae pepercisse. Quin triennium nunc esse, quum, exer-*

CIↃIↃ LXXII.

CIↃIↃ LXXII. *exercitu collecto, meliore animo, quam fortuna, vindicare libertatem publicam tentasset. Ex qua clade quicquid facultatum reliquum, nunc postremum patriae impendere. Nec de libertatis studio quicquam per successum adversum decessisse. Eundem illi animum mansisse, qui hoc usque per consilia ista inquies continere se non potuerit, quin, paratis denuo copiis, virtute invicta, iterum eventum tentaret. Quando autem, tamdiu oppressi, revocassent animi antiquum robur, hostemque Albanum pronuntiassent; nihil prius habuisse, quam ut porro spiritus tam generosos incitaret, & auxilium postulantibus praestaret. Ac tam bonae voluntati cum, exhausto patrimonio, vires minime respondarent, promissumque ab ipsis esset, si exercitum modo adduceret, se stipendia curaturos, id nunc tempus esse scirent, in promtu militem, sed ea conditione lectum, ut, priusquam moveret, prioris trimestris stipendium acciperet. Aut, si fieri id non posset, saltem unius mensis darent: de cetero vel nonnulli principes, vel quaedam Belgii urbes, caverent. Horum prius impossibile; alterum difficile omnino, neque utile. Namque si ad Galliae regem, aut reginam Angliae irent, periculum esse, ne obnoxias ista ratione provincias sibi subiicerent: quippe illos, nisi oppigneratis urbibus, ne teruntium expensuros. Itaque apertum aditum iri, aegre postea possessa dudum loca relicturis. Idque exemplis manifestum. Igitur aliud nil restare, quam ut urbes aliquot fidem apud ductores, & turmarchas, interponant: insuper* c. *aureorum* clↃ. *statim expediant. Haec ab Auriaco exponere iussum; & sperare, pro adfectu in remp. quam inprimis salvam cuperent, non gravate conecssuros.* Quamobrem, quia urgeret necessitas, & maturato opus foret, illico decretum, *ut* c. *illa aureorum* clↃ. *a nonnullis ditioribus, reliquisque provincialibus, mutua peterentur: & corrogaretur quicquid auri, argentive, aut ceteri mundi quisque haberet. Tum tributa ordinaria quaestores tradere iuberentur, etiam deinceps continuanda, & invitis imperanda. Item reditus templorum, monasteriorum, aut collegiorum; & quae praeterea ornamento magis, quam usui, occuparentur.* Deinde, *ut pro stipendio cetero urbes caverent*, convenerunt. Posthaec Aldegondius alia quoque mandata exhibet; ad quae Ordines respondent, *Auriacum se Hollandiae, Zelandiae, Westfrisiae, & Vltraiectinae ditionis praesidem adgnoscere, qualem olim rex statuisset. Et apud Ordines aliarum provinciarum adnisuros, ut, rege absente, praesidem ac patronum acciperent, ceu praecipuum Belgii principem, atque ad tutelam eius iure, ac sacramento obstrictum. Vt autem navalis belli ratio corrigeretur, omnis ei potestas traderetur; isque, exauctoratis omnibus, summum maris praefectum, poneret, de consilio urbium maritimarum centuriones novos lecturum. Quumque in praedam hactenus miles arma sua habuisset, nunc stipendium poneretur. Ac constituerentur item, qui de rebus maritimis cognoscerent.* Tum ad Lumaeum magistratus Dordracenus, Leidensis, & Enchusanus ablegantur; qui militiam terrestrem ordinarent, & licentiam lege adstringerent, ne deinceps provinciales vexarentur. Placuit etiam archiva aperiri, quae in arce Goudana, & privilegia inspici; reliquaque libertatis instrumenta, ad Hollandiam pertinentia: & in indicem referri, ac describi, distribuique magistratibus, ut secundum ea deinceps respublica administraretur. Hoc negotium, sed Auriaco prius consulto, & permittente, ex ordine equestri, Ianus Dousa Nordovicus, vir ingenio & literis excellens; ex urbibus, singuli destinati subscipere iubentur. Visum & a Lumaeo petere: *daret ante omnia operam, ne quid camerae rationum, commentariorum, ordinum, curiave actuarii, turbarentur; deinde instrumenta omnia, reip. maximopere necessaria, studiose adservarentur.* Inde foedus mutua fide utrinque initum: *neque Auriaco inconsulto, aut invito, Ordines quicquam; neque Auriacum, praeter Ordinum voluntatem, cum ipso rege, eiusve legatis, de rep. pacanda acturum.* Eam in rem, fidei symbolum, datae dextrae; & Aldegondius pro Auriaco, a quo legatus, iuramento se obstrinxit. Decretum porro, *uti alias quoque urbes, scriptis literis, ad commune patriae liberandae foedus invitarent.* Quod quia vicini Delphi recusarent, mandatum Leidensibus, urbis situ opportunis, ut navigia Waterlandia prohiberent. Amstelodamum quod adtineret, Auriacus a Daniae rege, urbibusque Hanseaticis, Ordinum Hollandiae nomine peteret: *quando publicae libertati adversa esset: ne quae ei in posterum merces subveherentur, ac Hornam potius, aut Enchusam, urbesque proximas; vel Dordracum, ubi par commoditas foret, per Mosam flumen, transferrentur.* Porro exponit Aldegondius, *placere Auriaco, ut religio libera esset: publiceque in iis locis, quae decerneret magistratus, sine turbis exerceretur: clericis autem nemo vim, iniuramve ullam faceret, nisi forte contra remp. niterentur.* Inter haec Lumaeus venit, & provinciae praefecturam ab Auriaco sibi mandatam in comitiis exponit: quumque literas protulisset, lectis iis, ex praescripto obiturum, admittere placuit.

CIↃIↃ LXXII.

GV-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII

GVLIELMI AVRIACI

LIBER SEPTIMVS.

CIↃIↃ LXXII. IC arma ſub Auriaco praeſide pro libertate Hollandia ſumſit. Et Zelandiae quoque bona pars Albanum pro hoſte habere; iamque audendi initium Fliſſingani fecerant; quibus, miſſo in auxilium Tſerartſio, aucta virtus: adeo, ut, infeſtis ſignis Middelburgum contendentes, hoſtem ultro provocarent. Quumque is proelium detrectaret, neque tutum obſidere putaretur, retrogreſſi, ſe per vicos diſtribuerunt, arcemque Souburgum, non procul Fliſſinga, occuparunt. Mox autem Middelburgenſes, ne timuiſſe viderentur, Souburgum verſus nocte intempeſta copias, machinaſque ducunt. In praeſidio Galli erant, qui in hoſtem animoſe erumpentes, fortiterque repulſi, quum ſuppetias Fliſſingani fruſtra duplici velitatione tentaſſent, arcem deſerunt, quam Hiſpanus occupatam, repetentibus Fliſſinganis, quum defendi poſſe deſperaret, iterum dedit. Creſcere illis indies copiae, & per eas animi robur. Itaque mari bellum inſtruunt. Et Antuerpiam profectus Theobaldus Worſtius, pulverem tormentarium, quaeque praeterea bello neceſſaria, clanculum emit. Nec multo poſt, quum inſignis e Luſitania claſſis adveheretur, mercibus plurimis pretioſis auroque onuſta, turbarum ignara, & mutationis, vi adgreſſi naves exonerant; mercibuſque diſtractis, ingentem inde pecuniam contrahunt, atque in ſuos uſus adplicant. Tum ut Middelburgium ſubigerent, urbem inſulae Walcariae primam, liburnicis exſtructis, commeatum prohibere conantur. Iamque naves centum quinquaginta armaverant, quibus mare obſidebant; & infeſtis valde animis decertabant. Vtque Albanus, nullo perſonarum diſcrimine, milites, cives, mercatores, ceu perduelles, ſupplicio extremo adficiebat: ita illi, quemcumque Hiſpanum capiebant, ſtatim in crucem ſublimem agebant; neque ullum vitae pretium capiebant. Quumque plures captivi eſſent, binos, colligatis brachiis, in ſubiectum urbi mare e propugnaculo praecipitabant. Indigna quidem illa ſaevitia, ſed exemplo irritata. Veriae cum poſtridie Non. Iun. epulum magiſtratus haberet, in templum irruentes quidam praeſidiarii, imagines ſacras, & altaria, hactenus illaeſa, ſubito impetu confregerunt. Dein progreſſi in chorum templi, in equitum aurei velleris inſignia, illic ſuſpenſa, idem auſit quum res ad Tſerartſium deferretur, ille, ut intererat epulo, accendente iram vino, ſtatim ad templum

A ſe proripiens, ſtricto gladio duos improviſus occidit; porro alios occiſurus. niſi intercedentes quidam impetum viri cohibuiſſent. Id ubi cetero praeſidio gnarum, adeo omnium animos offendit, ut cum armis ante aedes convenirent; pontificium, ac latronem per convitium adpellantes: & facturi erant paria, ni Rollaeus, praetor urbis, Herptiusque, motum ſedaſſent. Ac profecto ex eo tempore inviſus militibus, tandem quoque per tumultum interficitur. Fliſſingani, diſtractis claſſis Luſitanae mercibus, Anglicanos ad ſe mercatores plures, militesque pertraxerunt; qui militiam, luculenta ſpe ſtipendii, quaeritare. Itaque, auctis valde copiis, vicinae Flandriae arma inferre ſtatuerunt; Oſtburgoque, & Ardemburgo, occupatis, dedere ſe Burgenſes iubent. Verum illi, quia nondum ſatis bene res ipſorum conſtitutas, & momenti ad haec parum in militia tumultuaria exiſtimarent, etſi inclinarent aliqui, tamen motum nullum audebant. Quare, fruſtra hic conati in templa, & monaſteria proxima, arma vertunt. Indé Gandavum progreſſi, quum neque illic res felicius ſucceſſiſſet, veriti ne intercluderentur, in Walacriam revertuntur. Ioannes Cerda Medinacaelius, Albano a rege ſucceſſor datus, cum bis mille Hiſpanorum novis copiis iam in Belgium adventabat. Id ubi Fliſſinganis cognitum, Balduinus Eobaldus, Ioannes Morus, aliique, circa Flandriae oram invadunt. Necdum Cerda intellexerat, tantam Auriaco claſſem eſſe; ideoque negligentior, hoſti ſe obnoxium fecerat. Naves ipſi quinquaginta quatuor erant. Ex his viginti ſex maiores, Belgis ereptae: minores reliquae, quas Aſſabres Cantabri dicunt. Has adorti magno impetu, facile ſuperant, fugantque, & ex maioribus vix tres ſalvae. Cerda cum minoribus aliquot, vix elapſus, Sluſam adpulit. Alii Rammekenum, & inde Middelburgum evaſerunt. Victoribus ingens praeda obtigit; in auro argentove ſignato, ducenta aureorum millia: in mercibus, quingenta millia aeſtimata. Sluſa Cerda Burgas abiit; hinc Bruxellas, ad Albanum; infauſto per principia augurio minus avidus deſtinatae praefecturae: quam mox etiam deprecatus, in Hiſpaniam receſſit. Quippe vir Albano diſſimilis, & prudens rerum aeſtimator, qui turbatis bello provinciis non ſine opprobrio deceſſurum animadvertebat, alienae culpae, quam corrigere non poſſet, ſuam exiſtimationem involvere inconſultum arbitrari. Tamen naves Cantabricas xx. bello parat; & Machlinia tormenta aenea xxiii. curruſque aliquot,

CIↃIↃ LXXII.

Digitized by Google

MDXII LXXII. cum pilis, ac pulvere nitrato mittit: quae, in Flandria occupata, Fliſſingani in ſuum armamentarium transferunt. Inde aliis ſubmiſſis inſtructae naves, ferente vento Sluſa Rammekenum devehuntur, tribus ex his in itinere interceptis. Hic quum eſſent, arcis praeſidio, ut putabant, ſatis tutae, Theobaldus Worſtius, vir promptae audaciae, vi adgreſſus, nequicquam arcis praeſidiariis propugnantibus, omnes, capit, incenditque. Milites plurimi trucidati, pauci nantes evaſere. Hoc ſucceſſu, ut in rebus laetis ſolet, crevit animus Fliſſinganis, placuitque porro fortunam experiri. Eſt in propinquo Zuitbevelandia, & Tergoeſa, inſulae Metropolis; inque ea etiam aliquot clam amici. Igitur, quum pridem fruſtra Flandriam conati eſſent, ad hanc occupandam tendunt. Tſerartſius cohortes aliquot, cum duabus machinis bellicis, navibus imponit; quumque in inſulam adpuliſſent, praemiſſis in proximum pagum Gallis, & excubiis oppreſſis, reliquum militem obtruncare deſtinaverat. Verum illi, cognito adeſſe hoſtem, per tenebras in urbem evaſerunt. Ad quam quum adductis copiis deditionem poſtularet, ac reiicerent oppidani, ut portam convelleret, tormenta admovit. Sed, laboris ſui irritus, neque ſatis ad obſidionem inſtructus, ſauciis paucis, retro ceſſit. Diſcedentem erumpentes praeſidiarii ſequebantur, ut poſtremum agmen carperent; at, compoſito recte agmine, incedentem nihil laedere potuerunt. Animus Tſerartſio erat, donec neceſſaria mox ſubmitterentur, eminus obſidionem facere. Sed rumore de adventu Friderici Toletani, qui Antuerpia magnas copias falſo ducere ferebatur conſternatus; metu potius, quam periculo inſula exceſſit. Illud vero adeo ingratum Fliſſinganis, ut redeunti portam occluderent, & eventum imputarent. Hinc per vicos circumiectos palans miles licentius agere; denec, re compoſita, & ſtipendio numerato, in urbem admiſſus, ad tentandam iterum obſidionem emitteretur. Tunc, ut certius res ſuccederet, petitis a Lumaeo auxiliis, cum tormentis bellicis novem, aliisque obſidionis inſtrumentis, inſulam repetit. Quumque in illam excendiſſet, atque ad urbem adveniſſet, ducto circum caſtra vallo, tormenta collocat. Erat ea ſitu magis, quam opere, munita; & praeſidiarii Galli, Hiſpanique, octingenti tuebantur, ſub praefecto Iſidoro Pacieco; qui, virtutis egregius, animum ad defenſionem obfirmabat, & Albanum rerum ſuarum certum fecerat. Obſeſſores, verberatis diu muris, media nocte impetum in ruinam faciunt, fortiterque repelluntur. Dumque ab una parte id fieret, & praeſidium diſtraheretur, ab altera, conſcenſo muro, a tergo opprimere propugnantes deſtinatum. Sed hoc, ſcalis brevioribus, fruſtra fuit. Sic fortuna hoſtium virtutem iuvit. Iam ſeptima hebdomas agebatur, & obſeſſis deerant multa, quum de urbe liberanda mox Antuerpiae conſultatur. Idque per aquas, ſi maturarent, obſeſſa navibus bellicis inſula, perdifficile cenſebatur: ſi differrent, periculum erat, ne, fractis animis, aut virtute fatigata, praeſidiarii ſeſe dederent. Mondragonius, vir animi ingentis, tentare, aqua recedente, liberationem ſtatuit. Quippe olim iuncta continenti inſula, cum dirempta inundatione eſſet, vadum reliquerat. Id quia exploratum ipſi, etſi magno intervallo, & trium amnium concurrentium profundo alveo, tranſitus periculoſus videretur, tamen diſcrimen contempſit. Igitur gnarus, quantum apud militum animos exemplum ductoris poſſet, ne quid ceteri re inſolita trepidarent, omnium primus vadum ingreditur. Et tranſgreſſus, IX. tantum deſideratis, quos errantes interiecti amnes hauſerant, excitatis ignibus, Avilae felicem tranſitum, & obſeſſo Pacieco adventum indicat. Tum madido, & defeſſo militi dat reficiendi tempus; quo ſi eum obſeſſores invaſiſſent, in proclivi victoria erat; & poſt eam urbis deditio. Sed id neglectum tanta cum ſecuritate, ut initio ad famam rei ludos facerent. Poſtea autem, cognito tranſmiſiſſe hoſtem, & ad quartum tantum miliare abeſſe, derelicta obſidione, in fugam effuſi, adeo trepide naves petunt, ut tormenta vix abducerent. Plurimique impedimentis deſertis, dum inconſiderate properant, fluctibus merſi, indigna viris morte pereunt. Ac ſequutus fugientes Paciecus, cum militibus quadringentis, a Mondragonio ſubmiſſis, Porreſio, Balleio, & Salvaterra ducibus, magnam in extremo agmine ſtragem edit; deletique univerſim IↃCCC. Huius cladis tanta omnium offenſa fuit, ut Tſerartſium paſſim proditorem dicerent, quod convitium quum non ferret, abdicata praefectura, ad Auriacum ſe recepit. Et, ut culpam removeret, duello, aut iure decus ſuum tueri velle praeſetulit. Tum libello quoque edito quoſcumque accuſatores provocans, ſiſtere ſe intra menſem iubet, coram Auriaco cauſam dicturus. Ac quantumvis nemo quidem compareret, tamen odium, aut calumnia non ceſſare. In Hollandia Hiſpani Roterodamum adhuc tenebant. Quumque annonam urbes vicinae, Auriaci partes amplexae, interciperent, penuria preſſi, Amſtelodamo petere ſtatuunt. Igitur Rodericus Sapata, a Ferdinando Toletano Haga miſſus, adſumpto Ioanne Cepeda, cum delecta CCC. manu, & carrorum magno numero, Delphos Hagamque praetergreſſi, Scevelingam, pagum Oceano adiacentem, acie inſtructa, iter capit. Inde iuxta littus ducens, & Harlemum propter tranſiens, occupato Sparnodamo, ubi Robollium ductorem cepit, Amſtelodamum pervenit. Ibique frumento conquiſito, eadem via retrogreſſus, Roterodamum illaeſus rediit. In reditu pauci, milites pariter atque agricolae, turba plane tumultuaria, & armorum imperita, prope Catvvicum, tormentis minoribus duobus adductis, & lorica tenui adeo excitata, temere ſe obiicere auſi, turpiter mox, conſpecto hoſte, diffugerunt. Albanus, qui ſuarum rerum omne momentum in Montibus poneret, urgere valde obſidionem; & ex

Hol-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. Hollandia reliquas copias advocare. Itaque Roterodamo etiam, & Delfshavia, menſe Iulio deducta praeſidia. Quod Svviteno, urbis Goudanae praefecto, Ienninus Rivius, urbi a ſecretis, ſtatim per literas indicavit; ſimul obteſtans: *darent operam, ut clementer boni cives, gravia ab Hiſpanis paſſi, haberentur*. Is porro ad Lumaeum ſcripſit; qui non multo poſt urbem vacuam occupavit. Sub hoc tempus parum abfuit, quin Harlemum proderetur, obnoxium inſidiis, propter vicinum Amſtelodamum, quod in fide Albani manſerat. Praetor urbis epulum aliquod inſtituerat, eoque etiam magiſtratum advocaverat; & Ioannes Coltermannus, etſi invitus, intereſſe. Dum convivium eſt, hora decima veſpertina accenſus quidam eſſe ad portam Gravium nuntiat, intromitti cupientem. Conſul Theodorus Rampius ire in curiam hominem iubet, ſub pulvillo indicato, portae aperiendae claves inventurum; illud, niſi ſe praeſente, factum iri, Coltermannus quum negaret, vix dimiſſus, Gravium, intra urbem admiſſum, in diverſorium deducit. Inde excubias luſtraturus, in portis Sparvvoudana ſimul & Schalcovicana, qui excubaret, unum tantum deprehendit. Et haec quidem aperta erat; ac cohortes a Boſſuvio quinque miſſae adventabant, uti urbem occuparent; feciſſentque, ſi ad horam praeſtitutam adfuiſſent. Qua neglecta, caſus eam, & Coltermanni virtus ſervavit. Quippe is portam, excitatis civium proximis, ſtatim occludere; & cohortem Ruichaverii advocare. Itaque excluſi Hiſpani Sparnodamum receſſerunt. Poſtridie vero convocato magiſtratu, Coltermannus cum Berckenrodio, & Kieſio collegis intervenit, confirmandis civium animis, eo magis perturbatis, quod eodem forte tempore Rodericus Sapata, qui cum cohorte Hiſpanica Haga advenerat, prope urbem ad auſtralem portam eſſet. Viſum autem, ut Enchuſam Coltermannus ad Sonoium, auxilii petendi, proficiſceretur: & Svvitenum Berckenrodius, literis datis, cohortem unam mitti rogaret. Ac Coltermannus, ubi ad Sonoium venit, auxilia obtinuit: miſſique ſuppetias milites loc. ſub ductoribus Lazaro Mullero, ac Cornelio Everdingo. Hiſque ſe, praeclaro in patriam adfectu, cives multi Alcmariani, & Hornani ſponte ſua adiunxere. Qui quum Bevervvicum uſque perveniſſent, ad ſecundum Harlemo lapidem, Hiſpanos Haga cum Hollandicis ſenatoribus, & magiſtris rationum, commentariis, omnibuſque inſtrumentis, ac ſupellectile, prope urbem adceſſiſſe nuntiatur. Quare ocius a Sonoio copias maiores petunt. Iſque, recens e Tranſiſelania acceptas, collectasque a Zacharia Gliſenbergio, veſtigio ſubmittit, datque ruſticis mandatum, ut annonam illuc propere comportarent. Poſtridie Mullerus ſuos ſub auroram ad portam arenariam ducit, nuntiatque oppidanis, ut ſe ipſi quoque iungerent. Vix advenerat, quum cohortes quinque ab arce Clivienſi in eum tendunt. Quas adgreſſus, nulla fere ſuorum ſtrage, profligavit, ac Sparnodanum fugere compulit. Sed victoriam iſtam clades mox excepit. Quippe qui in ſilva Hiſpani iam proelio feſſos invadentes, etſi fortiter pugnantes, vincunt, atque in fugam agunt. Caeſi inſtar ſeptingenti. Victores Vltraiectum profecti, ubi cohortes aliquot Germanicae in praeſidio. Sed oppidani, acerba pridem ab iis paſſi, recipere in urbem noluerunt. Id aegerrime ferentes, in ſuburbia, & vicinos circum pagos, iram vertunt; igne, & ferro omnia vaſtantes: donec poſtea, ab Albano in Hannoniam revocati, diſceſſere. Tum Hollandici ſenatores, & magiſtri rationum, qui cum iis eo venerant, immigrantes, ibi ſedem poſuere. Quanquam illis munus pene ſine functione eſſet; quum praeter Amſtelodamum, Mudam, Weſopum, & in Brabantico limite Heuſdam, tota provincia defeciſſet. Interim Auriacus, accepta e Gallia aliqua pecunia, & ab Haſſiae Landgravio, pignorato patrimonio, in Germania exercitum ſcripſerat: equitumque ſeptem millia peditum quindecim, ac Belgarum tria habebat. Duces primarii Burchardus Barbius, Erneſtus Mandeslous, & Henricus frater. Hunc, tranſmiſſo in Gelria Rheno, prope Dusburgum, ad Aldekercam, & Eſſenam, luſtrat. In Gallia Ienliſius, de Naſſovii, & ceterorum ducum ſententia ablegatus, a rege auxilia, & promiſſa impetravit. Colinius copias in limite paraverat, quas ipſe duceret. Erant peditum IVCIↃ ſub Rentio, Iuniellio, & Bellingervillio. Equites CC. cataphracti, & levis armaturae turmae II. praecurſoribus Petrobuferius Geniſſacus praeerat. Reliquum equitatum Philippus Lanoius Bellovacus ducebat. Monitus erat, quum diſcederet, iterumque mox per literas, a Naſſovio Ienliſius, *ut per agrum Cameracenſem facto itinere ad Auriaci fratris copias ſe adiungeret: nam ut recta Montes duceret, periculoſum valde eſſe, neque ſibi expedire*. Sed ille, animi ferocior, cum ſuis ſe copiis liberare obſeſſos poſſe confideret, ne in iſtius gloriae partem quiſquam veniret, ceu contrario Colinii imperio, utile admodum conſilium neglexit. Interea temporis levibus ad urbem proeliis certatur; & cum v. Eid. Sext. ad meſſem colligendam praeſidiarii exiiſſent, cum magna ruſticorum manu, pugna ſatis atrox oborta eſt; in qua profligati obſeſſi, incumbente Bernardino Mendoſa, amiſſis plurimis, retrocedere in urbem coguntur. Ex obſeſſoribus caeſi pauci levis armaturae equites. Chiapinus Vitellius, & Rodericus Toletanus, leviter vulnerati. Iam augmentum caſtris adceſſerat, turmae equitum Arſcotani, Mansfeldii, Boſſuvii, Barlamontii, Noircarmii, & Altabrugii: ac e legione Rutiana cohortes VII. tum expectari quoque legio Nicolai Polvillerii; & e Neapolitana, quae Traiecti, ſigna v. Didacus Zunica, Philippi apud Carolum, Galliae regem; orator, qui eius conſilia ignoraret, ſaepius egerat: *ne auxilia perduellibus Belgis mitteret;* & acrius etiam expoſtulaverat, *foedus* obteſtans, *quod violatum ſupremi uminis vindictam irritaret. Nec Philippum*

CIↃIↃ LXXII.

CIↃIↃ LXXII. *ita meritum, qui distractum bellis civilibus contra subditos perduelles adiutasset.* Carolus factum excusare, &, *invito se admissum: idque minime obscurum proscriptis nuper, qui in Belgium suppetias irent. Sed in regno, nec dum a turbis civilibus quieto, labefactata maiestate, non omnia posse: Multa necessario dissimulare, quae, potentiae iterum firmus, prohiberet.* Ita ambiguo responso, gratiae, & offensae medius, Zunicam dimittit. Sed eodem fere tempore nobilis quidam ex aula ad Albanum missus, per viam ad Fridericum Toletanum deflectens, eum de Ienlisii consilio, numeroque copiarum, & itinere toto instruit. Isque equites cccc. sclopetarios Ↄ ccc. Cameracum versus mittit; qui res hostium, inter urbem & Landrecium insidentes, explorarent. Ienlisius, quum recta Montes ire instituisset, per Bossuvium iter habuerat, & inde Quieuregium, sesquimilliari ab urbe: non sine fraude, quum viarum imperiti a ductoribus proderentur. In eo itinere magna passim iniuria facta rusticis Hannoniis: unde animi, antiquis odiis satis infesti, longe magis acerbati. Delatum ad Toletanum erat, Ienlisium secum equitum quatuor, peditum decem millia ducere. Illud; sive rumor finxerat, in huiusmodi rebus validus, sive astu ducis erat divulgatum, uti hostem perterreret; intrepidus tamen Toletanus, qui & optime numerum copiarum sciret; &, ne sine ullo proelio in provinciam hostem admitteret, famae suae interesse existimabat, adgredi advenientem omnino statuit. Et verebatur, si detrectaret, *ne metus, aut desperationis, manifestus, collapsam valde patris Albani auctoritatem porro destrueret; Auriaco sine dubio, qui cum exercitu copioso imminebat, nutantes passim Belgarum animos impulsuro.* Itaque, ut periclitantem Bruxellis patrem confirmaret, factu optimum, necessariumque duxit, *quamvis cum periculo aliquo, belli aleam experiri.* Hoc consilio praemissis Bingium impedimentis, quum iam intra Galliae limitem auxiliares recessisse nuntiarentur, ad XVI. usque Kal. Sext. subsistit. Deinde ubi exploratum, quatuor vix milliaribus separatos, positis prope Hanam castris, pontem struere; legatum Bernardini Mendosae, Antonium Figueroam, cum XX. equitibus mittit, & Franciscum Ferdinandum Avilam, arcis Groninganae praefectum, cum Garciae Valdesii equitum sclopetariorum turma; qui seorsim copias hostium, & consilia explorantes, e vestigio ad ipsum referrent. Ipse eos subsequutus est. Belgarum, & Hispanorum peditatus omnis promiscue incedebat, duce Iuliano Romero; cui Licquius, & Chevereauxius additi erant. Vitellius, etsi ex vulnere imbecillis, a fossoribus in lectica portabatur. Pars equitatus tripartita ad dextram ire: reliquum, tribus item agminibus distinctum, in extrema acie esse. Quam claudebant sclopetarii Hispani cccc. & ala Bernardini Mendosae: qui praesidiarios, tergum forte invasuros, substinerent. Ita ad urbem usque promotum. Tum, mutato ordine, eques, qui in ultima acie erat, in primam vocatur. Sic itum ad Giselini fanum; ubi cognito, nondum Gallos Hanam transmisisse, confestim in eos equitatum Toletanus mittit, peditatum subsequi iubet. Primam aciem Romerus ducebat; qui, simul hostem conspicatur, Ioannem Salazarium Sarmientum cum sclopetariis gravioribus LX. inter sepem, & salicetum collocat; qui, dum utrinque veles concurrit, latus infestaret. Primo impetu cessere Hispani. Quibus submissi e legione Chevereauxii Belgae cc. quos ipse Chevereauxius, & cum eo Delvalius duceret: & mox totidem, duce Licquio; cui comites Mota, Bergius, & Fremenantius. Hos levis armatura subsequi, cum peditibus Hispanis cc. sub Francisco Bovadilla, Ferandino Agnasco, & Didaco Carvaiali. Post eos cum reliquo peditatu ipse Toletanus agmen claudere. Galli a tergo Alterragium vicum habebant, cui planities non magna subiecta; silva, & rivo undique cincta. Quos a fronte adortae Hispanorum cohortes duae, Alfonsi Monteri, & Garciae Valdesii, levi pugna praeludebant. In prima acie cum octo signis Rentius erat; totidem medius Iumellius ducebat. Postremum agmen, quia magis hosti apertum, cum Rhingravio, & Genissaco, Ienlisius ducebat. Interque dumeta itinere valde angusto incedens, equites centum, duce Rentio, de hoste cognituros, praemisit. In hos, simul silva egressi, declivi iam sole, cum ala sua Lupus Sapata impetum facit; & post eum Philippus Sancto-Aldegondius Noircarmius, cedentibus fortiter incumbens, in fugam propellit. Itaque in suos versi pedites, unde minus periculi Ienlisius putaverat, turbatis ordinibus, exercitum solvunt; pontem versus, quo Hanam transmiserant, fugientes. Sed ne per hunc evadere possent, occupata ulteriore ripa, Antonius Figueroa prohibuit. Itaque, transitu non permisso, per Tornacum, Condatum, & Athum, Valentiniana usque effusi, dum abiectis armis per silvas huc illuc passim palantur, infestis rusticis, plurimi spoliati, caesique, miserrime perierunt. Eo conflictu cecidere amplius clↃcc. in quibus Rentius, & Rhingravius. Ienlisius, Iumellius, & Schonevvallius, capti in custodiam abducuntur; ille Antuerpiam, iste Tornacum, hic Aldenardam. Ac Ienlisius non multo post repente exanimis repertus in lecto, nullo morbo praecedente, etiam in funere ignominiam passus est. Iumellius autem, ac Schonevvallius, diversa sorte liberati. Olhanius saucius cum centum circiter in urbem venit, nec multo post e vulnere moritur. Bellovacus, noctis beneficio elapsus, in coenobio Spinelevienſi a Poieto praefecto excipitur. Ex Hispanis caesi tantum Alfonsus Lombralis, & Antonius Zero, cum VI. peditibus, equitibus XII. Lupus Sapata, gravi accepto vulnere evasit. Duabus horis depugnatum est. In conflictu gregarius miles egregium virtutis specimen dedit. Nam lancea transfixus, alia e terra adrepta, quae forte obvia, equitem irruentem excepit, strenue pugnans, donec, eiecto per vulnus sanguine,

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. guine, vires animi adhuc integrum deſtituerent. Toletanus, revocatis ab hoſte copiis, ſub veſperam ad Giſelini fanum rediit. E pugna Gallicae cohortes decem ad proximam ſilvam ſe contraxerant, contra quas poſtridie multo manę Cheverauxium mittit; ſed mox, relatis xxx. ſignis, ſuos cohibuit. Hac ſuorum clade deiectos oppidanorum animos fore arbitratus, per tubicinem dedi ſibi urbem poſtulat; ſed reiectus demandata Philippo Lalanio obſidione, Bruxellas ad patrem Albanum contendit; quum ſtatim poſt proelium in caſtra veniſſet Nicolaus Polvillerius, adducens peditum ſigna tredecim, & Hiſpanos quingentos, Vltraiecto evocatos, cohortibus quatuor ex Eberſteinii legione ſubfectis. Inſuper tres equitum turmae, quas Nicolaus Baſta, Aurelius Panormitanus, & Georgius Macuca, pridem in Italia legerant. Albanus III. Non. Sext. indictis Bruxellis comitiis pecuniam ab Ordinibus poſcit: *ex Hiſpania miſiſſe regem* cccc. *aureorum* clↃ. *nec praeter iſta exſpectari quicquam poſſe. Qua cum ſumma ſi militiae ſuae onera compararent, nullo modo ſubfecturam deprehenderent. Hinc ſtipendium ordinandum* xv. *equitum* clↃ. *peditum autem Germanicorum* xii. *legionibus, & cohortibus Hiſpanorum, Belgarumve*, ccl. *huc accedere ceterum belli adparatum, naves plurimas, ac tormenta. Igitur annua vicies centena* clↃ. *& centeſimam expedirent. Se, ita inſtructum, intra bimeſtre Belgio toto hoſtem profligaturum eſſe.* Mox, cum Medinacaelio profectus, Montes petit; ipſe urbem expugnaturns. Et ad convellenda moenia tormenta maiora xxiv. minora viii. ſecum trahit. Bruxellas Arſcotano mandat. Ante urbem coenobium Spinelevienſe erat, quod cum cc. defenſoribus Poietus tenebat. Id tentatum acri pugna. Atque egreſſae ex urbe cohortes a Franciſco Salazario fortiter repulſae. Egregie tamen defenſus a Poieto locus, capi non potuit. Itaque rurſum mox adorti Rodericus Sapata, & Alfonſus a Sotomaiore, tormenta admovent. Editaque ruina, quum impetum facturi eſſent, praeſidiarii, non ultra vires periclitari a Naſſovio iuſſi, in urbem ſe recipiunt. Loco capto Molemius imponitur, cum Belgarum iv. ſignis e Chevereauxii legione. Eodem die, Eſpernio duce, xiii. peditum ſigna venere. Ac poſtridie Albanus ipſe cum Medinacaelio. Moxque Salentinus Iſemburgicus, Archiepiſcopus Colonienſis, cum equitibus clↃ. lↃ. Ioannes Roda cum ccc. & ab Archiepiſcopo Trevirenſi lↃc. miſſi. Vt primum advenit, Valentinianis, Aveniſque, tormenta advehi Chevereauxium, Rutiumque, cum ſuis legionibus vicum Menium inſidere iubet. Ipſe vero caſtra undique communiri curat, ut adverſus obſeſſorum, & auxiliatorum vim tuta eſſent. Dum vallum urgetur, leviter pugnatum eſt: vulneratique Alfonſus Meſſia, Chriſtophorus Corverus, & Franciſcus Valdeſius. Nocte proxima xxvi. tormenta admota. Interea Auriacus, tranſmiſſo Rheno, Moſam petit; poſitis ad Hellenradium, prope Ruremundam, caſtris. Vbi petito commeatu, quum negarent oppidani, incenſis portis, pridie Non. Sext. urbem expugnat; in qua, indigna militum ſaevitia, plurimi caeſi. Inter illos oeconomus, & hierophanta, Carthuſianorum; cum presbyteris aliis duobus, aetate ſenecta venerandis. Paulus Waelvvicenus, qui epiſcopo ſacrorum miniſter, in coenobio crudeliter occiſus. Adeoque in ipſo templo, ſine ulla loci ſacri reverentia, diaconus quidam trucidatus, & ante ſacrarium Reinerus Linterius. Ibi dum paucos dies ſubſiſtit, venere ad eum Hollandiae Ordines, cc. florenorum clↃ. adferentes, & de aliis item ccc. cavere. Quumque nuntiatum eſſet, *in ea provincia indecore militem graſſari, maxime in monaſticum ordinem*, edicto publico vim repreſſit. Simul ad remp. totam ibi loci conſtituendam animum advertit, praeſcripto edito ad diem viii. Kal. Septembris. Inde, aperto in Brabantiam aditu, ineunte Septembri, Lovanium verſus copias ducit; portaque incenſa, obviam ab urbe legati venere; pecunia oblata, vim, & praeſidium, redimentes. Inter eos, vir patriae diligens, Elbertus Leoninus, tunc in Academia illa anteceſſor, poſtea Gelriae Cancellarius; cuius etiam ante meminimus, Machlinia, neutram partem amplexa, odium inter, & obſequium, miſſum ab Albano praeſidium recuſaverat; nec Auriacum admittere audebat. Hanc Arnoldus Dorpius capit, & Bernardus Merodius Rumenus, cum vi. peditum ſignis, equitibusque lↃ. praeſidio imponitur. Moxque aliae urbes, adfectu, aut metu, ſeſe dedunt. In Hornani ditione, ſubfoſſis muris, Weertium occupant; cuius arcem Ioannes Montelius Caias, & Franciſcus Mendoſa, ſervabant. Inde in Flandria Teneramunda, & Aldenarda, Iacobi Blommartii aſtu, in poteſtatem redigitur. Et Teneramunda Dorpio mandata, Aldenardae graviter ſaevitum eſt. Praetor, Iuſtus Cortevillius, capta urbe, in arcem fugerat: qua expugnata, hominem, multis vulneribus confectum, per feneſtram in flumen ſubiectum crudeliter praecipitant. Tum quaeſiti ad caedem ſacrifici: & paſſim viri, nulla iniuria obnoxii, avitae religionis odio, indigne interfecti. Ioannes Apoſtolus, Pamelae curio, qui, periculo evitando, huc confugerat, aliique ex eodem ordine xv. manibusque, pedibusque colligatis, in flumen proiecti, ſubmerſique; praeter unum, aetate debilem, Iacobum Ambainum: qui forte in ripam adverſam delatus, mortem evaſit. Neque templis, aut coenobiis parcitum fuit. Et vim paſſae imagines ſanctorum. Etiam in ſepulcra ſaevitum, nec quieſcere mortuis datum. Ea res infamem valde militiam fecit; quique prius Albani ſaevitiam deteſtati, nunc Auriacum etiam odiſſe. Tamen urbes multae in fidem eius ſeſe tradidiſſent, ſi id ei conſilium fuiſſet. Sed, relictis rebus omnibus, hoc praecipue unum agebat, ut, Albano profligato, Naſſovium fratrem liberaret. Quamobrem iter ſubſceptum urgens, dum in eo eſt, Dieſtam, & Tielmontium, capit. Nivellae, quia, ſpe ſuppetiarum, tranſitum

CIↃIↃ LXXLI

CIↃIↃ LXXII. ſitum negaverat, commeatum, & annonam imperat. Chevereauxius cum legione ſua, & ſclopetariis Hiſpanis ⅬↃcc. Menium procedere iuſſus erat, ut illic aditum intercluderet. Sed, quum hoſtem iam Peronam adveniſſe accepiſſet, qui vicus duorum milliarium intervallo Montibus abeſt: & vereretur, ne auxilia inde in urbem per Genapum traiecto Hana mitterentur, revocato Chevereauxio, contractiſque propius copiis, magis obſidioni incumbens, vallum ad marginem foſſae ducit; & undique caſtra anxie munit; praelio omni abſtinere, & ſola mora hoſtem debellare certus. Poſitis in colle VI. tormentis ad portam Bertemontiam, urbem ſubiectam graviter verberat. Reliqua binis locis diſtribuit; quae & portam Bertemontiam, & exterius propugnaculum infeſtarent. Eaque biduum totum exploſa, proximas turres, etſi oppido perforatas, nondum tamen deiicere potuerunt. Dein, in ripa collocatis VIII. tormentis, murorum minas dextra, laevaque deiicit. Cetera exterius propugnaculum quatiebant. Cuius parte anteriori tandem diruta, in poſteriori, ducta foſſa, aliquot praeſidiarii manſere. Etiam turris S. Andreae, crebris ictibus terebrata, defenſores occultare non ultra poterat. Contra urbani editam interdiu ruinam noctu rurſum muniebant. Et Lanovius ante murum in munitione CC. collocat; tum L. alios deſignat, qui reliquam propugnaculi diruti partem tuerentur; ipſe cum C. e nobilitate, & delecta haſtatorum, ſclopetariorumque manu, ruinam defendendam capit. Dein foſſam interiorem ducunt; & excitatis utrinque tumulis, tormenta quinque, ac colubrinas duas ſtatuunt; quae exploſa ſine intermiſſione in tentoria, plurimum hoſti incommodi afferrent. Inſuper, ſaepe erumpentes, opera quoque interturbabant. Quum vero Albanus fruſtra aquam e foſſa derivare tentaſſet, tandem obductas pluteis ſcaphas, quae contra ſclopeta tutae eſſent, parari iubet. Tum doliis plurimis aſſeres colligatos inſternit, per quae pontis inſtar miles e ſcaphis in ruinam exſcenderet. Et, ne quem aditum auxiliares haberent, validis ſtationibus vallum firmat; collibuſque geminis, in via, quae Genapum ducit, militem imponit. In altero etiam munitionem quadrangularem, ad ſtellae inſtar, ex conſilio Bartholomaei Campocaſſii, Medinacaelius excitat: in qua poſita ſigna duo Germanorum, & machinae totidem; datumque praeterea Romero negotium, ſi uſus foret, ut cum binis itidem Hiſpanorum ſignis; & cohorte Salazarii, praeſto ad ſuppetias eſſet. In ſubiectis vallibus equitatum locat, iuſſo Chevereauxio foſſam Menio circumducere. Polvillerio, Licquioque ſtationem defendendam; Eſpernio, cum cohortibus Eberſteinii, tormenta cuſtodienda adſignat. Tum, diſpoſitis ita agminibus, Hiſpanos pedites ſelectos ⅬↃc. qui laborantibus opem ferrent, ante ea procurrere iubet. Auriacus, Perona progreſſus, VI. Eid. Septembris cum toto exercitu ſub meridiem in conſpectum urbis venit. Sed tormentis eminus tantum dimicatum, laeſo maxime ab urbanis Albani equitatu. Hoc praeludio extractus dies. Inſequenti, eodem ordine iterum progreſſi, proelium tentant. Albanus porro, qui Genapi munitorum caſtra Auriacum crediderat, occupando loco Fridericum filium cum Hiſpanis ⅬↃc. miſerat. Quod Auriaco inſperatum, quum non leviter perturbaret, nec ſat tuta copiis ſuis ſtatio eſſet, peditem Gallicum, qui potiſſimum exercitus robur, in duo agmina diſtributum, praecedere iubet; & Genapum iter capit; quo tunc etiam Sanchius Avila ab Albano miſſus venerat. Ibi oborta acris pugna. Prodibant e vico Hiſpani, duceſque erant Franciſcus, & Marcus Toletani, Rodericus Sapata, Ioannes Ayala, cum delectis centum. Hos Texeda cum cohortibus aliis ſequebatur; & cum eo Iulianus Romerus, ac Ferdinandus Toletanus. Submiſſi deinde Petrus Taxis, & Salazarius cum equitibus cataphractis ſexaginta, ac Ioannis Croii Rutii ala. Initio Avila Gallos propulſare; mox, victoria alternante, incumbente cum equitatu Henrico Naſſovio, victi Hiſpani, amiſſo ſigno alae Taxianae. Inde, reſtaurato praelio, adeo anceps fortuna fuit, ut ipſe Albanus, quique aderat Medinacaelius, ſequeſtrata dignitate, ceu gregarii depugnarent. Tandem datum receptui ſignum. Et Auriacus, cui infeſta valde munitio rurſus Genapum ire pergit; ſi forte Albanum ad certamen protrahere poſſet. Sed is, auxilia arcere contentus, incertam belli aleam iacere non conſultum ſibi ducere. Itaque Auriacus, fruſtra eſſe hunc conatum animadvertens, eodem die caſtra movens, Fermeriam abiit, tertio inde lapide ſitam. Vbi poſtridie commoratus, quia fanum Floriani Polvillerius tenebat, inde in urbem auxilia mitti poſſe ſperabat. Verum eo ſtatim Albanus Bernardinum Mendoſam mittit, treſque equitum alas addit, & cohortem ſclopetariorum unam; quos mox Marcus Toletanus, & Rodericus Sapata, cum ſexcentis ſclopetariis, equitumque Hiſpanorum alis quinque, inſequuti. Auriacus iam a Floriani fano ſeſquimilliare abierat; quumque occupare Arminium vellet, ubi Mendoſam conſpexit, quoſdam praemiſit velitaturos, dum tentoria ponerentur. Et paullo poſt Albanus adfuit cum Medinacaelio, Philippo Noirkarmio, & Iuliano Romero. Ac, Mendoſa admonente, opportunum inſidiis locum; de invadendo per noctem hoſte conſilium capit. Igitur negotium filio Friderico mandat, qui CIↃ. Hiſpanorum, ut ſe dignoſcerent, interulas albas armis ſuperinducere iuſſos, eo ducit: Chevereauxium, Licquiumque, cum peditibus ducentis, equitumque turmis ſeptem, in itinere vicum occupare iubet; quo recederent, ſi conſilia hoſti explorata eſſent. Ipſe ut cum Noirkermio locum acceſſit, hortatur milites, *meminiſſent priſcae virtutis, nec occaſionem egregiam deſtituerent*. Tum non longo intervallo collocato Friderico Toletano, & Garcia Svareſio, cum CL. ſclopetariis, Iulianum Rome-

CIↃIↃ LXXII.

merum, Marcum Toletanum, Ioannem Salazarium, Antonium Moxicam, & Rodericum Sapatam cum cccc. in hostium tentoria impetum facere iubet. A Friderico Toletano, & Svaresio, ad lo. circiter passus, cum aliis CL. Christophorus Quixada, & Casparus Vrea constituti. Paullo propius Franciscus Toletanus, & Martinus Erastus, cum cc. ante hos Rodericus Peresius cum hastatis L. Romerus, aliique, impetum primum facere iussi, hostem adorti, stationarios trucidant. Inde exorto tumultu, antequam armati adesse ad signa possent, intra horam plus ccc. occiduntur. Iniectus quoque tentoriis ignis; tum receptui signum datum. Antonius Moxica, cum LX. longius progressus, quam ut se recipere posset, interceptus. obtruncatur. Existimaverat Fridericus Toletanus, non temere egressuros hostes; ratos omnem Hispanorum equitatum in se duci, quo consilio a Mendosa plures tubicines simul canere iussi erant. Verum, ubi per incendium excitatum colluxisset, deprehenso astu, audentius in recedentes irruerunt: inde, postquam noctem reliquam in armis egissent, postridie, vasis conclamatis, Auriacus suos Machliniam reducit. Moxque ad Rhenum exauctoratis, cum praesenti vitae periculo, ob stipendia non soluta, Campos venit; unde Enchusam, in Hollandiam, transmisit. Interim fratrem Nassovium monet, quando urbi, tum arctae obsessae, auxilia nulla inferri possent, uti rebus suis consuleret. Is tum aeger lecto tenebatur. Igitur Lanovius, ceterique Gallorum duces consilia cum illo conferunt. Placuitque universis, uti honestis conditionibus urbem dederent. Idque factum XIII. Kal. Septembris. Nec tam aut discessus Auriaci, aut rerum angustia, hominum fortissimorum virtutem impulit, quam adlatus e Gallia nuntius de laniena Parisiensi. Is Gallorum, quorum potissimum in praesidio robur erat, animos deiecit. Interea autem, dum Montes obsidentur, Hollandiae Ordines, Harlemi congregati, de provincia contra vim Albani defendenda serio deliberant. Tum de belli etiam mediis. & Amstelodami obsidione; quam Lumaeus valde urgebat, ceu multorum in illa urbe pronis animis, qui se proderent, simul haec tentata foret. Petebat insuper; promovendae rei, XL. florenorum clo. & promissum ab Ordinibus, quantum suffecturum esse existimarent. Placuit autem, ut obsidio terrestris esset; quum Sonoius, aliique, profligandas freto australi naves putarent. Quod quantumvis utilissimum, tamen, ob aerarii angustiam, tanquam sumtuosum nimis, est omissum. Quamobrem Lumaeus cum legione Lazari Mulleri, aliisque copiis, ad urbem accedens, capto Carthusianorum coenobio, castra munit. Id Bossuvio, qui tunc Vltraiecti, obsessi nuntiant, & auxilia etiam petunt. Lumaeus literis perbenignis ad deditionem oppidanos solicitabat; sed illi nec accipere eas dignati, insolenter in tubicinem sclopum explodunt. Tunc Lumaeo tormenta maiora XII. missa. At Bossuvius, suppetias obsessis laturus, Vltraiecto cum cohortibus IV. venit, Nardeno unam, tres residuas Amstelodamo impositurus. Sed Nardeno iam propinquus, quum intromitti postularet, LX. sclopetarii, e Bergensis legione, qui paullo ante forte advenerant, excluserunt; idque eum gravissime offendit. Quumque vim tentare non posset sine bellico instrumento; ne cunctando tempus perderet, porro copias Mudam ducit, unde navibus Amstelodamum mox devectae. His subnixi oppidani, porta Vltraiectina erumpunt; sed repulsi, ac capti XVI. At Lumaeus, quum de urbe expugnanda desperaret, mox obsidionem solvit; de Ordinibus multum questus, *quod pecuniam, & promissum commeatum non misissent: nec solvendae obsidionis aliam ipsi causam esse*. Sed in ipsum, & neglectum disciplinae militaris alii culpam referebant; animis omnium per saevitiam alienis, qua in clerum toties usus, & avitae religionis sectatores. Eo ipso mense Augusto, quo haec gesta, Hadrianus Duychius, Woerdae praefectus, quae urbs in Hollandiae limite agro Vltraiectino obiacet, cum urbano magistratu in Auriaci partes transit. Montibus captis Vaulxius ab Albano imponitur, cum Belgarum signis IV, ceterae copiae Rutio se coniungere iussae; qui cum iis Aldernardam, Flandriae urbem, obsideret; & praemissus Teneramundam Mondragonius. Bruxellas redux, postquam paullum quievisset, eductis IV. e legione Sicula cohortibus, Machliniam contendit. Et, praemisso filio Friderico, in itinere Tilmontium, ac Lovanium recipit. Machliniae IV. signa peditum, equites CC. erant; quos Auriacus discedens praesidio reliquerat. Primo impetu capta suburbia, eoque conflictu vulneratus Ferdinandus Toletanus; quod Albani iram acuit. Et, tormentis advehi iussis, vim parabat; quum dilapsum metu praesidium, nulla liberationis spe, urbe deserta noctu evadit. Postridie Kal. Octobr. clerus urbis cum ornatu omni sacro, crucem vexillumque praeferens, extra muros procedebat, uti veniam miseris civibus suis precibus impetraret. Sed Hispani, spretis precibus sacerdotum, infulisque, pars per portas, pars trans moenia adscendentes, introrumpunt; tanta rabie, ut immania quaeque facerent. In introitu caesi plurimi: imminutae multae virgines, etiam sacrae. Neque matrimoniis parcitum. Sub parentum quoque adspectu, & maritorum, expleta libido. Nullus ordo immunis habitus. Insuper direpta omnia; aurum, argentum, monilia, vestes; denique quaelibet supellex. Neque quicquam miseris relictum fuit. Ac quadragies centum clo. florenorum ea praeda aestimata. Vtque poena, non flagitium, putaretur: pridie Nonas publicato Musae edicto, causam Albanus proponit. Et postridie *bona eorum, qui praeteritis sese turbis miscuissent, intra triduum deferri* iubet. Svvevegemio praefecturam urbis mandat; Ioannem Mendosam cum levi armatura Liram, Germanicos equites Lovanium in praesidium mit-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. mittit. At Mendoſa, ubi Arſcotum advenisſet, cognito fugiſſe hoſtem, veſtigia premens, in ſilvae introitu ultimum adhuc agmen carpit: vacuamque, dilapſo praeſidio, Dieſtam recipit: cui, adverſus vim invalidae, ideoque minus noxiae, pro ſupplicio multam imponit. Teneramunda viiiclↃ. florenorum ſe redemit. Aldenarda Rutium accepit; quique in praeſidio fuerant, Oſtendam digreſſi, inde in vicinam Zelandiam, aut obpoſitam illi Angliam, evaſerunt. Embiſius, navi in vadum impacta, quum iam capiendus eſſet, & in mare deſiliiſſet, ſuffocatus. Blommartus, Gravius, Rivius, alii, meliore via Zelandiam petentes, noctuque in hoſpitio obpreſſi, quum ſe in vincula dedere nollent, igne iniecto, periere. Plures gladio percuſſi, aut ſtrangulati. Antonius Vtenhovius, quia maiorum religionem exſuiſſet, ad palum vivus igne circumpoſito exuſtus. Sed Blommartus, ſaevitiae immanis, & in capta pridem urbe crudeliſſime graſſatus, Graviuſque, avaritiae inexplebilis, nec templorum ſacra reveritus, & ob flagitia carcerem in Hollandia paſſus, non indignum vitae exitum habuiſſe videri poſſunt. Aliorum, niſi adverſae militiae, nulla culpa. His peractis, Albanus Moſae Traiectum abit; ibique Germanici equitatus maximam partem, ceu urbibus obſidendis inutilem, quod tunc animo agitabat, exauctorat. Tum tormenta Licquius cum cohortibus quinque Moſa devehit; moxque ipſe ſubſequutus, quum Vahalim adtigiſſet, reflexo contra Rhenum itinere, adverſo flumine ad Moſam venit. Vbi Graviae praefectus, Caſpar Gomeſius, pontonibus magnis adparatis, pontem ſtruxit. Ibique exercitu tranſmiſſo, & tormentis, terreſtri itinere Noviomagum petit; Friderico filio in Auriacum ducere iuſſo, tormentiſque adverſo Vahali Arnhemium miſſis. Illic dum eſt, a variis urbibus Legati ſupplicatum veniunt: *ignoſceret crimini, cui neceſſitas, non voluntas, obnoxios feciſſet. Quippe Auriacum vel recipere, vel pecunia, commeatuque, adiuvare, per vim coactos: omnia etiam amiſſuros, ſi cum armis imperanti pauca negaſſent. Nunquam animo deſciviſſe, & fortunae meliori nunc ſe laetos gratulari.* Quibus omnibus, quia nec dum tempus poenae opportunum, diſſimulata in praeſens offenſa, veniam delicti dedit. In Hollandia boreali Franciſcus Boshuſius navibus ſuis valde Enchuſam infeſtabat, & extra portam ſeptentrionalem domos incenderat; eratque animus oppidanis infeſtam claſſem ſemel invadere. Sed repreſſus impetus fuit, quum timerent, ne relicti intra urbem, qui Albano bene vellent, egreſſos excluderent. Quin & operam piſcatores obtulere. Sed Sonoius, quum periculum diſpliceret, Sanredanum Lazarum Mullerum mittere, ut occupato emiſſario id muniret. Dein aggeribus Waterlandiae, qui oppoſiti Amſtelodamo, milites cuſtodes imponit, emiſſariumque etiam novum firmat; tum triremes item addit, Horna, Edamo, ac Monachodamo, miſſas, quae munitionem eam tuerentur. Contra illas naves xvi. ab Amſtelodamenſibus miſsae, maiores x. minores vi. & ab urbe effuſi multi, proelium ceu victoria certa, ſpectaturi. Sed eventus ſpem fefellit. Semelque victi, quum pugnam poſtridie reſtaurarent, navesque iv. incenſas triremibus exurendis immitterent, peiore exitu, conatus irriti diſceſſere; ac navium aliquae perforatae periere; quaedam, ancoris abiectis, tormentisque difficulter evaſere. Hinc crevere victoribus animi; & bello naves inſtrui coeptae: quis commercia Amſtelodamenſium, occupato freto Auſtrali, infeſtarent. Non multo poſt res foederatorum retro labi, Albani victoriis, & licentia militari, quam Lumaeus non compeſcere. Iamque multis ſub Hiſpanis pridem ſervitus non iniquior videbatur; & taedebat dominum mutaſſe. Hanc ob cauſam rogatus Auriacus ut adventum maturaret, ac remp. ordinaret. Tum urbani magiſtratus per ſubiectos ſibi vicos ſinguli inquirunt, quidnam quiſque proximis a Maio menſibus tribuiſſet; quidve a ducibus, aut militibus exactum fuiſſet. Porro de templorum theſauris inveſtigant, quibus eos tradidiſſent. vi. Eid. Octobris nova repente ſtella exorta eſt, ſub Caſſiopeae aſteriſmo: quae nec fixa, nec erratica, creſcere & decreſcere viſa. totos IↃxxxii. dies adparuit. Id phaenomenon terruit omnes. Evocatusque ab Albano Noviomagum Gemma Friſius, vir tunc aſtronomiae clariſſimus, a Chriſto nato nihil tale illuxiſſe adfirmabat. Alii vero ei ſtellae comparabant, quae ex oriente magos Bethlehemum uſque duxerat. Nec minus mira in Hiſpania Hieronymus Nunius, linguae Ebraeae, & matheſeos, Valentiae profeſſor, & in Auſtria Fabricius Polus, Thaddaeusque Hageſius, Viennae prodiderunt. Eo tempore etſi Auriacus in Hollandiam feſtinaret, varie tamen impeditus, minus voto iter promovet. Itaque Sonoio xvii. Kal. Novembris per literas nuntiat, *brevi adfore; & per Campos Enchuſam venturum. Interim urbibus animum firmaret; ac bene de rep. ſperare iuberet.* Etiam ad Ordines ſcribit, *ut quum primum provinciam adtigiſſet, ocius ad ipſum convenirent, de re ſumma conſulturi.* Paullo poſt cum famulitio, & exiguo equitatu Campos venit. Hinc triremibus Enchuſani accerſitum laeti accipiunt. Vbi paullum commoratus naves fabricandas ordinat, quibus claſſem hoſtilem freto auſtrali expellerent. Tum ad portam item auſtralem excitare propugnaculum novum iubet; quod a civibus tanta alacritate actum, ut, rigida hieme, intra diem decimum ſeptimum totum abſolverent. Inde luſtratis proximis urbibus, rebuſque illic conſtitutis, Harlemum abiit. Vbi congregati Ordines, advenientem cum ingenti gratulatione excipiunt. Dein commemorant: *quo adfectu animorum, cum ſummo rerum ſuarum diſcrimine, patriae libertati vitam, ipſi obſequium devoviſſent. Vix eſſe, ut hoſtem tam potentem, tunc etiam victorem, excipere poſſint: itaque adflictis admodum rebus ſolamen, & conſilium daret.* Iſque adeo animos omnium confirmavit, ut *cum ipſo extrema*

CIↃIↃ LXXII.

pati

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. *pati velle* dicerent. Et profecto opportunus adventus fuit, quum fracta pene cunctorum virtus; quique hactenus pro libertate quidvis ausi, deserere patriam destinaverant. Quapropter statim ad remp. animum vertit; & militiam, Lumaei negligentia valde corruptam, inprimis corrigit. Dein literas cum Hispanis mutare, & commeatum efferre vetat. Tum provinciae quoque curiam, dilapsis Vltraiectum consiliariis, iterum ordinat; iurique dicendo constituti, Hadrianus Houffius, qui solus provinciam, munusque pristinum non deseruerat; Nicolaus Valckesteinius, Petrus Meranus, Theodorus Nieuburgius, Gerardus Wingardus Benthusius, Cornelius Bronckhorstius. Curia ipsa, quia Hagae minus tuta, propter ingruentia Hispanorum arma, Delphos, urbem proximam, translata; dicique illic ius coeptum anno sequente IV. Eid. Febr. Inde aucta quoque illa; additique Arcturus Brederodius, Hieronymus Borrhaeus, Leonartus Casembrotius, Iustus Menenius, fisci advocatus; Paulus Hovius, cognitor publicus constitutus. Tum rationibus quoque desertis alii praefecti, & in Zelandiam, ordinandae ibi provinciae, Batenburgicus ablegatur. Interim in Gelria Fridericus Toletanus strenue rem gerere. Ad primum adventum Lochemum capit, & Dusburgum; inde Zutphaniam arma promovet. Ea urbs, ad Iselam sita opere satis munita erat, nec praesidium iustum deerat; sed discordia inter cives minus firmum. Negata initio deditione, tormenta XIII. muris admovet; editaque ruina, praesidiarii, parsque civium noctu diffugiunt. Ideo quum dedere urbem ceteri postridie vellent, obsessores, rati egregiam praedae occasionem esse, hi per portas irruentes, illi per ruinam enisi, caesis obviis, varieque iniecto igne, captivam urbem misere diripiunt. Cives crudelissime habitos, alios ex arboribus subspendunt, alios in profluentem praecipitant. Milites e fuga retractos prono capite in furcam agunt. Trucidati plus Ⅾ. reliquis tributum grave imperatum; tanta crudelitate exactum, ut felices illi denique viderentur, quibus occidi contigisset. Etiam libidine varia virgines violatae, ac matronae. Christophorus Vasquius cum praesidio imponitur. Ea re territus Bergensis, cum uxore, liberis, supellectile, ac praesidio, Campis profugit in Westphaliam. Pari terrore vicinarum urbium, munitionumque praesidia correpta. Itaque homines, non sua virtute, sed hostium absentia, antea audaces, abiectis armis, animisque, Gelria tota, & Transiselania, profugere; Victorque Fridericus Toletanus, ut priorem infamiam deleret, urbes dedititias clementer habuit; nec praeter multam quicquam indixit. Campis quidem tria signa Germanorum: Svvollae, ac Daventriae, cum suis cohortibus Polvillerium imponit. Vicina Gelriae Amersfortia, in terrae Vltraiectinae finibus, etiam se Bossuvio dedidit. Cui Vltraiecti agenti per tumultum claves urbis praesidiarii detulere. Erant praeter equites A aliquot quinquaginta, peditum in ea duo signa, Andreae Putmanni, & Gisberti Brouckhusii: pro quibus alia duo Bossuvius reposuit. Vrbe egressi, facto Nardenum versus itinere, illic intromitti postulabant; sed reiecti a magistratu, Vltraiectum discesserunt. Idem in Frisia occidentali terror fuit, quam Iustus Schouvvenburgicus tenebat. Is, nuntiato adventare Albani copias, cum signis aliquot XIV. Kal. Decembris, Franekeram deserens, Maccumam abiit, vicum in littore freti australis; quem munire opere festinato B statuerat, ut recessus inde tutus in Hollandiam adversam esset. Sed, imperfecta adhuc munitione, a Billio obpressus, in vicinos Tenctheros fugit. Mox quoque Bolsvverdia, & Sneca desertae; captusque praefectus Nedervvormterius, Leovardiam in arcem abducitur. Earumque urbium magistratus, Leovardiam profecti, claves Billio obtulere. Qui cum singulas mox intraret, cives utriusque sexus in genua provoluti, iunctis manibus, veniam ante actorum petiere; quam C vir animi benignus concessit, militemque Gallicum imposuit, Germanis vicatim distributis. Sed Albanus moenia deiici fossasque impleri, per literas iussit. Ita Frisia, Gelriaque, quasi panico metu actae, sese Albano reddidere. Sed Hollandiae, ac Zelandiae, ad tuendam libertatem, plus virtutis, ac constantiae. Invitaverant Enchusanos, aliasque in eo tractu urbes. Campenses literis valde blandis, ut redire ad Albani obsequium vellent. At illi latoribus, si D redirent, laqueum minati. Medemlaci leviter turbatum, hac de causa. Iuvenis quidam moenia transcenderat; idque in urbe limitanea capitale interpretatus Iacobus Cabeliavius centurio, vincula iniicit; etiam intercedenti patruo, ac dimitti postulanti. Quod atrocius cives rati, in arcem captivos abducere cupienti se obponunt. Inde concitati milites arma sumunt; item cives: qui superiores facti, partim urbe milites expel- E lunt, partim arma ponere iubent. Cabeliavium, in curiam elapsum, arce praesidium deducere cogunt; & discrimen habitura res videbatur. Sed Auriacus, missis eo Hermanno Merio, & Nicolao Ruichaverio, priusquam ingravesceret, in principio tumultum composuit. Zutphania subacta, & cetero illo Gelriae tractu, Fridericus Toletanus, iam Amersfortia quoque tradita, in Hollandiam copias ducere. In cuius limite Nardenum erat, iuxta freti australis littus, oppi- F dulum nec situ, nec munitione, firmum. Kal. Decembris equites centum regis nomine deditionem fieri iubent, & Bossuvii militem admitti. Responsumque ab oppidanis; *hactenus a se regi suo servatum oppidum, & servandum etiam deinceps*. Aderat in moenibus praemiator; ut alii ferunt, homo mentis parum sanae; qui tormentum illic positum sua sponte, non oppidanorum iussu, in eos explosit. Illud crimen tot mox caedibus vindicatum. Postquam equites isti digressi, illico loci magistratus quosdam emittere, qui pulverem tormentarium emerent; item

CIↃIↃ LXXII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. item alios ad Sonoium, qui cum classe in propinquo freto australi, ut auxilia implorarent a Bartholemaeo Enteſio, Lumaei legato, qui haud longe cum copiis aberat: *Cohortes duas mitti* petunt; *& Auriaco, Lumaeoque rerum ſuarum neceſſitatem indicari. Nam, ſiquidem longae obſidioni impares eſſent, maturari auxilia debere. Commode vero liberari ſe poſſe, ſi Mudam Sonoius, Enteſius Weſopum occuparet.* Miſſus quoque ad Mullerum nuntius, qui Schellincvvoudam tunc tenebat. Sed promiſſa ubique auxilia, nuſquam promta; ideo deiectis animis, ubi adventare hoſtem cum omnibus copiis intelligerent, cuius vim ſubſtinere non poſſent, ad Toletanum mittere viſum, qui urbem dederent, & gratiam praeteritorum peterent. Id negotium conſuli, & ſenatori datum; qui Amersfottiam profecti, ubi tum Toletanus agere, colloquio prohibiti. Buſſemum ire, proximum Nardeno pagum, iuſſi ſunt, illic reſponſum accepturi. Sed conſul, dum redit, adparatu viſo territus, rheda deſcendens, ceu onus alvi poſiturus, periculo ſe inſtanti ſubduxit. Id ſenator ubi vidit, valde indoluit. Veruntamen vir animi praeſtans, qui uxorem, & pignora liberorum, civeſque cariſſimos deſerere nollet; optimus civis, maritus, pater, triſtis rei nuntius perrexit. Et Buſſemum, ut iuſſus erat, Toletanum ſequutus, quum interroganti Boſſuvio, an milites oppido exceſſiſſent, adfirmaret; alios poſtridie oratores adducere iubetur, atque ita dimittitur. Igitur ipſis Kal. Decembris venere in caſtra Lambertus Hortenſius, rector ſcholae, vir doctrinae fama clarus; aliique e ſenatu, populoque. Qui quum adloqui Toletanum poſtularent, ad Romerum reiiciuntur, cui omnem poteſtatem is dediſſet. Cum hoc igitur paciſcuntur: *oppidum ſe Toletano tradituros, ea lege, ut civibus vita, fortunaeque, ſalvae eſſent; tantum denuo fidem iuramento obſtringerent, ſolique ex Hiſpanis centum, quantum ſemel ſumere poſſent, oppido efferrent. Vltra nulla praeda eſſet.* Haec, ter porrecta Hortenſio dextra, rata fore pollicitus Romerus, cum eo, aliquot xx. Hiſpanis comitatus, oppidum ingreditur. E veſtigio ad tympani ſonum cives, iuſiurandum daturi, in valetudinarii templo convocantur. Et convenerant pene omnes; quum homines antiquae ſimplicitatis, innocentia ſua, & fide ab hoſte data, ſecuri, nihil ſibi mali metuerent. Pauci quidam, quod evenit prævidentes, inter templi laquearia, locisque abditis ſe occultaverant. Interim Hiſpani, deſertis moenibus, &, conſtricta glacie foſſa, tranſſcenſo etiam vallo, frequentes intraverant. Dumque miſeri cives conveniunt, futurae lanienae ignari, uxores eorum militibus advenis convivia curabant. Aliquandiu ante templum cum Hiſpano ſacerdos quidam inambulabat; qui ad cives mox converſus, illis moriendum edicit. Illicoque, apertis foribus, irruentes milites inermes homines pecudum inſtar miſerrime trucidant. Toletanus ipſe, ut exemplo ſuo miles plus auderet, conſulem caedit. Dein, igne iniecto, reliquias comburunt; &, vicatim diſcurrentes, obvios mactant; oppidumque universum in ſanguinem, cineresque vertunt. Quidam, annos LXXII. duos natus, qui praetura, & conſulatu olim functus, diu e morbo decubuerat; alterque, textor, ex hydrope aeger, in lecto confoſſi. In xenodochio, praeter duos, ſenes omnes annorum erant LXXX. aut XC. nonnulli ſeculum ſuperabant. Nec aetatis habita ratio; ſine diſcrimine caeſi omnes. In mendicum quemdam ſtultum, & mutos duos, etiam ſaevitum. Aegre Hortenſium Boſſuvius ſervavit. Qui tamen filium Auguſtinum, organiſtam, crudeliſſime obtruncari, & occiſo cor evelli ante oculos vidit. Qui inter templi laquearia ſe abſconderant, illinc quoque ad caedem protracti. Quamvis facile ipſi quidem evaſiſſent; ſi vel ianuam, per quam aditus, obſerare auſi fuiſſent: ſatis tuti futuri tenebris loci, & anguſtia; quam unus aliquis contra plures nullo negotio, aut periculo defendere potuiſſet. Sed homines, triſti ſuorum ſpectaculo conſternati, omnem ſalutis ſpem amiſerant; parſque nolle tot caris nominibus ſupereſſe. Poſtquam viri latrocinio defuere, iram, & libidinem in feminas vertunt; quarum plures vario cruciatu enecant. Quamdam gravidam ſtrangulatam mox in puteum praecipitem agunt. Aliam, quae pepererat pridie, cum partu ſuo oppido expellunt. Puellae XII. aut XIII. annorum conſtupratae. Et in mortuos quoque ſaevitum; nudaque occiſorum cadavera, paſſim per plateas disiecta, ne humare quiſquam auderet, poena indicta. Itaque per XX. dies inſepulta iacuere. Inſuper omnia miſerorum bona direpta: nec relictae ſegetes quidem, nondum excuſſae; quas Mudam avexere. Narratur etiam aliud quiddam, valde crudele, & miraculo ſane adfine. Ex oppidanis quidam locupletior putatus, ut celatas opes proderet, crudeliſſime divexatus, quum ſe occultaſſe quicquam pernegaret; quod cruciatu omni maius, uxor eius ante oculos violatur. Quam iniuriam multo maximam ubi convitiis, quae ſola miſero arma ſupererant, vindicaret; in conſpectu uxoris occiditur. Eamque tunc adgreſſi, ingenio ſexus molliorem, eoque minus tormentis parem, ut, quod ſcire vellent, extorquerent, manibus in tergo vinctis, prono capite, ex pede altero ad palum adligant; coram filio admodum puero. Qui caedis paullo ante paternae, & maternae iniuriae ſpectator, etiam vinctus, nec ſuccurrere illi poterat. Sed quum neque ſic proficerent, & in femina ſupra ſexum conſtantiam experirentur, tormentorum feſſi, ceu mox fame morituram, ita ſubſpenſam relinquunt. Iamque biduum totum pependerat; & cruciatu, ac inedia tantum non enecta erat. Puer quoque deficiebat; nec ſpes vitae ulla reſtabat. Quum egregia forma iuvenis, nihil tale exſpectantes ſolatus, vinculis liberat; &, exhibito pane refectos, in Deo confidere iubet; brevi ipſis melius fore. Atque haec talia Toletano nondum ſatis

CIↃIↃ LXXIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. tis ſupplicii viſa. Boſſuvio imperat moenia demoliri, & praefecto arcis Mudanae, Paulo Loo, negotium dare, qui ruſticorum ad hoc opera uteretur. Quumque initio differretur, repetitis ter quater literis, tandem extremo Decembri ſcribit: *niſi fieret, cohortes aliquot immiſſurum, quae pagos circumiectos exurerent*. Itaque, nullo ultra morae praetextu, diſiecta moenia, & ſolo aequata. Hoc crudelitatis exemplo, contra quam Albanus putaverat, nihilo magis timeri coepit. Quin effectum, ut Hollandi, Zelandique, obſtinatis deſperatione animis, quod graviſſimum inter oppreſſos vindictae genus, iuſta contra eum odia, nec unquam deponenda, ſumerent. Tanta quidem omnium offenſa, ut Turcis quidem, ſi fors ferret, quam Hiſpanis ſervire mallent. Ipſe clerus, quique maiorum ſacra colerent, quum religionis priſcae, aut innocentiae nullum fuiſſe diſcrimen acciperent, pari adfectu ſaevitiam tantam exſecrari. Per hoc tempus naves bellicae, quas Hollandiae borealis urbes inſtruxerant, necdum in ſtationes reductae, impediebant, ne exire Amſtelodamenſium ullae poſſent. Idque ut magis etiam facerent, quaſdam, longo uſu inutiles, ante urbem in Ya amne ſaburratas demerſerunt. Mox exortum acre gelu ingens iis periculum adtulit. Nam & glaciae quaſi captivae invaſioni obnoxiae eſſe, & annonae egeſtate fremere miles, ac deſerere eas velle. Sed mox ſubmiſſus commeatus; & vocati undique ruſtici, qui, quod factu vix poſſibile, diffiſſa glacie, educere eas niterentur. Tentatum varie, vana opera. Aliquando conſilium erat, tormenta educta in aquis mergere, ne in hoſtis poteſtatem ea venirent. Iamque fere humanae opis nulla amplius ſpes reſtabat, quum e machina deus iuvit. Ortus repente vehemens boreas, auctis ſupra modum aquis, alias certe defecturis, glaciem diremit: viamque aperuit, per quam naves educerentur. Quodque magis mirari omnes, e veſtigio, reflante vento, ut praeſentem deum adgnoſcerent, iterum, ſubſidentibus aquis, glacies coiit. Circa hoc tempus res longe indigniſſima accidit. Cornelius Muſius, coenobio D. Agathae apud Delphenſes praepoſitus, vir optimus, innocentiſſimusque, & literarum laude egregius, annos LXXII. natus, dum Hagam proficiſcitur, a militibus Lumaeanis intercceptus, Leidam abducitur in Cornelii Venii aedes, quas Gulielmus Oldevlietius, tabellio publicus, inhabitabat. Eoque duo a Lumaeo miſſi, cum ipſius concionatore, quaeſitore, & carnifice, torquendo viro locum poſcunt. Quumque uxor Oldevlietii ſe obponeret, & huic rei publicum urbis carcerem eſſe dictitaret, homines ebrii, incitante vino proterviam, per vim facinori locum capiunt. Et tormentis longe plurimis pene enectum, nulla iuris obſervantia, & cauſa indicta, ad horam quintam veſpertinam introductum ante nonam propere ſtrangulant. Inde furca ſtatim deducunt in Lochorſtianas aedes. Tum, pudendis amputatis, ventrem diſſecant; &, ut, corpore erat obeſo, abdomen eripiunt, ne ad ſaevitiam quicquam deeſſet. Id Lumaeus, quum iſti ordini maxime infeſtus, tum gravi privatim in eum odio, imperaſſe ferebatur. Vtque flagitio culpa aliqua praetenderetur, vulgo iactatum, *veneno Auriacum tollere voluiſſe*. Quod crimen tamen inter tormenta exquiſitiſſima conſtanter ipſe pernegavit, neque bonus quiſquam credidit. Et ipſe Auriacus, ſimul captum intellexit, Leidamque ad Lumaeum abductum, quod evenit veritus, ſtatim ablegare aliquem, qui dimittere virum iuberet. Verum ille, ubi ad portam ab Auriaco nuntium adeſſe accepit, ut mandatum anteverteret, aperiri eam, niſi facinore perpetrato, non permiſit. Quod Auriacus, Ordinesque graviter ferre. Quumque poſtea id captivo inter cetera obiiceretur; *iure factum videri* reſpondit; *hominemque, qui iureiurando ſe obſtrinxerat, numquam urbe egreſſurum, nec minus tamen cum theſauro ingenti ad hoſtem tranſire auſus eſſet, ceu periurum, & perduellem delicto proprio, non ſuo odio, poenas dediſſe*. CIↃIↃ LXXII.

GVLIELMI AVRIACI

LIBER OCTAVVS.

CIↃIↃ LXXII. ERidericus Toletanus, Nardeno capto, Amſtelodami interquieſcens, de Harlemo obſidendo conſilia capit. Ea Caninefatum metropolis, magnitudine nulli ceterarum inferior; templo, curia, foroque inſignis: ſtruſturaque aedium ſatis decora. Mediam Sparnus amnis perluit; qui ex Ya profluens, haud longe infra urbem in lacum, vicinum ſe effundit. Boream verſus, ad primum lapidem, Oceanus adiacet; unde abundans piſcium captura magnum civibus commodum adfert. Ad meridiem lacus ingens, qui ab urbe vulgo Harlemenſis dicitur. In propinquo elegans ſilva. Circum ager fertilis pariter & amoenus. Igitur illam Toletanus, ut dixi, obſidere voluit. Priuſquam tamen adgrederetur, animos experiri placuit. Quocirca quidam ab Amſtelodamenſibus miſſi cum literis, qui pro vicinia, & vetere ſua amicitia, officii eos admonerent, redirent ad obſequium regis. Quumque animi magiſtratus angeretur, res ampliſſimo ſenatu III. Non. Decembreis acta. Et conſilia varia CIↃIↃ LXXII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. erant, prout ſtudia. Pars *auxilia ab Auriaco advocanda*; pars *petendam ab Albano veniam* cenſebant, *quando gratiae ſpem haberent. Neque enim Auriaco iuſtas vires eſſe, quas potentiae Hiſpanicae opponeret.* Et pervicit haec ſententia, placuitque; *ut ad Toletanum aliqui legarentur, qui deliberando quatuor quinque dies peterent: interim rerum ſuarum ſtatum Auriaco exponendum curarent.* Legati ergo Chriſtophorus Scagius, vir primariae nobilitatis; Theodorus Friſius conſularis; & Hadrianus Aſſendelfius, urbis ſyndicus; qui clam profecti. Id ubi Ripperdae praefecto gnarum, eo ipſo die a meridie in hortum ſagittariorum cives convocat; quibus adfuere Lancelotus Brederodius, Adrianus Ianſenius, praetor urbis; Gerardus Stuverius; aliique civium ductores. Tum, manu imperato ſilentio, omnes compellare; *adveniſſe Amſtelodamum Fridericum Toletanum, obſidionemq; agitare. Ac literas ad magiſtratum dediſſe, quibus, ſi illico ſeſe dederent, veniae ſpem ſupereſſe nuntiaret. Atque illum quidem, etſi iuratum, nihil quicquam ſe, ac* VII. *primis ductoribus, ipſiſque omnibus inconſultis tentaturum. Theodorum Friſium, alioſque clam legaſſe, qui de urbis deditione agitarent, ac veniam ſupplices impetrarent. Quae quidem qualis futura ipſis eſſet, facile ſane conſiderarent, ſi Machliniam ſibi proponerent, aut Zutphaniam, vel vicinum denique Nardenum, adhuc fumans; perque triſtes viduarum, ac pupillarum eiulatus coelo Deum ultorem invocans. Hortari igitur, ne ſe decipi paterentur. Nihil aliud agere hoſtem; quam, quorum virtutem armis vinci poſſe deſperaret, horum antiquam ſimplicitatem ut compoſitis verbis falleret. Adhaec memores ſacramenti eſſe vellent, quo Auriaco pridem dixerant. Id migrare uti ſemper inhoneſtum: ita ſaepe pernicioſum. Se pro ipſis, publicaque libertate guttam ſanguinis vel ſupremam impenſurum. Itaque illud ſuum ſtudium, ſeque ipſos ne deſererent.* Poſt quae verba a pleriſque alta voce adclamatum; *extrema omnia pati malle, quam perfidi hoſtis incertae clementiae ſe permittere.* Ita virtute oppidanorum excitata, Auriaco per literas praeſentem rerum ſtatum indicat. Dein a Mullero petita auxilia; qui pridie Non. e ſua legione cohortes IV. Iacobi Steinbachii, Chriſtophori Vaderi, Lamberti Wittembergenſis, & Martini Pruſii, in urbem mittit; cum VI. reliquis Leidam profectus. Hoc praeſidio confirmati oppidani, quicquid urbi defendendae neceſſarium, apparare. Quod ubi Amſtelodamenſibus cognitum, deſerta hac occaſione caſtra, & Sanredamum recuperant. Tum apertum maius templum, & amotae divorum imagines, religionemque reformatam amplecti coeperunt. Ipſis Nonis Chriſtophorus Scagius, Hadrianusque Aſſendelfius, e legatione rediere. Theodorus Friſius, ſive reſponſum a collegiis exſpectaturus, ſive futurorum metu, apud Toletanum manſit. Ac reduces quidem comprehenſos Ripperdae iuſſu, Gulielmus Bardeſius, aliique, Leidam primum, inde Delphos ad Auriacum abducunt. CIↃIↃ LXXII. Et Leidae Scagius, negligentiore cuſtodia habitus, facile evadere potuiſſet; ſed vir animi innoxius, quique negotium a ſenatu demandatum, non ſe detrectare debuiſſe exiſtimabat, eoque ſecurus, effugere noluit. Verum Auriaco aliter viſum; qui id clanculum, & Ripperda primiſque VII. ductoribus ignaris, ac praeter iuſiurandum factum vehementer indignari. Moxque Aſſendelfius IX. Kal. Ianuarias gladio percuſsus, ſpiculoque impactum caput per horas duas populo ſpectare datum. Scagius, uti ferebatur, per tormenta expreſſam animam in carcere reddidit. Auriacum, Ordinesque, res Harlemenſium ſolicitos habere. Quippe urbem, qua non alia tota Hollandia magis contra vim invalida, ſubſtinendis Albani copiis, niſi cum ingenti praeſidio, imparem norant. Et a magni praeſidii onere alienos oppidanorum animos fore metuebant. Ergo per literas exhortantur, *fortiter hoſti ſe opponerent, ac iurisiurandi meminiſſent, quo cum ſociis urbibus pridem ſe Dordraci obſtrinxiſſent: ipſos viciſſim auxilia omnia, &, quod liberandis opus, curaturos. Tum impenſae quicquid ex illo tempore feciſſent, aut facturi porro eſſent, id omne ex aerario publico reddituros.* Poſtridie Nonas Sparevvoudam hoſtis venit. Non longe ab urbe, ad Yae oſtium, ubi Sparnus ſeſe eripit, pagus iacet, inde Sparnodamum dictus; quod aggere obiecto, & emiſſariis, obruituram alias aquam depreſſioribus campis arceat. Is locus adeo opportunus, ut, niſi eo expugnato, vix urbem obſidere poſſent. Quamobrem arduo opere munierant; &, quia praeſidium minus firmum, Martinum Pruſium cum CCC. propere imponunt. Deinde alios quoque mittunt, qui, ut obſidio difficilior hoſti eſſet, perfoſſo aggere, aquam in campos circumiectos intromitterent. Sed eum, non ſatis perforatum, Hiſpani ſtatim reparaunt. VI Eid. venit legatus ab Auriaco Philippus Marnixius Aldegondius; qui poſtridie magiſtratum mutare adgreſſus eſt, primo teſtatus, *non ſe quicquam contra privilegia niti; atque hoc tantum propoſitum eſſe, ut praeſenti reip. neceſſitati occurrerent.* Idcirco datis in cuſtodiam, qui, implorandae veniae auctores, ad Toletanum mittendum cenſuerant, magiſtratum urbis ordinat. Quae nox ſequuta eſt, ea tam rigidum gelu fuit, ut conſtrictae aquae omnes graviſſima etiam pondera ferrent. Itaque Hiſpani, occaſionem optimam nacti, tentatum pluries Sparnodamum, anni hieme caeloque adiuti, iterum animoſe oppugnant. Fecerat glacies, ut invadere undique poſſent; quae res praeſidium, ubique occupatum, tanto magis fatigabat. Videbant eminus oppidani, & laborantibus graviter ſociis cohortes duas ſubmittebant. Sed priusquam ſubvenire illae poſſent, iam munitionem hoſtis ceperat. In eo certamine Martinus Pruſius, vir belli egregius, fortiter occubuit; & cum eo milites plurimi. Multos quoque fugientes, aut inſequens hoſtis, aut hians alibi glacies, intercepit. Ceteri

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXII. teri Bevervvicum, aut Aſſendelfium, aliove evaſere. Auxilia ſubmiſſa, in urbem illaeſa receſſere. Ex Hiſpanis, quando acriter praeſidiarii repugnarent, caeſi non pauci. Rodericus Sapata, cuius ductu captus locus, ſiniſtrum brachium ictu tormenti amiſit. III. Eid. urbem Hiſpani circumſedere: & a Didaco Carvaiali cum Ic. ſclopetariis valetudinarium, Lazaro ſacrum, occupatum eſt. Tum deditio poſtulata. Sed oppidani, dubia Hiſpanorum fide, conſenſu unanimi obſtinati, *potius pugnando pro aris, fociſque, glorioſe cadere, quam in turpem lanienam pecudum inſtar ſeſe dedere*. Ergo propius copias movet, ac caſtra diſponit, tutiore per nebulam opere. Erant in exercitu toto ſigna peditum LXXV. Hiſpanorum XXXVII. Belgarum XXII. Germanorum XVI. quae ductore Eberſteinio Hemſtedam, ac ſilvam tenebant, Toletanus Cliviam arcem occupaverat. Equites Teutonici tantum CC. & ſclopetarii alii totidem. Evocatae inſuper alae Ioannis Pacieci, & Antonii Toletani; quae Alcmarienſem viam, ac proximum littus inſiderent. Ad capti Sparnodami nuntium Leida egreſſus Lumaeus, copias aliquot in urbem ducere, ac ſilvam occupare voluit: ignarus hoſtem praevertiſſe. Qui adventu eius cognito, peditum aliquot IIIIC Ic. equites Ioc. obviam mittere. Iique incautum de repente adorti, in fugam vertunt, & Ioc. amplius caedunt. Munitis caſtris, tormenta adducta XIV. quae qua parte diſponi deberent, & ubi pulſanda urbis moenia, aliquandiu conſultatum. Ac peritioribus viſum, *ab ea parte qua ſilva adiacet, uti decuſſatim fieret; quia & murus ibi infirmior, & facilior multo adſcenſus. Sed incommodum, quod & transferri tormenta, & mutare hoſpitia deberent. Nec ſub dio, aut tentoriis, tam aſpera hieme, militem haberi poſſe*. Vtile conſilium Toletanus non tam rei difficultate, quam contemptu hoſtium, omiſit. Quippe ſic exiſtimabat, homines militiae rudes per mollitiem impares fore obſidioni, & labori militari: praeſidium vero, aliorum exemplo, ſimul tormenta admoviſſet, dilapſurum. Sed vir Hiſpanus, qui gentem ſuam nimis aeſtimaret, perque tot victorias ferox, quam non recte de virtute Batavorum iudicaret, eventus docuit; quum obſidio, quam dierum non multorum fore arbitratus erat, in VIII. menſem protracta eſt. Igitur, nulla ducta foſſa, XIV. tormentis ad S. Crucis portam, & munitionem obverſam, verberare moenia incipit. Totoque triduo continuati ictus clo Ioxv. Deinde edita ruina, ſedulo eam oppidani, repletis lana ſaccis, lectis, lignis, ſaxiſque adgeſtis reparare. Ante omnes operae egregius conſul Vlietius, qui cum famulo laborare ipſe maxime, & civibus ſuis animum addere. Poſt concuſſa triduo moenia impetum in illa facere placuit; &, quamvis diſſuadente Romero, nec pilis ferreis, neque pulvere tormentario ſat inſtructi, XIII. Kal. Ianuarias Hiſpani, ac Belgae, ducente Franciſco Varga, bis animoſe irruentes, egregia oppidanorum virtute repelluntur. Bartholemaeus Campocaſſius pontem artificioſum ſtruxerat, per quem in murum eniſi plures, cum Steinbachio depugnabant, interque eos Alfonſus Galeacius. Ex obſeſſoribus caeſi plurimi foſſam urbis, & pomeria proxima implebant. Et diſperſa paſſim arma, caſſides, gladii, ſclopeta, ſariſſae, magnam partem in oppidanorum poteſtatem pervenere. Interfectus Lucas Soinagus, cum ſignifero Andrea Brotio, Romerus, Varga, Lama, Tovilla, Benavides, Galeacius, vulnerati. Ac Varga quidem in foſſa relictus, vix poſtridie educi potuit. Ex obſeſſis, vix duodecim cecidere. Plures ſaucii, & Steinbachius, etſi in manu accepto vulnere, tamen ſuos excitare: *urgerent proelium, ac viri eſſent; ſe quidem, niſi corde perfoſſo, nunquam ipſos deſerturum*. Hic ſucceſſus, ut proſpera initia plurimum valent, obſeſſis animos incitavit, & Hiſpani per tres proximas ſeptimanas nullam amplius vim tentarunt: partim ſeſe colligentes, partim vallo, ac cuniculis intenti. Sub finem menſis Hieronymus Tſerartſius ſclopetarios auxiliares Ic. introduxit; quos Cognatus, Michaelius, Vimiuſque ducebant. Per hoc tempus legati in Angliam abiere, Ianus Douſa Nordovicus, Gulielmus Niveldius Arentsbergius, aliique: qui reginae Elizabethae patriae aerumnas repraeſentarent. *Albanum praeter ius omne, fasque, Belgium oppreſſum ire; ideoque arma ſumſiſſe, ut ſe, uxores, liberoſque contra vim, libidinemque, tutarentur. Ac veniſſe ſupplicatum, uti ſortem tam iniquam commiſerata, tenilite adflictos, & ſtipendio adiuvaret*. Anno proximo turbae datae a Lumaeo, & Bartholemaeo Enteſio; qui annonae ab eo praefectus, Delphis queri, *militi non ſtipendia ſolvi: neque annonam procurari*. Dein convitium ad querelam etiam addere, Ordinesque proditores adpellare. Cuius rei quia Enteſius cauſa fuiſſe cognoſceretur, ne quod gravius malum accideret, placuit Auriacus, ut Lumaeum, Enteſiumque ad ſe vocarent, & modeſtiam imperarent. Idque factum. Sed Enteſius, maiore verborum licentia uſus, nulla Ordinum reverentia, attineri in urbe iuſſus. Quod Lumaeus ad ſe revocans, vi educere eum voluit. Benigne Auriacus rem compoſitam maluiſſet, praeſentis temporis, & futuri prudens arbiter. At Lumaeus rationi conſentaneum nihil velle; nec auctoritatem ſuam, uti par erat, Ordines amittere. Ergo Non. Ianuariis mandato publico armati cives manum utrique iniecere. Moxque, varia accuſatione Ordinum, in ordinem redactus, dignitate, ac munere ſuo, Lumaeus amovetur; & mandata eius omnia edicto publico revocantur. Menſe Maio, poſtquam e cuſtodia emiſſus, aliquid iterum machinari adverſus Ordines exploratum eſt; igitur denuo comprehenſus, in arcem Honingam, Roterodamo vicinam, compingitur. E qua elapſus, Roterodamum ſeſe contulit; remque Ordines diſſimularunt. IX. Kal. Sext. de iniuria quiritari; *eum ſe nimirum eſſe, qui impenſis ſuis, naves, copiasque, & reliquum belli adpa-*

CIↃIↃ LXXII.

CIↃIↃ LXXII. *apparatum, in Hollandiam intuliſſet. Qui Brilam etiam occupaſſet; &, poſt deum, primus libertatis publicae auctor fuiſset. Cuius exemplo aliae quoque in Hollandia, & Zelandia, urbes Albano ſeſe ſubtraxiſſent. Qua de cauſa etſi gratiae ei immenſae deberentur, contra tamen evenire; ac turpiſſima ingratitudine contumeliam, carcerem, infamiam denique, pro tantis beneficiis reddi. Nec legitimo tamen iudicio crimen ullum pronuntiatum.* Hanc querelam, ſcripto etiam conſignatam, propter curiam, in corona frequentiſſima, recitari per tabellionem iubet; inde magiſtratui obſert: qui reſpondens, *nihil ad ſe pertinere*, rei geſtae Auriacum certiorem facit. Isque, ſeditionem veritus, mandat, ut accederent ſtatim; ac ſine armis, & amote famulitio, in cuſtodiam civibus quibusdam traderent: verum & hic recuſare; *nam vix credere, tam alieno a ſe animo Auriacum eſſe, qui id mandaret. Quando vero non omnino elevare magiſtratus fidem poſſet, ſummo iure indignari. Satis hactenus contumeliarum fuiſſe. Praeterito Ianuario, incognita cauſa munere, quod gerebat, exſutum; &, mutato interdum carcere, ceu nullius loci hominem, ac nefarii criminis reum, in cuſtodia indigne habitum: & nunc etiam in urbe agere, quae imperio eius pareret; ubi, ſi quis cuiuscumque tandem criminis accuſaret, iure ſecum experiretur. Quamvis quidem, adempto iam legati munere; ceu Romani Imperii comes, nulli ultra obnoxius eſſet.* At Ordinibus; iure agere neutiquam viſum. Non quod nec-dum ſat nocentem exiſtimarent; ſed quod, tali rerum ſtatu, meritas de eo poenas ſumere non conſultum animadverterent. Culpae variae ferebantur. In primis contemtus Ordinum, & verborum magna ſuperbia. Nam iactaverat, *eſſe militum* CIↃ CIↃ CIↃ. *& liburnicas* LXXX, *quibus cogere Ordines poſſet.* Tum eoſdem, quia iniqua petentem reiecerant, proditores adpellaverat. Etiam provinciales crudeliſſime divexaverat; ſacerdotes, ſolo ordinis eius odio, hominesque alios innocentes multos, nulla cauſsae cognitione, morte multaverat; inter quos Cornelium Muſium, & Iuſtum Tollium: utrumque virtutis, & fidei in patriam praeclariſſimos. Adhaec nefaria militum flagitia nulla poena coercuerat. Ob haec talia etſi gravia quaeque meritum, Ordines tamen diſcedere impune permiſerunt, interceſſu maxime Auriaci, qui illuſtri viri familiae parcendum ratus, ac cuſtodiam diuturnam pro ſupplicio imputandam. Itaque abiit, & ſubfectus in locum eius Gulielmus Bronchorſtius Batenburgicus. Dum Lumaeus remp. turbat, intentus in occaſionem Boſſuvius ad Delphenſem conſulem ſcribit: *laetum de Lumaco capto accepiſſe; itaque petere etiam atque etiam, uti in fide erga regem perſeveraret: daretque operam, qui Auriacum comprehenſum ſub certa cuſtodia in caſtra ad Harlemum mitteret. Praemium ipſi, adiuturiſque magnum fore; & delictorum omnium gratiam.* Literas has captivo militi curandas tradit; iſque Batemburgico defert. Qui apertas quum legiſſet, recta illico Delphos ad Auriacum mittit. Ille ſtatim hominem vocat, literiſque a Boſſuvio prius lectis: *atqui* inquit, *non te talem ego conſul unquam credidi, qui hoſtem ante patriam poneres.* Reſpondenti, *non in ſua manu eſſe, quid Boſsuvius, aut cui ſcriberet, ſibi quidem fidem in ipſum, & remp. ſemper certam, igitur*, ait *operam dato ut Boſsuvium per inſidias capiamus.* Quum negaret, conſcientiam id permittere; iterum Auriacus: *nec Iuditham tamen, ut Holofernem, hoſteſque Dei perdere poſſet, extremum diſcrimen detrectaſſe.* Quumque etiam ſic negaret, domi manere captivum iubet. Interim coeptam Harlemi obſidionem urgere hoſtis; cui quo pacto ſuccurrere poſſet, ſerio Auriacus deliberare. Vtque obſeſſoribus commeatum prohiberet, miſſas Saxenhemum copias caſtra ibi collocare, & Sonoium ab altera parte cum iuſta manu inſidere viam iubet: ne quid tamen temere tentet, interdicit. Hiſpani, primo impetu fortiter ab obſeſſis repulſi, quum ſpes dedendae urbis fefelliſſet, ut operae pariter ac tempori conſulerent, ſuaſu Campocaſſi architecti foſſam rectam ducere inſtituunt; &, defixis utrimque palis, tranſverſa tigna, ac refertos lana ſaccos, ſuperimponunt; duplici artificii uſu, ut contra tela defenſorum tutam latebram miles haberet; &, ſi opus pontis inſtar aliquando eſſe poſſet. Ex eadem foſſa aliae duae producebantur, unde machinae continuatis ictibus exploſae. Vallo iam ad urbis uſque foſſam ducto, quum propinqui obſeſſores obſeſſique adeo eſſent, ut rem comminus etiam gererent: propugnaculum, S. Crucis portae adiectum, de induſtria oppidani deſeruere. Auriacus autem, ut commeatum adiuvaret, primis XV. diebus rhedas frumento & pulvere tormentario onuſtas CVII. ſubmiſit; tum auxiliaria item ſigna duo, ſub ductoribus Mandareſio, & Caſparo. Vltraiectini Toletano pilas ferreas aliquot CCC, & vaſa tormentarii pulveris XXXVI. via Amſtelodamenſi mittebant; ſed Woerdani praeſidiarii intercepta, maximam partem Auriaco miſere. Ringi vero Toletanus, victorem ſe hactenus hic ſubſpendi; Priſioque ſuccenſere, qui deditionem promtam, aut expugnationem facilem promiſiſſet. Itaque ille, iram eius pertimeſcens, ut periculo ſe ſubduceret, clanculum conſcenſa navi, Hamburgum abiit. VI. Eid. oppidani, ut annonae ſubvenirent, leges frumentarias condunt, pretiumque pani ſuum, & pondus, ponunt; tum & vetant, *ne quis emeret, ſupra quam neceſſe haberet. Qui migraret, ei mors ſupplicium eſſet.* Nocte proxima valde obſcura miſſi auxiliares CIↃ CIↃ. quum denſae nimium tenebrae eſſent, nec viam tenerent, aberrarunt. Parſque ad arcem Cliviam venere, pars in propinqua ſabuleta deflexere; plerique ad caſtra retrogreſſi: pauci admodum, igne in turri animadverſo, auditoque campanae ſonitu, aegre in urbem pervenere. Tum Scalcovicana porta erumpentes, multos caedunt, vulnerantque. Et complures fugientes Sparno merſi. XVII. Kal. Febr.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIII. Febr. caput quoddam, a corpore abſciſſum, in urbem Hiſpani inſolenter iaciunt, cum elogio: *Id Philippi Regis eſſe, qui cum* CIↃCIↃ. *auxiliaribus liberator adveniſſet*. Hoc facinoris alio longe immaniore mox obſeſſi vindicarunt. Captivis XII. in furcam actis, XI. capita, barba pariter, capilloque ad mendicorum modum raſis, (quando ita foederatos per convitium adpellabant,) in vas compacta, e propugnaculo in Hiſpanorum caſtra deiiciunt, cum inſcriptione iſta: *Quando ob decimam non ſolutam bellum hoc Albanus gereret, ipſoſque oppugnaret, iſtud illi vaſculum ferrent, in quo* X. *capita haberet: & pro uſura, ne de mora quereretur, additum undecimum*. Tum de rebus ſuis literas, & obſeſſae urbis typum, Auriaco mittunt. Ac poſtridie advenere cum frumento rhedae LXV. quas cum auxilio Schramus Brunſvicenſis ducebat, Quamobrem inſtauratis animis, facta per Scalcovicanam portam eruptione, Ruſtemburgum, quae munitio Germanorum, invaſere. Et aquatili moletrina occupata, incenſaque, reliquam quoque caſtrorum partem diripuere; caeſis omnibus, aut fugatis. Ex obſeſſis ſignifer quidam alteri hoſti ſignum prius de manu extorſit, inde etiam hominem confodit. Mox, deſerto propugnaculo, quod ad S. Crucis portam, maiorem molem forma ſemilunari excitant, cuius cornua vetere urbis muro haererent. Idque opus, valde arduum, ſummo ſtudio ocius promotum. Nam promiſcue adiuvare conſules, ordinumque ductores; cives, milites; viri, feminae; ſenes, iuvenes; opulenti, egeni; univerſim nemo laborem detrectare; neque aetas, ſexus, dignitas, opere quemquam abſtinere. Inde ex aedilium ordine ablegatur ad Auriacum Hadrianus Berckenrodius, qui annonam, reſque alias procuraret. Additi comites, qui deducerent, equites aliquot, & LC. ſclopetarii; qui per viam vicis quibuſdam iniecto igne, excubias illic poſitas diſturbarunt. Et diverſa parte egreſſi alii in crepidine lacus domos amplius CC. exuſſere. Inde in urbem pluribus diebus ad menſem extremum CCIX. circiter rhedae commeatum intulere; quibus additae cohortes IV. Simandi, Balfurii, Margotini, & Verdurii. Magiſtratus urbanus veritus, ne per longam anni hiemem annona deficeret, avenam ſecalae, hordeumque miſcere ſtatuerat; ſed id indignante populo, intermiſſum. Deinde pretium bovillae carni conſtitutum. Mox vicinae urbes, Delphi, Leida, Gouda, aliaeque, egregio humanitatis exemplo, per literas petunt; ſi qui illis aetate, ſexu, aut morbo, ad bellum inutiles eſſent, eos ut ad ſe tranſmitterent, paratos alere, ac curare. Pridie Kal. ductis cuneis, iterum impetum facere viſum eſt. Atque ita quidem inſtructa acies. Ferdinandus, & Rodericus Toletani, ſingoli cum cohortibus V. ad dextram, laevamque, muri verberati partem invaderent; eosque ceterae legionum ſuarum cohortes ſequerentur, ac ſupra foſſam, pontis inſtar conſtratam, tranſirent. Dein Braccamontius, & Romerus, ſuas etiam legiones ducere iuſſi. Ad S. Ioannis propugnaculum Caſpar Billius ordinatur. Eberſteinius cum Germanis, atque Belgis iuxta ſilvam collocatur. Peractis precibus, ſignum datum eſt. Et Rodericus Toletanus, ac Laurentius Perea, primi irruunt. Iamque in propugnaculum evaſerant; quum id, cuneis ſubter ductis, oppidani igne iniecto evertere. Qua ruina plurimi periere. Pari ſucceſſu Billius fuit. Eoque conflictu cecidere Didacus Pereſius, Alfonſus Magius, Laurentius Perea, Stephanus Illavius, militeſque delecti CCC. Rodericus Toletanus graviter vulneratus. Ex obſeſſis ſauciatus Lambertus Wittembergenſis, mox e vulnere diem obiit. Et obſeſſis duplex quidem victoria obtigit; nam eo ipſo pugnae tempore alia parte CLXX. rhedae in urbem illaeſae pervenere; quas CCC. ſclopetarii, equiteſque LXX. deducebant. Quae iuxta ſilvam copiae Germanorum erant, ad proelium inſtructae, obpugnare commeatum; ſed conatus fruſtra fuit. In Brabantia hoc ipſo menſe triſte diluvium Lovanio accidit. Dilia fluvius, auctis aquis alveum egreſſus, ſupra muros urbis excrevit; &, perrupto tandem aggere, ſtragem ſane immenſam edidit. Quippe magnum aedium numerum plane evertit: aliae ad XII. ulnas exſtantes aquas difficulter ſubſtinuere. Ingens paſſim pavor erat, omneſque in ſumma aedium eniti; muroſque, ac tabulata perfringere. Et ſcalas, naveſque, incondito clamore ſibi poſcere. Feminae, ac pueri, triſtibus lamentis cuncta implere, ubique tectorum, arborumque, ruentium horrendi fragores audiri. Domorum contignationes totae, capſae, menſae, lecti, culcitae aquis ferri. Et imagines templis erutae, ſepulcrisque effoſa mortuorum oſſa. Ac periculum ingens erat, ne urbs tota abſorberetur; quum, effracta altera porta, magno cum ſtrepitu ſe exonerat. Portenti inſtar res haec habita, ut & micans exhalatio; quae, ceu chaſma, in coelo adparuit. Februario toto nihil ab Hiſpanis fere geſtum ad urbem obſeſſam; & toties repulſi, non ultra vim tentare ſtatuunt, melius arcta obſidione oppidanos ad deditionem compulſuri. Ac pleriſque diſcedendum videbatur. Sed Toletanus, patris monitu, qui famae intereſſe cenſebat, perſeveravit. Ideo, ut naves urbe arcerent, ad VII. moletrinas munito loco Sparnum occupant; & tormenta campeſtria duo, excubiaſque illic ponunt. Oppidanique iterum tunc annonam ordinant, panibuſque e ſecale, & hordeo, pretium minus triente ponunt. Dein incendio reſtinguendo ſcalas, hamas, ceteraque inſtrumenta parant; & habere lumen pernox cives iubent. Quumque rumor percrebuiſſet, ad coenobium S. Bernardi, in crepidine lacus poſitum, ab Hiſpanis pontem ſtrui, quo commeatum advehendum prohiberent. Equites ſex & triginta urbe egreſſi, cum ſexcentis ſclopetariis, comperto nullum illic hoſtem eſſe, captivis duobus, aedibuſque aliquot incenſis, receſſere. Mox, in cuneos

inic-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIII. iniecto igne graviter valde obsessores adfecere; ipsi autem commeatum centum tredecimque rhedis accepere. Nec multo post, ubi gelu remitteret, solutis aquis, praemissa pridie navi singulari, XL. duplicarii CIↃ CIↃCCXL. frumenti modios deduxere. Iterumque navis una e maioribus, & minores viginti octo, annonam aliam advexere; deducente Christophoro Gunthero, quum militibus duplicariis CCCC. tum Dordracum tormenta VII. alia XII. pilasque, & pulverem, Leida submisit. XII. Kal. Mart. triremem, pedes LXXXIV. longam, oppidani in lacum subiectum produxere; cum de successu obsessores desperarent. Sed contra ab Albano submissa legio Polvillerii, & e Sicula cohortes IV. quas Toribius Zimbro ducebat. Mondragonius totidem e sua mittere iussus. Adhaec Bossuvio datum negotium, ut, instructis bello navibus, quascumque comparare posset, lacum invaderet, eiusque usum obsessis eriperet. Quumque perfodere alibi aggerem tentasset, fortiter obsessi repulere. IV. Kal. acriter pugnatum. Quippe missae ab Amstelodamensibus XIV. naves, in lacum venerant: quod ubi eminus conspexit Gerardus Iunius, maioris triremis praefectus, nimis temere solus oppugnare ausus; tandemque victus, ac cum paucis, vulnere accepto, scaphae ope vix elapsus, triremem suam in hostium potestate reliquit. Id ubi ceteris ducibus gnarum, summo impetu universi, ac potissimum, qui minori triremi praeerat, Iacobus Antonius, in hostem feruntur. Et captivam duas horas navem, victoribus victis, fortiter recuperant. Insuper aliam, dum fugientes insequuntur, ipsis eripiunt. Eoque proelio caesi plurimi, pauci tantum aliquot capti, in iis vir nobilis, domo Lovanienſis, Ravescotus. Victores Fucam concessere; aggeremque, aperiri ab hoste coeptum, obstruxere. Rigida valde haec hiems fuit, & ab ea obsessoribus multum incommodi; quos & aëris inclementia, & labores continuati, fatigare. At haec talia Toletanum nil movere, non discedere, nisi capta urbe, certum. Et vir animi elatioris, hactenus victor, indignari multo magis; urbem invalidam, quam uno octiduo expugnaturum se iactaverat, iam tres menses restitisse. Ideo rem etiam navibus, quod iam dixi, gerere instituit: & Auriacus contra niti: ac Sonoio dare negotium, quando incertus belli exitus, sine mora Alcmariam muniret: in quam hostis, si Harlemum caperetur, ducturus copias videbatur. Tum instruere naves iubet, quibus commeatum arceret. Ipsique obsessi triremes binas emisere. Et Sonoius existimabat, perfosso aggere, qua Ya amnis per emissaria interiecta in lacum illabitur, munimentum aliquod ab Auriaco excitatum iri, ad urbem liberandam multum momenti habiturum. Sed id factu impossibile, eventus docuit. Sonoius castra Egmondae habebat, & vicinis aliquot pagis; sed suorum immensam licentiam vix compescere satis poterat. Vnde ipsi, & ductoribus quoque ceteris, mandare Auriacus, ne disciplinam militarem profligari paterentur. Inter omnes Michaël Crocus ferocia alios antecellere. Quem, saepe monitum, quum praeter verba nil praestaret, & Scagensem curionem occidisset, accusantibus cohortalibus, & ductorem ultra indignantibus, comprehendere ocius iubet; inde capitis supplicio adficit. Per hoc tempus pertaesus morae, & impensae, Albanus, quando vires non procederent, aliam viam tentare statuit, an blanditiis urbes quasdam ad obsequium reducere posset. Igitur ad S. P. Q. Amstelodamensem literas mittit. *Clementissimum regem esse, quem calumnia impudenti perduelles traduxissent; idque persuasas urbes plurimas fidei se eius subdidisse. Contrarium tamen satis clare adparuisse in proximo agro Vltraiectino, tum Frisia, Gelria, & Transiselania; quae benignitatem expertae. Idem illis, si exemplum sequi vellent, certo promittere. Falli autem, si eas sibi vires putarent, quibus regi, omnium principum potentissimo, resistere possent. Ac pessime sibi consultum ire, si, iniuriae pertinaces, ultima exspectare vellent.* Harum literarum exempla ad vicinas urbes transmissa; iisque publico scripto responsum. *Nunquam male de rege sensisse; ideoque nec vim legibus, privilegiisque, factam imputasse. Immo contra existimasse, optimum principem, iurisque & aequi observantissimum, nunquam permissurum fuisse, multo minus imperaturum, uti homines peregrini Belgii sui felicitatem conculcarent; cuius populum, supra ceteros subiectos, fidum esse explorasset; maxime nupero bello Gallico, quod quadringenties centum millibus florenorum adiuvisset. Idcirco credere, regis nomen falso ab Albano praetendi. Nec verum esse, per calumniam eum peti. Quippe in urbibus universis, quae desciverint, neminem sane reperiri, quin pro dignitate eius defendenda facultates omnes suas, ac vitam denique, impendere sit paratus. Tantum hoc propositum fuisse, ut Albani, & Hispanorum, crudelitati se obponerent. Idque ad extremam usque sanguinis guttam facere certos.* Tum exempla multa adlegant, quae deterreant. *Quod vero certissimo promittere videri velit, ludum esse, & fraudem meram. Neque ipsos adeo fatuos, ut fidem omnino ullam habeant. Potentiam regis quod proponeret, eam longe maximam scire, nec se profecto pares putare: at nec illum tam iniquum, ut clientes, subditosque, obsequii devotos, perditum ire adeo inclementer velit.* Porro cives exhortantur, *ne rempubl. suam deserant, immo contra adnitantur, ut acceptam a maioribus libertatem posteris tradant.* Dum haec ad Harlemum geruntur, saepius in Zelandia pugnatum; gensque ad patriae libertatem adserendam animosa, navalibus proeliis multa fortiter cum felici exitu ausa est. Quadam nocte Antuerpiam devecti, naves aliquot ad crepidinem fluminis adligatas, catenis diruptis, abduxere. Dein Middelburgum, & Rammekenum, obsedere. Quumque Albanus liberandis Sanchium Avilam classem adornare iussisset, & is, imperata

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIII. ta exequens, cum LVI. navibus deſinente Februario oram ſolviſſet, adventantem ingenti proelio fuderunt. Eaque pugna naves minores fere omnes periere; quae maiores, aegre Antuerpiam refugere. Tam inſignis victoriae nuntium, datis VII. Kal. Mart. literis, Auriacus Hollandiae urbibus mittit, gratum omnibus, & Harlemenſibus opportunum; qui erectiores animis, ineunte menſe Martio rem tormentis agere ſtatuunt. Ante urbem obſeſſores magnam molem excitaverant, valde ſane obſeſſis infeſtam; ſed Ioannes Cuningamus Scotus, Balfurii legatus, crebris ictibus die non toto univerſam diſiecit. XI. Kal. Aprileis inſtar CIↃCIↃCIↃ. frumenti modii navigio in urbem importati; ac triduo poſt e praeſidiariis erupere IↃCCC. & cum iis egregii adfectus cives aliquot; qui hoſtem pluribus locis adorti, magnam ſtragem ediderunt, caeſis amplius IↃ CCC. & tentoriis incenſis plus CCC. abducta inſuper ingens praeda, tormenta bellica minora VII. pulveriſque copia magna. Signa IX. equi XXX. ceteri pecoris magnus numerus. Veſtes plurimae; & argentea, atque aurea ſupellex. Item arma omnis generis, militibus multis ſubſectura. Inter caeſos Carvaialis, & Creſſonerius, rei tormentariae praepoſitus, cui ſucceſſit Valentinus Pardaeus Mota. Vulneratus Franciſcus Toletanus. Ex oppidanis tantum VIII. deſiderati. In his Derdenius, ordinum ductor, manu ſtrenuus: ac biduo poſt legatus Lanceloti Brederodii, Theodorus Braſſemannus. Quum vero iam, ſoluta glacie, ad vicinas urbes exitus, reditusque multo difficilior eſſet, Mutinenſium olim exemplo, columbis uti incepere; quae exportatae, cum literis ſubter alis adfixis revolarent. Vt autem obſeſſis, ita quoque obſeſſoribus gravis obſidio; & diſcedere caſtris certe voluiſſent. Verum Albanus urgere graviter, filiumque Toletanum magis etiam confirmare, miſſo Chevereauxio cum ſua legione; adhaec promittere aliam Lopeſii Figueroae, & XXV. ſigna Hiſpanorum. Id enim regem ducatus Mediolanenſis praeſidi, Ludovico Requeſenſio, imperaſſe. Nec multo poſt Lopeſius Acuna venit cum legionis Longobardicae ſignis XII. & aliis XIII. Figueroae. Tum etiam Bernardinus Mendoſa adfuit, ab Albano miſſus, qui eius iuſſu in plena militum corona Toletanum ad coeptam ſemel obſidionem forti animo exſequendam concitaret. *Nam ſi deſereret, ipſum ſe, quantumvis aegrum, mox in caſtris adfuturum. Et, ſi valetudo vetaret, uxorem ſuam, eius matrem, ex Hiſpania evocaturum; potius quam expugnandae urbis gloriam amitteret. Igitur, virtutis memor, patrem cogitaret, & tot trophaea, quae ne per ignaviam nunc corruptum iret.* Exin crebrae eruptiones, & everſi cunei plurimi, cum multa obſidentium ſtrage. Ac ſic occiſi Ioannes Verga, primus centurio legionis Neapolitanae, Sanchius Lodonius Braccamontianae, Stephanus Quixada, & Bartholemaeus Campocaſſius, ingenii clarus, & caſtrorum muniendorum inſignis. CIↃIↃ LXXIII. Vulnerati Goignius, Noircarmius, & Ioannes Ayala. IV. Kal. ab Amſtelodamenſibus inſtructae naves XLIV. lacum occupant, perfoſſo aggere, ubi in eum Ya influit. Praeterea ad Fucam, ut ſtatio illis tuta eſſet, locum muniunt, ac Guletae nomen faciunt. Quamobrem obſeſſi, ut viam aliquam vi aperirent, triremem tertiam, ducibus Binchorſtio & Maureginaldo, Cagam mittunt. Vnde poſtea V. Eid. Aprileis Auriaci naves centum numero Fucam venere. Quumque duodecim oppidani emiſiſſent, adverſo conatu, aegre milite reducto, eas hoſtibus permiſere. Nec magis tamen conſternati quartam mox triremem inſtruunt, CVIII. pedes longam, eamque ad diem XVII. Kal. Maias produxere. Interim Auriaci claſſis Hemſtedam venit, ubi quum militem exponendum oppidani rati eſſent, miſere, qui ſuppetias ferrent, IↃCCCL. Sed, hoſte fortiter repellente, quum accedere propius non liceret, receſſere. Quo certamine Steinbachius, ac Vaderus, a ſuis vulnerati. Nec multo poſt alio loco CIↃCIↃ. expoſiti; ſed quum tardius oppidani erupiſſent, re infecta iterum diſceſſum eſt. Sed hoc egregio Balfurii facinore mox penſatum. Is noctu egreſſus cum Scotis ſuis, civiumque nonnullis, camiſiis ſupra arma indutis, Ruſtemburgum expugnat, victorque ſigna captiva IV. in urbem refert. Et poſtridie anniſi locum recipere Hiſpani, maiore etiam ſuorum ſtrage repelluntur. Nec ſucceſſu meliore iterum biduo poſt conantur. Extremo menſe, quum cuneus incenſus obſeſſores aliquot ſuſtuliſſet, explosis viciſſim tormentis, interfecti Hadrianus Ianſenius, ordinum ductor, & Chriſtophorus Scagius. Ac poſtridie, facta eruptione, ſtipatorum Auriaci ductor, Margotinus. Per hoc tempus nummos argenteos obſeſſi cudunt, & inſignia urbis ſuae, gladium binis utrinque ſtellis interſtinctum, in antica parte exprimunt; in poſtica ſymbolum ſuum, VINCIT VIM VIRTVS. In pervigilio Pentecoſtes rurſum obſeſſores, caput, a corpore ſeparatum, trans moenia iaciunt, & inſcribunt. *Antonii Olivarii eſſe, qui ad Montes invadendos Ludovicum Naſſovium ſolicitaſſet.* Is ab Amſtelodamenſibus interceptus, dum aggerem, qui Nardenum ducit, ne ſubvehi inde commeatus poſſet, perfodere cum delectis aliquot moliretur. Et pretium necis ab Albano poſitum fuerat, idque Toletanus ſolvit. Iam anguſta annona erat, intercluſo commeatu. Igitur oſtiatim inquirunt, quid quiſque domi occultaret. Deinde vero etiam ordinant, ac. dietim viris quidem libram panis; feminis pueriſque ſelibram decernunt: ſcortilla, ac lixas, placentas e buna edere iubent; quibus reliquam quoque famem alii ſaturarent. Dein cereviſiae pretium ponunt, & floreno meliorem coqui vetant. Nec propterea tamen illis animus fatiſcere, donec poſtea Auriaci claſſis profligata, captaeque naves XXI. Huc accedere, quod in Anglia pax firmata inter

Digitized by Google

MCIOIC LXXIII inter Philippum, & Elizabetham, ſpem auxilii in ea inſula impetrandi perturbaret. Tum in Fucam verſa arma; quam egregie diu defenſam, ter repulſis obſeſſoribus, quum deficeret commeatus, tormentariusque pulvis, nec ſuppetiarum ſpes reſtaret, aegre tandem dediderunt. Auriacum valde res angebat, & cura adſidua de ſolvenda obſidione. Hanc ob rem Ioannem Cluſium ad Sonoium cum literis mittit, omnemque operam navare iubet. Atque is, ut in remp. erat egregius, parere promtus, cum copiis aliquot, & foſſoribus, Diemenum aggerem, qui Amſtelodamum, & Mudam interiacet, improviſus hoſti occupat; & convulſo emiſſario, magnaque utrinque ducta foſſa, milites Ɔ ccc. imponit. Tum foſſores multos addit, qui locum opere feſtinato communirent. Deinde, relictis in praeſidium triremibus v. & navibus aliis protinus Edamum abit; auxilia iuſta, foſſoreſque, & commeatum curaturus. Ac dum id agit, Amſtelodamenſes, qui rei nuntium iam acceperant, gnari, quantum in eo loco momentum eſſet, & impeditum obſeſſoribus commeatum deinceps fore; cum xxii. navibus hoſtem adgreſſi, triremes duas. naveſque alias quatuor capiunt; reliquis fuga vix elapſis, ac ſub aggere ſe tuentibus, & tormentis auxiliarium. Quamvis illi graviter quoque obpugnati; dum via Amſtelodamenſi ſigna tria, Mudenſi unum, a fronte & tergo fortiter incumbunt, ac latus utrumque naves invadunt. Sed his Sonoius, graviter eos laborare gnarus, mox cum xl. navibus ſuppetias tulit. Et initio victor, in fugam Amſtelodamenſes egit. At, quum ſubmiſſae naves maiores pugnam inſtaurarent. fractis animis, continere ſuos non potuit, quin victoriam ſatis certam hoſti traderent. Ipſe ſolus inter confertos fortiter faciens, ac deſertus, vix evaſit. Et indignatus, turpiter ſuos fortunam faventem deſtituiſſe, ut infamiam repararet, collectis ocius amplius lxxx. navibus, ſubvenire obſeſſis cupiebat. Iamque in itinere erat, cum deſertum a ſuis aggerem nuntiatur Inde, ut conſilia cuiuſque ab eventu fere perperam aeſtimantur, petitus gravi calumnia, ceu parum prudenter, aliiſque inconſultis, rem geſſiſſet; & iuvare profugus miles; qui querela publica pro ſe uſus, ſuae ignaviae culpam ducis praetexebat. Quamobrem ille rem univerſam Auriaco indicat; idem Cluſio faciente, quem conſilii conſcium habebat. Nec officio Bardeſius defuit. Ac petere Sonoius, *mitteret Philippum Marnixium Aldegondium, aut aliquem eius notae virum, qui inquireret*. Huic vero minus gratum, iſto quidem tempore, diſſidium; quo remp. per ſe imbecillam ſatis, concordia firmare opus. Et iniuriam Sonoio factam, meritorum hactenus praeclaro, perdolebat. Igitur ſcriptis ad eum literis: *bene deinceps ſperare* iubet; *gnarum ſibi, quo adfectu remp. amplexus eſſet, ac libertatem eius iuviſset. Idcirco, tam manifeſto diſcrimine, pro egregio adfectu ſuo, privatam offenſam illi condonaret; nec tam alieno tempore laborantem deſertum iret. Quod* A *ſi aliqui, per invidiam male iniurii, innocenti culpam imponerent; ſibi tamen plus cordis eſſe, nec iudiciis aliorum temere ferri*. Iſtis verbis confirmatior paullum Sonoius; ſed non odium tamen eius, aut invidia intermittere. Ac vulgatum etiam falſo, vincula ei iniecta fuiſſe. Hac de cauſsa Carolus Boiſotus miſſus, qui de tota re cognoſceret; ac, compoſita ſimultate, in commune conſultaret. Iſque mox de expeditione, in Diemenum aggerem facta, anxie inquirere; & conſilia, clam Sonoio, de rep. habere. Tum B invito quoque eo captivum dimittere, quem Edami in cuſtodia attinere ipſe iuſſerat. Quod quum multo magis offenderet, ac omnino exiſtimaret, Boiſotum, dignitatis aemulum, hoc unum agere, ut, populi benivolentia adiutus, praefectura ipſum everteret; denuo apud Auriacum queritur: *indignum meritis praemium reddi, & ad omnes exemplum pertinere, quibus muneris deferendi iuſta cauſa praeberetur, metuentibus, ne calumnia ſimili olim obruti, pro gratia offenſam, pro praemio ignominiam referrent*. Dein Aldegondium, & quos aequiores putaret, per literas orat: *darent operam, ne quid homini innocenti fama ſua, qua nil carius haberet, laederetur. Paratum plane Auriaco obſequi; & provincia, ſi publice expediat, etiam diſcedere; quam nonniſi reip. cauſa, ſuſcepiſſet. Quamvis quidem alium ſibi in eam dignitatem ſubſtitui, quam labore ſuo maximo, & periculo, peperiſſet, longe iniquiſſimum foret. Quicquid tamen huius futurum, id Auriaco totum permittere; in cuius prudentia, & aequitate acquieſceret*. Sed Auriacus, qui turbari illic nollet, aut occaſionem aliquam hoſti dari, obprimenda initia ratus, Petrum Rychium illuc miſit; qui, quod facto opus eſſet, exploraret; ac Sonoium admoneret: *publice ſecuritatis, & quietis ſuae cauſsa, ut praefecturam invidioſam abdicaret; ac cum Veria, quam permittere ipſi vellet, commutaret*. Cui Sonoius: *non ſe dignitatis avidum; ac ponere pridem eam voluiſſe; niſi adfectus in Auriacum, remque publicam retinuiſſet. Huius rei ipſum ſibi teſtem eſſe, qui pluries dimitti orantem continuare munus iuſſiſſet. Nunc autem ut illud faceret, cum non levi famae ſuae detrimento, nunquam imperaturum putaſſe. Et vero, ſi ſic diſcedat, quam Veriae dignitatem fore? Id iudicare in proclivi. Quamobrem rogare ipſum, nuntiaret rerum ſtatum, & intercederet, ut exiſtimationis ſuae rationem habere velit. Quod ſi praefectura* E *cedere porro iuberet, paratum obſequi: ſed deinceps aliam nullam admiſsurum, idque animi honeſti, fideique, apud aequos rerum arbitros, clarum ſatis indicium fore*. Ita Ryckius diſcedens, rem Auriaco omnem exponit; iſque redire eum iubet, & Sonoio poteſtatem prorogare: tum collegas tres adiungere, qui cum urbium Hollandiae borealis delegatis remp. adminiſtrandam iuvarent. Carolo Boiſoto ſeorſim munus ordinatum. Etſi nec ſic tranquilla omnia; quum maneret inter utrumque aemulatio, quam diverſus populi adfectus excitabat. Iam autem in dies F magis

MCIOIC LXXIII

CIↃIↃ LXXIII. magis premi obſeſſi; & Auriacum, Ordineſque liberandae urbis cura angebat. Ac maturandum ſane erat, oppidanis extrema quaeque patientibus. Sed tam arcta obſidio erat, ut vix ſperare quicquam liceret. Et caſtra hoſtis valide contra vim munierat. Intus magna rerum omnium penuria erat, &, quae illam ſequitur, fames. Ac frumento deficiente cibus eſſe equorum vaccarumque pelles, carnes felinae, eque cannabis ſemine panes. His deliciis vitam miſeri tolerare. Igitur unum hoc reſtabat, obſidere obſeſſores, ac commeatum intercludere. Hanc in rem Diemenus agger quum momenti multum haberet, Sonoium iubet iterum eum occupare, ac communire. Dein parte ab alia Batemburgicum quoque mittit; qui cum iuſtis copiis Oudekercam, pagum in via Vltraiectina, ad primum Amſtelodamo lapidem, ſtatim invaderet, ac commeatum prohiberet. Isque poſt levia aliquot proelia partem unam occupatam propere munit. Sed quum templum, & coemeterium, Franciſcus Valdeſius praecepiſſet, locumque ante muniiſſet, irritus hic conatus fuit. Et delecti item quingenti Schonhovia miſſi, quos cohortes peditum quinque, navibus vectae, ſequebantur; in quibus etiam commeatus, & tormenta. Hi quum Breukelam veniſſent, in Vectae ripa poſitum pagum, munire ocius locum incipiunt, arcique oppoſitae Gunterſteiniae delectos quadraginta imponunt. Sed conatum antevertit Ioannes Baptiſta Taxis, qui tum Vltraiecti forte frumentariam rem curabat. Is enim, ſimul nuntius venit, ut invalida adhuc initia perturbaret, adſumpta Maximiliani Melodunii equitum ala, & duobus peditum ſignis, arciſque aliquot praeſidiariis, quos Ioannes Deça abdebat, e veſtigio illuc profectus, nullo negotio hoſtem fudit, opera inchoata deſtruxit, liberamque commeatui ſubvehendo viam fecit. Hinc tentata in propinquo munitione iuxta novum emiſſarium, media inter Vltraiectum, & Amſtelodamum via orta ſeditio militaris, quamvis ſtatim mox compoſita, hoc conſilium impedivit. Sonoius vero, ut iuſſus erat, poſtridie Kal. Iunias media nocte, paucis ſuorum deſideratis, aggerem Diemenum iterum invaſit; & occupatum, ac caſtellis VI. munitum, uſque ad deditionem urbis tenuit. Sed quia ſubmiſſae ab Amſtelodamenſibus triremes quinque, magnuſque aliarum navium numerus, ſuorum ignavia, lacum tamen proximum tenebant, inutilis quoque tam arduus hic conatus fuit. Interim obſeſſis adlatae per columbas literae ſaepe animos, iam paullatim labeſcentes, confirmarunt; dum & liberationem, & conſtantiae quoque praemia pollicentur. Ac promiſſis recreati, interdum mora deſperabant, inter ſpem metumque medii, cuncta quidem Auriacus tentare, ac mentem animi in quamcumque rem intendere; ſed conſilio, quam eventu, meliore. Et iam paſſim provinciales quoque ipſi commiſerari; plurimique, ut obſeſſis ſubvenirent, ultro ſeſe obferebant: nullo ſtipendio, ſed in cives, patriamque ſolo adfectu. Ab oppidanis nihilo ſegnius, factis ſaepe excurſionibus, dimicatum; ſaepe etiam cunei incenſi multos ſubvertere. Acciditque aliquando, uti Vemius, Cognatuſque in diſcrimen ſane extremum adducerentur; nam ruina involuti, ac pene obruti, vix ſuis adiutantibus, terramque iectam deducentibus, evaſere. Per hoc tempus obſeſſores novum machinae genus inſtruunt. Ligneum caſtellum ſtatuunt, malis quatuor ſubnixum; quod rudentibus adtractis elevatum, ſupra moenia militem attolleret, commode inde cum obſeſſis pugnaturum. Id dum parant, Marcus Toletanus, parum caute murum inſpectans, ſclopeti ictu interficitur. Inde III. Non. Iun. Petrus Velaſcus cum CCC. aliquot imponitur. Sed vix bis ſclopeta exploſerant, quum obſeſſi contrario ictu funes diſſecant. Inde nutans ſtatim machina, Hiſpanos oppugnantes evertit. Poſtridie emiſſae columbae, quae mox literas referrent; & in ſumma rerum inopia rurſum ordinata annona, ac, continuato militibus pane, cives buna veſci iuſſi. Quumque Hiſpani inſultarent; nec panem ipſis, nec cereviſiam reſtare: ceu abunde omnia eſſent, ientaculum illis extra portam Ziliam miſere. Tum duplices etiam nummos cuſere; denis aſſibus, & vicenis aeſtimatos. Dein, quum populus quereretur, literarum, quas columbae in urbem adferrent, argumenta occultari; ut animos, vana ſpe lactatos, in longiores aerumnas differrent: permiſſum illi ut ſex eligeret, qui adlatas etiam inſpicerent. XVII. Kal. Iulias obſeſſores cuneum incendunt, qua ruina ex obſeſſis XL. periere. Biduo poſt, deducentibus ſclopetariis, Tſerartſius, & Gotinus, Fucam emiſſi, qui Auriaco ſtatum urbis nuntiarent. Ac uterque mox reſcribunt, *ne quid animum deſponderent; commigraſſe Leidam Auriacum, uti propior liberationem eorum accuraret*. Eo ipſo tempore vallum novum a Margaritae, uſque ad Ioannis portam, inſtituitur. V. Kal. aliquot Ioc. camiſia armis ſuperinducta, Fucam progreſſi, quum auxilium ab Auriaci claſſe exſpectaſſent, conatu irrito, receſſere; ac poſtridie, adlatis literis, excitatiore animo, mille viri, itidem inſtructi, denuo urbe exiere. Sed nec tunc adiuti quicquam, ſpem deinceps amiſere. Inde colloquia inſtituta Kal. Iuliis; & auſpicati Pelecanus, ac Cornelius Mathaeus, ductores. Quumque prodire praefectus urbis iuberetur, ſub horam quintam veſpertinam negotium incepere, pro Toletano Eberſteinius, cum quatuor aliis; ex oppidanis miſſi conſul Ioannes Vlietius, ductoreſque Steinbachius, Roſonius, & Pelecanus. Sed, re infecta utrinque diſceſſum. V. Non. exerto e turri vexillo nigro, anguſtias ſuas claſſiariis indicarunt. Ac poſtridie, tormentis omnibus verberata graviter urbe, ſub veſperam iterum de dedenda colloquuntur, nullo ſucceſſu. Pridie Non. rurſum e turri ſignum nigrum oſtenderunt. Et tunc literae advenere, quae tentandam ea nocte liberationem ferrent. Itaque frequentes etiam egreſſi, ut auxilia adiuvarent, quum

CIↃIↃ LXXIII.

CIↃIↃ LXXIII. quum diu multumque exſpectaſſent, ſpe deiecti, rediere. Tum ad colloquium tertio ventum eſt; rem acturis Eberſteinio, & Boſſuvio, cum IV. aliis; quibus oppoſiti ex obſeſſis Vlietius, Steinbachius, Roſonius, Sohaeus, Pelecanus, & Cornelius Matthaeus. Sed neutiquam melior eventus fuit, quum praeſidiarios ſine armis non exituros adfirmarent. Ipſis Nonis auxiliares urbem verſus claſſem ducunt; & egreſſi oppidani, ſuppetias ſuas promoturi. Quod ubi Hiſpani conſpexere, concitato ad arma milite, impetum eorum revocarunt, VII. Eid vexillum e turri album ſubſpendunt, & ductorem Nicolaum Bernardum emittunt, qui oraret; *in ſequentem Martis diem commeatum ad ſpeculam, in faucibus Sparmi poſitam, vulgo Tonnam Batavii dicunt, ut deducerent: nec enim famem tolerare ultra poſſe*, ac poſtridie miſſae literae, a Bernardo quoque ipſo ſubſignatae, quibus hortari eos Auriacus; *virtutis hactenus tam inſignes, ſaltem in biduum ſpem proferrent. Omnem ſe daturum operam, qua liberare eos poſſet*. Itaque, recreatis animis, etſi de urbe deſerenda iam plerique cogitaſſent, paulliſper tamen ſuſtinuere. Biduo poſt promiſſa iterat, & nocte proxima, ſimulata iuxta Fucam impreſſione, alio mox translatis armis, impetum in ſilvam facturum. Quamobrem egreſſi CIↃ. CIↃ. oppidani, ac praeſidiarii, ut a tergo hoſtem invaderent. Sed hic quoque fruſtra habiti, animum plane deſponderunt. Certe Auriaco animus erat, extrema tentare; & copias ipſe ducere velle, ſi per Ordines licuiſſet. Sed hi gnari, ut fortuna princeps utitur, ita fere populi virtutem eſſe; metuebant ne, ſi quid adverſi accideret, in diſcrimen reſp. tota adduceretur. Ideoque negotium omne Batenburgico commiſſum. Is, collectis inſtar quater mille armatis, inter quos cives Leidenſes, Delphenſes, Roterodamenſes, aliiſque ex urbibus plurimi, qui in militiam hanc ultro venerant, VI. Eid. motis Saxenhemo caſtris, in hoſtem tendit. Ac in prima quidem acie centum equites antecedere; dein magnum agmen, ex Hollandis, ac Zelandis conſtitutum, cum minoribus tormentis ſeptem ſubſequi; tum Galli, Angli, Scoti, aliique. Inde carri circiter CCC, cum annona, & reliquo belli inſtrumento. Poſthaec Germanorum equitum ala una agmen claudere. Vbi ad ſilvam acceſſiſſent, prima munitione vacua, quum, fugiſſe hoſtem rati, porro ducerent; minus cautos ex inſidiis ille adhortus, praemiſſum equitem ocius fudit. Isque in pedites ſubſequentes, belli fere inſolentes, actis equis, aciem ſuorum ipſe turbans, facilem Hiſpanis victoriam praebuit. Qui fugientibus incumbentes, quoſcumque comprehendere poſſent, obtruncare. Eaque pugna cecidere ſeptingenti: atque in iis e Delphenſi civitate centum tredecim. Caeſi item Batemburgicus, Cloetingus, & Carolus; Tſerartſius ſaucius, Leidam evaſit. Pluribus beneficium noctis profuit. Capti currus cum annona univerſi, ac tormenta campeſtria VII. in arcem Cliviam comportata. Tum ſigna IX. quae poſtridie oppidanis obſeſſores oſtentare. Pauci mortem Batemburgici deplorare; qui *temulentum, & auctorem cladis huius*, adpellare; alii contra excuſare, & *fortiter ſatis feciſſe ipſum, ſed conſilia hoſti prodita*. Reliquiae cladis in praeſidia diſtributae, & deſertum Saxenhemum, ubi poſita fuerant caſtra. Neque liberandae urbis poſthac ulla ſpes ſuperfuit, etſi Auriacus tentandam iterum fortunam eſſe exiſtimaret. Eo nuntio ſerio tandem de dedenda urbe actum, quum ablata ſpes ſalutis omnis eſſet; & fames maxima, qua enecti longe plurimi, Saguntinam plane conſtantiam oppidanorum impugnaret. Ac initio deſerere urbem, & obſeſſorum caſtra perrumpere, viſum erat; feminis, pueriſque relictis: quibus hoſtem, etſi crudelem, parciturum tamen ſperabant. Sed conſilii huius famam imbellis ſexus tanto eiulatu excepit, ut ſpectaculum triſte viros a ſententia dimoveret. Inde aliud mox decretum; ut in fronte collocatis ſeptem ſclopetariorum ſignis, viam vi facturis, magiſtratus, & oppidani, qui ſe hoſti credere nollent, cum uxoribus, liberiſque ſequerentur. Poſt hos novem ſigna incederent, agmen clauſura. Et in procinctu omnes eſſe, cum de gratia facienda adlatus nuntius cohortes Germanicas aliorſum impellit. Ac poſtridie rurſum Gallorum quinque ſigna, quibus mixti oppidani, tentare eruptionem parata, pontis defectu deſtitere. Idemque irrito conatu poſtea adhuc ſemel tentatum: Ergo adverſa omnia experti IV. Eid. Toletani arbitrio urbem dedunt. Eaque ne diriperetur, promiſſa CCXL. florenorum CIↃ. e quibus C. quidem CIↃ. intra diem duodecimum, reliqua CXL. intra proximum trimeſtre ſolverentur. Res tranſacta a binis conſulibus, item Steinbachio, Roſonio, ac Vadero. Et Roſonius, futuri prudens, quum conditio diſpliceret, militibus ſuis rem exponit. Iique indignati, clauſis portis, ingredi obſeſſores vetant. Qui tamen alia parte admiſſi, ut impetum ſedarent, bene ſperare omnes iubent; *maiore clementia uſurum Toletanum; quam promittere ſibi auderent*. Id ubi Bordetus intellexit, homo Gallus, ductor militum, animo pariter, & manu ſtrenuus, qui in Montibus militaverat, ne ludibrium hoſti daret, ad famulum converſus; *hactenus*, inquit, *fidei in herum tam praeclarus, extremum infelici obſequere*. Simul, porrecto ſclopeto, pectus obfert; & tranſverberare iubet. Quumque adtonitus triſte imperium deprecari conaretur, porro urget, *ne ſe hoſti inclementi trucidandum prodere vellet*. Igitur aegre tandem obtemperat. Alii ferunt, illo obſequium pernegante, ſua manu, verſo in ſemet ſclopeto cecidiſſe. Laudando ſane virtutis exemplo, ſi priſcis ſeculis obtigiſſet. Ergo III. Eid. urbem dedunt. Illicoque cives pariter, militesque, arma in curia ponere iuſſi; & illi quidem, in Zilae monaſterium ire; hi in templum Bakeniſſae. Feminis, templum maius adſignatum. Germani, ac Scoti, in moenibus ma-

CIↃIↃ LXXIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIII manere, unde postridie, in urbem ingresso Toletano, ad Catharinae & Vrsulae fana sevocati. Quo ipso die ad cives, in monasterio Ziliae sepositos, Romerus accedens, bono esse animo hortatur; vitam omnibus salvam fore. Eid. mensis venit Amstelodamo Albanus; sed, lustrata circum urbe, e vestigio retrogressus, intrare noluit. Ac tunc initium carnificinae factum fuit; ccc. Belgis gladio, aut laqueo interfectis. Tum praefectus urbis Ripperda, cum legato, & qui Steinbachio a concionibus, gladio percussi. Inde CCXLVII. mersi. XVI. Kal. Sext. redimendae civium vitae, prima c. florenorum clↃ. exhibita; urgente maxime Philippo Martinio, olim eiusdem urbis consule. Et tunc iterum extra portam Scalcovicanam in nonnullos saevitum. Ac postridie ccc. percussi, in quibus oppidani plures; & concionator, Simon Simonius. Dein Lancelotus Brederodius Veenhusius, Rosonius, & Brilani aerarii quaestor, Scotae ad supplicium producti. Capti item, qui religionis causa solum verterant; & in iis Kiefius consul, Iacobus Gerardus thesaurarius, Arnoldus Coemannus, Florentius Gulielmius, aliique. Nec adhuc finis lanienae. VI. Kal comprehensi praetor Hadrianus Ianssenius; Ioannes Vlietius, & Gerardus Stuverius, Coss. tum senatores, & ductores civitatis. Qui Fucam tenuerant praesidiarii, ac vitam salvam fore pacti, per ludibrium fame enecti. Exortae quoque inter Hispanos ipsos turbae, dum de praeda, & stipendio akercantur; quae mense proximo a Vitellio vix compositae. Interim pluries in captivos milites saevitum, occisique vario supplicio plus IↃCCCC. at Hispani, ceu egregio aliquo facinore, augent numerum; & interfecta instar clↃclↃ. narrant. Balfurio concessa vita, ea lege, ut Auriacum interficeret; sed is, postquam evasisset, tanquam turpi iuramento nil obnoxius, re detecta, prioris militiae sacramentum non deseruit. Hic exitus obsidionis fuit, pro libertate tam praeclare toleratae; in qua fortiter extrema omnia passi obsessi, & tormentorum CCIↃCCCLX. ictus excepere. Qui initio circiter clↃclↃclↃclↃ. ferro, ac fame, ad clↃlↃ. redacti. Sed obsessoribus haec victoria nullo modo incruenta. Quippe coesi praestantissimi belli duces, numero multi, & gregariae militiae CCIↃCↃclↃclↃ. Lazari Mulleri legio VII. Eid. Sext. eierata Auriaci militia, quum vitae gratiam impetrasset, a CLX. equitibus in Gelriam deducitur. Quod ubi Sonoio exploratum, qui Diemenum aggerem tenebat, duce Gualtero Hegemanno, tribus triremibus sclopetarios aliquot imponit. Isque statim nil opinantes noctu adortus, antequam sumere arma possent, Hispanis omnibus profligatis, liberatos custodia Germanos ad Sonoium protinus duxit; qui armaturus illos erat, valde pronos, & ulciscendae, ut praeseferebant, iniuriae avidos. Sed captivis adhuc ductoribus, quum, accepta rei fama, extremum supplicium Toletanus minaretur, exorato aegre temporis spatio, Iacobus Steinbachius, Christophorus Vaderus, Schramus Brunsvicensis, & Christophorus Guntherus, ocius ad illos Ioannem Bebecotum, & Alexandrum Murdianum, cum literis mittunt, orantque; *vellent fidei datae meminisse, nec innocentes in periculum vitae adducerent. Cogitarent periurii infamiam, & ultorem noxae deum.* His impulsi, a militia discessere. Pridie Eid. solemni pompa Toletanus urbem intrat; &, dedicato Bavonis templo, coram ipso Godefridus Merleus, eius loci episcopus, sacrum peragit, certisque capitibus ad servandas ecclesiae immunitates sacramento obstringit. Tunc intermissa mensem unum carnificina instauratur; civesque multi, cum ductoribus Belgarum, magno oppidanorum dolore, Scotam abducti. Dein protracti e valetudinario milites, vulnere aut morbo imbelles, in area subiecta capitis supplicio adficiuntur. Mox, diplomate promulgato, reliquis omnibus praeteritorum gratia facta pronuntiatur. Tantum quinquaginta septem excepti, eorumque nomina edita. Atque ex illis sex occisi. Tres in custodia expirarunt. Vnus cum duabus Sebastiani Craenhalsii filiabus permutatus; Ioannes Vlietius, molitoris veste occultatus, deceptis custodibus, clam evasit. Reliqui, in carcere habiti, indies mortem exspectantes, mense Novembri Amstelodamum sunt devecti, illic iussu Albani occidendi, nisi Bossuvii consanguinei, qui tunc Hornae in vinculis haberi, liberationem impetrassent. Urbi captae in praesidio Germanorum Licquius imponitur. Sed hanc cladem mox Gertrudisberga pensavit. Quam Poetus, conscenso ad portam Bredanam muro, excubiarum raritate, sine negotio occupavit. In praesidio signa duo Belgarum erant; eaque fere obtruncata. Civem neminem victor laesit; ac data Tzerartsio praefectura. Harlemo capto, castra Hispanus Alcmariam transtulit. Monuerat pridem omnes in eo tractu urbes Auriacus, sedulo sese communirent; ac maxime illa, quae tunc prima hostem sustinere deberet. Muniendarum urbium curam Philippo Vander-Ano dederat; Iacobo Cabeliavio, Alcmariae praefecturam. Sed is, quum intromitti vellet, cum una saltem cohorte sua, restitit paullisper magistratus; aegreque tandem, Auriaci suasu, intromisit. Ac vix id factum, quum ecce Hispani pedites clↃclↃ. equites CCC. urbem cingunt. Contra quos erumpentes praesidiarii, levi proelio mox decertant; & suburbio iam occupato expellentes, id incendunt. Biduo post motis castris, exusta Egmunda, & pecore copioso abacto, rursum se Harlemum recipiunt; ac ceteris copiis, illic tumultuantibus, se adiungunt. E quibus Hispani decem, veste mercatorum sumta, clam Auriacum accedentes, primo gentem sunt professi; inde Harlemum reddituros promisere, si mercedem quadraginta millia florenorum daret. Sed, aerario tunc angusto, blande ille excusare, gratiasque pro adfectu, & officio, summas agere. Albanus, tam longa Harlemi obsidione attrito vehementer aerario, stipendia solvere militi non poterat, cui

CIↃIↃ LXXIII.

CIↃIↃ LXXIII. cui XXVIII. menſes debebantur. Ex Hiſpania a multo tempore nil adlatum; & exiguum. quod provinciae tribuebant. Quas ſi paullo magis premeret, periculum erat, ne etiam ad Auriacum deficerent. Deinde, ut brevi poteſtatem depoſiturus, ne tentare quidem voluit. Igitur publicato Vltraiecti diplomate, iterum regis clementiam praedicat; &, *paratam cunctis veniam, ſi ad antiquum obſequium redirent. Quod ſi rebellare pergerent extrema omnia exſpectarent.* Et quamquam blanditiis iſtis, aut minis, nihil effectum; adflictus tamen tunc Hollandiae, & potiſſimum borealis ſtatus erat. Tantuſque paſſim metus invaſerat, ut, rebus ſuis convaſatis, plurimi fugerent. Hoc quum Auriaco Sonoius, reip. cauſa anxius, indicaret, is reſcribit: *nollet animum deſpondere; ac, virtutis ſuae retinens, porro omnia adcuraret. Obnoxias caſibus res humanas, nec ideo tamen cuiuſquam conſtantiam impelli debere. Multum quidem in Harlemo liberando momenti fuiſſe, eamque in rem quidvis tentaſſe; ſed, iam eo expugnato, de rep. deſperare, neque viri, nec periti rerum eſſe. Reſtare urbes adhuc plurimas, longe ſane munitiores, & extrema pati certas. Confideret coelo, ac, ſi ſpes omnes profligatae plane eſſent, adfuturum e machina deum; periurii, & ſevitiae ultorem. Quod ſtipendia in menſem quemque curanda putaret, id profecto demirari. Quem enim regum, aut imperatorum unquam feciſſe? &, nec apud Albanum fieri, exploratum; qui Hiſpanis menſes* XXVIII. *debeat. Porro, quando freto auſtrali occupando claſſem hoſtis adpararet, daret operam, ne quid hic reſp. detrimenti caperet. Fortiter Zelandos facere, qui Rammekenum expugnaſſent. Horum exemplo animum firmaret; nec remp. aut virtutem ſuam deſereret.* Iam Alcmariam, uti dictum eſt, caſtra ſua Hiſpani moverant; & oppidanis datum reſpirandi tempus. Idcirco, literis aliis datis, Sonoium Auriacus, & borealis Hollandiae Ordines ſerio monet; *uterentur occaſione, & Alcmariam, egregium tractus iſtius propugnaculum, annona, ac praeſidio firmarent.* Tum ſeorſim magiſtratui quoque ſcribit; *neceſſaria omnia curarent, impenſam ex aerario publico recepturi.* Itaque illico de commeatu ſibi proſpiciunt, & oppidanis quoque ſingulis frumentum comparandum indicunt. Itidem Leidani faciunt, ab altera Harlemi parte pari intervallo proximi. Per id tempus Amſtelodami Albanus erat; ac claſſem, qua fretum auſtrale invaderet, inſtruebat. Et Billius quoque, agri Groningenſis praefectus, cum navibus aliquot, ceſpite inſtratis, qui ſubter militem occultaret, Enchuſam capere conſtituerat. Sed miles quidam, Sneca per noctem dilapſus, inſidias Sonoio prodit. Atque is comprehendere quidem omnes ſperaverat; ſed, quum tardius, vento exiguo, adventarent, praecipite impetu effuſis oppidanis, evaſere. Et Boſſuvius arcis Medemlacenſis praefectum, Cornelium Riſwicum, per literas ſollicitat; *ſi dedere arcem urbemque vellet, praemium beneficii ingens, & veniam praeteritorum fore. Verum maturandum eſſe, nam iam Leidam obſideri, & decretum, magnis copiis borealem Hollandiam invadere. Igitur ocius, quid facturus, reſponderet.* Et ille tunc Enchuſa aberat, quique literas has adtulerat, ſe ſubduxerat. Inde redux, convocato magiſtratu, eas legit. Tum, removendae ſuſpicioni, rei geſtae Sonoium certiorem facit. Interim Zelandi Middelburgum, Arnemudam, & Rammekenum, magnis animis obſidebant. Et Albanus, claſſe inſtructa, liberare, commeatumque inferre niſus, vario conatu, ſemper tamen fruſtra fuit. Bellovacus, mari in illis inſulis praefectus, cum Mandragonio, paratis LXXX. navibus, menſe Auguſto iterum tentans, a Carolo & Ludovico Boiſotis, fratribus fortiſſimis, impeditus, mutato itinere, ad Weſtcapellam militem exponit, & annonam propere importat: ac Chriſtophorum Mondragonium, inſignem militiae virum, cum Belgarum XV. cohortibus praeſidio addit. Nihilominus Rammekenum, quum praefectus Arnemudam petiiſſet, illic vim hoſtilem metuens, intercipiunt, Ita fervere ubique bellum. Nam Albanus, ſucceſſorem iam exſpectans, priuſquam decederet, inſigni aliquo facinore claram poteſtatem deponere cupiebat. Itaque extremum contra Hollandiam, ac Zelandiam, omnes undique copias vertere. Deinde ad vim fraudem etiam, ac promiſſa adhibere; quibus non minore cura ubique ſe Auriacus opponere; clericorum ac profugorum pariter bonis, ac multiplici tributo populi, adiutus. Tum IX. viri ordinati, qui illi a conſiliis eſſent, Iacobus Douſa, paulus Buſius, Petrus Waſtelius, Iacobus Muſius, Henricus Duſtius, Guliel-mus Ioannes Reinerius, Ioannes Iacobus Roſendalius, Sebaſtianus Loſenius, & Laevinus Kerſmaeckerus. Hiſque actuarii additi, Antonius Genitſius, & Henricus Perſinius. Per haec Boſſuvius claſſem armare, & in Friſia quoque Billius IV. triremes. Idque Auriacus exploratum Sonoio indicat, ut ſe contra ipſe inſtrueret, & praeverteret. Ideoque Doco Martina, Friſico mari ab Auriaco praefectus, cum IV. liburnicis Amaſiam flumen occupare; ut triremes, aut Groninga prodituras, aut Delffilia, prohiberet. Sed excitata mox tempeſtas flante Coro, praeter ceteram hominum, pecorum, ſegetumque ingentem cladem, omnes tota Friſia naves diſſipavit, ac ſubmerſit. Dum Boſſuvius bello ſe navali parat, deſtinato Toletano, qui terra copias alias duceret; Tambergius, legatus eius in Waterlandia Broukam occupat: inde Lanſmeram, Sanderdorpam, & Zuderwondam; ac ſecluſi inter ſe provinciales, terreſtri itinere intercepto, non advehere commeatum, niſi freto auſtrali, poterant. Iamque Harlemi, Chiapini Vitellii opera, compoſitus militaris tumultus. Ideo, ad obſidendam Alcmariam, denuo copias reducere placuit. Et XIII. Kal. Septemb. miſſi a Toletano equites, qui urbem cingerent. Primoque adpulſu impoſitas canali domos duas, ubi rhus coriaria para-

CIↃIↃ LXXIII.

ri,

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIII. ri, ut commeatum interciperet, Medivilla expugnat. Sed erumpentes oppidani unam ex iis recuperatam, cum duabus moletrinis, igne exurunt; alteram, fortiter propugnante Hiſpano, & auxilia ſubmittente, coacti relinquere. In ea pugna Medivilla cecidit. Milites, qui ad Scermeram poſiti, eo loco, quo ſpecula exſtat, metu omnes diffugere. Qua munitione potitus hoſtis, ad extremum canalis clauſtrum merſa nave commeatui importando aditum obſepſit. Ad rei famam Theodorus Sonoius Ruichaverium cum ſua cohorte in urbem proficiſci iuſſerat; ſed, quia deſertum ad ſpeculam locum Hiſpanus invaſerat, excluſus fuit. Nec multo poſt univerſis copiis urbs obſeſſa quam arctiſſime; & Toletanus ipſe cum Philippo Noircarmio, Iuliano Romero, Conſalvo Braccamontio, Petro Velaſco, Petro Toletano, Goignio, Stephano Ibarra, & Valentino Pardaeo Mota, Outdorpii erat; ac cohortes circum quadraginta duae. Quibus additae octo aliae, ex Italia pridem in ſupplementum miſſae. Tum centum quinquaginta equites. Ferdinandus frater, cum octo cohortibus, Huiſvvertum tenebat; Polvillerius, cum aliis undecim, pagum Pancratii. Ad Koedicam Chevereaulxius, Licquiuſque, cum viginti; Bergae decem; ſub Capreſio; una cum reliquo equitatu. Neoporti viginti duae, ſub Eberſteinio, ac Fronsbergio. Vniverſim cxxi. erant; in quis militum xvicb. In urbe autem, qui tam multis repugnarent, valde pauci; & vix unus contra octonos: oppidani mille trecenti, praeſidiarii octingenti. Ad haec inquilini pauci, ruſticique; homines belli imperiti, qui ex agris huc confugerant. Statim obſeſſi ad Sonoium literas mittunt, nuntianeque: *etſi undique aditu pene intercluſo, & munitione ad ſpeculam amiſſa, hoſtem tamen ſuſtinere, & extrema quaeque paratos. Quando autem maiore praeſidio, ac pulvere nitrato, reliquoque inſtrumento indigerent, ut quam primum ſuppeditaret. Tum conſultum arbitrari, ne ulterius hoſtis irrumperet, ut oppoſitum mari aggerem perforarent.* Ad has literas ille reſpondet: *indolere ipſorum caſu, atque ad primum rei nuntium Ruichaverium deſtinaſſe, qui praeſidium urbis firmaret. Sed hunc, relicta ſuorum metu ſpecula, introitu prohibitum fuiſſe. Nihilominus non labori, aut ſanguini ſuo, parciturum, ut liberare obſeſſos poſſet: ac iam Auriaco perſcripſiſſe, & conſilium, ac ſuppetias poſtulaſſe. Conſiderent autem, & viri eſſent. Quodque de maris aggeribus ſcripſiſſent, ſi res exigeret, factum iri, & iam ante, ut emiſſaria panderentur, ultro mandaſſe.* Dein ad praefectum Cabeliavium eiuſdem argumenti literas addit. Etiam vicinae urbes hortari: *ne, capto Harlemo, conſternati animum abiicerent; quin cauſam publicam cogitarent, & pro patriae libertate fortiter facerent, paterenturque. Omnino fore, ut iugum Hiſpanicae ſervitutis brevi excuterent: nam cum copiis longe maximis e Germania Ludovicum Naſſovium adventare.* Ea res animum oppidanis confirmavit. Interim Sonoius nil praetermittere, quod ad Remp. pertineret; & omnibus modis creditam ſibi borealem Hollandiam communire ſatagebat. Vtque arcere hoſtem poſſet, quatuor locis provinciam munit; & caſtellis Ruſtemburgi, Broucae, Schoreldami, ac Crabbendami excitatis, qui diu noctuque excubarent, cc. aut ccc. ſingulis impoſuit. Dein Oterlicum, ob navatam Hiſpanis operam, quum ad urbem obſidendam primum veniſſent, exuri iuſſit. Et Auriacus, duce Gardio, auxilia miſit; Germanorum, Gallorumque cohortes viii. Hiſpani ſeduło vallum promovent; &, quum foſſores deeſſent, cives Harlemo evocatos circiter ccc. inclementi per initia ipſa imperio, quum benigne haberi miſeros aequum eſſet, triſti miniſterio deputant. At oppidani, quam nil timerent, crebris eruptionibus ſunt teſtati. Inter cetera xvii. Kal. Octobr. proximam urbi munitionem valide turbant; & egreſſi, Ioannem Hieronymum captum abducunt; qui conſilia Toletani obſeſſis prodidit. *Monitum eſse a patre Albano, niſi urbem tertia oppugnatione capere poſſet, ut mature ſe reciperet, copiaſque in Bramantiam reduceret. Ideoque ſtatuiſſe, impreſſionem quatuor ſimul locis facere. Eamque in rem pontes omnes, & apparatum pugnae reliquum praeſto eſse. Priuſquam autem oppugnationem incipiat, murum urbis ad portam Friſicam, & turrim rubram, multis tormentorum ictibus deruturum, ad partem auſtralem, pontem foſsae iniecturum; ad ſalinas, navibus rem geſturum eſse: ac quidem, ſi vi expugnet, ad internecionem omnes caeſum iri.* Et poſtridie viſa initia. Poſita contra portam Friſicam tormenta novem; contra turrim rubram ſeptem. Verum terra ea parte argilloſa, & depreſſa, crebriſque pluviis, ac per emiſſaria aperta immiſſis aquis pene ſubmerſa, multum hic impedimenti habuere. Mox pontes quoque, & cetera oppugnationis inſtrumenta, oſtentari. xiv. Kal. Octobr. poſt clↃclↃ. amplius ictus tormentorum edita ingenti ruina ad portam Friſicam, & turrim rubram, tribus horis poſt meridiem ingens ſane certamen coepit; utrinque animis pro victoria aut libertate obſtinatis. Vtque maiorem oppidanis metum obſeſſores incuterent, & vires diſtraherent, ad portam quoque Caninefatum, & ſalinas, inſtaurare pugnam velle ſimulabant. Oppugnare urbem iuſſae legiones duae, quibus Lopeſius Acuna, tunc Harlemi fato functus, pridem praeerat. Quicumque in ruinam evaſerant, interfecti. Quatuor fere horis pugnatum eſt; quum perpauci multo plurimis oppoſiti, urbem ſuam intrepide defenderent. Nec loco cedere quiſquam viſus: niſi caeſus, aut graviter ſaucius. In partem pugnae foeminae, virgines, pueri denique, pari adfectu acceſſere; & arma alacres miniſtrare, ſaxa, uncos, circulos candentes, oleum, picem ardentem, liquidum plumbum, ferventem aquam, & calcem vivam. Bis Hiſpani pugnam renovarunt, & fortiſſime toties deiecti. Ad turrim rubram maiore incommodo ab defenſoribus pugnabatur. Nam ad

CIↃIↃ LXXIII.

ſali-

Digitized by Google

MDXIC LXXIII. salinas tormenta duo constituta terga illorum feriebant. Nec quicquam tamen ideo territi, hostem, a fronte magna virtute obpugnantem, constantissime repulerunt. Cecidere ex obsessoribus clxccc. interque eos Didacus Felix, & Franciscus Bobadilla. Blascus Nonius Carvaialis, quum strenue aliquamdiu pugnasset, tandem sclopeti ictu deiectus, non multo post ex vulnere obiit. Tanta autem strages erat, ut Manuel Cabeca Vaca, instaurare obpugnationem iussus, eniti per cadaverum acervos non potuerit. Ex obsessis, quod vix quis credat, tam fervente & longo conflictu. xxxvii. tantum caesi. xiii. praesidiarii, & oppidani xxiv. plures, ut ex hoste quoque, vulnerati. Exin de urbe capienda obsessores desperare; invito ultra pugnae milite. Cuius virtus neque praemio, neque minis excitari deinceps potuit. Quin nonnulli, quia ad urbem oppugnandam iterum perduci non possent, a ductoribus interfecti. Sonoius, ut obsessis succurreret, emissaria aperire Fridericum Sevenderium iusserat. Itque id Zipae, Crabbendami, & Ertsvvoudae, etsi obnitentibus rusticis, procuraverat. Tum adlatae quoque literae ab Auriaco, quibus virtutis ergo collaudatos porro ad constantiam hortatur, & auxilia certa promittit; aggeresque, si necessitas ita postulet, quod nocturnis ignibus indicarent, perfossurum. Atque id Sonoio quoque nuntiat; sed qui has ferret, quum ad urbem accessisset, ab excubiis deprehensus, territusque, ut se eriperet, eas abiecit. Itaque in manus Toletani pervenere; & in bonum casus vertit. Nam etsi literas interceptas aegre sane obsessis accideret; tamen hostis, qui consilii poenitentia iam discessum cogitare, eo magis, immissis aquis mergi veritus, cedere compulsus, ideoque tormenta mature deduci coepta, ac navibus imposita. Deinde, ineunte Octobri, soluta obsidio cum Toletanus, tributis in hiberna copiis, Amstelodamum ad Albanum patrem concessit. Oppidani ea aerarii inopia erant, ut pecuniam e stanno cuderent, quam, soluta obsidione, permutarent. Eo ipso tempore Ioannes Cerda Medinacoelius, qui, successor Albano datus potestatem detractaverat, rursum in Hispaniam concessit; destinatusque Ludovicus Requesensius, ordinis Alcantarensis princeps, Mediolanensiumque praeses. Dum autem Alcmaria adhuc obsidetur, ut Hollandiam borealem undique premerent, classe instructa, rem Bossuvius gerere statuit. Et, quantumvis foederati, demersis navibus, satis obseptum exitum putarent, ac pridie quidem Eid. Sept. frustra conatus fuisset; ipsis tamen Eid. feliciter cessit; Yamque ingressus est. Ducebat liburnicas magnas xiii. quis cohortes Hispanorum vi. impositae, ducibus Garsia Suare, Sanctio Avila, Corcuera, Texeda, Alfonso Aiala, & Martino Oarte. Adhaec Germanorum item, Belgarumque aliae plures; quibus praefectus Franciscus Verducus Primam aciem Ioannes Simon Rollius ducebat, cum cohorte Corcuerae. Cum his copiis Scellincvvoudam acriter oppugnatam capit, & castella in illo tractu fere cetera; ac Hispanos, Germanosque praesidio imponit. Scellincvvoudam Henricus Brouchusius satis strenue propugnabat; sed, quum naves deseruissent, nudamque ita munitionem hostis undequaque invaderet, ad deditionem adactus, Monachodamum se recepit. Ea clades foederatos valde anxit, nec tamen, salva adhuc classe, desperatum. Igitur quam festine possent, naves xxiv. armant; sed tormentis parum instructas, quae in castellis expugnatis nuper hostis interceperat. Quamobrem ad Auriacum scribunt; & maturari auxilia rogant. Bossuvius, tot locis potitus, ea postridie collustravit; inde Verducum ad Albanum misit, qui regionis situm narraret. Nec multo post ipse quoque subsequutus, iterum Amstelodamum abiit; collecturus plures naves, ut classem foederatorum sternere, & fretum australe eripere posset. Bossuvii classem Billius adiuvare iussus, decem naves iam paraverat; sed conantem Doco Martina, Flevo antea occupato, impedivit. Itaque iii. Non. Octobr. cum triginta circiter navibus oram solvit. Praetoria eius munitissima, & vi nulla, ut videbatur, expugnabilis. Tormenta imposita grandiora triginta duo; & praeter frequentem nobilium comitatum, item nautas, milites ducenti. Nomen illi invisum pariter, & infelix Inquisitio; quam per vim invectum ibant. Itaque contra foederatos profectus, quatriduum totum levibus tantum proeliis lacessivit. Et applicare quidem naves, ut comminus pugnarent, foederati cupiebant. Sed subterfugere Bossuviani, & pugnam protrahere; tormentisque instructiores, plurimis ictibus eminus debellare malebant. Ac quanquam id sollicite agebant, unus tamen e foederatis, Iacobus Tilius, Schulemburgii, Bossuviani navem applicans, post conflictum satis acrem expugnavit; caesisque vectoribus quinquaginta, ipsum Schulemburgium captum cum septem aliis Hornam sub custodia misit. E suis vix duos desideravit. Tandem ad diem iii. Eid. mensis eiusdem utrinque atrox proelium fuit. Et praetoria foederatorum, in Bossuvianam invecta, telis omnibus, & calce viva, e corbe mali in oculos Hispanorum deiecta, vehementer oppugnavit. In principio ad Bossuvium inclinare victoria visa; sed mox, restauratis animis, ubi fortius foederati incubuere, naves eius dissipatae, in fugam sese coniecere. Vna, qua Texeda vectus, perforata, cum vectoribus cunctis periit. Quinque vadis obhaesere, & interceptae. Ipse noctem insequutam, diemque proximum, fortiter pugnans, quum propugnatores quindecim vix restarent, aegre se hosti permisit. Itaque captus Hornam abducitur, & cum eo primarii viri, Cruningus, Weldamus, Pinsenius, Hardenbroucquius, Numanus, Corcuera, Lopesius, Wervius, Quesnoius, alii. Capti item gregarii milites ad trecentos. E quibus centum Hornam quoque, ducenti vicinam Enchusam avecti. Vexillum praetoriae

MDXIC LXXIII.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIII. riae in templo ab Hornanis ſubſpenſum; & Deo publice per provinciam grates dictae. Boſſuvius quum in urbem adduceretur, per contumeliam occlamare oppidani: *Roterodamenſis lanienae auctorem eſſe: eodem animo contra ipſos nunc profectum, meritis paria accepturum.* Illic in carcere per triennium adſervatus, tandem pace Gandavenſi conſtituta, liberatur. Qui fuga evaſerant, huic cladem imputare, & apud Albanum accuſare. Quod quum aegre admodum ferret, a Sonoio, & provinciae Ordinibus petiit, uti, refutandae calumniae, ad Albanum mittere liceret. Et orationem honeſtam facile obtinuit, iſta lege, ne quas literas, niſi prius inſpectas, daret. Sub hoc fere tempus Albanus in Germania emi pulverem nitratum iuſſerat; iſque ad quinquaginta clↃ. pondo curribus impoſitus, quum in Palatinatum devectus, a Ioanne Caſimiro, & fratre Chriſtophoro deprehenſus in via eſſet, illi ignem ſua manu iniiecere. Dein ſcripto publico factum profeſſi, cauſam quoque addidere: *ne Albanus, etiam Germaniae hoſtis, eo ad Belgarum caedem uteretur.* Ille autem, ut bello proſequendo neceſſaria curaret, Ordines Belgii convocaverat. Quod Hollandis, ac Zelandis, poſtquam gnarum, literas ſuas eo deſtinant; hortanturque: *ne Tyrannum contra ſe, amicos, & fratres adiuvarent. Quin reip. laboranti potius ſuccurrerent, Belgiique univerſi libertatem, foede obpreſſam, vindicare fortiter auderent; nec ultra viris, & bonis civibus, indigna paterentur.* Tum Philippum quoque regem longa epiſtola ſupplices orant: *miſertus populi fideliſſimi, & obſequentiſſimi, vim Albani, ac tyrannidem intolerandam, unicam belli huius cauſam, ſemel compeſceret. Deinde vero conſcientiae libertatem, & Belgii ſui privilegia ne everteret. Militem quoque omnem extraneum, ad ſecuritatem publicam, revocaret.* Tum principes etiam orbis Chriſtiani implorant. *Fidei ſuae, & obſequii, teſtimonium ut perhibeant: ac dent operam, ne quod ſaepe per fraudem factum, huius epiſtolae lectione rex prohiberetur.* Extremo Octobri, quum deſerta Alcmaria eſſet, obſideri Leida coepta, idque Franciſco Valdeſio mandatum; qui cum legionibus II. & IV. Germanorum cohortibus, equitumque alis VII. iter capere via Harlemenſi iuſſus. Inſuper Iulianus Romerus cum II. legionibus, & Germanorum, Belgarumque ſignis aliquot, littus legens Hagam tendit. Quam munire foederati properabant; ſed, opere inchoato oppreſſi, diffugere. Tum occupatis circum pagis, Maſelantsluſam etiam capit, & in ea Philippum Marnixium Aldegondium, primariae nobilitatis virum, ac ſummi in rep. loci; quemque Auriacus tanti ſane aeſtimare, ut Sonoium illico iuberet eadem omnia Boſſuvio facere, quaecumque ille pateretur. Cum eo Ioannes Pettinus captus. Et Vltraiectum uterque abductus, ut in arce adſervaretur; annoque proximo, Middelburgo expugnato, pro captivo Mondragonio permutatur. In Hollandia boreali, poſt victoriam tam inſignem hoſti incumbendum rati, varia animo agitabant. Et in primis, portum Harlingenſem obſtruere; ne educere inde Billius naves ſuas in auſtrale fretum poſſet. Sed ſeditio claſſiariorum orta, conſilia omnia perturbavit. Huc accedere Sonoii ſm orbus, adeo gravis, ut & medici deſperarent. Ac ſemeſtre Claſſiariis iam deberi. Inde turbae; ad quas componendas miſſi Henricus Meiſterus, Iacobus Taiardus, & Fridericus Otho, vix id tandem effecere. Tunc etiam a Gerbrando Verdunio ad Theodorum Elbertum, conſulem Hornanum, litere Vltraiecto datae; quibus nuntiat, *a Noircarmio, qui illic ageret, monstum eſſe, ut bona fide pacis conditiones offerret. Deceſſurum brevi Albanum, nec ab eo ullum ultra metum fore. Agerent cum proceribus Belgii, ſubſcripturo pactis rege.* Has ille literas prius collegis ſuis oſtenſas, inde ad Auriacum mittit; & captivo illic Boſſuvio etiam exhibet: qui quum ad Noircarmium ſcriberet, *literas has vidiſſe* refert, *& Auriaco miſſas eſſe. Neque enim, illo inconſulto, quicquam omnino factum iri; gratum quidem pacis nomen univerſis; & fortaſſe, ſi conventus quis daretur, non difficilem, diffidere tantum, cum Hiſpanis certam, ac ſecuram, fore. Recentem Gallicanam pacem ob oculos eſſe, cuius, etſi longe alia ratio exiſtat, nemo tamen perſuadere contra poſſit.* Dum haec geruntur, Ludovicus Requeſenſius, qui Albano ſucceſſor datus, XV. Kal. Decembres Bruxellas venit; cui provinciam, & exercitus ille tradidit; poſt ſexennii, ac trimeſtris praefecturam. Ac poſtridie Kal. Friderico Toletano, equitumque alis quinque comitatus, facto per Lotharingiam, Sequanos, & Allobroges itinere, in Liguriam abiit. Et inde, conſcenſis Genuae triremibus, in Hiſpaniam porro profectus. Vbi a rege, contra quam putarant multi, perbenigne ſane acceptus. Ita cum anno Albani in Belgio imperium deſiit. Quod Parmenſis moderatione quum pacatum accepiſſet, abrupto rigore valde turbavit. Erat certe vir praeclaris animi dotibus, & armorum quidem laude inter magnos belli duces collocandus; niſi ſuperbia, avaritia, ac ſaevitia, gloriam omnem corrupiſſet. Belgium pridem florentiſſimum, eiuſque opes, & libertatem peſſum dedit; eque bonis provincialium publicatis florenorum milliones annuos octo in fiſcum redegit. Tum & bello ad provincias opprimendas excitato, & exactionibus variis iniquiſſimis, ut nonnulli computarunt, milliones quinquaginta duos perdidit. Vt vero fortunas hominum prolibidine, ſic & capita eorum habuit. Adeoque ipſe ſub diſceſſum, tanquam adminiſtrata egregie provincia, gloriatus alibi dicitur: *uno illo ſexennio ſuo, lictoris manu,* XVIII. clↃ. *ac* lↃc. *mori iuſſiſſe; praeter eos, quos bella, aut praeſidia hauſiſſent.* Et Vergas tamen, ſaevitiae inſignis adminiſter, e Belgio cum eo diſcedens dicere auſus: *animia id miſericordia perditum iſſe.*

Digitized by Google

GVLIELMI AVRIACI
LIBER NONVS.

CIↃIↃ LXXIV. POstquam Albanus de provincia decessisset, Requesensius, qui successor a Philippo illi datus, praefecturam statim adiit; praeseferens, sine Ordinum consilio nil gesturum, id, ingenio vir dissimili, quique sciret, quam Albani praeceps rigor nihil regi profuisset, ut Belgarum sibi animos per initia conciliaret, credi ab ipsis, necessarium sibi omnino arbitrari. Nihilominus militem novum comparare; tum navales quoque socios, & qui vada explorarent, operamque introducendae ex Hispania classi darent. Middelburgo liberando, quod mox captum, pecuniam ab Ordinibus petere; illis vero recusantibus, ex Hispania, & Italia eam accepit. Quae quum non sufficeret tamen, miles, cui plus stipendii deberetur, & militiam detrectare, & tumultum agitare. Hunc ut prohibere posset, in praesidia distributo, vectigalia pulliceri, & proscriptorum, caesorumque item bona, Fisco addicta. Quin & pignori urbes dare Denremondam, Silvam ducis Neomagum, Ruremondam, & Daventriam, aliasque. Quidam etiam Hispani cum Auriaco, de prodenda ipsi arce Antuerpiensi, clam convenerant; sed, praecipitato opere, res detecta, non successit; & puniti coniurati. Alibi quoque id tentatum, pari eventu: ac Gertrudis-montem aliqui occupare cupientes, profligati. Goudae duo, ex urbe profugi, Ioannes Heinius, & Nicolaus Diertius, quibus multi clam addicti, id effecerant, uti quidam, qui avitam religionem sectarentur, portam sagittariorum aperirent, militemque intromitterent. Eam in rem missus rusticus, qui pecuniae aliquantum, & epistolam ad Heinii generum deferret. Haec, minutim complicata, arcanis numerorum notis, ordinem rei gerendae, & consilia continebat: atque ne deprehenderetur, convolutis circum filis, glomus potius, quam epistola, videbatur. Quum ad portam adcessisset, quaererentque excubitores, unde adesset; & an literas nullas ferret, explorarent; pecuniola est deprehensa, item glomus. His ereptis, quum nil plane literarum invenirent, hominem abire iubent. Quumque ille glomum sibi reddi anxie postularet, nulla de pecunia cura, subspicari fraudem aliqui; itaque devolutis filis, literisque deprehensis, re detecta, statim in carcerem est adductus, etiam Heinius, Diertiusque, aliique e coniuratis. Mox, proditionem fassus, Heinii gener capite luit. Diertio, diu captivo, venia data. Vbi Albertus Egmundanus, etsi invito magistratu, cum praesidio impositus. In Valacria Middelburgum, urbs primaria, arxque etiam Rammekenum, arcte adhuc obsidebantur; & biennium fere erat, nec resistere defensores ultra validi. Itaque semel liberandis Requesensius animum advertit. Parata illi duplex classis; e maioribus una navibus, altera autem e minoribus. Et, navalis rei gnarus, magis rebus suis fidere. Nam Ioanni Austriaco additus, in egregia ad Naupactum pridem pugna, gloriam sane non exiguam reportaverat; & victoriae tam praeclarae magnam partem auctor etiam censebatur. Eundem animum ad rem Belgicam adferebat, sed fortuna alia usus. Occasio autem videbatur, longis media hieme noctibus, & illuni tempestate, via duplici Middelburgum aperire. Atque hinc Honta flumen erat, inde Scaldis; in utroque classem habebat: cui geminae impares Zelandos ratus, una ipsos distinente, alteram saltem pervasuram existimabat. Nec consilium frustra fuit. Idque providens Auriacus, in Zelandiam se contulerat, ut se totum huic opponeret. Requesensius, ut praesentia animos faceret, ac consilio adiuvare e propinquo suos posset, Bergas venerat, ad Somam sitas, ubi hostium altera classis; quum Zelandi circa Romersvalam essent, media inter utrosque Goesa. Hic Boisotus, qui Zelandicae classi praeerat, veritus, ne hostis noctu classem pone Romersvalam, per submersum aquis agrum, Lodicensi ostio educeret, & Valacriam improviso occuparet, devectus paullum, iuxta Wemelingam stetit, illic sese, si transire conaretur, obiecturus. Iustum Morum, tresque e velocissimis naves, inter Romersvalam, & Bergas, excubare porro iubet. Is, propitio admodum vento, metuens, ne prodiret hostis, impetumque in se faceret, navem actuariam mittit, quae in ipsis portus faucibus observaret. Ac vix illa horae spatio ibi fuerat, quum prodiri a Bergensibus in tres excubantes naves animadvertit. Vnde retro statim cedens, istas monet; illae classem universam, quae ad Wemelingam erat. Ea propter quum Bergenses frustra id conati essent, recessere. Sed, iam summa in angustia constituto Middelburgo, non differre ultra licuit. Tentanda omnino liberatio, ac certamen ineundum, vincendumque, aut obsessi deserendi, per quos insula universa in victoris potestatem traderetur. Ergo ad diem xxiii. Ianuarii Sanctius Avila, Antuerpia profectus, cum xxx. magnis navibus, die postero in Valacriae conspectum, prono Honta, classem sistit; quum Bergenses, qui in Scaldi, idem facere iussi essent. In illorum classe erant naves instar lxx. partim bellicae, partim commeatu onustae, quae & ipsae bello instructae. Atque in istis, praeter socios navales, signa novem:

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIV. vem: ſub quis milites amplius clↃ. his Glimeſius, & Romerus, aegrotante Bellovaco, imperabant. Qui quum ad xxviii. menſis nominati diem, totam claſſem educturi, ad extremas oſtii Bergenſis fauces proceſſiſſent; miſſi obviam Iuſtus Morus, Iacobus Chriſtophorus, Vincentius Neuſius, & cum iſtis naves leviores octo, faciendo pugnae initio totidemque a Glimeſio his obiectae, paribus animis velitantur. Tum Boiſotus, qui Zelandicas naves duceret, imminente maris aeſtu, & afflante etiam vento, tota claſſe utendum ratus, ad Verſikendamum eam, etſi adverſo adhuc flumine, mox appellit; ubi Hiſpanos Romerſvalam iam progreſſos deprehendit. Naves illi quadraginta; quatuorque ex his maximas, Sanctio Avilae opponendas, iam Auriacus revocaverat. In Boiſoti navi ductor Schottus erat; ſed, correptus peſte, pridem ea exceſſerat, reſtaurandae valetudini. Moxque, proelio inſtante, quum in locum eius alium tunc Boiſotus adſciviſſet, Nicolaum Nicolaium, is, ad pugnae famam excitus, etſi necdum confirmata valetudine, biduo ante eam redit. Itaque quum ductores duo una in navi verſarentur, in conſtituendo milite diſſedere. Nicolaius, occultandum omnino eum ſub tranſenna, dum tormenta ab hoſte exploſa, arbitrari; Schottus contra, ſupra illam exponendum, ut in hoſtem expeditus impetum faceret. Et obtinuit. Concurrere apud Lodicenſe oſtium, adſpectante e Scakerloënſi aggere Requeſenſio. Ac Boiſotus, in Glimeſium invectus, magnam ſane ſtragem accepit. Quippe hoſtis, ſtantem in tranſenna militem, ideoque ſterni facilem, animadvertens, prota obverſa, duo ex hac tormenta primum, globis glandibuſque onuſta, inde ſclopos fere centum exonerare. Hic Boiſoto excuſſus oculus; Nicolaius crus utrumque, Schottus brachium, & mox vitam, amiſere. Valentinus, etiam ductor, item brachio mutilatus; aliique aliter caeſi, ſauciive. Poſt exploſa ſic tormenta, naves, manu iniecta ferrea, ne ſpes fugiendi eſſet, coniunxere. Glimeſius, edita tanta ſtrage, iam Boiſoto fere potior. Id quum Hadrianus Cornelius advertiſſet, in Glimeſium etiam ducens, alterum eius latus occupat. Alii alias novem invadunt. Plures proelio loci anguſtia prohibebat. Ante pugnam a Boiſoto conſtitutum, qui vexillum e praetoria detraxiſſet, huic ut proemium nova veſtis donaretur. Itaque in conflictu medio, nec victoria inclinante, e Cornelii nave quidam, in praetoriam hoſtilem involans, id e ſumma malo rapit; ſeque involvens, per ſcloporum denſam grandinem, ſine vulnere, ad ſuos defert. Quod Romerus quum videret, ne, ſublato pugnae ſigno, animum ſui deſponderent, ſine mora aliud tollit. Acriter pugnatum fuit, ſed non diu. Quum Romerus, undique ſe peti videns, ac diffugientes ſuos, adiecto ad caetera vela ſiparo, ipſe etiam fugere coepit. Quo deiecto, quum evadere haud aliter poſſet, ex adverſo Romerſvalae impacta in vada Tolana nave, enatavit. Glimeſius, refluente aqua, ad fundum obhaeſerat; ideoque, impedito tormentorum maiorum uſu, ſclopis tantum, gladiiſque ſe tueri cogebatur. Ac poſtremum, quum fortiſſime dimicaret, gemino vulnere, honeſte cecidit; navis, igne iniecto, uſta. Oſorius Anculus, cui mandatum ultimum agmen, vento adverſu, & metu pariter, ne ad fundum, ut Glimeſius, obhaereret, opem ferre, niſi tormentis explodendis, nullam potuit; duplicique accepto vulnere, vix evaſit: Cecidere Octavianus Perenottus, Cardinalis Granuellani conſanguineus; Didacus Carillus, & Nietus ſignifer Conſalvi Ovalis; aliique clↃcc. Naves interceptae ix. ac fuiſſent multo plures, ni Romeri, adfluente rurſum aqua, forte e vado relata in medium flumen, ubi id anguſtum maxime, inſequentes implicuiſſet. Adſpectabat ſuorum cladem, ut iam dixi, e Scackerloenſi aggere Requeſenſius. Et Romerus, illic enatans, quum ad ipſum adceſſiſſet: *ſciebas*, inquit, *terra proeliarii ignarum, mari imperitum eſſe. Iuſſa ſedulo executus, victus redeo. Nec mirari caſum debes; quin ſi claſſes centum dares, omnes perderem.* Ad quae blande Requeſenſius: *ita Deo placuiſſe, cui gratiae, etiam in adverſis, agendae. Et peccata meruiſſe: tum arcanas cauſas eſſe. Sat virtutem ipſius cognitam, militumque: ac pugnaſſe pro virili univerſos.* Dum ad Bergas dimicatur, Sanchius Avila, cum maiorum navium claſſe Barlanda ſolvens, Borſelam venit, illic de Glimeſio nuntium accepturus; aut, dum ipſe claſſem in conſpectum duceret, ſubſtiturus. Interea angi valde Auriacus, ne pervaderet Middelburgum; quippe naves, quas obiecerat, repugnare non ſat validae, exempta magna parte militum, ad Boiſotum adiuvandum: ideoque, in conclave ſeſe abdens, animum ad preces vertit; quum mox eum in ancoris ſtare nuntiatur. Vnde laetus, quando adverſo deinde fluctu fruſtra id conaturus eſſet, ſurgens, actis deo gratiis, foras prodiit; eminuſque cothone Vliſſingano ad Breskenſam ſtantem videns, nihil amplius de victoria, quae & ſtatim nuntiata, dubitavit. Sanchius autem, de Glimeſio victo certus, metu, ne in ipſum quoque victor hoſtis claſſem verteret, fugam cepit; & Antuerpiam, aliquot amiſſis navibus, retro ceſſit. Ac navalem quidem hanc pugnam, ſuorumque in ea cladem, Mondragonius, qui obſeſſus Middelburgi, vix quatriduo poſt reſcivit. Cum Trenchantum centurionem intererea ad Requeſenſium mittit, nuntiatque; *ſe adhuc, cum Arnemudanis, obſidionem tolerare: atque a decima veſpertina ad undecimam, e Middelburgenſi turre, ignem oſtenſurum eſſe. Quem omitti quum videret, ne quid porro in diſcrimen claſſes daret, niſi inſulam univerſam occupare ſtatuiſſet. Copias attenuatas, indieſque e militibus amplius viginti mori; paſtilloſque e lini ſemine ultra etiam detrectare, vix in diem tamen decimum ſuffecturos. Quin & ſpiſſe, ſi contingat liberari, longa fame ſtomacho debilitato, morituros. Neque ſpem reſtare ullam, quendo claſſes e con-*

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIV *ſpectu receſſiſſent. Quae ſi ante diem ſolis imminentem non adeſſent, ſaltem, in quemcumque eventum, cymbas aliquot, cum frumento, mittere vellet. Tum mandaret, ſi cedendum urbe foret, quid tot mercibus, quae in ea abundarent, factum vellet; perdi, an ſervari cuperet.* Hic Trenchantus interceptus, literas, plumbo alligato, ne his potiretur hoſtis, in mare abiecit; verum, refluente aqua, in fundo inventae, hoc arcanum detexere. Ipſe, ad Auriacum ductus, pro duobus mox naucleris, Arnemudae tunc detentis, libertati reſtituitur; prius tamen Arnemudam praetervectus, ut de claſſe profligata teſtimonium perhiberet. Inſuper referre iuſſus, uti intra diem quartum ſeſe dederent, aut extrema experturos. Ita emiſſi a Mondragonio quatuor centuriones, Henus, Aegidius, Villanus, Grenetus, de deditione acturi. Conventumque: *ut Middelburgum, & Arnemuda, ſalvo belli inſtrumento, mercibuſque, in Auriaci poteſtatem traderentur. Milites, cum armis ſuis, & fortunis, inde excederent. Etiam monachi, ſacerdotes, cum amictu omni ſacro, ac rebus ſuis. Nautae item, annonarii, tormentarii; & quicumque demum vellent. Hiſque in vicinam Flandriam deducendis naves quoque, & commeatus praeberentur. Mondragonius Philippum Marnixium Aldegondium, Iacobum Sinonium, Citadellam, Pettimum, & legatum Gulielmi Augerani intra proximum ſemeſtre reſtitueret; ni praeſtaret, ultro in carcerem rediret. Denique* ccc. *cives Vliſſingani, Veriani, Zirizeani, urbi captae imponerentur.* Haec ad diem xvi. Februarii in arce Rammekenſi acta; & Valacria univerſa Auriaco ceſſit. Magna ſane hic Mondragonii virtus fuit, & extrema toleraverat, antequam ſe, urbemque dederet; fame, non armis, coactus. Quippe iam conſumptis pene vaccis, equis, canibus, catis, muribus, gliribus, paſtilliſque e lini ſemine. Ordinata initio annona, conſtituerat, uti panis unciae xxiv. militis diurnum eſſent. Eae ſenſim, ob defectum, imminutae; & vix duae tandem datae. Iamque huc redactus erat, ut ne decem quidem dies ultra ſuſtinere poſſet. Adeoque attritae vires, ut a proximo ſemeſtri, necdum toto, homines cIↃIↃc. fame enecti, interierint. Etiam ſtipendium deerat; itaque quadrati nummi ex auro, argentoque cuſi: queis inſcriptum. D. R. F. P. Middelb. neque intus laboratum tantum fuit; ſed tentata etiam foris cuncta Hiſpano. Et impenſa hoc biennio, praeter ſtipendia, naves, tormenta, ſeptuagies centena millia florenorum. Sic Auriacus iam Valacria potitus, Arnemudam ſtatim munit. Ludovicus Naſſovius, poſt horrendam lanienam Pariſienſem, a rege Carolo, ſerio, an ſimulato, varie adiutus; confirmante Alenconio, quum Henricus in Poloniam ſe conferret. Atque initio, conſcribendo exercitui, Rherenſis, centum florenorum millia procurare ipſi iuſſus; mandatumque Galeacio Fregoſo, ut Germanicos turmarchas conveniret, & militiae eius obſtringeret. Additi bis mille Galli, e praeſidiis Metenſi, Tullenſi, Verdunenſi. Iamque copiae iuſtae erant, octo fere millia peditum, equitum tria, cumque his Chriſtophorus Bavarus Friderici Palatini filius; ac Henricus, fratrum minimus. Ita inſtructus, ad Traiectum Moſae tendit, tentaturus, an opprimere forte poſſet. Vrbi tunc Franciſcus Monteſdoca praeerat; territoque propero Naſſovii adventu, Bernardinus Mendoſa acceſſit, alam equitum ſuam adducens, aliaſque item quinque: & Chriſtophori Mondragonii ſclopetariorum ſextam. Moxque ſubſequutus Avila, cum non parva ſclopetariorum peditum manu. Requeſentius in Germania viii. equitum clↃ. legerat, equitumque legionem, ſub Hannibale Altemſio; Helvetiorum e quinque pagis ivclↃ. & Belgarum xlii. ſigna. Tum Conſalvo Braccamontio imperaverat, ut duo Hiſpanorum millia, e Batavia; Ioanni Baptiſtae Montio, ut tres equitum turmas adderet. Quum Mendoſa, exeunte Februario, adveniſſet, firma adhuc ubique glacie, communire urbem in primis contra vim externam coepit. Intus quoque, quum in ſocios magna ex parte oppidani propendere putarentur, ne movere quicquam poſſent, accuravit. Inde Avila advenit, ſigna tria e Sicula legione adducens, ſub Damiano Morale, Alfonſo Galeacio, & Ioanne Aquila, Petri Conſalvi Mendozae, tunc abſentis, vexillario; item ſclopetarios Belgas ſeptingentos, ſub Lopezio Gallo duce. Inter eos, tam exiguo intervallo ſeparatos, aliquoties levibus praeliis decertatum. Donec Avila, gnarus, hoſtes per hoſpitia laxiora diſſipatos, xv. Kal. Aprileis cohortes aliquas, quae ſecuriores paullo, ad Bommeliam, quarto a Traiecto lapide, noctu invadens, ſeptingentos fere caedit. Quumque auxilio equitatus e propinquo adveniret, Petrus Buſtus, & Mutius Paganus, levis armaturae duces, occupantes, univerſum diſturbare; ignibus interea accenſis, ad quos omnes copiae in armis accurrere. Naſſovius ipſe cum equitibus circiter mille adeo feſtinato acceſſit, uti, equis anhelantibus, quamlibet ſereno coelo, vapore denſo aer circum nebuloſus adpareret. In conſpectum Hiſpanorum quum veniſſet, copiaſque in agmina quinque diſparaſſet, Hiſpani, quia pauciores, pugnae aleam detrectare. Ac diverſi tandem utrinque receſſere; ac Naſſovius Falcoburgum, & Gulpenum, caſtra movit; quo ſequutus illum Avila cum quingentis ſclopetariis, equitumque turmis octo, ultimum tantum agmen carpens, non magnopere laedere recedentem potuit. Iamque etiam e Batavia Braccamontius cum viginti quinque ſignis, Montius cum equitatu, Ruremundam, ſicut ambo iuſſi, advenerant; verituſque Requeſenſius, ne tranſmiſſo forte Moſa, in vicinos Atuaticos, tunc nutantes, hoſtis duceret; occupandum eum ratus, prius adoriri ſtatuit, quam Auriacus cum Naſſovii fratris copiis ſuas iungeret. Itaque Avila cum ſuorum lecta manu, propius admotis caſtris, quo facilius quidnam moliretur hoſtis, exploraret, levi eum aliquoties pugna

CIↃIↃ LXXIV.

ten-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIV tentans, nil effecit, niſi ut, de Moſa illic A tranſeundo animum abiiciens, retro Noviomagum, Moduceretſamque inter, & Vahalim caſtra poneret; ubi Auriacus, qui in inſula Bomelliana copias legere, iamque in promptu peditum ſex millia habere, ſeſe coniuncturus erat. Suſpicabantur Hiſpani, de capienda aſtu, aut proditione, Ruremunda agitaſſe; ideoque Falcoburgo copias tunc abduxiſſe. Eapropter, qui inſtaret abeuntibus, miſſus Ioannes Alcoëta, cum delectis cataphractis, & equitibus ſclopetariis; huncque Avila, cum exercitu univerſo, in ulteriore ripa inſequutus, in Cucanum agrum venit; ac poſtridie Moſam ad urbem Graviam, tranſit: miſſis Hiergio, qui tunc Noviomagi agere, cum trecentis Siculae legionis ſclopetariis; & Capreſio, cum Burgundicorum equitum ſua ala; qui Vahali obiectum aggerem cuſtodirent. Et Auriacus, Ruremundam tentaturus, in qua clam faventes aliquot, collectis copiis, navibuſque, Vahali adverſo quum Varicum deveniſſet, arcem Wardenburgum exuſſit, quam trecenti Hiſpanorum inſidebant. Ludovicus, eius frater, ad XI. diem Aprilis feſto Paſchatis, inſtituto verſus Noviomagum itinere, ad Movicum mox ſubſedit. Is Cucani agri pagus, a meridie Moſam habet, & adverſam illic Cucam; a ſeptentrione montem; ad tormenti tantum ictum diſſidentem, medioque ibi ſpatio Ludovicus equitatum, quadrifariam tributum; in ſummo monte, equites centum collocaverat. Pone, haud magno intervallo, agmine quadrato, peditatum ſuſtituerat, in quo ſigna viginti quinque. Iuxta pagum decem alia, vallo, ante eum ducto, propugnando deſtinata. Avila contra peditatum Hiſpanum omnem, in agmina quatuor diſtributum, quia loco nimis arcto premebatur, alterum alteri ſubſtituerat; duxque illis Ferdinandus Toletanus, qui, quantumvis corpore aeger, pugnae intereſſe voluit. Belgas Braccamontius ducebat, & Mondragonius. Ad ſiniſtram equitatus pariter ac Naſſovianus, in agmina quatuor diviſus, ſingulique ſclopetarii, qui eorum latera tegerent, adtributi. Ad dextram alterum equitum agmen, e Ferdinandi Toletani, Ioannis Baptiſtae Montii, & Camilli Montii, alis comparatum. Pone Curtii Martinengi, Bernardini Mendoſae, & Lupi Sapatae alae collocatae; quarum ultima Aegidium Barlamontium Hiergium ducem habebant. Ita inſtructa utrinque acie, ad diem XIV. Aprilis, duabus ante meridiem horis, Mondragonius ſclopetarios quadringentos, partim Hiſpanos, ſub Didaco Monteſdoca; partim Belgas, ſub Rolino, & Hugeno; in hoſtile vallum ducit: ac, poſt acrem diu pugnam, propulſatis defenſoribus, tandem ſuperat. Mox viginti quinque ſigna, in planitie, inter vicum & montem media, collocata, eo tendunt; ereptumque ſtatim locum vi recipiunt. Eo facto, acrius inſtaurata pugna, ſubmittente pulſis Avila ſclopetarios Hiſpanos ducentos ſub ductoribus Petro Benanida, & Laurentio Cava; Belgas centum, ſub Octavio Picichello; totidemque fariſſophoros, ſub Franciſco Salazario. Ibi primus Monteſdoca, vir egregius, vallum inſilit; & ad eius mox exemplum plures alii, queis par virtus: rurſumque eo, etſi caeſo Monteſdoca, potiuntur. Ac ordinibus diſſipatis, fugam Naſſoviani capiunt. Nec dum tamen, integro adhuc equitatu debellatum. Inſtante Hiſpano Ludovicus Naſſovius Bavaruſque, ut certamen reſtituerent, ocius peditem iam turbatum accedentes, partim hortatu, partim precibus denuo in hoſtem eum ducere conabantur. Verum fruſtra; & ſtipendium etiam multi poſtulare. Quo Naſſovius conſpecto, cum equitibus ſexcentis pugnam inſtaurans, hoſtem acriter invadit. Iſque inclinabat etiam, ut hinc fama de victoria ſpargeretur. Sed Ioannes Baptiſta Montius, & Bernardinus Mendoſa, impetum excepere primum, inde totum repulere; ita ut agmine bipartito mox recederet, Ac Bommeliam pars contendere, pars repetere ſummum montem. Vnde, recollectis viribus, in planiciem deſcendentes, quum redire ad pugnam vellent, equitem Hiſpanicum numero longe maiorem conſpicantes, conſternati, in fugam ſemet coniecere. Ludovicus Naſſovius. Chriſtophorus Bavarus, & Henricus, Naſſovii frater, poſtquam, diu praeliati, nil virtute ſua dignum omiſiſſent, cecidere, incerto fato. Nam poſt proelium veſtigati, inter vivos, mortuoſque nuſquam inventi. Equitatu diſſipato, mox Hiſpanus reliquum peditatum invadens, miſere eum profligavit; parſque in vicinam ſilvam fugientes interfecti, pars paludibus ſubmerſi. Vniverſim e peditibus duo millia, & ſexcenti ex equitibus, periere. Impedimenta, & triginta ſigna capta. Fuit ſane Ludovicus animo, quam fortuna, melior; multaque auſus, pauca fortunate geſſit. Galli, qui in prima acie, quum fortiſſime dimicaſſent, e periculo evaſere; quum Hiſpani in quadratum maius agmen, a quo magis metuebant, ſe converterent: unde illi, poſtquam flumen tranſmiſiſſent, collectis prope Rhenum viribus, ac quibuſdam e nobilitate ſe adiungentibus, Kerpam arcem Auriaci auſpiciis captum eunt; & Traiecti praeſidiariis aſtu eam recuperare ſatagentibus, tamen retinent, ac triginta ex iis caedunt. Inde quum ad Vitifanum Itali aliquot, Hiſpanique, luſtrarentur, impetu in illos facto, partim occidunt; centum etiam, & triginta ſeptem capiunt. Apud Treviros alii Galli, in ſigna ſedecim diſtributi, quum ſe Ludovico Naſſovio adiungere vellent, mox accepta eius clade, Argentinam iter vertunt, ubi Hannibali Altempſio obvii, duas eius legiones, quas conſcripſerat, improviſo obprimentes, necdum armatas intercipiunt, diſſipantque. Idque ipſi, in Belgium eunti, aliquantum morae iniecit. Hiſpani, quam virtutis laudem ad Movicum comparaverant, mox tumultu corruperunt, nam ſtipendium flagitantes menſium ſex, & triginta, quum in promptu id non eſſet, raptis ſignis, avulſiſque, & repudiatis ducibus, facto agmine, Antuerpiam ire omnes

CIↃIↃ LXXIC.

CIↃIↃ LXXIV. nes ſtatuunt. Id quum gnarum Friderico Perenotto Campaniaco, qui praefectus urbi illi cum Belgarum ſignis quatuor, totidemque Germanorum, ſed quîs minus etiam fideret, ob ſtipendia item debita, ut periculo anteverteret, cives eſſe in armis iubet, remque omnem Requeſenſio, qui Bruxellis, ſtatim nuntiat; & *auxilia mitti* poſtulat, *praeſidiumque, quod in arce, permutari: metuendum enim eſſe, ſi poſtica porta alios intromitterent, quod facturi viderentur, ne, querela eadem uſi: his ſe iungerent, & augere metum iſtum, aſperatum Sanctii Avilae in Antuerpienſes animum*. Haec monenti primo fidem Requeſenſius denegare; ſed mox certior, ad xxiv. Aprilis ipſe in urbem eſt ingreſſus. Vbi ei Campaniacus auctor eſſe: *uti arcem occuparet; aut permitteret, vallo obducto, vim in cives probibere: idque regi omnino, & urbi expedire*. Verum ille, qui Brabantos adtributum concedendum, paullo ante denegatum, hoc tumultu permovere conſtituerat, neque arcem ipſe intrare, neque vallum ei ullum obductum cupere. Nam *periculum in priori ſuum eſſe, in poſteriore probrum: nec decere, ut praefectus viam oſtenderet oppidanis, qua inutilem regi arcem facere poſſent. Ceterum ſe curaturum, ne quid uſquam peccaretur*. Cum his dictis Avilam mittit, qui vim omnem prohiberet. Sed nil iuſſa, apud tumultus obſtinatos, valuere. Quin & comprehenſum ipſum, ut quidem praeſeferebat, coegere, ut ſub arcem eos duceret. Idque factum ad xxvi. Aprilis, hora undecima, quum in curia Campaniacus ab urbano magiſtratu quadringenta florenorum millia peteret. Qui id ubi accepiſſet, ſtatim arma capere militem, & ad arcem, prohibendae Hiſpanorum irruptioni ire iubet; ſimul etiam Requeſenſio nuntium mittit. Is praeſidiarios quoſdam iam rogare, cur non ſclopos, aut tormenta, in obverſos exonerarent. Quo comperto Campaniacus, e ductoribus Verſium, Sterckiumque, iubet in Hiſpanos, ad hiatum muri interciſi ſtantes, ſclopos agere. Sed mandatum Requeſenſius, ſtatim accurrens, inhibere; ipſi inſuper Campaniaco, vehementer admiranti, ſed obnoxio, ut cum ſuis, Germaniſque, retrocederet: ceu tumultu inde in urbe orituro, imperare. Interim in foſſam Hiſpani iam deſcenderant, quam impleverant: murum etiam demoliti, ſine ullo Requeſenſii reſpectu, qui offenſam ſimulare, coram Chiapino Vitellio. Haec quum geri Campaniacus animadverteret, quod putaret facto optumum, novam in urbem ſe cum ſuis, claſſiariorum ibi ope uſurus, recipiebat. Ita area, inter urbem arcemque media, occupata, acieque ordinata, recta in urbem Hiſpani tendere; edicente Requeſenſio: *ne Georgii praeterire fanum auderent: illic agerent, ſi quid vellent*. Erant circiter tria millia; animoſque multitudo faciebat, & arcanus Requeſenſii conſenſus. Qui quum nihil, quam promiſſa, expediret; ſummo cum clamore omnes, ſonituque tympanorum, & ſcloporum, plane horrendo, urbem ingreſſi, ad Meranum pontem tendunt. Campaniacus, cui maxime infeſti erant, in ulteriorem urbem, vulgo novam adpellatam, inque domum Hanſeaticam, ſe receperat; ſarcinaſque educebat. Quarum tamen partem aliquam, aedes eius populati, oppreſſere. Circa veſperam, fame urgente, Mera agmen deducentes, forum petunt, curiaque occupata, lautiores circum aedes, ubi optime inſtructam menſam exiſtimarent, deni aliquot, duodeni, ac viceni, ſine metatore invadunt. Totam noctem proterviſſime perbacchati, ſummo in metu anxios cives tenuere; dum fortunis omnes ſuis, quidam vero etiam vitae, metuebant. Quin terrore, expulſo foetu, feminae exanimatae. Ac poſtridie, ſimul portae aperirentur, multi urbe, cum uxoribus, liberiſque, rebus ceteris relictis, exceſſere. Poſtquam forum, curiamque, invaſiſſent, adſignato ibi hoſpitio Electo ſuo, tympanis pulſatis omnibus, mox edicunt: *ut cum ſuis Campaniacus intra viginti quatuor horas urbe exiret; expellendus, niſi faceret*. Deinde certum hominem mittunt, qui in domum Hanſeaticam hoc mandatum ipſi ferret. Iſque illis reſpondere: *id mandandum a Requeſenſio. Qui ſi faciat, tum deliberandum fore*. Quam ob cauſam die poſtero, qui xxvii. Aprilis, ſummo mane accitis copiis univerſis, pontes omnes, adituſque in novam urbem, occupatos, magna cura plauſtris, carris, ſaccis lana plenis, obſtruit; naves quoque bello inſtructas pugnae parat, tormenta onerat: nihil denique, ad iniuriam propulſandam neceſſarium praetermittit. Adiutabat & Hamſtedius, admiralii legatus, & navales ſocii omnes, genus manu valde promptum, avidumque confligendi. Hic Vitellius, Mondragonius, aliique intercedere, & pacare tumultum velle; verum fruſtra; clamore horrendo vociferantibus: *ut ſtipendium ipſis ſuum exhiberetur, militeſque etiam Belgae, cum praefecto Campaniaco, urbe exirent. Sola iſta ratione ſatisfieri ſibi poſſe*. Quumque tandem, de mandato Requeſenſii, Campaniacus, tranquillandae tempeſtati, exiiſſet, Eckeramque, & Wilmerdoncam. milites Belgas eduxiſſet, clauſis portis, obſeſſiſque, claves rapiunt; nihil interim de protervia, vique alia remittentes; ut ſtipendium, de quo iam expediendo in curia a magiſtratu agi, extorquerent. Quumque Hiſpanus Ieſuita, magnae exiſtimationis, concionem in foro quandam inſtitueret; &, *tumultum ut omitterent*, hortaretur: *peccatumque non exiguum, matribus cum foetu enectis, perpetratum praedicaret: futurumque ſine dubio ultorem deum, quem deberent revereri*: veſtigio obturbantes, *non ſe concionem in praeſens, ſed pecuniam poſtulare*, occlamabant. Plura dicere cupienti, ne quis exaudire poſſet, pulſatis inſolenter tympanis, obſtrepebant. Dum haec fiunt, advocati a magiſtratu cives opulentiores; queis pecunia, pro ratione facultatum, imperata. Nec immunis ſacer ordo, qui cum oppidanis pariter contribuere. Inde Electo nuntiatum: *locum aliquem deſignaret, ubi & recenſio fieret, & ſtipendium ſolvere-*

CIↃIↃ LXXIV.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIV. *veretur*. Ac praeterea Requeſenſius a ſe admonere iubet, *nimis petulanter actum; peccatumqne etiam in regem, & exiſtimationis item ſuae intereſſe. Abſtinerent a protervia, & quiete noctem agerent*. Ad quae miles; *iuſta omnia ab ſe peti: ac, ſtipendio perſoluto, ad obſequium rediturum. Noctu vero non deinceps turbaturum*. Ad xxxix. diem inſequentem, convocata in forum concione, Electus acriter omnes increpare: *graviter peccatum a cunctis, neque tolerandam audaciam. Civibus vim factam eſſe. Quod ſi viri, militeſque haberi vellent, ne antiquum decus nunc corruptum irent*. Quumque ad haec adclamaſſent, *nolle factum, & delicti manifeſtos noxae dedere*; iuſſi binos e cohorte una quaque deſignare, qui negotium cum Vitellio pertractarent; quaeque peterent, ſcripto comprehenſa oſtenderent. Quod mandatum, ſtatim faciunt; & *ſtipendium, ne teruntio deminutum, ſolvi* poſcunt: *tum quae teſtamento etiam, aut legato, defunctorum deberentur*. Qua de cauſſa quum Vitellius pro ſtipendio decem menſium pecuniam numerandam offerret; ac pro quinque, pannos laneos, lineoſque, ſericoſque, iuſto pretio aeſtimatos; non contenti, *ad Dominos Milites rem ſe relaturos eſſe*, reſpondere. Vnde quum in forum iterum conveniſſent, & Electus auctor eſſet, *ut oblatis a Vitellio acquieſcerent*; ſublato incondito clamore, vociferari: *totum ſe ſtipendium velle; neque verba ultra danda, ſed pecuniam*. Hic Electus indignatus: *perduelles eos* dicere, *& ſupplicio extremo dignos; nam Antuerpiam, urbem regiam, ceu hoſtilem ingreſſos eſſe, muroſque eius violaſſe. Tum praefectum, ibi a rege conſtitutum, & praeſidium expuliſſe. Alia etiam multa auſos, non tam temere condonanda. Poſt quae cuncta offerri a magiſtratu tamen ſupplicante, quae accipere ipſi debeant, flexis genibus, iunctis manibus, gratiaſque deo agentes, tam benigne ſecum agi; qui graviſſima meruiſſent. Quod ſi pertinaces eſſent, omnes, pro ut meriti forent, luituros. Se deinceps magiſtratu, quem per vim impoſuiſſent, fungi nolle; neve ducem perduellium appellari. Itaque abrogarent ipſum, aut occiderent; certum enim, non in poſterum eo uti*. Verum illi eadem omnia uſque ad ravim occlamare; *ſe ſtipendium, a triginta ſex iam menſibus ſibi debitum, idque totum poſtulare: ut imminuant, non paſſuros. Hac mercede vitam ſeſe regi ſuo mancipaſſe; quam diutius differri, valde iniquum, & indignum etiam, eſſe*. Tum clamore, ſtrepituque tympanorum, & ſcloporum, urbem totam pervagati, noctem illam civibus terribilem faciunt. Quin modeſtiores quoſdam ſi viderent abſtinere, eadem perpetrare cogunt; ut, quos cauſa coniunxiſſet, hi communi quoque culpa tenerentur. Totus, quem iam dixi, dies viceſimus nonus in pecunia expedienda occupatus. Ac Requeſenſius poſtulare ab urbano magiſtratu, *Quadringenta florenorum millia ut ſuppeditaret; ſe, quod deſit, curaturum: paratumque pignori dare ſupellectilem univerſam argentariam, & gemmariam: ac iam, ut Brixellis ea deferretur, imperaſſe*. Ita a civibus, qui ſummopere ab hoſpitibus tam protervis liberari cupiebant, ſumma iſta procurata, eo promptius, quod & gratia in ſtipendii parte fieri putaretur. Nam, ſi totum exegiſſet, decies amplius centenis millibus opus fore. Trigeſimo die, pulſato tympano, undique milite convenire in forum iuſſo, iterum e feneſtra curiae verbis blandis admonere illum Electus: *tandem ut turbare deſineret, ac pecuniam impetratam in ſoluti partem acciperet*. Tum ad literas, quas e ſinu protrahebat, reſpondere. In his poſtulati ſumma; & adiunctae in ipſum minae: *ſi faveret parti adverſae ſe praecipitem e feneſtra deiecturos. Neque aliud quicquam velle, quam ſtipendium; & id quidem univerſum. Igitur iſtud procuraret*. Poſt Electum Sanctius Avila perſuadere rem inſtituit; hortarique, *pro ſtipendio quinque menſium pannos caperent, laneos, lineos, ſericoſque, pretio ſuo aeſtimatos: ceterum omne in pecunia numerata habituri*. Hic quum recuſarent, alii, alii contra inclinarent, iterum Electus: *ſi Hiſpani, & ſubiecti rege ſuo digni eſſent, oblata ſumerent. Ac tantillum in neceſſitate ſumma darent regi, qui tamdiu aluiſſet, amaretque plurimum omnes, & virtutem adeo ipſorum faceret maximi*. Quibus verbis deliniti, acclamare: *Daret ergo, quod promitteret. Non ſe quidem pannis ullis indigere, ſed hanc regi gratiam facere, cuius nunc neceſſitati ſubveniendum animadverterent*. Tum Fregoſus, e ſocietate Ieſu, etiam ipſe gente Hiſpanus, ciſta quadam forte adſcenſa, adhortari in concione; *reputare admiſſum facinus apud animum ſuum vellent; quaque ſe inuria ipſi, & Hiſpanienſe nomen, affeciſſent. Neque facile ignominiam eluendam. Itaque, quod unum poſſent poenitentia emendarent; &, peccatum confitentes, porro ſeſe ritu ſacro expiarent, prius quam ex urbe exirent*. Sic pacati, ad ſonum tympani mox edicunt: *ne quis cui vim deinceps ullam inferat: neve hoſpitium, niſi adſignatum, capiat: quique praeberetur victus, eo ut contenti eſſent*. Sed non diu quievere. Nam ad diem VIII. Maii, dictitante Requeſenſio, *mitigandam ſibi videri ſolutionem, & commodius tempus dandum*, ad ingenium, clamoreſque uſitatos, rediere. Ac tribunos, ductoreſque omnes alios, ne hi cetero etiam militi perſuaderent, intra horam unam, aut alteram, tota urbe exire iubent. Niſi facerent, per fariſſas, quod ſupplicium militare, tranſcurſarent. Maxime autem Iuliano Romero infeſti, quem, cum decem, aut duodecim centurionibus dedi ſibi poſtulabant. Iamque aedes effracturi videbantur, quum mox, ira reſidente, ipſum, illoſque, ſine ulla cibi copia, urbe emittunt; vexillarios tantum ſuos, qui conſcriberent rationes, retinentes. Per has turbas acto hoc octavo die, haud pacatior nonus fuit; quum turbare etiam arcis praeſidiarii inſtituerent; & Electo conſtituto, ac maiore teſſerario, praefectum eius, Sanctium Avilam, claves prius tradere iuſſum, exigere vellent. Verum ille, animi melior; &

nec

Digitized by Google

MDLD LXXIV. nec claves ipsis tradere, neque arce, quam ad mortem servaturum sacramento se obstrinxerat, exire velle. Ac Vitellius, ut compesceret, mane accedens, postquam in pontem perveniſſet, evocato ad se Electo, & tesserario, post sermonem commutatum, cum se in arcem contuliſſet, illo utroque a Franciſco Salvaterra interfecto, atque in fossam deturbato, uti solet, ereptis iam facinoris ducibus, pavidi ceteri, ab incoepto destitere. Vndecimo Maii acrius turbatum fuit; quum in quinque menses panni praeberentur, mitteretque Requesensius typis editum libellum, ac testaretur: *non promiſſam iam pecuniam ſolvi poſſe, & obſtare ſibi ipſos, qui commercia collybumque perturbarent. Octo, aut decem menſium ſtipendio contenti eſſent. Nam reſtare, ſub Erico Brunſvicenſi, octo amplius equitum millia; & Helveticas legiones duas, treſve: ad haec copias ex Italia advenire.* Inde, nisi precibus cederent, comminari: tum & astu agitare, ut divideret. Sed blanditiae, minae, astus, iuxta fuere. Ac Franciscus Bobadilla male acceptus; Electusque tanquam fidei parum certus, loco motus; altero illi substituto, quem mox tamen fustuario adfecere. Quum postridie illuxisset, structo e congestis cistis ante curiam altari, & peractis rite sacris. omnes sese ad mutuam fidem obstrinxere; coniurantes: *& Electo parituros; & ſtipendium, niſi totum, haud ſumturos: tum excubias, & concordiam, ne diſſidio deſtruerentur, habituros.* Inde id, scripto consignatum, ante curiam proponunt; delictisque puniendis furcam statuunt. Tandem, ipso Pentecostes festo die, res composita. Celebratis in maiori templo sacris, & stipendio numerato, ante actorum venia a Requesensio data est. Hinc magnifici in Merano ponte ludi, in honorem Requesensii, instituti. Hic seditionis finis; cuius duces, data opportunitate, castigati: cetero milite in Hollandiam, Leidae illic obsidendae, ablegato. Quae dum fiunt, consilium Requesensio erat, Hollandiam australem, borealem, & Zelandiam occupare. Atque in promtu in rem istam gemina classis; una Hispanica, ad Sanct-Andreanum fanum: altera Belgica, ad Antuerpiam comparata. Vtraque ad Vlissingam urbem in Zelandia conveniret; unde, Brila occupata, Amstelodamum, & Hollandiam borealem mox invaderet. Qua subacta, ad Zelandiam se converteret, nunc facilius subiugandam. Post quae, libero maris imperio, fluminumque, bellum ex voto finiretur. Sed haec animo agitantem longe eventus frustra habuit. Nam quae in Hispania classis, sub Petro Malenda duce, exprаefecto Floridano, parabatur, morte eius impedita; Belgica autem profligata. In hac triginta naves erant, bene instructae, sub ductore Adolpho Hamstedio, qui vicariam maris praefecturam gerere. Ac ne ea tunc tumultuans Hispanus uteretur, ad Lilloum castrum devehi iussa erat. Quod Zelandis ut compertum, visum Auriaco, & Ludovico Boisoto, hanc invadere. Dux Boisotus, ac cum eo, Cornelius Nicolaus, Iustus Morus, Martinus Drogus, Vincentius Sebastianus, Everardus Henricus, aliique. Hi quum Brouvveram adtigissent, naves aliquot leviores, quaeque velis meliores, speculatum ad hostilem classem mittunt; e qua duas superatas ad Boisotum statim abducunt. Quarum indicio quum acciperent, ceteram classem Ordami stare, obpugnare eam statuunt. Nec consilium dilatum; recta in adversam tendunt. Illa autem, advenientes conspicata, statim retro fugam capere. Sed Boisotus tardiores magnitudine sua naves, levioribus ipse vectus, supra Calloum assequutus, facile vincit. Et ex iis tres exustae; mersae quinque, vehementi, tormentorum explosione: captae quindecim, cum tormentis aeneis pariter, ferreisque, amplius centum. Vna praefectus Hamstedius, cum domestico instrumento universo; quod in navem, Hispanici tumultus metuens, ante abdiderat. Sic deleta ista classe, alteraque impedita, de Hollandia australi, ac Zelandia occupanda, Requesensius spe deiectus. In Hollandia boreali eadem fortuna fuit. Huc sub hiemis finem missus Chevereaulxius, tria millia Germanorum secum ducens, Egmunda, & aliis partim locis, tripartito iuxta Assendelfum agmine, dum constrictae adhuc summo gelu aquae, Gispam, Wormeramque ceperat; mox receptas, simul gelu remisisset. Ac Hispani quum recuperare vellent, hoc ipso Pentecostes tempore, succurrentes Alcmariani dissiparunt; ita ut pars Purmerendam, alii Monachodamum peterent: ubi a rusticis intercepti, multi occisi, multi in aquis periere. Praemiatores aliquot octuaginta octo conto longiore instructi, cum acuta e ferro cuspide, quo & fossas transilire, & pugnare in hostem possent, ad sexcentos cecîdere, Hornam captos nonaginta abduxere, quadringenti iuxta Monachodamum caesi. Pauci Ilpendamum elapsi, non multo post expugnatum. Philippus, ut praefectum novum Belgis gratiorem faceret, ac tributa, quae petierat, obtinere facilius posset, ad VIII. diem Martii Mantuae Carpetanorum iterum veniam dare velle se pronuntiat; idque in urbe Bruxellensi ad XI. diem Iunii promulgatum. Ergo ignotum delictis omnibus, quae ab anno usque LXVI. admissa essent; *modo vera poenitentia, animoque non fucato, & propoſito conſtanti, in eccleſiae Romanae ſinum peccata ipſi ſua effunderent, veniamque poſtularent.* Pauci exemti, quorum nomina mox edenda. Atque id datum non his tantum, qui in regis sui fide, & obsequio permansissent; sed qui etiam exuissent, si ad proximum bimestre iterum se submisissent. Quin si aliqui iam damnati in iudicio, tamen isto beneficio fruerentur; restitutis item bonis, etsi fisco adiudicatis, nisi ea iam in usum regis adplicata essent. Quae & ipsa redderentur, si probare certo testimonio possent, vitam sibi in religione avita ubique, & constanter, actam inter hos censeri Ordines provinciarum, civitates, & collegia; ea lege, ut deinceps ad praescriptum

MDLD LXXIV.

regis

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIV. regis agant: quod ad rationem pariter, & neceſſitatem rerum temperatum, tale foret, ut ex eo benevolentia in ſubiectos, & adfectus ſatis clare adparerent. Sed conceſſio iſta veniae, etſi magna ſane pompa promulgata, nullum fere fructum habuit. Et hoc tempore Requeſenſius porro tributum urgere, vicies centena millia, ſingulis annis exhibenda; inde geminam centeſimam iam promiſſam. Verum refragari Ordines: *militumque non ferendam inſolentiam* accuſare; *quae commercia, ſolum reip. nervum, perturbaret. Multa hactenus, & promtiſſime tribuiſſe; ſed rempl. nil adiutam, quin adflictam magis eſſe. Ideoque iam exhauſtos: nec impenſue ultra pares. Certiorem de miſerrimo Belgii ſui ſtatu regem faciendum; orandumque, ut venire, & inſpicere ipſe vellet. Id neceſſe, aut mox nullum habiturum.* Poſt haec animum ad Hollandiam armis ſubiugandam vertit, & Lugdunum obſidere iterum viſum. Ea inter urbes grandiores quarta, exiſtimationem ſuam, ac provinciae libertatem praeclariſſime eſt tutata. Quadrifariam adgredi placuit. Ac Harlemo pars per mari oppoſitos colles, per canales pars incumbere; alii rurſum Vltraiecto, alii Sconchovia ducere. Qui Harlemo adveniebant, Nordovicum, & Valckenburgum, in itinere obiectos pagos, munitoſque, diffugientibus praeſidiariis occupare. Vltraiecto venientes, & Goudanum emiſſarium, & Alfenum, prohibebant. Sed utrumque expugnatum, liberam inde viam fecit. Ceteris locis nullum impedimentum erat. Itaque undique urbs obſeſſa. Auriacus ſtatim datis literis adhortari: *uti urbem ordinarent; ac, annona conſtituta, mendicantes, & invalidos removerent; tum Anglorum ſigna decem, duce Eduardo Cheſtrio, in praeſidium intromitterent; & trimeſtre ſaltem unum obſidionem tolerarent. Se interea liberandis, quae neceſſe, paraturum, quod ſi forte longius etiam differrentur, nollent animum deſpondere. Quippe, ſi perſeverarent, etſi poſt aerumnas quaſdam, certam liberationem; ſi fatiſcerent, ſervitutem ſempiternam ipſis fore.* Praefectus ab Auriaco datus Theodorus Bronchorſtius, vir egregio in patriam adfectu; ſed praeſidium nullum erat. Itaque e civitate lecta ſigna quinque, ſub Ioanne Duvenvordio, Iano Douſa Nordovico, Andrea Schotto, Bartholemaeo Havicio, & Nicolao Theodoro Montfortano. Bronchorſtius inter primas curas urbem, & annonam ordinat. Cenſu habito, amotiſque, qui obſidioni inutiles, capita quatuordecies mille ſunt reperta, & frumenti, his alendis, modii vix quater mille. Hunc diurnum unicuique in bimeſtre panis ſelibra conſtituta; lacque vetitum, niſi preſſum, venum dari. Equi, circiter nonaginta; bubuli pecoris, ſupra mille. Illi in ſtabulis retenti; hoc, in paſcua dimiſſum: unde identidem, imminentibus obſeſſoribus, quod mirandum, ſonitu aliquo, quem dignoſceret, revocatum. Neque praeter vaccam unam, & tres vitulos quicquam abactum. Saepe hoſtem, levibus proeliis velli-

A cantes propulſarunt. Sed Baldeo deſtinatum, fame illos expugnare. Interdum etiam per blanditias ſcriptis literis ad deditionem urbis invitati a Lanoio, Licquioque, iſto verſu reſpondere:

Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps:

neque verbum aliud addere. Ac Septembri deſinente, nullo amplius reſponſo dignati, acclamare e vallo ſuo: *fruſtra inſidias agitari, nec ſe dedituros unquam. Potius fame morituros; quam canina, felinaque, quamdiu illa ſupereſſet, tolerare decreviſſent. Et, deficiente iſta, laevum brachium reſtare. Hoc eſuros, dextro autem libertatem ad extremum defenſuros. Illo quoque deſtituente, quod non ſperent, vitam inedia, urbem incendio extincturos: nec in poteſtatem quicquam tyrannorum, praeter cineres, aut cadavera, perventurum. Sat Machliniam, ac Zutphaniam, Nardenumque, & Harlemum docuiſſe, quam clementiam exſpectare ab ipſis debeant.* Quin virorum hanc virtutem quaedam etiam uxores accendere, & orare: *ne ſe, communeſque liberos, hoſti tam crudeli darent. Omnia magis ferre certas, quam ſaevitiam Hiſpanorum, ac libidinem, experiri.* Ne pecunia deeſſet, e papyro in priore obſidione pridem cuſam revocarunt; quam mox etiam liberati *in* argenteam commutarunt. Ea autem duplex erat; & viginti octo aſſibus, illa maior: iſta minor, quatuordecim aeſtimata. In utraque ab una parte leo ſtabat, pileum in haſtili ferens; circum ſcriptum, HAEC LIBERTATIS ERGO. Parte ab altera inciſum, VRBEM LEIDAM SERVET DEVS. Alii quoque numi facti, cum inſcriptione iſta. NVMVS OBSESSAE VRBIS LVGDVNI SVB GVBERNATIONE ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AVRIACI CVSVS. Parte adverſa inſignia urbis claves duae decuſſatae adparebant. Item alii, cum iiſdem illis inſignibus, addita inſcriptione: PVGNO PRO PATRIA. Inter iſta quum obſeſſi premerentur, & Auriacum, Ordineſque, ſaepe orarent, dare omnem liberandis operam vellent; viſum tandem, foeno, ſtramine, frumentoque paſſim ex agris ſubducto, Moſam atque Iſelam, perforatis eorum aggeribus, denique Oceanum, intromittere; ac reipſa hoſti oſtendere: *nihil ſibi ante libertatem poni. Et iacturam, quamvis magnam, ac ſexcentis circiter millibus florenorum aeſtimatam contra vitam, fortunaſque, inde corporis, conſcientiaeque ſuae, deteſtandam ſervitutem, parvi facere.* Id negotii Gulielmus Palenſtenius, Daniel Wingardus, Paulus Buſius, ſatis graviter perfecere; aggereſque locis ſedecim perfodere. Hinc Tempelius, qui auxilium poſtularet, in Zelandiam ablegatus, unde miſſus Iuſtus Morus, cum tormentis aliquot bellicis, ceteroque inſtrumento. Hunc ſequutus, mari praefectus a Zelandis; Ludovicus Boiſotus Ruartus; & Adrianus Gulielmius, a Ziriczaeis. Qui cum nautis octingentis advenientes, machinas aeneas, ferreaſque, plures centum adtulere. Tum triremium inſtar etiam cum carinis pla-

CIↃIↃ LXXIV.

MDLXXIV. nis naves circiter ducentae factae: remis decem, aut duodecim, quatuordecim, sedecimve commovendae, quarum maximis aeneum tormentum grandius unum, alterumve; in prora; in lateribus, sex minora. His impositi nautae illi octingenti, e Zelandia advecti; homines animi praeferoces, ac vulneribus multis truces; brachio quoque pars, aut crure per priores pugnas mutili. Et nonnulli pileis nexas ex argento lunulas ferre, quibus literae istae attextae: POTIVS TVRCAE, QVAM PONTIFICI. Quippe ita existimabant; illum corpori dumtaxat, istum etiam conscientiae imperare. A Goudanis sex triremes, sub Wingardo, apparatae. A Delphensibus arca instructa, e coniunctis binis navibus; quae non remo ullo, aut velo promoveri: sed constructis intus rotis, quas e nautis duodeni circumagerent. Vndique latera contra sclopos communita. Et tormenta multa imposita, sociique quinquaginta. Ad haec grandiores aliae, densa asserum compage, retibusque interpactis, fabricatae. Tota classis naves centum sexaginta numerabat. In his sub praefecto utroque, Ludovico Boisoto, Hadriano Gulielmio, & Cornelio Nicolaio, subpraefecto Cliffingano, Noiellius, Carnessius, Bouchautius, Iacobus Egmundus, Gardius, Durantus, Cattevillius, Guillerensius Padrierius, Creitus, Grenutus, Outranus, Citadellius, Herrius, Morus, alii: militesque sclopetarii mille ducenti. Bellici instrumenti cura Philippo Asselerio data. Additi Ordinum delegati, qui rem summam accurarent, Petrus Wastelius, curiae Machlinienſis consiliarius; Cornelius Bouchorstius, Henricus Duystius, aliique. Qui cum Delphis discessissent, ad undecimum Septembris Rota amne in aggerem limitaneum vecti, quum perfossum muniissent, Soetermeram, quam Martinus Aiala tenebat, contendere. Vbi Hispani, utrumque latus levi proelio vellicantes, propulsati. Et insignis in hanc gentem odii signum nauta dedit; quum evulsum cor occiso, commorsumque, canibus devorandum obiecit. Postquam aggerem transiissent, per Soetermeranum pontem classis deducenda erat. Hic triginta Hispanorum signa posita, sub Ludovico Pimentello, acriter valde propugnabant. Ac quantumvis magnam stragem Batavi ederent, tamen, quia navis una e maioribus, tormentorum explosorum vi disrupta, mergebatur, recedendum a pugna fuit: ac desiderati illic Cattevillius, Guillereſſius, centuriones; & gregarii milites septem. Ad diem decimum octavum, decimum nonum, & vicesimum, flante Cauro, quum non parum aucta aqua, Petrus Wastelius, vir industrius, deprehendit, non iam amplius necessarium, subter pontem ut transirent; verum Segvvartensi via. Soetermeram & Benthusam inter media, duci posse. Itaque, relicto Boisoto, qui cum aliis pontem porro obsideret, ipse, navibus quinquaginta clam adsumtis, & delecta etiam manu isthuc tendit. Soetermeram, ac Benthusam, miles Germanus servabat; sed is territus e praesidio quum diffugeret, Ladrierius statim occupat. Eadem via Creitus cum Delfensi arca subsequutus. Praefectique tunc Benthusam ad lapidem unum praetervecti, in canali ampliore, cui Nortae vulgo nomen, qua Svvietenum via ducit, totam classem obsessis conspicandam exponunt. Et tormenta, quod adventus signum esset, cuncta explodunt; respondentibus pari modo oppidanis. Qui iam huc redacti erant, ut equina, vaccinaque distributa in diurnum unicuique semilibra, victitarent. Panis nihil reliqui factum. Neque eum quadraginta iam diebus quisquam ederat. Canes, feles, glires in deliciis esse. Nec matronae melitaeis suis parcere. Radicesque, & caules brassicae comminuti, lacte coqui. Pampinis vitium, arborumque aliarum item foliis, sale, & amylo conditis, passim vita tolerari. Corticesque, & putamina, squamae piscium, e fimetis conquisitae. E vaccarum, equorumque, & canum ossibus, aqua coctis, succus elici: aegrotantibus, & puerperis, quae lactarent, in dies singulos buccellatum ad quadrantem librae adpensum. Nonnullisque in ipso utero foetus paene inedia extinctus; & abortum multae facere. Radix aliqua asse uno; pomum, aut pirum, duobus: quindecim butyri libra aestimata. Modius tritici, centum florenis; hordei, toto agro venditus: cui etiam in hunc diem ex re ista nomen mansit. Potus, coqui e folliculis hordeaceis. Alii siliquas adhibere; ac pro lupulo rutam, & absynthium, indere. Quidam acetum, aqua temperatum, sumere. Itaque videre erat homines dissutis genis, facie cadaverosa, corpus macie confectum, tremulis genibus, & lapsantibus fere vestigiis, aegre admodum sustinentes. Neque pauci fame mori; ad quam pestis accedebat. Et utraque ad sex millia intercepti. Saepe viri in excubiis ipsis stantes animam deficientem exhalarunt. Alii, ab illis redeuntes, domi uxores, liberosque exspirantes reperere. Ac, sepeliendi merces, ab hominibus aerumnosis, frustum panis poscebatur. Ad haec mala & discordia, quaeque comitari huic seditio solet, divexare; sed repressa per Bronchorstium praefectum. Qui severe in quoscumque animadvertere, quo defuncto, mox audacia iis crevit. Quidam, in platea mortuus, postquam membra obriguissent, rectus ante consulis fores a nonnullis collocatus; ceu convitio occulto: *tanquam sua pertinacia cives miseros in aerumnas tam ingentes perduxisset*. Aliquando & quindeni, a trecentis, ut aiebant, delegati, cibum in curia a consulibus petere ausi; adiutique a quodam consulum, qui negaret, *civibus suis mortis causam se futurum*. Et consilia arcana erant, ut in armis magistratum ad deditionem cogerent. Qui praemonitus, ut vetaret, prior semper arma capere. Denique ad consulem, Petrum Adrianum Wervium, quidam accedere; & orare: *cum Hispanis de tradenda urbe ageret: neque enim famem tantam tolerare ultra posse. Sat perpessos aerumnarum, quibus semel finem daret.*

MDLXXIV

Pe-

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXIV. *Penuria cibi, quod miſerrimum mortis genus, tot iam millia obiiſſe. Vel reliquias ſervaret; & obſtringeret ſibi cives, gratiamque apud regem ſummam iniret.* Quibus ille reſpondere, *iusiurandum ſe dediſſe, quod praeſtare certus eſſet. Nullum in promptu cibum habere, neque tamen cum Hiſpano agere velle. Quod ſi ita videretur, ſe conciderent, & viritim carnes ſuas diſtribuerent, ederentque. Mortem a naturae lege indictam ſcire; quam ſive hoſtes, ſive cives intentarent, plane nihil intereſſe. Bonam ſibi in bona cauſa conſcientiam hanc fiduciam comparare, & paratum extrema pati. Quod ſi illi ſecum fecerint, gloriam aeternam fore; ſi turbarent etiam porro, poenam minime defuturam.* Qua conſtantia conſternati, cum facinoris pudore receſſere. Hic obſeſſae urbis ſtatus; & nec caro iam reſtabat. Idque Auriaco, qui a morbo convaluerat, poſtquam nuntiatum eſſet, quatuor ipſe navibus frumentariis vectus, caſtra acceſſit. Vbi omnia quum luſtraſſet, placuere. Verum adhuc aqua decrat, quae vix novem pollices alta. Cum & quindecim, & octodecim, naves quaedam poſtularent. Quin, & flante aquilone, retro fluere, uſque ad viceſimum octavum Septembris diem. Itaque viſum, quae templaris via dicta, quum haec nimis emineret, ut perfoderetur ſtatim. Ac ni, aeſtuante Oceano, ſatis aquae augerentur, operam dandum, clam triginta, aut quadraginta, navibus illic tranſmittendis, quae obſeſſis panem ferrent. Cui rei & Grenutus ſe offerre. Hoc conſilium per columbam ſignificatum; monitique, ne ab hoſte per inſidias, miſſa annona, capi ſeſe paterentur. Inde erectiores animis, etiam magis confirmati flante Cauro; quum, in aeſtu plenilunii, undas ſuas magna copia mare infunderet; quas mox aquilo Leidam verſus compellebat. Idque ſignum manifeſtum adiuvantis Dei habitum. Quam ob cauſam, quum viceſimum iam octavum pollicem aqua ſuperaret, claſſem immittere per templarem viam placuit; ac, ſi alibi obhaererent, decem quidam, aut duodecim, exilientes, naves ita leviores promoverent. Id tentatum ad ſecundum Octobris diem; quum viginti quinque naves praefectorum quiſque duceret. Ac Boiſotus, Gardiuſque, ſiniſtrorſum Soetervvoudam; Gulielmius, Citadellius, & Outranus, cum Duranto, iter dextram verſus capere. Nicolaius ſuppraefectus, cum Noiellio Carneſſio, Bouchautio, Herrio, Grenuto, Svvietam tendere. Aſſelerius, cum triremibus octo, aut decem, commeatum cuſtodire in canali Norta iuſſus. Boiſotus, media fere nocte ad templarem viam advectus, inſidentem utrimque hoſtem poſtquam fortiter depuliſſet, ocius ſe communire; muriceſque, ne invadere quiſquam poſſet, paſſim ſpargere. Inde tribus eam locis perforare; frumentariaſque naves plures centum intromittere: quarum duas, quae a ceteris aberrarunt, hoſtis capere. Inde recta ad Meranum pontem itum; ubi interdum, non profunda ſatis aqua, nautae quidam exſilientes ſublevatas humeris naves provehebant. Interim acriter oppugnata Soetervvouda, & incenſae aedes aliquot. Qui praeſidium tenebant, imminere ſibi claſſem quum viderent, metu ne includerentur, tum maiore aquae incremento territi, non deductis inde machinis Leiderdorpium diffugere. Inter hos Valdeſius ipſe, qui mandare etiam Borgiae, quando nulla ſpes auxilii ſupereſſet, Lammam item ut deſereret, ac periculo ſe eriperet. Id ad Flevum excitatum, qua tranſire naves Delphis venientes neceſſarium, omnium munitionum, quotquot circum urbem erant, ut momenti longe maximi, ita quoque validiſſimum, & vel ſolum prohibere liberationem poterat. Borgiam Alphonſus Lopeſius Gallus ſequi; & Vorſcotam uterque fugere: ita ſine ullo ordine ut ſubmerſi aquis multi, alii contis interfecti, miſere plane vitam amiſerint. Hic laudanda Petri Ciaconi virtus, qui cohortis e legione Borgiae ductor, quum & ipſe graviter ſaucius, & adtractus, pro ſeminece in hoſtili cymba iacens haberetur: dum ſecuri adtrahendis aliis nautae occupantur, derepente ſemet erigens, pilo arrepto, nihil tale exſpectantes pone invadit, tres occidit, ceteroſque deſilire in aquam cogit. Inde cymbam, commeatu, & praeda onuſtam, in ſuorum manum ducit. Profecti iuxta Soetervvoudam in Papemeram tormenta adduci, Lammo oppugnando, iuſſerant. Illud neque capi facile, nec tranſmitti claſſis poterat, ſine magna quadam ſtrage. Eius rei nuntium Auriaco mittunt, & ſignificant: *oppugnare tamen certos, ſed ruina quamvis data quum non ſuffecturus miles videretur, excuſandos, ſi virtuti eventus minime reſponderet.* Inter iſta Iuſtus Morus a praefectis ablegatus, ut tribunos, ductoreſque, Soetervvoudam convocaret, cumque his deliberaret: *num, relicta oppugnatione Lammi, ſeorſim, extra ſclopi ictum, foſſam ducere expediret: quod facilius, & periculoſam minus.* Sed, dum hoc conſilium capiunt: *aufugiſſe inde hoſtem, & tormenta in canalem ſubiacentem dejeciſſe*, nuntiatur. Cauſa deſerendi Lammi, quod Valdeſius, ſi oppugnaretur forſan, medio hoſte ſeparatus, ſe ſuppetiis prohiberi animadverteret. Tum columba intercepta, cui literae ad Leidenſes adligatae, quum mandato, ut, ex urbe facto impetu, illa quoque parte invaderent. Hinc obſeſſis aucti animi; idque magis, quum, ardere Soetervvoudam conſpicati, in propinquo liberationem cernerent. Gaudiumque tota urbe ſummum erat; & decedere vallo feminae, puerique; viri, quotquot arma ferre, ſtationem quiſque ſuam capere iuſſi; ſubductaeque e canali naves omnes. Tum affari cives ſuos magiſtratus: *iam in promptu panem eſſe, ac ſolo Lammo diſtineri: an relinquere eum illic, & inedia ipſi miſere interire, an petitum armata manu ire vellent.* Ad quae alacres acclamare: *ſibi Lammum oppugnare potius certum; &, ſi arma non ſufficiant, unguibus omnes, dentibuſque diſcerpturos illud eſſe. Igitur aperiret portas, & in hoſtem ire ſineret;*

CIↃIↃ LXXIV.

MDLXXIV. *ret; se virtutem antiquam animi, licet fracto pene corpore, integram adhuc servare.* Haec secundo Octobris gesta; quum sequente statim nocte Lammum Hispani, metu magis, quam periculo reliquere. Id obsessis ignoratum, & qui eos liberatum veniebant. Noctu quidem, quum tormenta sua mergerent, exauditus ingens clamor; sed sperare quod vix poterant, neque credere audebant. Tandem indicium puer facere, qui ellychnia sclopetaria inde exire, nec redire observarat. Ac quum veniam explorandi dari sibi petiisset, dimissusque, sicut opinatus fuerat, locum vacuum inveniisset, signo dato, ad Boisotum, rei tam optatae nuntius, ultra pergere. Verum neque sic credentes, & hic dolum esse veriti, submisere, qui mox plenam fidem faceret. Isque cum & ipse Lammum praeteriret, laeti omnes exultare, liberatorique Deo grates agere. Et Gerardus Vanderlanius, praemiatoresque aliquot, illico Boisoto occurrere; ac triremibus duabus, quas praemiserat, suum adventum gratulari. Palis, in canalem impactis, viam hostis intercluserat, ne transire navis illic ulla posset. Quibus ocius evulsis, tota sub Boisoto classis in obsessam hactenus urbem introducta, subsequente Gulielmio. Et Boisotus, tertio Octobris die liberatam urbem ingressus, incredibili cum letitia civibusque, & magistratui acceptus fuit. Illud inter laeta ista triste visu, quum extenuati summa fame homines in canalis ripa utraque cum vociferatione magna cibum flagitarent, & obiectos sibi panes, haleceque, adhuc crudas, ita avide devorarent, ut, debilitato stomacho, iliisque coarctatis, multi inde morerentur; cum qui bene inediam tulerant, cibum ferre, iam desuetum, minus possent. Praefecti classis, magistratus, civitasque universa, quum se paullum refeciissent, templum petere; &, pro liberata urbe, grates Deo summas agere: tanto animorum adfectu, ut, quum Psalmi canerentur, incertum esset, plures cantu, an effusis gaudio lacrymis, coetum implerent. Tum Auriaco nuntium mittunt. Quem quum ille accepisset, ut sacrae concioni intererat, hac finita, mox ministrum coram toto auditorio literas eas recitare, & Deo gratias agere, iubet: urbibusque foederatis idem mandat. Importato in hunc modum commeatu gratiisque Deo actis, ut victoria uterentur, hosti porro incumbere placuit. Isque, tanquam panico terrore actus, omnibus relictis locis, liberam undique urbem fecit. Dux Valdesius, Leiderdorpio quum discederet, tabulae, in qua picta obsidio, subscribebat; VALE CIVITAS VALETE CASTELLI PARVI; QVI RELICTI ESTIS PROPTER AQVAM, ET NON PROPTER VIM INIMICORVM. Eius pertinacia factum dictitabant, ut obsessi conditiones non acciperent; qui colloquia, a Lanoio instituta, perturbasset: aegre ferens, expugnatae urbis laudem, de qua minime dubitabat, sibi eripi. Idque a Romero etiam, quum ad eum, recensendis Hispanorum legionibus, a prorege Requesensio missus esset, exprobatum. Erant illi in exercitu militum supra undecim millia, & castella ad haec sexaginta duo; quique urbem liberarent, vix bis mille, ac quingenti censebantur. Atque in fuga, proeliisve anteactis, ex Hispanis instar mille intercepti; quum vix quadraginta e suis Batavi desiderarent. Neque illud reticendum. Nocte eadem, qua desertum ab Hispanis Lammum fuit, murus, a vaccaria porta ad Burgundicam turrim ducens, cum fragore longe maximo, ad viginti sex decempedarum spatium, una cum pomerio suo sponte cecidit; & apertam, per ruinam istam urbem facile hosti intrare erat; sed hoc ipsum fugienti, tanquam obsessis magno impetu erumpentibus, metum auxit. Ac postridie, ut praesentem opem suam Deus manifestam faceret, flans Vulturnus, aquas, ceu perfecto opere, rursum urbe summovebat; & excipiens illum aquilo, cum ingenti tempestate, in Oceanum repellebat. Tum Auriacus, urbem ingressus, blande cives, pro constanter tolerata obsidione, collaudavit; & egenis eleemosinam procuravit. Dein, mutato magistratu, Kagam, in faucibus lacus Harlemensis sitam, & Goudanum emissarium, communivit. Hinc Boisoto, Gulielmio, Nicolaio, & ductoribus classis ceteris, torques aureos, ac numismata, ad memoriam rei cusa, magistratus primum urbanus, inde Ordines, donavere, urbem vero ipsam Auriacus, ordinesque, Academia ornavere; quae octavo Februarii, anni proxime insequentis, constituta. Quibus ita ordinatis, Goudam Auriacus se recepit; ubi ad illum Aldegondius, anno postquam captus fuerat, libertati restitutus, mox accessit.

MDLXXIV.

GV-

Digitized by Google

GVLIELMI AVRIACI
LIBER DECIMVS.

CIↃIↃ LXXV. DVm ad Leidam haec geruntur, parte alia Requeſenſius ad Bommeliam, tum Gorcomium, & Loveſtenium, cum exercitu ſuo eſſe; ſi fortaſſe opprimere alibi incautos poſſet. Sed Balfurius, cum Scotorum ſeptem ſignis, quum haec loca inſideret, aggereſque perforaret, fruſtra hic conatus fuit. Quam ob rem Worcomium adgreſſus, parvum e Gorcomii regione oppidum, in quo ſigna quinque erant, ter repreſſo prius impetu, quum defendi haud ultra poſſet, per deditionem capit. Vitellius quoque ſigna Germanorum quindecim, & Hiſpanos item aliquos, ac duodecim tormenta, contra Lederdamum ducere, id exiguum etiam oppidulum; & cohortes duae impoſitae, quae defenderent. Sed continuis horis undecim multis tormentorum ictibus verberatum, quum deiectum arcis propugnaculum eſſet, ad deditionem actum. Hinc munire Werckendamum, & adverſam Moſae ripam; ac catena interiecta, flumen claudere. Illum ab Auriaco miſſi milites, cum munitionem utramque expugnaſſent, mox Dordracum abduxere; & victoriae Sevenbergam addidere. Tum tentati per proditionem Delphi ab Hiſpanis, ſed nequicquam. In praeſidio ſignifer Gallus, qui pollicitus operam erat, rem detergere. Itaque inſidiatoribus ipſis ſtructae inſidiae; & cuniculus ad Waterſlotanam portam, per quam intromitterentur, clanculum ductus. Sed quum inter demittendum pons haereret, feminaeque in feneſtris prope vallum ſpectarentur, ſuſpicati dolum Hiſpani, uti erat, retro pedem retulere. Nec proditio illis ſua, nec inſidia oppidanis ſucceſſere. Inde Antuerpia, arte pari, & eventu, ab Auriaco petita. Hadrianus Gulielmius, is qui nobis ſupra quoque in Leidenſi obſidione memoratus, claſſem navium ſexaginta, bene inſtructam, ad Ordamum, ab Hiſpano communitum, praetervectus, ſubter ipſam urbem ducere. Intus militum aliquot ſigna, clanculum a Ioanne Voſſio introducta, opportunum capiendae urbis tempus exſpectabant. Et in arce ex Hiſpanis plus triginta coniurati. Sed conſilium quum reſciſſet e centurione Scoto, hîc captivo, Requeſenſius; ut averteret, ire illuc Mondragonium, & cum eo legionem univerſam, ſexque Hiſpanorum ſigna, ocius iubet. Tum tempeſtas illa nocte, qua tentari res deberet, adeo ingens excitata; ut ad ripam, exponendo militi ſuo, nullo modo adplicare naves poſſent. Quae quum, irritae conatus receſſiſſent; miles quoque, qui in urbe, clam dilabi. Sed in arce comprehenſi Ioannes Alphonſus, item Petrus Maldonatus, capite poenas dedere. Mox ſeditio in Hiſpanis ingens orta. Nam Valdeſius quum, Leidenſi obſidione derelicta, Hagam comitis petiiſſet, poſtulare ſtipendium miles; quo negato, quum Valdeſio ipſi vincla iniecciſſet, arma, & Electum, capere. Illicoque Maſenlantſluſa, Leitſendano, Vorſcota, & Valckenburgo, ſeptem millia convenire. Inde Leidam praetergreſſi, quum Harlemum, & Amſtelodamum petiiſſent, ac prohiberentur portis, Vltraiectum porro ire. Vbi iterum excluſi, poſtquam moniti non deſiſterent, ab Hiergio, Fioionoque, & Valdeſio, qui, amicis adiutantibus, forte evaſerat, perduelles proclamantur; ac poteſtas caedendorum paſſim datur. Illi vero nihil territi, caeſo Electo, quod ad Hiergium ipſis inſciis literas dare auſus eſſet, Ioannem Blancum in occiſi locum ſtatuunt. Inde per vim capere Vltraiectum, niſi ad Werdenſem portam ligna, ſtramen, picem, pulveremque tormentarium admoventes, quum conatus fruſtra eſſent, mox in Catharinae portam impetum vertunt. Ad hanc Vredenburgum erat, quod praeſidiarii centum, ac viginti, ſub Franciſco Ferdinando Avila duce, tuebantur. Vnde auxilium exſpectantes, quum ſpes illa fefelliſſet, propulſati eadem virtute, receſſere; centum amplius, & in his Ioanne Blanco, interfectis. Ac futura longe maior ſtrages erat; niſi Avila, qui ſuppetias perduellibus, dum pugnarent, denegaſſet; poſtquam victi prono in gentem ſuam animo, incumbentes magno impetu oppidanos, verberato per tormenta exploſa tergo, retraxiſſet. Tum Ioannes Oſorius Vlloa a prorege Requeſenſio ablegatus, qui, viritim aureis quatuor numeratis, & deduceret Vltraiecto, & Herentalio, ac Teneramundae, in hiberna diſtribueret. Inter bella haec de pace agitatum. Ac negotium a Noircarmio, qui e vulnere ad Harlemum urbem accepto Vltraiecti decumbebat, inchoatum. Is cum Aldegondio agere, tunc captivo; qui de hac re, eius iuſſu, ad Auriacum literas dare. Sed, Naſſovio ad Movicum profligato, non pro dignitate regis arbitratus Requeſenſius, cum ſubiectis perduellibus de conſtituenda pace convenire, ſupplicare eos voluit. Menſe Iunio Campaniacus ad Boiſotum, vetere amicitia iunctum, datis literis, reſtaurare poſtulavit; effecitque, ut, obſidibus conſtitutis, ad Auriacum Aldegondius mitteretur: qui negotium de captivis commutandis pertractaret; Ordineſque item Hollandiae, & Zelandiae, quo in pacem animo eſſent, exploraret. Hi quum ſcriptum a ſe quoddam Campaniaco tranſmiſiſſent, idque ipſi non placeret, porro CIↃIↃ LXXV.

Digitized by Google

MCIXC LXXV. ro inſtare apud Ordines Aldegondius, uti ſupplices apud regem eſſe vellent. Illi, qui auctoritate viri facile moverentur, & redire ad obſequium, modo tuto illud poſſent, plane vellent, obſecuti; equitum nomine, & urbium Hollandiae, ac Zelandiae; quequefoederatae iſtis, Burae item, & Bommeliae; nulla Ordinum utriuſque eius provinciae, aut religionis etiam, mentione, ſupplicare animum inducunt: *uti militem externum, adeo damnoſum Belgio, removeret; & conſilia de rep. ordinanda cum Ordinibus generalibus communicaret.* Hunc libellum quum Monfortii, in Vltraiectino agro, Campaniaco Aldegondius tradidiſſet; ille, poſtquam inſpexiſſet, menſe Auguſto ad praefectum Verianum, Ioannem Iunium, Antuerpia ſcribere: *certum ſibi, minime placiturum regi; cui militem, & comitia, ſuo arbitrio indicenda, praeſtituerent.* Menſe Octobri Aldegondius, pro captivo Mondragonio libertati reſtitutus, id effecit, ut Elberto Leonino commeatus ab Auriaco daretur. Iſque Delphos, inclinante iam Decembri, mox advenit. Agere etiam hoc negotium Maximilianus Caeſar; a quo miſſi, Guntherus Zwartzemburgicus, & Wolfgangus Hohenlous, anni proximi Ianuario quum Dordracum adpuliſſent, coram Auriaco, & Ordinibus, cauſam adventus ſui exponunt: *cupere Caeſarem, Belgio, tam valde adflicto, pacem reddi. Ideo ſe, Auriaco affines, amicos ipſis, ablegaſſe; qui negotii huius medii, partis utriuſque animos conciliarent. Tum Wolfgangum quoque Rumſium, Rudolpho filio, Hungariae regi, a cubiculo, ad Philippum in Hiſpaniam miſiſſe, qui hoc ipſum adiutaret.* Ad quae Auriacus, Ordineque reſpondere: *anno ſe ſuperiore Campanico mentem ſuam explicaſſe; nempe velle, ut externum militem omnem evocaret, & comitia Ordinum generalium redderet. Qui quaecumque de republica, & in ea religione, decreviſſent, iis ſeſe parituros.* Poſt quae, quum ad Requeſenſium, tunc Antuerpiae commorantem, adceſſiſſent, tandem actum, uti Bredam menſe Martio convenirent; quo legati a Requeſenſio, Ferdinandus Lanoius Rochenſis. Raſſingemus Arnoldus Sasboutius, Cornelius Suſius, Elbertus Leoninus; ab Auriaco, & Ordinibus, tum Bommelia quoque, & Bura, foederatis; Philippus Marnixius Aldegondius, Carolus Boiſotus, Arnoldus Dorpius, Gulielmus Zulenus Niveldius, Iacobus Douſa, Ioannes Iunius, Adrianus Vander-Mylius, & Paulus Buſius. Ac Dordracum obſides miſſi a Requeſenſio, Chriſtophorus Mondragonius, Iulianus Romerus, Michael Alenturius, Gulielmus San-Clementius. Delegatis ab Auriaco, & Ordinibus, imperatum: *illud ut conſiderarent, quod Ordinibus generalibus, ſi Hiſpani aliique peregrini, amoverentur, ſeſe totos ſubmiſiſſent. Quam ſi illi conditionem non detrectent, nec ſe aliud quicquam honeſte obtendere poſſe. Quam ob rem examinarent, utrum magis expediret; Ordinum generalium arbitrio ſe permittere, an ſeorſim novas conditiones ponere. Ac videri ſic futurum, ut comitia denegentur; maxime ſi ſuffragium illic ſuum populo, cuius multum id interſit, etiam petant. Neque exſpectandum eſſe, ut Hiſpanum, aut externum alium militem, ante conſtitutam pacem removere a ſe velint. Ante omnia, ut quid velint cognoſcatur, incitandos, ad libellum ut reſpondeant. Quod ni ſatis clare faciant, aut ſi inſuper etiam habeant, nova capita proponendi occaſionem ſibi dari. Idque ita illos velle, ex Elberto Leonino colligi poſſe, capitumque nonnullorum, quae adiicere decreviſſent, parva appendice. Ac deliberarent ſerio, an in ipſo ſtatim initio de religione agerent; nam omnino hoc videri. Tum & ſcripto cuncta agerent, & Hollandica quidem lingua, prout privilegio ſuo tenerentur. Inſtrumenta quoque omnia ſubſignata a ſe traderent parti adverſae; cui viciſſim ſcripto, itidem ſubſignato, declarandum, quis mandata huic dediſſet. Et an rex exiſtimaret, agere ipſos ſecum poſſe; dein quaecumque agerentur, ea uti adprobaret; utque rata ſe habere declararet. Ac tractatus conditiones tales eſſe oportere; ne vi ulla, ſive dolo, indirecte, aut directe uſquam circumveniantur. Ita autem relinquendam religionem, uti eam poſſiderent; neque alterius exercitium permittendum. Adſecuritatem vero concedendum, ut Auriacus, Ordineſque, militem praeſidiarium, quibus vellent locis, ponerent; cui ſtipendium, ſub Auriaci praefectura, pro arbitrio procurarent. Porro Auriaco praefecturam Hollandiae, Zelandiae, & Vltraiecti continuandam; bonaque omnia, & in his Burgundiam maxime, redhibenda: item munera, quibus ante turbas iſtas functus eſſet. Ad quae addi oportere maris Belgici univerſi praefecturam. Quando vero a magiſtratu pars praecipua reipublicae, & ſecuritatis eius penderet; ita is ſtatueretur, ut durante bello ſolitum: tum confirmaretur etiam ab Hollandiae, & Zelandiae praefecto, iuxta urbium ſingularum privilegia. Quod ſi forte eveniret, ut Auriacus mortem obiret, ne praefectum in Hollandia, ac Zelandia, urbibuſque foederatis, rex ſtatueret, niſi in quem conſenſiſſent; ac ſi contra is tentaret integrum tum ipſis forte, hoc reiecto, alium quemvis ſubſtituere. Tum comitia item habere, quoties illud e rep. iudicabunt; ſive Auriaco, ſive eius ſucceſſore, indicente. Ordines quoque, neu ſubiectos qualeſcumque, neve cauſas, extra Hollandiam, aut Zelandiam, aut confoederatas urbes, praeter voluntatem eorum, evocare ne liceret; quod Hollandiae advocato, Iacobo Endio, pridem factum. Conſiliarios, in provinciali curia ab Auriaco conſtitutos, munere ſuo perfuncturos; neque unquam deinceps alios datum iri, quam quos ipſe, Ordineſque, nuncupaſſent. Idemque in muneribus ceteris ius futurum. Bommelia, Bura, urbeſque aliae foederatae, ſub Auriaci praefectura permanerent; & Hollandiae, ac Zelandiae porro nexae adhaererent. Quicquid ab Albano actum, aut ſenatu, qui turbarum adpellatus, ceu contrarium iuri omni, & aequitati, aboleretur: ac ſententiae, aut decreta, contra ipſos promulgata, a quocumque tandem iudice, irrita eſſent,*

MCIXC LXXV.

CIↃIↃ LXXV. *sent. Arces quoque, ceu tyrannidis, potius quam iusti imperii, & legitimi, firmamenta, illico destruerentur. Iesuitae, iuxta Hispanos, Belgio universo exirent; & episcopi, novo more instituti, unde turbae omnes ortae, tollerentur. De religione edicta delerentur; cui, si libertas obtineri haud posset, darent operam, uti saltem conscientiis impetrarent. Ne contrahere matrimonia, aut baptismum celebrare coram sacerdote aliquo cogerentur; utque intra aedes suas preces sacras frequentare, & defunctos suo ritu, ac quocumque vellent loco, sepelire sinerentur. In provinciis item aliis, sive regnis, de religione sua uti ne inquirerentur; neve in corpore, aut fortunis vexarentur. Vtque poni arma possent, rex, aut Belgium, sexcentena florenorum millia daret, quae militibus Mandesloi deberentur; & Antuerpiani deinceps, quod pro commeatu exigere instituissent, id omittere iuberentur. Tum utrinque foedera nullo haberentur, & inprimis Baionensi rex decederet. Academia, pridem Leidae constituta, firmaretur; quaeque Hollandiae advocato, Iacobo Endio, chartae ereptae, redderentur. Privilegia, quae quibusdam civitatibus ab Auriaco data essent, salva forent; quaeque is in priorem expeditionem impendisset, aut a rege, aut a Belgio universo, ipsi restituerentur: ac turbarum toto tempore non praescribi quicquam posset, actioque in fiscum esset. Bona, munera, dignitates redderentur; reliqua, usurae, redituque solverentur. Et Culemburgensis domus iterum exstrueretur, monumentaque, in opprobrium Protestantium excitata, tollerentur. Testamenta, codicilli, aut legata, aut donationes etiam, item substitutiones, quaeque fidei commissa, odio profugorum facta, nil valerent. Tum Buranus patri Auriaco redderetur; & urbs Woerda in Hollandiae potestate permaneret. Tormenta, quae cepissent bello, ad securitatem Hollandiae, ac Zelandiae, foederatarumque urbium, ea ne eriperentur. Sententia, in Nardenum lata, irrita esset; & exustae illic aedes, regis sumptu, aut Albani instaurarentur. Tum pecuniae, quae in bellum hoc impensae, sive ex aerario regis, sive aliunde acceptae, nullae repetundae essent Neque qualiscumque rei, inde ab anno eius seculi sexagesimo quinto gestae, ulla deinceps actio foret. Denique rex se, quicquid a quocumque factum, condonare; subditosque omnes fidos arbitrari testaretur. Ac contractus huius sui beneficio cum Harlemum, tum Nardenum, & Lederdamum, fruerentur.* Ad secundum Martii diem postquam Bredam conveniissent, & utrinque in pacem adfectum ostendissent, delegati ab Auriaco, atque Ordinibus, postulare: *ad libellum, quem superiore anno Campaniaco obtulissent, ut responsum Requesensiani darent.* Qui quum hic interrogarent, *quosnam illi peregrinos, quae comitia, intelligerent;* ipsi dicere, *& Hispanos, & qui extra Belgium nati, peregrinos, uti essent, se censere: ac comitia ea velle, quae sub Carolo Quinto Caesare, cum is in Philippi manus Belgium ista hoc resignaret.* Inde Requesensiani, *periniquum hoc videri, ut* A B C D E F *Hispani, quorum clara pro Philippo rege opera, & maioribus quoque eius in hoc ipso Belgio esset, pro externis haberentur. Quin Germanos Gallos, Anglos, qui Auriaco, & Ordinibus, militarent, tales potius censendos. Tamen, quando hoc urgerent, scirent regem, pace semel constituta, non diutius, quam necessitas postularet, eos isthic relicturum. Ante autem ut deduceret, non ipsius maiestati, cuius summam rationem habituros se polliciti, convenire. Quod comitia adtineret, non consilium a provinciarum ordinibus recusare, in illis rebus, quae ad ipsos pertinerent, & communicari etiam assolerent. Sed quae a suprema eius potestate, aut voluntate penderent; haec referre ad secretius consistorium, tum provinciarum curias, urbiumque, & municipiorum item, magistratus, ubi opus, promptum esse. Quando vero haec comitia convocare non tam facile, nisi positis prius armis, polliceri regem Hollandis, ac Zelandis, urbibusque foederatis, privilegiorum omnium, legum, consuetudinumque, quales eae ante turbas istas essent, plenam restitutionem. Tum delictis quibuscumque certam veniam. Ac placere, ut erepta utrinque bona, qualia inpraesens essent; captivique, & in his Bossuvius maxime, sine pretio redderentur. Ita tamen, ut Auriacus, Ordinesque, urbes, arces; munitiones; naves, machinas, bellicumque instrumentum universum, bona fide restituerent; & maiorum religionem locis omnibus per provincias instaurarent. Quam si qui deserere vellent, iis Belgio suo excedere, bonaque intra tempus praestitutum vendere, verum semel, & duntaxat ista vice, integrum fore. Quam in rem ni fide eius, literarum testimonio communita, satis cautum existimarent, ut securi esse possent, ipsi aliquam rationem, de qua consulturus esset, invenirent.* Ad haec scripto, ab Auriaco, Culemburgico, Othone Egmundo, aliisque foederatorum delegatis subsignato, ad vicesimum diem Martii sic responsum: *se libello suo insistere, utque miles peregrinus evocetur, ac comitia restituantur, postulare; & concessum prius esse, multo leviore causa, quum Gandavi congregati Ordines anno* CIↃIↃ LIX. *illud peterent. Non negare, quin Hispani regis in Hispania sua subditi essent; sed, in Belgio universo peregrinos recte dici, neminem non arbitrari. Et ad ipsos ostendisse; quum a primo statim adventu, perduelles, & haereticos, Belgas omnes dictitantes, crudelissime divexarint. Quod si negent, id Gandavum, Tornacum, Antuerpiam, Machliniam, Liram, Silvam ducis, Daventriam, Vltraiectum, & Roterodamum, sine negotio convicturas. Ac nunc verum a maioribus vaticinium comperiri, Hispanicam affinitatem Belgio luctuosam fore. Itaque tales retinere isthic velle, nihil sane aliud esse, quam adfectum subditorum, sine quo constare imperia nulla possint, regi eripere. Nam quod merita Hispanorum in hoc Belgio de Philippo, ac maioribus item eius, praedicentur; minus recte illos facere. Quippe si, quae contra admiserint, comparentur, multo gravius nocuisse, quam profuerint, certum fore; nec conferri*

CIↃIↃ LXXV.

ullo

CIↃIↃ LXXV. *ullo modo cum his posse, quae a Belgis sint pa-*
trata. Claram illorum operam esse bellis pri-
dem contra Gallos; ut Hispanis Mediolanum,
ac Neapolim, vindicarent. Tum ad San-Quin-
tini fanum, & Grevelingam. Carolum quoque,
regis Philippi parentem, valde adiutum in I-
talia, Affrica, & alibi. Nec propterea tamen
Hispanos anno CIↃIↃXX. *praefectum in Hispa-*
nia sua Belgam admittere voluisse. Quod Ger-
manis, Gallis, Anglis, Scotis usi, huc neces-
sitate impulsos, ut vim a se Hispanorum pro-
pulsarent. Nec auctoritatem illos, neve prae-
fecturam ullam, adfectasse. Deinde in his Ger-
manos certe pro externis non habendos; quum
Hollandia, & Zelandia ad Imperium pertine-
re censeantur. Nihilominus etiam illos, ubi
opus, dimissuros. Quod comitia generalia ad-
tineret, quae differre quidem inpraesens, po-
stea autem circumscribere, & in ordinem co-
gere velle rex Philippus videretur, non per-
suasum se habere, antequam dimissi Hispani,
facile Ordines generales ad comitia istiusmodi
conventuros. Cetera capita, si interpretatio
quaedam necessaria adderetur, pacis obtinen-
dae causa, satis tolerari posse. Sed quod ur-
bes, arces, naves, ac munitiones belli dedi
postulent, iure fraudem suspicari; neque aliud
quicquam agere, quam ut blande imprauden-
tes circumveniant. Ita nempe olim in fabula
ovicus lupos persuasisse, uti canes defensores
removerent. Temere Auriacum, Hollandosque,
& Zelandos, perduelles adpellari: quando nun-
quam maiestatem regis laeserint; verum po-
tius, ut tueri ipsam possent, provincias ur-
bes, aras, focos, contra vim Albani ducis de-
fendisse; idque semper sibi certum declaras-
se. Neque enim arma unquam contra regem
induisse, neque ab eo descivisse; cui por-
ro adhaerere constituerint. De Catholica, &
Romana religione quod praescriberent; aut se-
quendam eam ipse, aut e Belgio discedendum,
illud vero tolerare minime posse. Se non aliam
religionem, quam Catholicam, Apostolicam, &
divino Evangelio convenientem, exercere; at-
que in illa acquiescere. Tantum errores
crassiores reiecisse; ut, quae dei essent, deo;
quaeque regis, regi darent. Ea propter libe-
re pronuntiare; se, quae obtulissent capita,
istis quidem conditionibus circumscripta, nul-
lo modo admittere posse: & exemplis Egmun-
dani, Hornanique, ac Montinii deterreri.
Neque aequum arbitrari, ut eorum, qui ad-
dicti religioni reformatae, ingens adeo multi-
tudo patria eiiceretur. Idque longe durius es-
se, quam si quater mille Hispani, satis iam
locupletati, in Hispaniam, patriam suam, se
recipere iuberentur. Porro vastum brevi totum
Belgium fore; ac commercia, & opificia, qui-
bus opes eius starent, alio translatum iri.
Quando id compertum esset, nimiam crudeli-
tatem in edictis exsequendis, cum exacti pas-
sim incolae diffugissent, magnum omnino ae-
rario regis detrimentum adtulisse. Nam bono-
rum venditionem quod permitteret: quis igno-
ret, etsi emptores minime sint defuturi, sum-
mum tamen miserorum damnum fore. Et quod
adderet, semel tantum, atque ista vice, banc
se illis indulgere; hinc colligere in proclivi,
A *mox horrenda de religione edicta revocare,*
denuoque, quicquid reliquum Belgarum, per-
turbare statuisse. Quae consilia quum refuge-
rent toto animo, non se posse in conditiones istas
consentire. Interim orare regem, quae pro-
posuissent ipsi, ut in bonam partem capiat;
suppliceseque numen summum venerari, uti
regi, & legatis mentem meliorem inspiret.
Huic scripto aliud Requesensiani die Kalen-
darum Aprilium mox reponunt. *Nimis acri-*
ter secum agi, qui nil supra pacem cupiant.
B *Velle regem, ubi primum convenissent, mili-*
tem Hispanum educere; & comitia, quae ur-
gerent, restituere. Inhumanum, quod de lu-
pis, ovibusque adlegarent; ceu in dubium
regis fides vocaretur: qui non aliter urbes,
arces, quaeque alia, dedi sibi postularet, quam
si plene praecauisset; de religione vero, nihil
sibi concedendum arbitrari. Qui mutare solum
vellent, his semestre; ac, vendendis bonis suis,
annos decem indulgere. In discessu subdito-
rum, indolere; sed ipsorum culpam esse, qui
C *coniungere sese ceteris detrectarent. Semel*
autem hunc permittere, ne, religione incer-
ta, turbae semper aliae, atque aliae orian-
tur. Neque autem dubitare, si doctrinae istius
novae professores exigantur, melius populo fu-
turum; quem servatum ipse cuperet, liberum-
que ab Inquisitione Hispanica: quam inveke-
re, nunquam animum induxisset. Isto scripto
quum particulatim quidam impetiti viderentur, delegati amplius deliberandum, ac pe-
D tendam plenam subsignationem, existiman-
tes, quarto April. *ut colloquium differretur,*
postulare; simul, quando discessurus Svvart-
zemburgicus, & iam in procinctu esset, ut
daretur commeatus una ad Caesarem ablegan-
dis: obsidesque interea temporis redderentur.
Hic dilatio quidem data, sed non item com-
meatus; arbitrante Requesensio, *transeun-*
dae terrae regiae beneficium perduellibus nul-
lo modo permittendum; quum inprimis alia ire
via possent. Svvartzemburgicus, quum iam
abitum pararet, institutum pacis negotium
E supremo adloquio parti utrique commenda-
re. *Se non operae ulli suae pepercisse, igni*
huic restinguendo. Ac quantumvis, ne quid
ageret, differentia religionis hactenus probi-
buisset: tamen porro urgendum esse, & po-
nenda utrinque arma in semestre. Quando ve-
ro reformata haec religio alte adeo animis
hominum insideret, ut tam cito inde evelli mi-
nime posse videretur, arbitrari, dum utrin-
que induciae essent, eam Hollandis, Zelandis-
que concedendam; neque causae satis esse, cur
F *induciae negarentur. Quae ni constituerentur,*
certam Belgii universi mox perniciem immi-
nere. Ac verendum, ne provinciae separatae
in alterius potestatem se permittant. Id se
animo providere; &, pro summo in regem
affectu, impeditum omnino velle. Ad haec
Requesensium rogat, *intra biduum ut respon-*
deat, & discessum boni consulat. Sedulo quid-
vis a se factum; tamen, quod doleret maxi-
me, accepisse, quam nonnullos offendisset. I-
gitur, quum de fide sua dubitari intelligeret,
a legatione abire, Caesarique eam reddere, sta-
tuisse. Qui induciae, si quae fierent, operam

adde-

CIↃIↃ LXXV

CIↃIↃ LXXV. *adderet, & consilium, ut, optata tandem pace constituta, Belgae omnes in obsequio regis sui permanerent. Huc se quoque, quicquid posset, collaturum.* Responsumque a Requesensio ad octavum diem Aprilis: *pro navata in negotio isthoc opera, gratias agere, neque dubitare quicquam, quin & grata regi esset. Sed inducias cur negaret, causam antea indicasse; nec videre, cur discedere a sententia ista debeat. Velle tamen, ut de armis in bimestre deponendis ageretur; dum interea religionis exercitia omittantur, &, qui eam profitentur, solum vertant.* Inter ista Svvartzemburgicus, & cum eo delegati, ab Auriaco, atque Ordinibus, discessere; qui reversi extremo Maio, pridie Kal. Iul. retulere: *quae offerrent privilegia, perlibenter ea accipere. Verum nihil profutura existimare, si vertendum solum esset. Quando autem discedere patria, aut mutare religionem necdum possent; orare quam demisse regem, ne vim ullam subditorum longe fidelissimorum conscientiis factum iret. Quod si deinceps ferrum, ac flammam prohiberet; tum obsequio se, & fide, nulli quicquam concessuros. Quo securitati oblatae minus fidant, tot exemplis, nimis certe luctuosis, impediri. Maxime si urbes, arces, naves, & munitiones omnes belli, regi traderent, antequam ille militem Hispanum evocaret, ac comitia generalia restitueret. Quis negatis, nullo modo diffidentiam tolli posse. Nihil sibi inimicitiae cum provinciis ceteris esse, quibus dudum foederatis, & amicis uterentur. Qua de causa hostile nihil, cur detrectent, metuendum. Quanquam vero haec sufficere ipsis debeant, tamen, ut cuivis constet, non se aliquid praeter pacem, & tranquillitatem publicam flagitare; etsi vitam, fortunasque, post religionem ponant, nihilominus placere, si rex libertatem eius porro neget, ut de ista, ac securitate sua, ceterisque rebus omnibus, ab Ordinibus generalibus, more maiorum convocatis, statuatur.* Ad quae postquam statim sibi, & sine ambage responderi postularent, Requesensius rem extrahere; ac, *negotium in Hispania disceptandum: itaque ad Philippum regem ablegandum. Cui rei quadrimestre opus esse. Quo elapso, quod mandati accepisset, relaturum.* Dum negotium pacis agitur, Requesensius convenire ad se iussis sanctioris consistorii senatoribus; illis quoque, quis aerarium, & resp. denique summa, curae esset: tum & aliis, per provinciarum curias dignitate, ac prudentia celebratis, super pace, & responso ab Auriaci, Ordinumque, delegatis, quid sentirent, dicere mandat. Qui, consilia postquam diu contulissent, edixere: *ut religionem avitam, quique eam in provinciis iam turbatis profitentur, tum provincias quoque ipsas in obsequio regis sui conservare porro queant, quae de milite peregrino evocando promisisset, ea ut exsequeretur. Id secure facere posse; quum, ad maiestatem regis toto Belgio adserendam, sat indigenarum esset. Sic Parmensem, ad pacandos pridem motus, milite nullo externo usum. Quam virtutem sub Albano iterum comprobasse Belgas, quum Auriacum ingruentem propulsarent.* CIↃIↃ LXXV. *Dein comitia, quibus ipsi se submitterent, concedenda; & religionis item reformatae exercitia: dum modeste, & sine offensa haec haberent. Denique etiam habitationem illis permittendam; quam externis mercatoribus, Anglis pariter ac Germanis, aliisque, idem de religione sentientibus, indulgeret. Interum fortasse deum meliorem cunctis mentem iecturum; concionibusque egregiis, & exemplis, ad virtutem, & antiquam pietatem reducturum. Quae si neget, metuendum, ne provinciae, hactenus ad obsequium promtae, ceteram regis reverentiam exsuentes, dominum sibi, facile ista concessurum, alibi quaerant. Quin Auriacum praeseferre, & pronuntiare palam, si rex inclementer agat, non deesse candidatos.* Hoc consilium, quamquam rectum, non Hispanis tamen placuit. Quod poenituisse saepe Requesensium, idque ab ipso aliquoties ante mortem exauditum, sunt qui ferant. Delegati ab Auriaco, & Ordinibus, die decimo quarto Iulii, quum de pace frustra sese agitare animadverterent, discedendum tamdem rati, scripto postremum oblato, conqueruntur: *nunquam Requesensianos bona fide quicquam egisse. Se vocare testem deum, hominesque, quam sincere, finiendo semel bello, quidvis fecerint.* Inde, ante acta omnia repetentes, palam faciunt: *nihil aliud his propositum, quam responsis plane dubiis, & dilatione callida, tempus ipsis interverteret. Nihil aequius peti abs se potuisse; neque illos, si quid sine dolo agerent, negaturos. Itaque, etsi consiliorum integritatem praeseferrent, tamen fraudis manifestos. Quae quum ita se haberent, decrevisse libertatem, aras focos, summa ope propugnare. Nihilominus, ut ostenderent, quam ad pacem inclinarent, quum responsum, quod praetendant, ex Hispania accepissent, non invitos ad negotium redituros, si consultum videatur, & sperare certo possint, meliore deinceps fide acturos esse.* Hic quum sese accusari aegre ferrent, eo ipso die referunt: *summa cum iniuria queri. Nec quaestam sibi moram, nisi, pro momento rei, quicquid actum, uti regi nuntiarent; ac, quid fieri ipse vellet, intelligerent. Neque scriptum hoc postremum alia lege velle accipere, quam ut mox, responso adlato, ad conloquium instaurandum revertantur. Interim testari deum, hominesque: promtos semper, facilesque se fuisse: nec discessus, aut colloquii dirimendi, causam ullam praebuisse. Contra Auriacum, Ordinesque foederatos, huius culpae reos esse; qui tantillum ipsis tempus indulgere recusarent. Nam, cum plena potestate advenisse quod obiicerent, sane ignarum nulli esse, id in rebus adeo magnis usitatum.* Sic colloquium hoc diremtum. E quo quum utrinque praevalere cuperent, potior tamen causa Auriaci iudicata. Quippe qui, quae tacite alii, palam peteret: *libertatem, immunitates, & antiqua privilegia; inde militis peregrini missionem, & comitia generalia, prout olim usitata.* Quibus quum religionis causam subderet, nihil aequius postulare potuisse visus fuit. Nihilominus inter pacis

MDLXXV cis hoc negotium bello Hiſpani profecere; & , dum illic negligenitores ceteri, Neuſam in Flandria, Oudenboſcam in Brabantia, muniere. In memoriam rei geſtae cuſus ab Hollandis nummus, cuius parte ab una ſeptum; in quo leo, enſem ſtrictum unguibus tenens: circum ſcriptum, SECVRIVS BELLVM PACE DVBIA. In adverſa, libertatis ſignum, pileus; cum inſcriptione iſta: LIBERTAS AVREA CVIVS MODERATVR HABENAS RATIO. Inter iſta Fridericus Caeriolanus de conſtituenda pace formulam edit, cuius capita: *Vti omnes, bene erga pacem adfecti, magis publicae, quam privatae rei ſtudeant; ſtatuantque, dum ſe mutuo, ſubditoſve, principes Chriſtiani obpugnent, omnes ſimul, una cum religione, ac fortunis intercidere. Ita Africam, Paleſtinam, Aſiam, Graeciam, & Pannoniam periiſſe. Idem ſibi, ni prouideant, & concordes eſſe velint, imminere. Ne ius ſummum, quae iniuria ſaepe ſumma, conſectari utrinque cupiant. Rex honorem, nomen, bona, cunctis reddat; ſubditique ad obſequium priſcum redeant. Quae promiſſa; ac conuenta, bona fide teneantur. Si neceſſe arctius adſtringi regem, proceres Hiſpani omnes, ſacri ordinis, aut profani, quod cum Africanis olim inſtitutum, ſubſignare iubeantur. Idem, & volente rege, principes Germani faciant; Belgiique urbes aliquot, e primariis. At, quum tres ſint motus cauſae, Inquiſitio; mandatumque de edictis Caroli Quincti, & Philippi, ſeveriſſime exſequendis, item decima imperata; Inquiſitio, decimaque, nondum adhuc inſtitutae, omittantur: in edictis, cogitetur moderatio; quae conſilio, & conſenſu omnium fiat. Qua qui non contenti erunt, aut maiorum ſe religioni aptent; aut, ut in Imperio ſuetum, conſtitutis illic legibus, alio migrent: ſalvis bonis, quae aut vendere, aut locare aliis poſſint. Quod de milite peregrino conquerantur, ſi hoc urgeant, dimittatur; data prius ſatis firma cautione, nil provinciales unquam contra regem molituros: ad quem & de pace Auriacus ſumma cum modeſtia ſcribat. Hoc momentum non exiguum habiturum. Idem quoque ad Meliti principem, & Chinconium comitem faciat, qui conſiliarii regis, dignitate, & auctoritate, primi: tum Auriaco ambo iuncti. Quippe illum, Menciae Mendozae, quae Henrici Naſſovii patrui uxor tertia patruelem; hunc, ſorore eius ducta, affinem eſſe. Quae ſi placeant, Furium ſtatim citis equis in Hiſpaniam excurſurum: ac reſponſum, quale optarent, mandatumque item plenum de religionis pace, & militibus peregrinis evocandis, adlaturum.* His reſponſum ab Auriaco: *quas propoſuiſſet ipſe de promiſſis exhibendis cautiones, in quîs cardo rei omnis verteretur, illas neminem prudentem adeo tutas arbitrari, quin & diſpenſare eas, & abſolvere tranſgreſſores, pontifex Romanus poſſet. Diſſidentia iſta fieri, uti ipſe, meliori ſpe abiecta, bellum certum, etſi dubii eventus paci incertae, adeoque inſidioſae, praeferendum exiſtimaret. Deinde ſero, neque integro negotio, formulam hanc tranſmiſſam eſſe.* Eodem tempore, inter belli adparatus, Brilae Auriacus tertiam uxorem duxit, Carlotam Borboniam, ducis Monpenſerii filiam. MDLXXV. Requeſenſius, ut iam dixi, dum de pace Bredae agitur, Neuſam interim, & Oudenboſcam communierat; & Valdeſiae legionis ſigna tria impoſuerat. Inde Hollandiae praefecto, Aegidio Barlamontio Hiergio, mandat; ut, munitionibus captis, viam ſibi ad exercitum in provinciam adducendum aperiret. Addit ei Ferdinandi Toletani ſigna novem; ac Franciſci Valdeſii totidem; Belgarumque, & Germanorum alia quaedam. Illa poſtquam ad viginti quinque dies Beverwici in Hollandia boreali ſubſtitiſſent, ut vicinis metum iniicerent, Vltraiectum mox procedunt. Vbi quum ſe Hiergii copiis adiunxiſſent, Buram verſus perrexere. Oppidum iſtud perexiguum, priſco more communitum, muris, turribus, & profunda circum foſſa; arx praeterea, turribus ſatis validis quatuor, foſſa triplici inſuper, qua oppidum ſpectat, vallo lato. Intus Vogelſangus erat, cum praeſidiariorum ſignis quatuor, machinis viginti quatuor, ceteroque inſtrumento, quod ſubficeret. Obſidebant deditum inſtar ſeptem millia, in quîs legio Lanceloti Barlamontii Megenſis, & Florentii Floioni, qui uterque Hiergii frater; ad haec equitum alae quatuor. Vallo ducto, cui praeerant Manuel Cabeca Vaca, & Salazarius, naves grandiores duae ab Hiſpanis intra foſſam demittuntur. Quibus ſuperſtrato ponte, quum tormenta quatuordecim Ludovicus Bloſius Treslongus binis locis ordinaſſet, inſtituta verberatio, & continuata biduum. Iamque edita ruina; quam invadere Manuel Cabeca Vaca, & Caſpar Oratiſius, iuſſi. Nec negotii multum erat; qqum praefectus, ſeu ignavia, ſeu proditione aliqua, hac deſerta, intra arcem ſe recepit. Quae res bene Hiſpanis vertit; quippe, fracto forte ponte, per quem in ruinam tenderent, facile erat iam tranſmiſſos profligare, ceteros foſſa prohibente. Ita ſine ulla pugna captum oppidum, direptumque. Neque fortius arx defenſa, etiam ipſe in hoſtis poteſtatem venit; militique ſine armis, ſignis tympanis, gratia diſcedendi facta. Vogelſangus, proditionis ab Ordinibus accuſatus, & Gorcomii comprehenſus, in Gaudanam arcem abducitur; ſed, expoſita facti ſui ratione, mox dimittitur. Parte alia Mondragonius, uti aditum in Zelandiam ſibi ſterneret, milites e legione ſua mille, inſuper cohortes duas, Damiani Moralis, & Alfonſi a Soto-maiore, in Finartum obiectum ducit; ac tentatum prius vadum, poſtquam receſſiſſet mare, cum egregia virtute tranſmiſiſſet, locum capit. Naves novem, alveo cuſtodiendo, adpoſitae erant; quae ſclopetis retro actae, tranſitum illi permiſere. Ac victoriae mox Clunderta, & Roggenhillum, acceſſere. Nec ceſſare, Bura expugnata, Hiergius. Quin, accepto ſupplemento peditum ad tria millia, ſub ductoribus Carolo Fuggero, Franciſco Verdugo, & Alphonſo Lopeſio Gallo; cum equitibus quadringentis, ac foſſorum ex Eburo-

Digitized by Google

MDIC LXXV. ronibus signis quindecim; tripartito statim exercitu, ut consilii sui incertum hostem haberet, in Worcomium, ac Sconhoviam, Gallum, & Verdugum, ducere quum iussisset, ipse Audevvatram tendit. Quo mox ipsi de compacto, decimo nono Iulii die, convenere. Ea ambitu non magna, situ longa, & quadrata, super aggerem porrecta; fossa, vallo, turribusque sat munita: agro circum subpalustri. Latus Isula flumen adluit. In praesidio signa quatuor. Ex his unum Germanorum, sub Muntero; alterum Scotorum erat, sub Dincvvercio; cetera duo Gallorum; sub San-Mariano unum, ac secundum sub Marcaultio. Ab his cuncta ad defensionem promta. Aedes noxiae deiectae, saxa e plateis eruta, & in vallum comportata, ut in hostem ea iacerent. Tum imagines sanctorum, ut pugnarent obstinatius, ceu spe veniae per offensam tantam ademta, iuxta positae. Et parata instrumenta, quibus in ruinam muri invadentes propulsarent; ac subfossa turris templi, sic subfulta, ne deiecta, intro cadens, fossam impleret. Sed praefectus loco deerat. Quem quum forte petiissent, in Munterum illa cadere, virum animi intrepidum; sed audacia, quam consilio, meliorem. Eo factum, ut defensio imprudentius instituta, praeter mentem San-Mariani, qui peritia militari excellebat, urbem perderet. Obsessores ita distributi erant, ut Valdesius aggerem Sconhovienscm, ac Monfortiensem item, qui cum eo rursum iungitur; & Verdugus, Fuggerusque, ut Woerdensem occuparent. Ipse Hiergius, cum Megensi, & Floiono, p. ullo inferius insidebat. Qui quum flumen, quo inferri annona posset, obsepsisset, ceteras aquas divertebat. Hinc tormenta adversus turrim locat. E qua castra universa sclopetarii infestabant, duo locat. Inde in aggere cataractae viginti tria, in Monfortiensi. quinque. Hinc, negata deditione, quam petebat, septimo Augusti die verberare muros incipit. Id quatriduum quum feciisset, Franciscum Aquilarium Alvaratum, & Sanctium Beltramum Pennam, explorare ruinam iubet. Quam cum terra, ligno, lino, saxis, culcitis, doliisque, & materia omni obvia, oppidani reparassent, obpugnationem imperat. Acriter certatum utrinque; adeoque obsessores exarsere, ut, Hispanis tantum oppugnare iussis, totis castris urbem invaderent. Nec obsessis virtus defuit. Sed quum diu hostilem impetum substinuissent, ferro, plumbo, pice, oleo, artificiosis ignibus, & ardentibus item circulis repugnantes, victi numero, obrutique. Magnam ibi victor miles stragem dedit; & e victis vix viginti evasere. Varia caede in oppidanos, militesque, nulla sexus, aut aetatis ratione, desaevitum. Concionator in crucem actus; paucique adeo vitam pretio redemere. Vrbs direpta; ac, ne cladi quid deesset, etiam post praedam incensa, pene tota conflagravit. Ex Hispanis instar centum cecidere; inter quos & Alvaratus. Penna, aliique plures, vulnerati. Auriacus iam Goudam venerat, ut, per-

A fosso illic aggere, aqua immissa obsidionem dissiparet; sed, post expugnatam urbem, frustra id consilium fuit. Hergius, quum praesidium illic posuisset, Fuggerum, Oartisiumque, cum Germanis, Hispanisque, sine signis, Lederdamum; ac Megensem, & Tres-longum cum tormentis, Vltraiectum versus iter simulare: sed postridie ad Sconhoviam reflectentes convenire omnes iubet. Ea ad Leccam flumen sita; non tam opere, quam ingenio, loci firma. Nec praesidium ullum
B erat. Verum Gardius, rupto ponte, quem Megensis e navigiis iunctis struxerat, mox auxilium introduxit. Olim in adversa ripa locum Hispani communierant; quem desertum occupare denuo Borgiam Hiergius iubet. Inde murum, debilem ab ea parte, illinc verberare instituit. Iamque edita ruina, Gardius, postquam primum impetum repressisset, alienis a defensione civibus, salvis bonis, armis, signis, urbem dedit. Cum Sconhovia mox Viana destituta. Hinc exercitu deduc-
C to, Crimpam tendit, qua in Molam Lecca influit. Hic munitiones duae. Vna, in concursu fluviorum posita; altera, in opposita ripa. In utraque milites trecenti circiter praesidebant; sed, adveniente hoste, diffugere. Loco gemino, magis opere, & praesidio, confirmato, ob momentum, statim tertium Hiergius addit. Tum Megensi, ac Fuggero dat negotium, uti Woerdam obsiderent; ipse in Albassanam insulam, ex adverso Crimpae sitam, copias ducit, &
D munitionem impositam statim capit. Cui Auriacus ut occurreret, cum equitibus trecentis, ac peditibus octingentis, Riderkercam contra munit. Quo obsessa quasi Crimpa, anno proximo, deunente Februario, sese reddidit. Dum haec fiunt in Hollandia, naves circiter duodecim, bello instructae, ad Rosendaliam a Zelandis exuruntur. His ducenti Mondragoniani adpositi, qui servarent; sed, dum negligentius agunt, invaduntur, ac fugantur. Irritatus Requesensius, relicto in Hol-
E landia Hiergio, in Zelandiam, in qua magnum foederatis robur esse animadverteret, arma vertit. Igitur triginta iam triremibus structis, navibus minoribus aliis, quum maiores alveo prohiberentur, Antuerpia Bergas, inde Tolam, & Annelandiam, mox pervenit; quo praemissae Hispanorum e Romeri legione sex cohortes, quinque item e Valdesii, ex Hollandia evocatae. Ipse vero singulas Rutii Mondragonii, Pacieci, Verdugique, & Altempsii, cum fossoribus mille ducentis, equitumque turmis quatuor, secum
F duxerat. Iussus vadum explorare Ruisius Duranda, cum militibus quatuordecim; quibus comites sponte sua sese dabant Franciscus Marcadus, Sanchiique Avilae puer. Duces famulus Serooskerckii, & Tolanus quidam rusticus. Qui quum, recedente mari, posse in insulas transiri nuntiarent, quamquam multis id negantibus, rem periculi plenam aggreditur. Ac, prensatis prius ducibus, quum seorsim milites quoque compellasset, die vicesimo octavo Sept. singulos peram, pulveremque tormentarium, & viaticum in tres

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXV. dies capere iubet; ac triremibus in Philippollandiam traiicit. Ibi vado transeundo destinati, Ioannes Osorius Vlloa, Isidorus Paciecus, Ludovicus Querallus, Hieronymus Serooskerckius, cum militibus mille quingentis, & fossoribus ducentis, veste posita, mare intrant; dato Avilae negotio, uti statim cum triremibus; quibus Mondragonius vehi, sequeretur; caveretque, ne in classem hostilem incideret, in propinquo excubantem. Neque enim dubitandum, si triremes, admodum humiles, consequuta ipsa esset, quae constaret magnis navibus, quin, secundiore vento, eas demersura esset. Id quum fieret, coelum, etsi multa nocte, ignibus coruscantibus clarum adparere; arbitrantibus Hispanis, omen sibi faustum dari, ceu inusitata illa luce deus viam per incerta aquarum praemonstraret. Ita autem incedebant, ut Vlloa primum agmen cum Hispanis, Germanisque, & Belgis duceret; ac postremum Gabriel Peraltus clauderet: qui nec viam rectam tenuit, neque suos etiam adsequi, lucescente die, potuit. Quare, revocante eum Requesensio, qui, ex aggere circumspiciens, in eventum intentus erat, cum Christophoro Mondragonio, & Sanchio Avila, mox in Duvelandiam transiit. Vlloa, quanquam classe hostili e longinquo infestante, tamen, ante accessum maris, terram adtigit, Paciecus interceptus; & vix decem e fossoribus evasere. Qui per tenebras quum effugium quaeritarent, ad hostilis classis strepitum dispalati, salo abrepti. Belgae autem, ac Germani quum transirent, classiarii, qui & contis, & demissis per oblongos funes uncis, eminus eos vulnerare conabantur, voces etiam, tanquam miserantes, addere: *quorsum infelices tenderent, quibus, qui imperitarent, canum aquaticorum instar uterentur. Tum quis illos furor ageret, uti corpora, tanquam vallum, pluteosve, ictibus obiectum irent.* Quibus ipsi nihil moti, porro eniti; &, per sesquemilliare contendentes, in obpositam Duvelandiam tamdem evadere. Vbi, quamquam aqua madidi, & reciprocante fluctu fatigati, sine mora hostem aggere, quem servabat, depulere; ac Vianam fugienti institere. Hoc conflictu Carolus Boisotus cecidit, Zelandiae praefectus; imprudenter, nocte obscura, sociorum, uti creditum, ferro ictus. Cujus morte consternati animis ceteri, se in fugam coniecere. Mox cum classe Avila advenit, & cum eo Mondragonius. Missi etiam cum auxilio Alvaradus, & Hortensius Armengolius, Quorum adventu, qui custodiebant insulam, deserunt munitiones, & Vianam se recipiunt. Quam quum dedere recusarent, iusso locum obsidere Ioanne Castello, Mondragonius, ceterique amnem inter Duvelandiam Scaldiamque transmisere. Maior illic, quam superiore die, difficultas, quando vadum, limo quoque impeditum; magnis saepe voraginibus incedentes moreretur. Tandem tamen, Mondragonio praeeunte, Sanchius Avila, & Vlloa, aemulatione quadam, subsequuti, in ulteriorem ripam pervasere. Ac deiectis etiam illinc, qui introitum defendebant, statim Dreischeram, ubi se reficere possent, contendere. Inde porro Brouvvershaviam, municipium in superiore eius insulae parte versus Aquilonem situm, portu insigne; qui, multarum navium capax, palis magnis, trabibusque permunitus. Paullo ante Ioannes Castellus, qui Vianae obsidendae relictus erat, ea capta, ac praesidio firmata, in Scaldiam transierat. Qui quum inde rediisset, destinatus Alvaradus, qui praesidiario milite destitutam, ut putabant, Bommenedam occuparet. Sed negotii, quam existimatum fuit, plus exhibitum; loco valide communito, & praesidio propere impositio. Inter haec per aggerem Bornedamensem, frustra incisum a foederatis, Chela quoque occupata, infra Ziriczeam itum. Et hinc Gabriel Peraltus, inde Ioannes Castellus, cum trecentis quisque peditum, diverso itinere contendentes, dato signo, eodem tempore munimentum adgredi iussi. Sed Peraltus, quum, nec signo, ut conventum erat, dato, neque loco explorato, impressisset, classe valide, quae canalem insidebat, & praesidio repugnante, ipse cecidit, & cum eo amplius quinquaginta alii. Nihilominus tamen Avila, qui suppetias laborantibus, etsi sero, adferebat, quum postridie iterum locum obpugnare institueret, & Castellum, signo dato, advocaret, vacuum a praesidio locum, & incensum, occupavit; &, extincto statim igne, communivit. Multum hic momenti erat ad futuram obsidionem. Tum fiducia inde sumta, naves hostium, aestu maris aquis suis destitutas, posse exuri. Ac mandatum id Durandae. Verum ille, ab Alvarado, & Armingolio retardatus, quum interea in altum classis se subduceret, non perfecit. Dum hoc agunt, tres, egressi civitate, astu Hispanos circumveniunt. Quumque de dedenda urbe, & classe etiam spem feciissent, aliquodque a Requesensio operae pretium accepissent, ceu acturi cum navarchis, ut liceret classem adire, impetrarunt. Ad quam ubi accessissent, alia omnia agitarunt; de rumpendo cataracta in Dreischerienſi aggere, & qui ad salinas duceret: dein quo pacto aquam immittere, quibus signis cum obsessi, tum qui aggeres servarent, se commonefacere possent. Hinc reversi, quum peractam rem promitterent, rursum tempus, quo cum praesidiariis agerent, postulantes, ita in civitatem redeunt, sero fraude ab Hispanis intellecta. Qui interea consultant, quid agendum primo esset. Ac salinas Mondragonius, civitati imminentes, quae, praesidio iusto impositio, ad deditionem obsessos brevi coacturae essent, ante omnia occupandas contendebat. Contra Vlloa, Bommenedam expugnandam; quod ni facerent, metuendum, ne auxilia, quanta vellet, classis per hunc portum exponeret. Quae sententia, Requesensio, & Vitellio adprobata quum teneret, totis viribus Bommenedam adoriri visum fuit. Est haec sita in confinio trium aggerum, sese ibi contingentium; quorum singuli propugnaculo communiti. Fossa circum, aqua ple-

CIↃIↃ LXXV.

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXV. plena emissarii beneficio, nisi qua adluitur mari, quod recedens, nudum latus, & accessum non difficilem, hosti dabat. In principio vix praesidium ullum inerat; sed e classe, quae propinqua, mox sexcenti Belgae, Galli, & Germani introducti. Quîs praefectus Novovillius, acer, & militiae vetus, oppugnatio demandata Mondragonio, Alvarato, & Vlloae. Hique quum tormenta duodecim admovissent, toto triduo verberatione facta, & ruina etiam edita, Novovillius, qui diffideret cum tam paucis sustineri impetum posse, de deditione colloqui postulabat. Sed, superbe Hispano quodam dictitante, nullam omnino perduellibus, quos gallinas per convitium adpellabat, gratiam fore; ni de vallo, abiectis armis, se praecipites in subiectam fossam darent; mox colloquium diremptum. Inde rursum Mondragonius, qui non sine magna caede expugnari locum posse animadverteret, ut suorum sanguini parceret, Alvaratum illuc mittit, qui & militis petulantiam excusaret, & conditione honesta agere se paratum ostenderet. Qui dum hoc negotium tractat, iterum casus perturbavit. Quippe Pacieci signifer, dum colloquium instauratur, observato loco quodam, minus firmo, per quem facile cum cohorte sua sola erupturus videbatur, vim iniussus statim facit. Sed repressus, & occisus, cum triginta item e suis, facti adeo temerarii poenas luit. Ea propter Novovillius denuo sermonem abrumpit. *Sat enim perspectum sibi, quali fide Hispani agerent. Quod gallinas adpellassent, id convitium mox virtute elusuros. Nam se viris imperare, qui, ad pugnam multo usu comparati, dudum animum in quemcumque belli eventum obfirmassent:* Cum hoc dicto retrocedens, ne spem suis ullam fugiendi daret, naves adiacentes removet. Hinc postridie, qui XXIII. Octobris, cum quingentis Hispanorum, totidemque e Germanis, oppugnatio inchoata. AEstus maris latus unum destituerat; idque invadunt magno impetu. Sed, obsessis multo acrius repugnantibus, quum per duas amplius horas concertassent, iam cedentibus Germanis, revocati. Et occisi hoc conflictu plus ducenti; plures etiam sauciati. Quorum magnam quoque partem, dum, vulneribus suis tardi, minus properant, mare intumescens hausit. Qua repulsa irritati obsessores, quam deiecti, biduo uno interiecto, totis viribus obpugnationem repetunt. Vtque obsessis metum graviorem iniicerent, ceu auxiliis novis aucti, lixas, caculas ceterumque famulitium, cum utrinque pugnaretur, procul adparere iubent. Itaque acriter illi invadunt, hi repellunt; ampliusque horas quinque, summa utrinque animorum obstinatione pugnant. Quum postremo, ut iussi erant, lixae quoque, & calones procul sese ostendentes, adiuvare pugnam velle viderentur. Armis bene instructi erant, & pulsabant Hispanorum more tympana; ita ut conditionem, imbellemque alias animum occultarent. Ac momentum dolus habuit. Quippe fessi iam obsessi, qui cum multis adeo, pauci tanto tempore depugnassent, nova auxilia, ut pu-

A tabant, conspicati, animos etiam despondere. Neque tormentorum amplius, quae continuata illa explosione inferbuerant, ullus usus; & praesidium fere solum in sariissis Germanorum. Itaque tandem vallum superant. Quo potiti, quum nec intro tamen quisquam se demittere inde auderet, increpante eos Aquila, & ignaviam exprobrante, sclopetarius quidam Hispanus, cui Toletano nomen, sumto clipeo, primus saltu se deiicere. Quem sequuti deinde alii, locum porro expu-
B gnare. Obvii quique, ut in talibus usitatum, trucidati. Vix viginti e sexcentis evasere. Ita capta Bommeneda, Requesensius Ziriezeam castra ducit. Ea urbs Zelandia tota antiquissima, &, quum pagus antea esset, post in civitatem exstructa a Lothario Imp. anno IↃCCCXLIX. saepe bello a comitibus Flandrorum, ob commoditatem loci, impetita. Et inprimis infeliciter a Guidone Dampetraeo; cum adiuti opibus Philippi Pulcri oppidani, capto ipso, & plerisque e proceribus, plu-
C rimisque interfectis, victoriam illam, tota historia eius gentis celeberrimam, reportarunt. Ac postremum ex incendio Romerswalae ingens incrementum cepit. Erat illic cum praesidio instar mille ducentorum Arnoldus Dorpius, sub ductoribus, Iusto Endio, Ioanne Crommio, Nicolao Bernardo, Adriano Portio, Ambrosio Ducaeo, Antonio Bommellio, Nicolao Plucketo, Eligio Rudamo, Nicolao Ruichaverio, Boisioque. Dorpius sta-
D tim omnia urbi defendendae praeparare. Ante eam ad australem portus partem tumulus quidam, ex congesto e salinis ibi cinere, eminebat; ad septemtrionem vero, ager iugerum quinquaginta adiacebat. Hunc, & illum communire. Quod restabat, interciss circum aggeribus, aqua mersum. Commeatus, & praesidii satis erat; sed initio consternatiores cives. Quos ut mora quadam erigeret, primo ad dies quatuordecim inducias pactus, inde protulit. Interim foris inchoata pridem opera sedulo perficiebat;
E intus omnia urbis loca, minus firma, accurabat; &, quod maius munimentum, tandem cives confirmabat. Requesensius, qui vim quicquam profuturam desperabat, fame premere decrevit. Itaque palos, sublicasque, ferreis catenis nectens, emdium inter Duvelandiam, Scaldiamque, fretum claudere; ac profundum si vetaret, naves ponere, ancoris suis fundatas, tum constratas tabulatis, & militibus, machinisque communitas. Portum quoque, & submersos aquis cam-
F pos, ne inferri annona posset, obsidere. Deinde, cura distributa, postquam copiis terrestribus Mondragonium, ac navali rei Avilam, praefeciisset, Tolam primum, inde Antuerpiam se recepit; abducto Vlloa, qui cum minus Mondragonio conveniret. Interea Hispanica classis, quae praefecti sui morte, Petri Melandae, impedita, uti supra memoratum, tandem in Angliam adplicuit. Cui ut Elizabetha portum daret, cum Mendosa anno ablegatus esset, nunc Ioannes Boisotus missus, fisci patronus; qui cum alia, tum & hoc, reginam oraret, *uti perduelles Bel-*

CIↃIↃ LXXV.

gas

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXV. *gas regno ſuo prohiberet.* Quod quum illa durum valde, & inhumanum exiſtimaret, tamen foedere teneretur, ut nec miſeros magis premeret, neque regem foederatum irritaret, admonere potius viſum: *ut momentum rei expenderet; &, an profutura peteret, Periniquum enim eſſe, homines adflictos adeo, quique praeter conſcientiae libertatem nihil quaererent, e perfugio ſuo eiicere. Deinde meminiſſet etiam, quum iam ante quinque annos idem poſtulanti Albano obſequuta ipſa eſſet, quam Philippo id pernicioſum fuerit. Ac Lumaeum, alioſque, e nobilitate Belgica, Brilam urbem occupaſſe, Belgiumque ſat pacatum perturbaſſe. Qua de cauſa, ſi eadem nunc ſeveritate agat, metuendum, ne conſilia aeque Belgio damnoſa ipſi capiant.* Nihilominus, quum Boiſotus porro urgeret, ad praefectos limitum maritimorum literas mittit, interdicens, ne in regnum ſuum admitterent exſules Belgas, quique arma contra regem Hiſpaniarum induiſſent; & in iſtis nominatim, Auriacum, Culemburgenſem, Bergenſem, Lumæum, Eſquerdium, Lumbreſium, Rumenum, Merodium, Carniſſium, Noiellium, Bliioulium, Bredamum; Boiſotum, Aldegondium, Manſartum, Dorpium, Vander-Anum, Haultainum, Tempelium, Mateneſium, Iſelſteinium, Bronchorſtium, Wingardum, Niveltium, Bellemam, Iunium, Hagam, alioſque, numero circiter quinquaginta. Id regina ideo facere, ut ſe foederis rationem habere oſtenderet; tum quod ipſa ſimili pridem beneficio obſtricta eſſet. Nam per Wilſonum legatum obtinuerat, uti perduelles Angli, & in iis Weſtmerlandius, e Philippi item provinciis pellerentur. Inſuper conceſſum illi, ut, permiſſu Zelandorum, naves Anglicanae quatuor libero Scaldi Antuerpiam uſque merces veherent, & reveherent. His de cauſis gratiam debere viſa eſt. Per hoc tempus quum Auriacus, Ordineſque foederati, nullam pacis ſpem reſtare, neque etiam libertatem conſcientiis, aut ſecuritatem ſibi exſpectandam animadverterent; neque vires deinde eſſe, quas Philippo obponere poſſent; de patrono, cui tuto ſe permitterent, conſultare. Nec ſententia una fuit. Quippe illi in Imperium, Principeſque; iſti in Galliam, hi in Angliam inclinare. Sed, quum rationes penderent, ab Imperio, etſi olim huic adnexi, parum ſibi polliceri. *Nam Auſtriacam illic domum, cuius princeps rex Philippus, praevalere. Principes autem univerſim quidem validos, ſingillatim imbecilles: idque magis, quia fere, religione diſſidentes, etiam inter ſe diffiderent. Itaque ſatis, quod curarent, domi habere, nec negotium aliunde arceſſendum. Deinde neque permiſſuros, ut ſeorſim quiſquam, Belgii principatu confirmatus, alios omnes poteſtate antecellat. Et ut quidam forte velint, non auſurum tamen ullum, propter Caeſarem; qui, ſororius Philippi, contra adniſurus eſset, ne deficientis Belgii patrocinium ab Imperio, aut Imperii quoquam principe, capiatur: idque ad maieſtatem ſuam, & familiae, toto orbe potentiſſimae, dignitatem pertinere. Vtque univerſim fiat, quando in hanc rem comitia prius convocanda eſſent, longam nimis moram fore. Quod ad Galliam, neque ſpem in hac ponendam. Vetus gentis odium eſſe, nuperamque lanienam deterrere. Ac diſtare nimium portus; quod commerciis, quibus Belgium cenſeretur, valde incommodum. Tum exhauſtas bellis inteſtinis opes; per quae regem, etiam compoſitis illis, non magnopere adiuturum. Et diſcrimen ſummum eſſe, ne Brabantos, Flandros, Arteſios, atque Hannonios irritarent; qui cum ipſis ſempiternum potius bellum, quam cum Gallis foedus, vellent. Deinde ut ſe hi ſubmittant, metuendum; ne Philippus, qui ulciſci ſeſe poſſit, permutatione facta, pro Hollandia, ae Zelandia, & provinciis foederatis, Mediolanum, ac Neapolim illi reddat. Neque enim hac de re ſecuritatem dari ſibi ullo ſacramento poſſe, quod plerumque pro libidine ſua reges violare minime dubitent: magis autem in hoc negotio, quando ipſi pro ſectariis, quibus fidem non ſervare ſit permiſſum, habeantur. Denique, ut nil horum obſtet, quid ſuppetiarum a rege, animo tam alieno a religione ſua polliceri ſibi debeant? ergo fruſtra etiam illuc itum iri. At in Anglia, etſi linguam differentem, religionem, quae iungendis hominum animis multum valeat, eamdem eſſe. Tum commerciis etiam aptiorem illam, & accedere huc reginae Elizabethae poteſtatem, uti ſummam terra, ac mari, ita imperium moderatum, procul gravi tributorum exactione. A qua, ſi protectionem impetrarent, tum Occanum utrinque liberum habituros; & commercia ceterarum Belgii provinciarum intercepturos, ac Hiſpanis ſpem recuperandi maris in perpetuum erepturos. Deinde Daniam, Sveciam, Emdam, & Vandalicas urbes alias, iam reginae foederatas, ſocietatem petituras. Hanc ſententiam, quum excluſum ſe commerciis animadvertet, cetero item Belgio fore. Denique ipſam etiam Galliam, foederis partem ambituram. Atque ſic futurum eſſe, ut, auxilia ſemper prompta, ac coniungi faciles copias, propter maris beneficium, habituri, hoſtibus ubique ſuis formidentur. Et reginam, confirmandae huic potentiae, religionem, libertatem, privilegia, & immunitates omnes, non conſervaturam tantum, verum etiam aucturam; dein pecunia, neceſſariiſque rebus adiuturam. Ac poſtremum, in magna opum abundantia, & armorum ſumma gloria, pace utrinque fruituros. Quas ob cauſas expedire, uti ſemel tandem ſtatuant; prius quam aut urbes aliquas e maioribus, aut inſigniores portus, aut munitiora loca hoſtis caperet. Nec conſultum enim eſſe, ut diutius, a pecunia, & exercitu, imparati, dubiae ſe fortunae exponant; quae res animos populares, per adverſa inclinare ſeſe faciles, ne in praeceps forte impellat, metuendum.* Itaque haec decreta legatio; placuitque ut mitterentur, Philippus Marnixius Aldegondius, Ianus Douſa Nordovicus, Gulielmus Niveldius Arentsbergius, Paulus Buſius, Franciſcus Maelſonius. Qui, in Angliam quum veniſſent circa diem Chriſto nato conſecratum, mox Elizabethae exponunt: *quo in ſtatu res ipſorum conſtitutae, & quid Bredae actum eſſet. Se negotium, reſque ſuas univerſas, aequitati,*

Digitized by Google

CIↃIↃ LXXV. *ti, ac conſcientiae eius permittere; & orare, ut auxilium, aut conſilium, adeo per vim expreſſis dare vellet. Vetus ipſi cum provinciis ſuis foedus; tum & genus inde eſse. Nam Philippam, Gulielmi, Hannoniae, Hollandiae, & Zelandiae, olim comitis, cognomento Boni, filiam, Eduardo* III. *nuptam; a quo stemma computaret. Nunc, ſi adiuvare velit, & protegere contra vim Philippi regis, ſummam quoque poteſtatem oblaturos.* Requeſenſius, poſtquam de legatione hac accepiſſet, Fredericum Perenottum Campaniacum contra mittit, qui
CIↃIↃ LXXVI. ſucceſſum perturbaret. Iſque ad diem XII. Februarii anni proximi in hunc modum verba facere: *non ignotum veterem Philippi adfectum: & orare eum valde, ne audire perduellem, aut iuvare certe vellet. Ita antiquis tot foederibus conſtitutum, quae & pridem cum Boiſoto renovata. Eo tempore Aldegondium, qui legationis caput, perduellem declaratum; & expelli iure poſse.* Ad quae illa reſpondere: *perduelles adiuvare, aut defendere nunquam honeſtum ſe putaſse. Verum ſat conſtare ſibi, quam in omnibus regi ſuo, & Ordinibus generalibus cauſam ſuam arbitrandam permiſiſſent. Ac, cum aeque inclementer haberentur Gallicanum patrocinium implorare decreviſse. Id quum neque ſibi omnino, nec Philippo expediret; providendum exiſtimaſse. Quod ſi vero ſub praetextu perduelles caſtigandi, rex praeſidium illis locis, ſive Hiſpanicum, ſive externum, qualecumque, collocare ſtatuiſſet. aeque id periculoſum regno ſuo arbitrari, ac ſi Galli occupaſsent.* Nondum quicquam in negotio legatorum conſtituerat, ſed differre propoſuerat; facta interim poteſtate, ut tormenta, arma, militem, commeatum comparare, & avehere tuto poſſent. Verum hi reſponſum urgere: & *ſubpetias, aut tutelam*, poſtulare; *donec, pacem conſequuti, iuxta normam verbi dei, in tranquilla conſcientia vivere poſſint. Nam hoc unum in votis eſse, idque ipſum ad quietem item Angliae pertinere. Si, quae peterent, improbaret; aut, non expedire ſibi exiſtimaret; ſaltem ne ſuſpendere vellet, & cunctando in diſcrimen ſummum adducere. Beneficii inſtar fore, ſi quamprimum mentem exponat; &, fortaſse negatura, ſtatim neget. Ita ſibi libertatem pro rep. conſultandi permanſuram; & mature decreturos, quae ex uſu eius putent: quaeque iure, tam divino, quam humano permittantur.* Dum in Anglia a legatis tanta animi magnitudine haec gerunтur, in Hollandia ipſa Auriacus Ordineſque, qui vix ſpiritum ſub ingentis belli mole trahere poſſe crederentur, adeo ſe non premi tantum, aut laborare, oſtenderunt; ut decretam pridem in urbe Lugdunenſi Academiam die octavo Februarii palam nunc erectum irent. Quae in eam famam excrevit, ut celebritate nominis, & ingeniorum gloria, nulli hodie toto orbe Chriſtiano Academiarum cedat. Requeſenſius, inclinante in ſeditionem milite, ut praeverteret, a provinciis ſingillatim magnam vim pecuniae petere; urbibus quoque, uti pagis, ſi conceſſum id fuiſſet quod volebant, ſuam cuique ſummam indicere: ac viginti octo millia florenorum, quae Altempſiano militi ſolverentur, in menſes ſingulos, ab Antuerpia poſtulare. Et hoc tempore quatuordecim aureorum milliones cum ſemiſſe res debere dicebatur; iamque impenſi bello Belgico amplius quadraginta duo computari. Ea res auctoritatem Requeſenſii valde fregit; & querelam pro pecunia, quam poſcebat, plurimae provinciarum obtulere. Ac nonnullae, *privilegia reddi ſibi* cupiebant, aliae, quod promiſſiſſet, *ut praeſidia revocaret*: Flandria, *uti rationes putarentur*. Haec pollicita pridem erat centum millia florenorum; verum ea tantum lege: *ut deducerent quicquid ab Hiſpanis damni accepiſsent, aut militibus impendiſſent: tum praeſidium ut provincia univerſa evocaret, & delicta caſtigaret. Vt uſuras etiam ſolveret, quae e regis vectigalibus deberentur. Porro addicta fiſco bona, iuxta privilegia ſua, & corruptam diſciplinam militarem reſtitueret. Denique ut ſenatum illum ſanguinarium aboleret; & provinciarum curiis cauſas quaeſcumque redderet.* Vniverſim vero omnes poſtulare, *ut a decima exigenda in perpetuum abſtineret*. Hinc tributa intermitti, neque quicquam in aerarium referri, neque a praefectis ſolvi. Qua de cauſa quum comitia generalia Requeſenſius indixiſſet, & Bruxellas Ordines provinciarum, aut eorum delegati, conveniſſent, per libellum, a Franciſco Richardoto, epiſcopo Atrebatenſi, ſcriptum petere: *ut, amoto externo milite, Belgis deinceps uti vellet; diſciplinam militarem emendaret; & provinciarum cenſum iis rebus, ad quas deſtinatus eſset, adplicaret. Ne magnates leges populi, & cuiuſque privilegia ſurta tecta conſervaret. Tum ad regem, quicquid paſſim gereretur, bona fide ut referret; iſque in rebus, quae ad Belgium pertinerent, Belgas quoque conſiliarios adhiberet. Denique ut tumultuatos pridem Hiſpanos caſtigaret, & cohortes ordinarias inſtauraret. Sibi quidem in obſequio, & religione avita permanere omnino certum: ſed ſine iſtis nullo modo ſalvum eſse Belgium poſse.* Tum adhuc in Duvelandia morabatur; ubi quum libellum iſtum accepiſſet, indignatus, *deus*, inquit, *me ab his Ordinibus liberet*. Mox Antuerpiam, & Bruxellas quum veniſſet, cur comitia indixiſſet, coram exponit: *cauſam ſolam habuiſse, ut pecuniam, belli nervum, expedirent. Ea ſibi, ſi in Belgio reſtitutam maieſtatem regis cuperent, opus eſse de libello, quem offerrent, eum ſeſe quantum poſſet, apud regem adiuturum.* Iam Hiſpanicus equitatus propalam tumultuati; itaque, ut favorem ſibi nunc obſtringeret, promulgato ſtatim edicto, poteſtatem ruſticis facit, qui ſe contra communirent. Iſte autem, quum per agrum Inſulanum, & Arteſiam, in Hannoniam penetraſſet, a Lalanio vix repreſſus, a Romero apud Mollam in Brabantia mox ſedatur. Ob id factum irritati odium in Lalanium capere, & vindictam minitari; Requeſenſium vero ipſum ſuggillare: *qui, coërcuiſset motum, non pacaſset: deinde arma auctoraſset, numquam poſtea deponenda.* Requeſenſius, qui pecunia ſe deſtitui ringebatur, eo magis aegre ferre, quod

haec

CIↃIↃ LXXVI. haec illo maxime tempore negaretur, quo dedendam Ziriczeam exiſtimaret, Qua victoria tam inſigni & Hollandiam, & Zelandiam, diſtenturus, gloriam multo maiorem, quam Albano obtigiſſet, relaturus videbatur. Itaque, quum rurſum Hiſpanos in tumultum propendentes animadverteret, neque ſibi firmam ſatis valetudinem, advocato ſanctiore conſiſtorio, & praefectis provinciarum, quoſdam item epiſcoporum adeſſe iubet: inter quos Yprenſis erat, & Burgenſis. Atrebatenſis paullo ante, fato ſuo, aut veneno, ut ferebant, ob libellum a ſe ſcriptum, procurato, diem obierat. Aderant quoque Arſcotanus, Barlaimontius, Rochenſis, Mansfeldenſis; qui, Albani praefectura, aula fere abſtinuerat. Ad hos Hiergius, Campaniacus, Raſſingemus, aliique. Horum auctoritate uſurus, Flandriae delegatos vocat, & oratione acri mox caſtigat: *pronos, eſse in perduelles, & conſilia clam conferre. Ni pecuniam procurarent, detrimentum, quod reſp. hic acciperet, ipſis imputatum iri.* Ad quae ipſi quum obnixe poſtularent, *ut putaret rationes, militemque peregrinum, quod pollicitus, evocares;* ille contra obſtinatior, & iam ira exardeſcens, *ſolos adeo, modo ſerio ad exemplum regis agerent, ad Hollandos, Zelandoſque, compeſcendos ſat valere. Et aerarium valde locuples ſupra ceteros Belgarum poſſidere. Regem bello iſto ſuo & Hiſpaniam, & Italiam exhauſiſſe; iamque amplius quadraginta milliones impendiſſe. Periniquum, ut cum aliorum inopia ipſos ditet. Quod deduci militem vellent, eum regi, tanquam viro nobili gladium, ad tutelam maieſtatis neceſſarium. Verum tamen curaturum, ne moleſtus porro equitatus eſſet.* Poſt haec in triginta millia florenorum conſenſere; quae Germanis abducendis, etſi neque illud factum, impendenda. Sub hoc tempus Chiappinus Vitellius, Cetonae Marchio, vir militiae laude clarus, infelici caſu obiit. Hic Philippo, quum Albanus Belgium peteret, ab Hetruriae duce Coſmo adtributus, iſto bello bonam operam navavit. Quumque in Scaldiae quodam aggere curru penſili veheretur, eo everſo, ut obeſo corpore erat, quum ſe graviter adflixiſſet, & Antuerpiam properaret, in itinere exſpiravit. Aiunt quidam, a malevolis, data opera impellentibus, deturbatum; quod arcana quaedam Coſmo, in Philippi praeiudicium, detexiſſet. Neque diu Requeſenſius ſupervixit; qui Bruxellis, die quinto menſis Martii, febre acuta, ac peſtilenti impetitus, diem clauſit. Erat vir ingenio moderatiore, & prudentia, multo rerum uſu parta; ideo Albano a Philippo ſucceſſor datus, ut, cum Belgis mitius agens, hac contraria ratione ad obſequium eos reduceret: quaeque ille per rigorem deliquiſſet, nova imperii aequitate emendaret. Atque ita arma ſua temperaret, ut reducere potius populum ad obſequium priſcum velle, quam adfligere, videretur; ac, quum primum perfeciſſet, ponere ea, &, ſancita ante actorum oblivione, bona fide in gratiam recipere univerſos, promptum oſtenderet. Et conſilium hoc fuiſſe credi poterat; niſi fraudem occultatam, in tumultu Antuerpiano, & conventu de conſtituenda pace, Bredae habito, prodidiſſet. CIↃIↃ LXXVI.

IOAN-

Digitized by Google

IOANNIS MEVRSI
ATHENAE BATAVAE
SIVE
DE URBE LEIDENSI, ET ACADEMIA VIRISQVE CLARIS
Qui utramque ingenio ſuo, atque ſcriptis illuſtrarunt.

LIBRI DVO.

Digitized by Google

ILLVSTRI, AC GENEROSO DOMINO,

D. CHRISTIANO FRISIO

Equiti aurato, Domino de Kragerup, Sereniſsimi Daniae Regis, Chriſtiani IV. Cancellario, & Regni Senatori,

IOANNES MEVRSIVS

DEDICO CONSECROQVE.

ILLVSTRISSIME, AC GENEROSE DOMINE,

SAEpenumero admirari mecum ſoleo, ut hominibus, ita quoque regionibus, ſuum quoddam fatum eſſe; & id neque aequum pariter, aut iniquum: quum interdum uſuveniat, ut plus famae aliae habeant, quam merentur; aliae, minus. Nulli detrahàm, ſi quid nimium eſſe cenſeam, quando levius id exiſtimo; iſtud dicam, quod indignor vehementer, non pro merito famam aliquando obtingere. Ecce autem, verum hoc tibi in Danis veſtris, quorum quum & virtus bellica longe maxima, & ingenii excolendi ſtudium plane incredibile, ſemper fuerit, quis aut illam nunc commemorat, aut hoc credit: nedum, uti dignum eſt, laudat? Ego vero, quum induſtriam iis meam qualemcumque pridem totam conſecraverim, continere me non poſſum, quin illorum & in militia fortitudinem, geſtarumque rerum gloriam, & ingenii excolendi ſummum ſtudium, non pro dignitate quidem, quod nec poſſim, verum pro candore meo, paullo uberius praedicare hîc inſtituam. Atque, ut virtutem belli prius dicam, nonne Hiſtoriae teſtantur, eos ſub Erico IV. quam fortiſſime Imperatori Byzantino militaſſe? nonne Friſiam ſubiugaſſe ſub Gotrico? & iiſdenique Carolo Magno exſtitiſſe formidandos? nonne Sveciam expugnaſſe ſub Regnero, & Norvagiam; inde Angliam, Scotiam, Orcadas, & Hiberniam? non Vandaliam domuiſſe ſub Helgone, Roricoque, & Frotone I. pariter, ac II. Iarmerico, item Waldemaro I. ac Erico denique X.? non Saxoniam ſubiugaſſe ſub Wermundo? non Germaniam denique totam, & adnexum illi Belgium; non Italiam varie perterruiſſe? nonne concuſſiſſe Galliam; Neuſtriamque, quae ab ipſis hinc Normannia adpellata, occupaſſe? At haec ſane, quum ſint maxima, quotuſquiſque eſt, qui ſciat? Pauci adeo Scriptores, aevo, & nomine, obſcuri, quoſque nemo fere legit, vix commemorant; ita hîc iniquitas fati, quam initio accuſavi, debitam virtuti laudem nimis deterit. Non immerito Alexander ille cognomento Magnus, ad Achillis in Sigeo monumentum conſtitutus, felicem eum praedicabat, quod Homerum gloriae ſuae praeconem nactus eſſet. Nempe, ut olim Flaccus dixit:

Paullum ſepultae diſtat inertiae
Celata virtus. ——

Contra item, res quaecunque, quamlibet praeclare geſtae, ut maiores videantur, in Scriptoris manu ſitum eſt. Neque ullo modo dubium, quin omnino magna fuerint, quae geſſere Athenienſes, ſed ingenio ipſi ſuo multum famae addiderunt. Romanorum quoque virtus, etſi ſumma, plurimum Scriptoribus debet. Haec felicitas quia Danis non obvenit, inde factum, ut, vel omnes laude armorum ſupergreſſi, ab his tamen claritate ſuperentur. Nunc ad alteram infelicitatis partem, qua ingenii excolendi ingens cura minus digne praedicatur, veniamus. Sane iam a multis ſeculis, atque ipſo Auguſti aevo, quum horrerent imperitia nationes fere ceterae, praeter Graeciam, & Italiam, Galliamque, in qua urbs Maſſilienſis Academiâ celeberrimâ tunc florebat, Dani tamen & ingenium coluere, quanquam libris patriâ duntaxat linguâ conſcribendis, & honorem illi ſummum habuere. Eius rei en illuſtre teſtimonium. Poſtquam diem Froto IV. obiiſſet, & Fridlevus, huius filius, qui in Ruſſiâ tunc degebat, deceſſiſſe putaretur, regnum in

illum

Digitized by Google

illum transferendum cenſuere, qui defuncti monumentum ornaret verſu meliore, & elogio digniore, famam eius poſteritati commendaret; itaque Hiorno quidam, ceteros hîc ſuperaſſe iudicatus, pretium paucorum verſuum, ſceptrum accepit. Eant nationes aliae, & honores, quibus clara olim ingenia adfecere, paſſim iactent: nulla harum Danis ſeſe comparare unquam audeat, apud quos exiguum carmen toto regno aeſtimatum eſt. Ac tenendum, non tunc primum concepiſſe hunc adfectum, verum multo etiam ante habuiſſe; nec depoſuiſſe poſtea, ſed conſtanter per ſequuta inde tempora conſervaſſe. Quam erectas autem mentes, & ad gloriam excitatas, his fuiſſe exiſtimamus; qui praeclare a ſe geſta, ne memoria intercideret, in iniuriâ illâ temporum, quâ Latinae linguae uſum, item chartae, nullum habebant, patriae ſuae ſermone, & in rupibus conſignarunt? Fateor cum ſtupore legi, quae de hac re in Praefatione ſua Saxa tradit, merito hîc repraeſentanda. Nec ignotum volo, Danorum antiquiores, conſpicuis fortitudinis operibus editis, gloriae aemulatione ſubfuſos, Romani ſtili imitatione, non ſolum rerum a ſe magnifice geſtarum titulos exquiſito contextus genere, veluti poëtico quodam opere, perſtrinxiſſe; verum etiam maiorum acta, patrii ſermonis carminibus vulgata, linguae ſuae literis, ſaxis, ac rupibus inſculpenda curaſſe. Quantum porro ingenii illius homines hiſtoriarum edituros putemus, ſi ſcribendi ſitim Latinitatis peritia paviſſent; quibus, tametſi Romanae vocis notitia abeſſet, tanta tradendae rerum ſuarum memoriae cupido inceſſit, ut voluminum loco, vaſtas moles amplecterentur, codicum uſum a cautibus mutuantes? *En, Cleanthis olim factum praedicatur, qui praecepta philoſophiae, a Zenone quae acceperat, teſtae, oſſibuſque bubulis, actus egeſtate inſcripſit; Dani autem ſaxa adhibent; & oſtendunt, ſe egregiâ voluntate, impetuque genoroſo, ad honeſta omnia ferri, ſed fortunâ prohiberi. Iam vero, Latinae linguae imperitiam, nullum ſane probrum puto; nam nec Graeci tenuerunt, reſque geſtas ſuâ item tradiderunt: neque id ipſis quiſquam vitio unquam vertit. Poſtea tamen, quum occaſionem darent tempora benigniora, neque illam neglexerunt; & Lutetiam, ubi pridem Carolus Magnus Academiam inſtituerat, nobilitatem conceſſiſſe, ſtudiorum, & linguae item Gallicae, causâ, teſtis mihi luculentus eſt Arnoldus, abbas quondam Lubecenſis, in ſuo Slavorum Chronico: atque ecce tibi verba.* Scientiâ quoque liberali non parum (Dani) profecerunt; quia nobiliores terrae filios ſuos, non ſolum ad clerum promovendum, verum etiam ſecularibus rebus inſtituendos, Pariſios mittunt: ubi litteratura, & idiomate linguae terrae illius, imbuti, non ſolum in artibus, ſed etiam in Theologia multum invaluerunt. *Itaque neceſſe omnino, multos paſſim toto regno viros doctos exſtitiſſe; ſed, ſcribendo nomen ſibi comparare animum non inducentes, ac ſcientiâ contenti, famam inſuper habuerunt: niſi quod mox unus Saxo eſt repertus, qui* Hiſtoriam gentis ſuae *eâ puritate ſcripſit, & orationis item elegantiâ, ut, aetate quidem iſtâ, parem illi invenire nullum liceat. Poſteaque, inter ipſos etiam Reges exſtitit Ericus X.;* De origine Danorum, Regibuſque, & eorum rebus geſtis, *commentatus. Et iam pridem viam eamdem inſtiterunt, in Theologiâ, Nicolaus Hemmingius; in Philoſophia vero, Andreas Cragius; in Philologia, Nicolaus Cragius; denique in Mathematicis, e nobilitate primâ, Tycho Brahe, cum Antiquitate totâ, in illo ſtudiorum genere, comparandus. Ac ſuperſunt etiamnum, clara patriae ſuae lumina, Ioannes Reſenius, & Caſparus Bartholinus: etiam alii, quorum ſcripta, quanquam nondum ad manus noſtras pervenerunt, laude tamen, quam merentur, non carebunt. Adde viros, genere non minus claros, quam virtute, doctrinaque, ac dignitate; quos negotia regni maxima, & continuae in his occupationes, per ingenii monumenta famam quaerere non permittunt. In his merito, Vir Illuſtris, ac Generoſe, te repono; cuius tanta Linguae Graecae, Latinaeque eſt peritia, ut fortaſſe parem quidem, ſed ſuperiorem certe nullum habeas. Quid Iacobum Vleſeldium, regni inpraeſens Cancellarium; quid Oligerum Roſecrantſium, Senatorem; aut quid Chriſtianum Thomae, aulae Principis Sereniſſimi magiſtrum, nunc commemorem? quorum ut nobilitas ſumma eſt, dignitaſque, ita palmam utrique dubiam virtus, & doctrina faciunt. Taceo alios, magno numero; quorum etſi nulla apud exteros fama eſt, domi tamen non obſcura eruditione excellunt. Et profecto, ut tales eſſent, inde a duobus ſeculis ipſi Reges, curâ certe laudatiſſima providerunt. Inter hos Ericus X. primo loco memorandus; qui, doctrinae amore flagrans, cuius dignitatem animo capiebat, quum erigere Academiam ſtatuiſſet, anno* CIↃCCCCXX. *& diploma in rem illam a Martino V. Papa impetraſſet, quamquam bellis, motibuſque, inteſtinis impeditus, non perfecerit, quae praeclare agitabat, tamen laudem, quam conatu iſto meruit, nulla aetas tacitura eſt. Poſt hunc Chriſtianus I. meliore fato uſus, rem perfecit, anno* CIↃCCCCLXXIX. *Hafniamque, Urbem regni ſui primam, Regum ſedem, Muſis propriam eſſe voluit;*

Digitized by Google

& Ioannes, eius filius, aucto Professorum numero, ac stipendio, beneficium ingens adtulit; hinc certatim Fridericus I. Christianus III. Fridericus II. variâ munificentiâ in immensum provexere. Sed eorum omnium merita denique Christianus IV. cuius nunc augusto regno felix Dania, quam longissime praetergressus, gloriam sibi immortalem comparavit; quippe ille, non contentus Hafnienjem Academiam, quam fundatam a maioribus, instructamque ipse acceperat, supra ceteros exornasse; cum ceu oculos regnorum Academias esse crederet, & deforme uno oculo corpus sciret, alteram nunc Sorae instituit, in nobilitatis gratiam; quam ingeniorum cultum, genere dignum capere hîc seorsim voluit; quin, ne aliquid deesset, corporis quoque exercitia, huic iuventuti propria ordinavit. Insuper, quum ad prudentiam, sine qua non regna ulla, aut Respublicae recte unquam gubernantur, peregrinatio multum conferat; neque ea commode institui possit, nisi linguae, locis suis usitatae, teneantur; isthic dedit, qui docerent: ne vel peregre quisquam sese peregrinum existimaret. In hoc autem tam praeclaro instituto, quod, pro sapientiâ tuâ longe maximâ, plurimum sane promovisti, Vir Illustris, & Generose, cum de me huc evocando Regiae Maiestati Suae auctor inter primos fueris, pro iudicio de me tuo, & adfectu, quem feciſti manifestum, supra modum me debere tibi fateor; operamque omnem dabo, ne hoc fallam; istum vero, ut porro merear, ac conservem. Cuius meae voluntatis pignus tibi praesens adfero, istas Batavas Athenas; quas benigne si acceperis, causa erit, cur non parum mihi gratuler. Equidem fortunae tuae magnitudinem non ignoro, & maiora tibi obferenda esse; verum, non ingratum omnino, quicquid hoc est, fore, spes me bona habebat: utque Antiquitates qualescumque amas, has te quoque amaturum; ut doctrinam omnem subspicis, ita etiam Professores istos nostros, ceterosque, qui in illa famam dudum consequuti, perbenigne exceptu rum, confidebam; nec, ut credo, spes me ista, aut fiducia nunc frustrabitur. Huc accedit summa humanitas cum amplissimâ quamvis dignitate certans; & par huic, ingens in me benevolentia: quâ utrâque ut me porro complectaris, etiam atque etiam rogo; ita patriae, quam relinquo, & amicorum, desiderium levius feram. Scribebam Lugduni Batavorum, ad diem XXI. *Martii,* CIↃ IↃ C XXV.

BENIGNE LECTOR.

QVum descriptionem Leidae ante annos aliquot Ioannes Orlerius, nunc Senator huius urbis, linguâ vernaculâ edidisset, visum mihi, quae notitiâ exterorum non indigna existimabam, hinc excerpere, & Latinâ orbi universo dare: simul etiam, viros tibi exhibere, quorum ingenio, atque scriptis, famam consequuta esset. Ecce ergo libros duos; e quibus secundus tamen non est noster, nisi quod adoptione eum fecimus; nam ab aliis variè scriptus, dum e vivis suam quisque vitam tradit, alii autem mortuorum amicorum, nihil plane nostrum habet, praeter curam editionis: & indicium eius rei certum tibi stilus faciet, adeo varius, quam sunt illi, qui scripserunt. Ego vero, ut uniformis iste esset, refingere nolui; ne in alieno opere, & quod tanti non putabam, nimis curiosus dicerer. Edidi eum, festinanter concinnatum, nempe in Typographi gratiam, ante annos hos duodecim; ac titulum feci, ILLVSTRIS ACADEMIA LVGDVNO-BATAVA: nomen vero non adposui, quod indignum arbitrarer, e quo famae comparatum aliquid vellem: tum, quod plurimorum potius opus, id quam meum esset. Inde alius, quum placere animadverteret, varie interpolavit, novam editionem instruxit, & inscripsit, ALMA ACADEMIA LEIDENSIS. Hoc volebam ne nescires. Erant praetermissi quidam; quod eorum neque effigies haberemus, neque vitam, sive scripta, sat sciremus: quos nunc tibi in APPENDICE exhibemus, unumquemque a se descriptum, aut defunctos ab amicis, pariter atque in priori opere factum. Illud etiam testamur, nullam hîc ambitionem ordinis esse; neque quenquam digniorem, aut clariorem, quia priore loco conspicitur; aut minoris quoque meriti, sive famae, quia inter posteriores collocatus. Tantum observata nobis temporis ratio, quo ad Academiam quisque eorum venit, atque scriptis illustrare illam coepit. Idem in APPENDICE factum. Vale, & te his oblecta.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO
INAVGVRALIS
ACADEMIAE LVGDVNO-BATAVAE
HABITA
A LVDOVICO CAPELLO

De quo vide in hoc opere, ſuo loco.

VM & muneris mihi impoſiti ratio, tum etiam receptae ius conſuetudinis, imperet neceſſitatem aliquid dicendi in hac honeſtiſſima corona, Viri Ampliſſimi, & Auditores humaniſſimi: certe ipſe hic locus, ipſum hoc tempus, imo res ipſa, monent me, nihil commodius, nihil opportunius dici poſſe, quam de laudabili, pio, & utili, inſtituto Academiae, quae Deo optimo Max. & Reipublicae, Lugduni Batavorum conſecrata eſt. Atqui ab hoc labore ſubinde me deterruit rei ſubſcipiendae magnitudo, tenuitas autem ingenii pene probibuit: veritus ne culpa ingenii egregium iſtud factum omnium ſermonibus monumentis, & memoria conſecrandum detererem, & parce laudando vituperare viderer. Verum quum neque ingenii oſtentatione, neque facultatis copioſe & ornate dicendi abrogantia, hunc laborem in me receperim; ſed ut quod apud pectus loquerer, intus apud animum verſarem; raptus in ſtupendam admirationem, & amorem huius egregii inſtituti, id pro hac concione voce prodere, & quacumque poſſem oratione publice explicare: certo perſuaſus pro veſtra humanitate, modeſtia & benevolentia erga pios conatus in rebus magnis, me in leniorem reprehenſionem incurſurum: quum longe infra dignitatem & amplitudinem facti me dicentem audietis. Mola enim tantum ſalſa litant, qui non habent tura, neque cuiquam vitio fuit, Deos quoquo modo poſſet, colere. Ego certe huius orationis meae nullum alium finem mihi praefixum habeo, quam ut publice ſignificem, cor mihi gaudio geſtire, & laetitiis incedere, quum videam inter ceteras laudes, & ornamenta bellica ſerae poſteritati commemoranda, quibus Deus ornavit, & cumulavit Batavicam gentem; etiam ſummum pacis & togae decus adieciſſe inſtitutionem Academiae, in qua excolerentur artes, & inſtituta omnia, quae faciunt ad Eccleſiae & Reipubl. prudentem gubernationem, & felicem conſervationem. Eo etiam collineavi, ut hoc meo tenui exemplo impolitae orationis, amplioris cultus ingenia in dicendo exercitata, rerum variarum cognitione inſtructa excitarem ad augendas & exornandas laudes facti, quod ego mea ſcabritie detriverim, & aſperitate deformaverim. Confido mihi hoc ſaltem eventurum, quod Atticus de Antipatro dixit, quod quidem paullo inflavit vehementius, habuitque agrestes & horridas vires, ſine nitore ac paleſtra, in hiſtoria: ſed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius ſcriberent. Et certe quum aliarum gentium res cum virtute geſtas admiramur, patriae virtutes colere & venerari oportet, omneſque ingenii vires omnem dicendi facultatem in eu celebranda conſumere: Veſtrae igitur aequitati & candori confiſus propoſitum adgrediar, obnixe vos orans ut aequitate veſtra dicenti adſitis. Intelligetis enim, in huius Academiae inſtitutione, ſagaci conſilio, cogitatione & induſtria piiſſimi ac fortiſſimi Herois Principis Auracii concepta, doctorum & peritorum hominum diſquiſitione examinata & comprobata, auctoritate ampliſſimorum Ordinum confirmata, favore, ſtudio ac benevolentia ſumma Magiſtratus & populi Lugdunenſis recepta, elucere omnis laudis & virtutis ornamenta ampliſſima. Percipietis, hanc inſtitutionem Academiae non ſolum niti aemulatione laudatorum exemplorum in omnibus gentibus ac hominibus uſque natis: verum etiam maiorum facta & exempla ab hac, in eadem cauſa longe ſuperari, & poſt ſe relinqui. Imo ſingulari quodam fato factum, ut haec Lugdunorum Academia, conveniat cum deſcriptione primae illius ac celebratiſſimae Athenienſium Academiae, in qua floruerunt Plato deus & Ariſtoteles princeps philoſophorum & alii, qui eos tempore conſequuti ſunt. Atque adeo eoſdem fructus, eadem commoda reditura ad hanc provinciam, cum pare gloria, accipietis; quibus unquam viguerunt & floruerunt Academiae ullarum gentium, ratione & conſilio deſcriptae. Sive enim iſtud factum examines ad normam prudentiae cum pietate coniunctae, an non plenum prudentiae iudicabis? Si enim prudentia eſt veri perſpicientia, ſolertiaque: & is prudentiſſimus habetur, qui maxime perſpicit, quid in re quaque veriſſimum eſt, quique acutiſſime & celerrime poteſt videre, & explicare rationem: Quomodo non prudentia ſumma Academia videbitur conſtituta, quae eſt iſtud domicilium, in quo naſcitur, alitur, excolitur, perficitur, omnium rerum humanarum & divinarum ſcientia; in quo traduntur, & praecipiuntur ea, ſine quibus neque bene, neque beate vivere poſſis ulla in vitae parte, ſive publicis, ſive

Digitized by Google

ve privatis, sive Ecclesiasticis, sive civilibus negotiis. Quorum enim virtus, & utilitas maior elucet vel Ecclesiis gubernandis, vel repub. moderanda, vel forensibus negotiis prudenter, caste, integreque exercendis, ac regendis, vel domesticis, ac privatis rebus ordine modoque suendis: quam qui Academiae laetis uberibus aliti, educati, & confirmati sunt? Si sapientia est, quae urbes, & naves gubernat, cur non & Academiae institutionem, ex sapienti, providoque consilio natam arbitrabimur? quae sapientes, prudentes, doctos, & pios educit, & in omnes partes orbis terrarum, ad omnes Respub. & Ecclesias diffundit, non aliter quam uberrimus fons, etiam quae procul sunt irrigans, & suo fructu satians. Certe sunt Academiarum beneficio, qui alii homines erunt in Ecclesiis, & Rebuspublicis gubernandis, quam temerarii, imperiti, qui ubique in agendo & iudicando errent, impingant, labantur, imo navem, qua vehuntur, cum vectoribus evertant. In omnium sermone, cum summa admiratione iactatum est illud dictum Iustiniani Imperatoris: Maiestatem Imperatoriam, non solum armis, sed legibus oportet esse decoratam. Atque unde legum interpretationes, unde earundem nervi exsecutio, unde iusti & iniusti disquisitio, ac disputatio petenda? quam ab iis, qui Academiae succo imbuti, legum, iustitiae, ac aequitatis cognitione exculti, & informati sunt?

Iam si ad iustitiae lancem istud factum expendas, ecquid iustius erit in Principe, praeter defensionem, & propulsationem iniuriarum hostilium, istud etiam beneficii adiungere civibus, ut ex oneribus, tributis, vectigalibus, quae conferuntur ad salutem, & conservationem Reipubl. instituere Academiam suae regionis loco selectissimo, ex qua tanquam ex pub. domo doctrinae, liberis suis accersant uberrimum & amplissimum ingenii cultum, quem singuli domi suae consequi non poterant? Ecquid iustius est, quam idololatricorum cultuum (a) stipendiis translatis in potestatem gubernantium, ea conferre & distribuere ad alendas scholas, excitandam & fovendam Academiam, ornandos homines doctos, quorum opera fontes Christianae & Ethnicae sapientiae aperiantur, ac elucidentur? Qua in re quam iniuste ac immaniter hactenus actum sit, ac agatur in multis Rebuspubl. (proh dolor) sine acerbo animi dolore neque ego commemorare, neque vos audire potestis. Quid enim usitatius? quid frequentius ubique fuit, quam ut asini portarent mysteria, docti fama cum famae contenti viverent. Scipionem post captam, ac direptam Carthaginem novam, post Hasdrubalem Barchinum profligatum, quum profusus esset in liberalitate, & munificentia exercenda, in homines doctos & sapientes, in milites strenuos, quorum tum consilio tum labore adiutus, ac usus esset in victoriis, dixisse accepimus: Belli finis est Victoria; Victoriae autem fructus est liberalitas. Eadem certe indoles, idem certe animus propensus ad omnem liberalitatem, expositus ad omnes rationes bene merendi de civibus suis, conspicitur in Illustriss. Principe Auriaco, cui ubi licuit paullulum respirare ab onere impressionem hostilium, nihil ipsi prius in deliberationem venit, neque etiam prius conquievit, quam has provincias iuvaret, ac ornaret honore, fructu, ac commodis Academiae ordine & iudicio constitutae, quae pulchritudine suae συμμετρίας, exteros etiam adliceret ad sui amorem, & cornucopia suorum fructuum laetissimorum copiose bearet.

Catonem dixisse accepimus; Non mirandum est, si id quod quis maximum bonum esse putat, alteri non concedat. Quocirca quum summum bonum sit Reipub. belli gloria, pacisque studiis florere, quid mirum, si neutrius boni huius possessione, externis noluit cedere populis gens Batavica? Elucet certe magni, constantis, & fortis animi argumentum in Batavica gente, quod in ardentissimo fervore belli, rebus impeditissimis, & turbatissimis, praeter labores & consilia militaria, in defensione & munitione molienda contra hostes potentissimos undequaque prementes; etiam hoc oneris & difficultatis sibi imposuit, ut deliberaret, & deliberata perficeret, de forma instituendi, & rationibus alendi Academiam, in qua studia pacis colerentur coniuncta cum belli negotiis. Neque hoc importune, aut inepte quisquam factum iudicaverit, neque occlamet, divisis, non coniunctis temporibus haec fuisse suscipienda consilia, quod vel alterius laboris cura Rempub. fatigare, & consumere possit. Certe is nescit eamdem Pallada bellicam simul ac civilem esse, nescit eam armorum & studiorum vigilem esse praesulem. Certe is nescit, Phoenicem a Peleo patre Achilli iuveni comitem & praeceptorem datum esse ut illum efficeret μύθων ῥητῆρ' ἔμμεναι, πρηκτῆρα τ' ἔργων. Ignoratis, Nihil valere arma foris, nisi sit domi consilium: An non in toga, ut omnibus temporibus, ita adhuc hodie consilia & rationes domi coquuntur, quae armis bellicis maturescunt, & perficiuntur? Nonne res illae amplissimae, & splendidissimae Themistoclis, gestae sunt consilio Senatus Areopagitici, a Solone sapiente constituti? Nunquid Cicero, & pacis & belli artibus instructus plus profuit conservandae saluti & dignitati imperii Romani consilio, prudentia, & artibus togae, quam alii imperatores, imperiti pacis, togaeque studiorum, qui & devictis exteris nationibus, frustra triumphum deportassent, nisi beneficio Ciceronis Rempub. habuissent, ubi triumphare possent? Et quae iam alia mater? quae nutrix? quae alia officina studiorum & artium pacis est? quam Academia. Vbi Cicero illas divitias consilii & sapientiae in Administratione Reipub. comparavit? quam Athenis, quae semper habita est domicilium omnis sapientiae. His pacis artibus, dicendique exercitationi, quum Cicero adiunxisset etiam bellicae fortitudinis laudem, & non tantum domi consilio disceptaret, quae ad amplitudinem, robur & maiestatem Reipub. pertinerent, verum etiam vi & manu eadem conficeret; omnium seculorum & gentium iudicio, habitus est extra omnem ingenii aleam positus, & naturae laborantis vim & virtutem suam in uno homine cumulatam spectandam & admirandam proponere; miraculan[illegible]te. Respub. paratiores

(a) Nil mirum, si homo haereticus orthodoxorum sacra, ritus, caeremonias servandas iugiter venerandasque contumeliosis verbis insectetur.

Digitized by Google

tiores, & firmiores semper habebunt milites, & praecipue magistratus militares, si & militiae laboribus exercitati & legibus ac disciplinis sapientiae, ad magnanimitatem veram, ad iustitiam ac fortitudinem formati, ad patriae defensionem adhibebuntur. In confesso est, Graecos, praecipue autem Romanos, hac usos esse ratione educendi pueritiam suam florentissimo tempore imperii sui; ut primum literis, & gymnasiis instruerentur: deinde militiae laboribus tradebantur; post navatam operam bellicam, post rem & gloriam partam, redibant ad studia; & tandem ad Rempub. accedebant. Testatur id vita Ciceronis, docet idem cursus vitae M. Ciceronis filii, ad summam laudis perfectionem a patre educati, etiam si vota ceciderint, laborque irritus perierit. Evincit idem Platonis vita, qui quum apud Dionysium literas didicisset, picturae quoque & poematibus studuisset, & apud Aristonem Argum palaestritam gymnasiis confirmatus erat, Socratem incepit audire, postea Euclidem & Theodorum mathematicum. Ab his quietis studiis tandem ad bellicos labores se contulit. Ter enim Platonem militasse Aristoxenus auctor est, primo in Tanagram, secundo in Corinthum, tertio in Delum, ubi & victoria potitus est. A gloria militari rediit ad philosophiae labores, hortuloque emto in Academiae suburbio, scholam aperuit, discipulos collegit, ubique elaboravit fructus illos studiorum suorum, quos omnis posteritas semper admirata est, & semper venerabitur tanquam θεῖον. Omnino de talibus civibus, qui pacis artiumque studia adiungunt bellicis exercitiis, & ad resp. gubernandas accedunt, certa spe confidendum est, praeclaras & utiles fore Resp. laude infractae fortitudinis, qualem depingit numerosus ille Horatius, Latinorum Pindarus.

Iustum & tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava iubentium,
Non vultus instantis tyranni,
Mente quatit solida, neque Auster
Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna Iovis manus,
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.
Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas,
Quas inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

Cur Aeneas imago, ac omnibus numeris absolutum exemplum, perfecti Principis Reipub. proponitur, & una omnium voce, omnium calculis talis aestimatur, quam quod pacis studia & artes coniunxerit cum belli artibus, & in utrisque sibi par fuerit?

Drances ille Orator florebat quidem pacis negotiis & dicendi gloria. Turnus Rex armis & virtute bellica praeclarus erat. Sed uterque infelix in rebus agendis. Ille quod manu nec decertare, nec vi bellica exsequi posset recte cogitata consilia. Hic, quod pacis & sapientiae artibus destitutus temere & violenter tantum multa adgrederetur. An non Cymonem illum Miltiadis filium Imperatorem Athenienſem, qui navali praelio Persas devicens, tam duris conditionibus eos pressit, ut iurarent se in posterum tam procul mari abcessuros, quam equus cursu citato a mari procedat, & se ferrata navi mare nunquam ingressuros, putabimus pacis & belli artibus excultum floruisse, quando rediens a Victoria Persarum navali (in muris enim ligneis oraculum responderat salutem Athenarum positam esse) nihil prius in votis, consiliis, laboribus habuit, quam ut Academiam quae arida erat, & inculta, irriguum lucum efficeret, sua opera & sumptu purissimis alveis, umbrosisque deambulacris elaboraret? Numquid Scipio in mediis difficillimi belli adparatibus, bonarum artium studia praetermisit, philosophorum scholas crepidatus frequentans? Et ne post tot insignes victorias animum sibi insolescere prosperis rerum successibus permitteret: in ipsis belli tumultibus cum literis & literatorum caetu frequens versabatur. Omnium igitur gentium literis, monumentis & sermone in seram usque posteritatem merito celebrabitur Batavici populi institutum qui coniunctis temporibus excitarit studia bellica, fortitudinemque bellicam, iam diu quidem apud ipsos mortuam, & sepultam, olim tamen Romanis & Gallis formidatam, & nunc exteris populis admirandam, cum artibus pacis & sapientiae. Quae quidem intra parietes & umbras puerilium scholarum obscure iacuerunt diu, mediocriter tamen cultae: iam autem in arce Academiae positae longe lateque conspiciuntur & amplissimos fructus promittunt, adeo ut post hac non Phoenices eruditorum hominum educturi sint, puta Erasmum Roterodamum, Hadrianum Iunium Hornanum, qui face eruditionis suae universum orbem collustrarunt, eiusque fulgore hominum etiam eruditorum oculos perstrinxerunt, mentem eorumdem in sui admirationem rapuerunt: verum certaturi sint cum beata illa & florenti Graecia, scholarum & ingeniorum optimorum copia.

Porro si hoc institutum Academiae ad pietatis examen expendamus, quis non videt in iusto pondere pietatis consistere. Certe sapientissimus ille Deus pietatem actionibus humanis, ut scopum substulit, quo nostra omnia debeamus collineare. Hunc scopum, quo quis propius contingit, eo propius ad Deum accedit, quo autem longius aberrat, eo longius a Deo recedit, laborque omnis irritus perit, neque etiam laude, nec praemio ab agonotheta Deo coronabitur. Et quid aliud est pietas, quam testificatio fidelis memoriae grati animi erga accepta a Deo beneficia, quae non obscura residet in privata cuiusque conscientia, sed etiam in lucentes flammas erumpens aperit se hominibus? Et quum Deus nullius rei sit indigus, pia mens studium, amorem, voluntatem suam erga Deum declarat, usum sui impertiendo etiam universae societati hominum.

Qua autem editiori arce conspicuam magis Illustriss. Princeps Auriacus, Consultissimi Ordines Hollandiae, collocare poterant pietatem suam erga Deum ac homines, quam quod accepto a Deo inusitato beneficio solutae urbis Lugdunensis ab arctissima, ac diuturna obsidione immanissimi hostis, quem Deus fugavit inusitato

fitato genere belli, aquarum nimirum diluvio ex Moſae oſtiis in agros continentes, quos hoſtis occupabat, immiſſo, aeſtuſque fluxum praeter ſolitam altitudinem evehente, mox toti fuere in εὐχαριστίας ſacrificiis reddendis, in σωτηρίῳ ſolvendo, dum templa perſonant pſalmis, paeanibus, hymnis, ἐπινικίοις, laeti & grati populi & paſtorum publicis precibus & homiliis, de potentiae, & bonitatis Dei exemplo inaudito, edito in tuendo & liberando Lugduno, ſine humani praeſidii comitatu, ut Dei laus illa ſit propria & ſolida, & omnes confiteantur, Deus eſt neceſſitatum Deus. Hi in curribus, & equis fidunt, nos autem in nomine Domini ſalvi erimus. Neque enim pro ſumma hac victoria pietatem ſuam teſtatam voluerunt Corybantum ſacerdotum oeſtris, nolis, citharis, campanarum tonitru, boationibus conductis, non urbis luſtratione facta per ſanctifici cruſtuli ferculum, & caeca idola in triumpho circumportata, non inſanis preciis viſcerationum & epularum, non luxurioſis donariis templorum, qualia ſolemnia ſunt idololatris gratias parturientibus. Verum ad huius beneficii memoriam diffundendam in omnes populos, conſervandam apud omnem poſteritatem, ut pio ita prudenti conſilio in ea civitate fundarunt, excitarunt, & exſtruxerunt Academiam, quae eſſet ſchola, & domicilium cum humanae, tum divinae ſapientiae, fons perennis maximorum bonorum ſcaturigine ſua large irrigans etiam remotiſſima, quam immaniſſimus hoſtis mente & oculis deſignarat arcem praeſidiumque ſuae tyrannidis exarſurae in totam provinciam. Sed haec eſt potentia & prudentia Dei, in hoſtium ſuorum conſiliis eludendis, eorum copiis ſolii ſtrepitu in metum, timorem & fugam coniiciendis. Adgnoſcit equidem populus Lugdunenſis ex vero timore Dei veſtigia irae Dei in ſuam urbem praeter reliquas ſocias urbes impreſſa, adgnoſcit a natis hominibus urbem nullam durius adflictam, nullam peſtis ſaevitie, gladii furore, famis acerbitate, magis vexatam. Verum in ipſo onere prementium malorum gloriatur ſe ſubſtentatum potenti manu Dei patris Domini noſtri Ieſu Chriſti, eius bonitate factum, quod non ad unum omnes abſorberentur. Quapropter etiam Deo, & Principi, tantas quantas debent agunt gratias, de hoc tam inſigni ornamento & decore Academiae collocato in urbe Lugdunenſi, in eoque conſervando prudentiam ſuam ac induſtriam ſemper demonſtrabunt, & ſe ad omnia officia, honores & ſtudia exhibenda exteris ſtudioſis paratos fore profitentur, quod ab iis certius exſpectandum erit, quod haec gens a natura ad comitatem, humanitatem, morum ſuavitatem, & ad ſtudium bene merendi de exteris facta ſit.

Sequitur ergo ut videamus inſtitutum iſtud Academiae, quibus laudatis exemplis fulciatur. Certe ſi a prima origine mundi hiſtorias percurras, nullam gentem tam a nobis remotam, nullam tam barbaris moribus deformem, nullam tam legibus incultam exſtitiſſe unquam intelligemus, quae non ſtudioſe expetiverit gloriam & laudem in ſua gente conſtitutae Academiae, ordinati collegii ſapientum hominum, in quo eſſent coetus docentium, & diſcentium propagantium artes & ſtudia, quae inſervirent religioni & cultui deorum ſuorum, conſtitutionique ſuae Reipublicae, in qua eſſent honeſta praemia propoſita docentibus, & diſcentibus in diſcendis, excolendis & perficiendis artibus. Cicero Tuſcul. Quaeſtionum Libro quinto. Quae barbaria, inquit, India vaſtior, aut agreſtior? In ea gente tamen primum hi qui ſapientes habentur, nudi aetatem agunt, Caucaſi nives, hiemalemque vim, perferunt ſine dolore, quumque ad flammam ſe adplicaverunt, ſine gemitu aduruntur, ab ortu ad occaſum perſtant, contuentes ſolem immobilibus oculis, ferventibus arenis toto die inſiſtunt alternis pedibus, voluptatum omnium expertes, quibus mortalium vita corrumpitur. Quis haec non videt argumenta invictae fortitudinis animi, & corporis? an non haec indicia inflammati ſtudii erga ſapientiam? nullis rebus externis, nullis ſenſibus, deduci a meditatione, nullis voluptatum illecebris tranſverſum abripi a ſapientibus cogitationibus? An non hoc liberis & ſapientibus hominibus dignum fuit? Alexandrum Magnum, quum in Indiae expeditione ad Gymnoſophiſtas penetraſſet, graviſſime ab illis fuiſſe increpitum, quod mortalis quum eſſet, mortali tamen ſorte non contentus, totum Orientem latrociniis infeſtaret. Hos tu ergo ut Moroſophos, Lucifugas, & Tenebriones adhuc reiicies? Certe memoriae proditum eſt: Alexandrum Magnum convocatis decem Gymnoſophiſtis ex Saba Indiae urbe, dubiis quaeſtionibus propoſitis, acumen, ac perſpicaciam ipſorum in ſuccincte reſpondendo probaſse: imo aptam & accommodatam quaeſtioni reſponſionem admiratum, Frivola enim, & ludicra rogati, frivole & leniter reſponderunt; Seria, & gravia philoſophi cognitione digna rogati, graviter & ſubtiliter reſponderunt. Iucunda, & lepida eſt apud Plutarchum narratio in vita Alexandri Magni ſciſcitationis propoſitae decem Gymnoſophiſtis, ad quam niſi recte reſponderent, vita multandos edictum fuit. Interrogatus primus, utrum ne plures viventes an mortuos eſſe cenſeat, Viventes, inquit, nec enim amplius eſſe mortuos. Secundum quum interrogaſſet, Maiores ne terra belluas, an mare nutriret, terram reſpondit, eius namque portionem mare eſse. Tertium, Quod nam calidiſſimum eſset animal? Quod nec dum homo noſset, inquit. Quartum acrius quum rogaſset? Quo conſilio Sabam ad defectionem ſolicitaſset: Se illum egregie vivere, quam ignavum mori maluiſse, ait. Quintum, Vtrum diem priorem exſtitiſse nocte putet? Diem, inquit, die una. Quum Rex admiraretur: Frivola roganti frivola reſponderi oportere dixit. Ea propter permutata ſententia, Sextum rogat prudentius, Quonam pacto quiſpiam late imperans, maximam poſſit ſubditorum conciliare benevolentiam? Si optimus, inquit, & non terribilis ſit. Ex reliquis tribus unum percontatus eſt, Quomodo mortalis in deorum numerum ſe referre poſſit? Si humanis viribus maiora geſſerit. Alterum, Vitam ne an mortem fortiorem opinetur? vitam dixit, quae tot adverſa & calamitoſa perferat. Extremum, Quouſque vivendum homi-

homini? Donec mortem vita potiorem esse ducat. Post has quaestiones disceptatas multis ornatos muneribus dimisit, & cum principe Gymnosophistarum Calano multa de optima forma Resp. contulit. Idem certe tanto honore, & maiestate suam tuentur disciplinam, ut non nisi se nudanti loquantur, neque etiam aliter vel adfari & de suae disciplinae doctrina conferre dignantur cum quoquam, etiamsi vel ab ipso Iove demissus adesset. Quid quod Graecos philosophos celebres, exiliis magis quam peregrinationibus durissimis in Indiam penetrasse legimus ad Gymnosophistas audiendos? Quis Historiarum cognitione leviter tinctus ignorat apud Persas splendida, & celeberrima fuisse Collegia Magorum, Sapientis titulo insignium, Zoroaste auctore ac principe sectae illius clarissimae, utilissimaeque sex millibus annorum ante Platonis mortem? Et quis huic disciplinae auctoritatem fuisse maximam miretur? quandoquidem sola artium tres alias imperiosissimas humanae mentis complexa in unam se redegit. Natam primum e medicina nemo dubitat, ac specie salutari irrepsisse velut altiorem, sanctioremque quam medicinam: ita blandissimis, desideratissimisque promissis addidisse vires religionis, ad quas maxime etiamnum caligat humanum genus. Atque ut hoc quoque subgesserit; miscuisse artes Mathematicas, nullo non avido futura de se sciendi, atque ea e caelo verissime peti credente. Ita possessis hominum sensibus triplici vinculo in tantum fastigii adolevit, ut hodie etiam in magna gentium parte praevaleat, & in oriente regum regibus imperet. Verum quia multis longe anteacti temporis vetustas suspecta esse solet, & tuta a mendacii crimine videtur ad Garamantas usque remotorum locorum narratio, age vertamus vela, aliosque quaeramus ventos, & ad propinquioris seculi veniamus tempora, & ex Oriente in Occasum feramur. Cui unquam maior auctoritas, vel certior fides historiae tributa est, quam Iulii Caesaris Commentariis? Deus bone, quam amplum, quam ornatum, quam celebre Collegium Druidarum sacerdotum (sic enim antiquitus omnes philosophi cognominati sunt) se apud Gallos cum summa admiratione, ac reverentia vidisse commemorat, quorum disciplinam, & institutum, operae pretium esse puto hic recensere. Druidae rebus divinis intersunt, sacrificia publica, ac privata procurant, religiones interpretantur, ad hos magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrit, magnoque sunt ii apud eos honore. Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt, & si quod admissum est facinus, si caedes facta, si de haereditate, de finibus controversia est, iidem discernunt; paenas, praemiaque constituunt. Si quis aut privatus, aut populus, eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Haec poena apud ipsos est gravissima. Quibus ita est interdictum, iis numero impiorum ac sceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditum sermonemque eorum defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus ius redditur, neque honos ullus communicatur. Druides a bello abesse consueverunt, neque tributa una cum reliquis pendunt, militiae vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis praemiis excitati, & sua sponte multi in disciplinam conveniunt, & a parentibus propinquisque mittuntur. Memoriae omnia, literis non mandant duabus de causis, ne in vulgus emanet, & ne fidant literis. In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa praeterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalitate, vi ac potestate disputant, & iuventuti tradunt. Verum pleniorem descriptionem huius Druidum disciplinae e fonte Commentariorum Caesaris petendam moneo. Et quis non videt ideam ac absolutam formam ratione, ac legibus constitutae disciplinae? Quis non amet, non probet honores exhibitos sapientibus, & doctis Druidis? Sed quid dicam de copiosa illa, ac ubere optimorum ingeniorum Italia? An ne illa iam olim caruit honore ac amplitudine Collegiorum ac Scholarum? Minime. Hunc enim honorem acceptum refert Pythagorae, grata memoria. Ille enim quum esset Barbaris Graecisque mysteriis initiatus, Aegypto lustrata, adytisque eius penetratis, de Diis, & tota rerum natura in arcano edoctus esset, Persarum Magis auditis, cum iam tantas regiones barbarorum pedibus obiisset, tot maria transmisisset, deinde rediit Samum, offendensque patrem a tyranno Polycrate teneri, Crotonem in Italia petiit, ubique leges Italis dedit, atque cum discipulis clarus habitus est, qui ferme trecenti Rempub. praeclare administrarunt, ita prudenter ut merito ἀριστοκρατία, i. Respub. optimorum videretur. Oratio me deficiat, si enumerem collegia in Graecia excitata, quorum institutione & conservatione magis claruit & floruit, quam bellicarum artium splendore. Circiter enim Alexandri magni tempora, & ante Athenae floruerunt Academia Platonis, Lyceo Aristotelis, Stoa Stoicorum, quae fuerunt scholae, & conventus docentium, & discentium. Hinc ut ex equo Troiano infinitus numerus philosophorum deductus, eaque in sua dignitate & honore culta, usque ad L. Mummii tempora destructis Athenis. Porro quia Ethnicorum historiis, ex quibus Collegiorum frequentiam ostendimus, fides derogatur aliquando. Age evincamus eorum antiquitatem ex locupletissimo testimonio sacrarum Scripturarum Novi & Veteris Testamenti. Certe si animo recolamus historiam sacram, nunquid certo tenemus singulas familias sanctorum patrum fuisse scholas & domicilia doctrinae de Deo, de promissione seminis, de officio & beneficio Messiae, de cultu Dei sincero, de ceremoniis, sacrificiis, vitae sanctimonia, de morum disciplina, harumque rerum maximarum doctrinam in singulis familiis conservatam, manuque in manum traditam, & ita continuam scholarum propagationem in familiis duraſse, usque post legem datam occupata terra Chanan? Quae vero solidior laus? quod maius ornamentum accedat Collegiorum institutioni, quam si docebimus

Digitized by Google

bimus Deum Opt. Max. auctorem & institutorem talium esse in electo suo populo Iudaico. Sic enim proditum est memoriae Numerorum 35. & Iosuae 2. Cap. Postquam Dominus Deus implevisset promissionem de terra Chanaan, iuramento confirmatam Abrahamo, intromissique essent Israelitae in possessionem amplissimae, & fertilissimae regionis Chanaan, Vicinis hostibus omnibus devictis; imperat fideli servo suo, ut ex omnibus civitatibus ditionis Israelitarum deligat quadraginta civitates, hinc inde dispersas, vicinas tamen singularum tribuum possessionibus, easque addicat, & consecret domicilio, ac usui Levitarum. Hae urbes nihil aliud fuerunt quam collegia & scholae populi Israelitici, domicilium sapientiae divinae patefactae, custodia disciplinae, & honestatis. Quum enim vacatio data esset Levitis ab omnibus oneribus publicis, decimarumque beneficium ipsis adsignatum esset, ad liberalem sui sustentationem, voluit, Deus vicissim ipsos occupatos esse operosarum Ceremoniarum in Lege praescriptarum exercitio, sacrificiorum accurata ὀρθοτομίᾳ: ut omnia rite & legitime peragerentur in solemnibus, & quotidianis typicis sacrificiis, cum summa reverentia & auctoritatis amplitudine, Deo ipso Iehova quasi praesente, & acri Censore, ne ulla usquam esset offensio, nusquam latum digitum discederetur a mandato Dei in actione publica, in ornamentorum cultu, in sacrificiorum numero puritate vel sectione. Hanc disciplinam sanctam, haec legalia exercitia voluit sarta tecta servari, & iuventutem in his edoceri, scripto & traditionibus in Levitica gente conservari, & excoli. Et certe in his rite tractandis opus fuit & pronta memoria & agili industria, frequentique usu. Quum autem hae civitates Levitarum positae essent in propinqua vicinia singularum tribuum, eo populus tanquam ad oraculum frequens conveniebat, ad auditionem doctrinae legis & promissionis, & reliquarum partium religionis a Deo mandatae explicationem, sapientiam & veritatem discens ex labiis sacerdotis. Imo in ipsis illis civitatibus iuventutem diligenter educatam esse in omni scientia, sapientia & disciplina, ex eo constare videtur, quod Nabuchodonozor ex captivis filiis Israel iubet sibi deligi pueros eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina.

In historia Regum, quam grata mentio extat Collegii & Scholae, quam aperuit Heli Sacerdos, cuius benignis ac paternis officiis, vigili custodiae, sanctae disciplinae committebantur primogeniti filiorum, qui consecrabantur Deo, ut discerent ministrare Domino? Quam prudenter omnibus suis partibus oportuit esse descriptam illam scholam, in qua Heli Sacerdoti, Samuel puer adhuc lactens concreditus & oblatus est, Domini servitio cunctis diebus vitae suae commodatus? Grata recordatione etiam prosequimur scholam a Samuele prophetа, & Iudice populi Israël institutam in Galgala, ex qua cuneus filiorum prophetarum obviam exivit novo inaugurato regi Sauli gratulans, & adplaudens psalterio, tympano, tibia & cythara, laeta omnia ipsi precans, confirmans animum eius in munere regio. Imo & ex consuetudine dierum septem cum filiis prophetarum ipse prophetabat, profitebatur se adgnoscere providentiam divinam in electione sui ad regiae maiestatis munus gerendum, quod nullis sinistris viis ambitionis, nullo errore, nulla corruptela sortium, aut suffragiorum adeptus esset, sed consilio Dei inscrutabili ex infima sorte ad summum culmen elatum, eundemque Deum, robur, sapientiam & auctoritatem daturum ad explenda vocationis officia. Hanc scholam videtur Samuel propter persequutiones Saulis, vel transtulisse in Ramatha in Naioth, vel ut coloniam deduxisse in Naioth. Quum enim 1. Reg. Cap. 19. David post varias contumelias & iniurias, apertam vim, & dolos, quibus eius vita appetita fuit a Saule, per Michol uxorem evasisset prementem tyrannidem, & mille ipsum cingentia pericula, nullum alium habuit portum fugae suae, quam scholam Samuelis in Naioth. Dum illic haeret, procul dubio Samuel aegrum animum Davidis consolatus est, confirmavitque de abiectione Saulis & sui inauguratione in Regem, immobili voluntate Dei decreta. Mirum quantum haec consuetudo vitae scholasticae Davidis eum Samuele & filiis eius valuerit ad animi aegritudinem dimovendam, eumque muniendum contra tyrannidem Saulis, quae numquam esset prohibitura consilium Domini. Numquid Saule mittente magnas copias crudelium lictorum tertio ad Davidem extrahendum schola Naioth, imo ipse armata manu infestus properaret, ad irae suae libidinem explendam in occidendo sua manu Davide, tantum abest ut vel Lictoribus, vel ipsi Sauli licuerit quicquam crudelis violentiae attentare in Davidem, ut viso cuneo prophetarum scholae Naioth, timor & tremor ipsos corripuerit, amanterque prophetas ipsos amplexi sint, & cum illis prophetarint, agnoscentes se manu Dei potente prohiberi, suaque consilia divinitus interverti? Adeo vel hîc videre est, Principes sapientum consuetudine sapientes fieri, vel sapientum studiosos. Imo Deum custodem esse & conservatorem scholarum, ne immani barbarie dissipentur, earumque Rectoribus a Deo dari reverentiam & venerationem sui, ut tyranni metuant tanquam leones, cuniculos iura dantes violare. Accepimus ex sexto cap. quarti libri Regum Scholam Heliſei, quam ipse acceperat formatam ab Helia, tam laeta incrementa confluentis multitudinis sumpsisse, ut discipuli arctarentur angustiis scholae. Re itaque deliberata cum praeceptore prophaeta, statuunt coniunctis laboribus ad Iordanem fluvium caedere lignorum materiam, ad accessionem adiungendam angustiis scholae, inspectore & ἐργοδιώκτῃ Heliseo. Ibi dum certatim incumbunt operi, feriuntque duras quercus, accidit ut ferrum capulo securis exsiliat in vicinum Iordanem, attamen ut non pendeant opera interrupta, miraculo inusitato, stupenda dei virtute efficit Heliseus, ut e fundo emergat ferrum, & natans manu qui amiserat, arripiat, capuloque aptet. Evidens hoc certe testimonium est curae & benevolentiae divinae, in scholarum conservatione, quarum incrementis ipse quasi manum applicat. Quid dicam de Synagogis in populo

Digitized by Google

pulo Iudaico erectis post labefactatam disciplinam Levitarum, in quibus singulis sabbatis audiebatur lectio & interpretatio Moisis, in qua fulgebant sapientiae titulis Pharisaei & Scribae, distincti in varias sectas, in quibus Paulus Apostolus ad pedes Gamalielis supra omnes coaequales profecerat. Postea Christianae religionis professioni data pace, & quiete, ut possent publici coetus frequentari, quam celebris schola consecrata pietatis, bonarum literarum & linguarum studiis efloruit Alexandriae Bizantii, Antiochiae, Romae, quot luminibus, quot principibus piissimorum, eruditissimorumque virorum ornata, & cumulata?

In confesso etiam est, vetustissima Collegia Canonicorum in amplissimis civitatibus scholas fuisse. Testantur hoc adhuc nomina officiorum inania in hunc diem durantia, re extincta. Scholasticus, Decanus, Praepositus. Convincunt hoc aedes Collegiorum eleganti serie coniunctae, septo & claustro quasi seclusae ab insano strepitu & concursu populi, idoneae alendis familiis iuventatis scholasticae. Docent idem loca destinata pub. lectoriis, Bibliothecis, publicis tricliniis conviventium, in quibus lege sancita fuit ἀνάγνωσις capitis ex bibliis, eiusdemque succincta interpretatio conformata ad pietatis, & sapientiae divinae instillationem. Iulianus Apostata recte intellexit, quantum incrementi & roboris acciperet Christiana Religio ex frequentatione scholarum, in quibus inventus Philosophiae studia, praecipue autem Religionis Christianae firmamenta doceretur, propterea impio, sed callido consilio evertit scholas Christianas, & pueris Christianis etiam usum Ethnicarum scholarum interdixit, ne ibi artes liberales discerent, quibus instruerentur, ad suam religionem defendendam, & ethnicam expugnandam, perirentque ethnici suis ipsorum armis. Finem faciam commemorandis exemplis Academiarum institutarum, si adiecero Caroli Magni prudentiam, & magnificam liberalitatem in iisdem constituendis & locupletandis. Is quum ad alias eximias regiasque virtutes addidisset eloquentiae, bonarumque disciplinarum studium, quae cum ceteris hominibus, tum iis qui summa magistratus maiestate ornati sunt, magno semper decori, atque ornamento fuere, consilio & impulsu praeceptoris sui Albini eruditissimi philosophi, Parisiense gymnasium instituit, quod deinde a posterioribus regibus servatum, auctumque eo dignitatis, & gloriae venit, ut nunc quoque celeberrimum per universum orbem eruditissimorum hominum domicilium habeatur. Eiusdem magnificentia in Italia etiam fundatae sunt, & hodie adhuc conservantur Patavienſe, & Bononienſe Collegium. Tandem autem & haec sera cura respexit Batavium, ut iudicaret solidam partem laudis deesse sibi, nisi provocata tot exemplis ab ultima antiquitate productis, animum adiiceret ad constitutionem Academiae ratione, & iudicio formata. Superest ut dicamus de origine vocis Academia, quae sic se habet. In suburbano Athenarum, a Dipylo porta sex stadiis distabat locus nemorosus, consitus Platanis & Olivis, hunc veteres habitatores Atticae Hacademiam appellavere. Posteriores mutata cum adspi-

ratione litera, ab Ecademo heroe pervetusto Academiam appellavere, qui professor erat suburbani illius nemorosi. Plato postquam Athenis audiverat ab anno vigesimo, usque ad annum trigesimum secundum, Socratem, post emensas longinquas peregrinationes ad sapientiae mercatum Megaras ad Euclidem, dein Cyrenas ad Theodorum Mathematicum, hinc in Italiam ad Pythagoreos, ab his in Aegyptum, & prope ad Magos usque in Persiam, regressus Athenas in parte suburbani commoratus est, atque agello empto ter mille drachmis, ibi philosophabatur collectis discipulis, aperto ludo Socraticam doctrinam literis consecrabat, & spaciis nemorosis insistens interdum inambulans in viridi, opacaque ripa de omnibus partibus philosophiae Socraticae disputabat, de quo illud Timonis iactatum fuit:

Hos inter dux ille Plato celsissimus ibat,
Cuius ab ore melos manabat, quale Hecademi
Arbustis lepida modulantur voce cicadae.

Hunc agellum Plato scholae suae non delegit tam salubritate loci, quam solitudine, secessuque conspicuum. Quippe quum locorum amaenitas, saluberque & hilaris aëris aspectus ad lasciviam magis invitet, & attentiores mentis vires solvat, cogitationemque foras evocet, Quocirca non illepide quis nostros oculos, totam luxuriam esse dixit. Aristoteles in Lyceo docebat, quod etiam pars fuit Academiae, & περίπατον elegit, illicque usque ad unctionem deambulando cum discipulis philosophari solitus. Distinguebantur utriusque scholae, superiori & inferiori Academiae loco, & ambulatione. Hinc adhuc societates doctorum hominum, quae rationem aliquam iuxta id quod apparet & in promtu est sequitur, Academias vocamus. Suidas scite ait; Λέγεται ἀκαδημία ἡ τῶν φίλων διατριβή. Digna memoratu etiam est (apud Plinium lib. 31. cap. 2.) villa ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita littori, celebrata porticu & nemore, quam & vocabat M. Cicero Academiam ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus eiusdem nominis, in qua & monumentum sibi instaurari curaverat, ceu vero non & toto terrarum orbe feciſſet. Huius in parte prima, exiguo post ipsius obitum, Antistio Vetere possidente eruperunt fontes calidi, per quam salubres oculis, celebratae carmine Laureae Tullii, qui fuit e Libertis eius. Ponam carmen ipsum, dignum ubique, & non tantum ibi legi.

Quo tua, Romanae vindex clarissime linguae,
Silva loco melius, surgere iussa viret.
Atque Academiae celebratam nomine Villam
Nunc reparat cultu sub potiore VETVS,
Hic etiam adparent lymphae non ante repertae
Languida quae infuso lumina rore levant,
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit opes
Vt quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures oculis quae medeantur aquae.

Equidem etiam Academia Lugdunensis eo loci
situ constituta est, ut quam proxime accedat
ad descriptionem Academiae Athenien-
sis, imo amaenitate, & salubritate cum ea certet. Bel-
le enim, & amaene aedificata est intra pomoe-
ria civitatis ad ductum alvei navigabilis de-
rivati ex Rheno, qui illinc exiguu loci inter-
capedine, in mare se effundere solet, per ostium
Neronis castro contra Britannos munitum.
Vtrumque ripae latus consitum spinis odoratis,
quercubus patulis, tiliis late diffusis, quarum
multiplices membranae, & tenuissimae phylirae,
teredinem non sentientes coronarum lemniscis
sunt celebres, & scripturae olim utiles. Certe
arbores illae itineri Academiae adpositae, fron-
de ipsa praebent toros, cyclisque & sygmati-
bus sedilium ornatae, commoditatem laetam
adferunt, in viridi, opacaque ripa tum inam-
bulandi, tum residendi, & ad millia passuum
aperiunt iter tempestuosorum ventorum pro-
cellis, & urente aestu securum, optatosque
imbrium per folia crepitus excitant. Quin vi-
deas quercus illas & tilias certantes ramorum
suorum diffusa latitudine & densitate, cum Pla-
tano illa celebri in Lycia, sub qua Licinius
Mutianus ter Consul ter epulatus est, cum duo
de vicesimo comite. Quid quod eadem via Aca-
demiae longe porrecto spacio frequentatur ad-
mirabili elegantia, arte & nitore domuum,
non disparibus dominis habitatarum. Huius
enim viae amaenitate utuntur cives, qui
se condiderunt in quietum otium, nullis mer-
caturae negotiis occupati, nullis opificio-
rum laboribus distenti, in alto silentio, quie-
te, extra omnem strepitum, quasi in remoto
secessu viventes, libero a vehiculorum, & pe-
corum molestiis.

Adeo dicas esse altera Tempe Charitum es-
se delicias, & choris suis delecta spatia, di-
cas inquam recte. Hic tibi Grynei nemoris di-
catur origo. Ne quis sit lucus, quo plus se ia-
ctet Apollo. Quapropter Charitum tam va-
riarum gratia, nota magis nulli sua domus
esse debebat, quam Lugdunorum Academia,
ubi omnia plena sunt inter cives mediocris li-
teraturae, ingenuae civilitatis, humanitatis,
divitiarum, in ipsis domibus omnia plena mun-
ditiei, nitoris, ac elegantiae, in foro omnia
plena delitiarum, & annonae ad usum & fru-
ctum abundantes. Non possum praeterire quin
explicem Etymologiam, & originem vocis Aca-
demiae, aliam ab ea, quam supra deduxi-
mus ab Ecademo heroë. Et autem haec est,
ut qui luculente graece sciunt adserant sonare
locum ἐκ τῶν δήμου, hoc est, extra populum.
Neque hoc tam intelligi volumus de secessu ac
otio loci remoti a strepitu & turbis insanien-
tis populi, quam de domicilio virtutis, ac
doctrinae dissentiente a iudicio populi, qui ex
veritate pauca, ex opinione multa aestimat.
Equidem huius etymologiae vis pressius consi-
derata, usum & fructum, atque adeo digni-
tatem Academiae ostendit. Res ipsa evincit,
igniculos illos ac naturae lumen, quo praeluce-
nte poteramus πρὸς τὰ κατήκοντα honestorum
officiorum ac integrae sapientiae pervenire, ci-
to restingui, & quasi cum lacte nutricis ma-
los mores, & omnium pravitatem cum errore

rationis fugere, imo ab ipsis depravatis parenti-
bus & insipientibus nos imbui errore: accedente
autem populo quasi maximo magistro, &
ad vitia consentiente multitudine, plane infici
opinionum pravitate, & a natura desciscere.
Quod igitur divinius, quod praestantius inven-
tum ab hominibus unquam prodiit, quam Aca-
demiae constitutio, quae est plantarium & se-
minarium, custodia inquam seminis, ac lumi-
nis naturae. Nam qui se philosophiae, cuius
fons est Academia, colendum & curandum tra-
diderit, & in huius piae matris sinum se con-
tulerit, sine ulla dubitatione sanabitur, & cor-
rigetur ab omni culpa, vitio, & peccatis, qui-
bus inquinatus est contagio populi, qui erro-
ris magister est, atque adeo confirmabit phi-
losophiam, cuius mater est Academia, animi
presentem esse medicinam, vitae ducem, vir-
tutis indagatricem, vitiorum expultricem; sine
qua vita hominum esse non possit. Quicumque
enim extra Academiam, populo se formandum
crediderit, in omni pravitate, & in summa
opinionum perversitate versabitur. Praecla-
rum est illud Antisthenis Athenien sis viri pru-
dentis, qui quum intelligeret, se laudatum ali-
cubi a vulgo imperito, inquit, Vereor ne quid
imprudenter mali fecerim, ob quod vulgo placere
incipiam. Phocion Athenien sis id studio habuit,
ut a vulgo dissentiret, & a vulgo improbari
intelligeretur. Quum enim oraculo aliquando
proditum esset, unum agere Athenis virum,
qui cunctorum sententiis adversaretur, ac po-
pulus vociferans iuberet illum inquiri: Pho-
cion se prodidit, Ego sum, inquit ille, quem
designat oraculum, nam mihi uni nihil pla-
cet omnium, quae vulgus dicit, aut facit. Na-
tum est Pythagorae symbolum quo prohibet pu-
blica via incedere. Est enim, ut scite canit
Horatius, Populus is, quem

Falsus honor iuvat, & mendax infamia ter-
ret,
Bellua multorum est capitum; nam quid se-
quar? aut quem?
Nil ait esse prius, melius nil caelibe vita.
Si non est, iurat bene solis esse maritis
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?
Rides? quid mea quum pugnat sententia se-
cum?
Quod petiit spernit, repetit quod nuper
omisit,
Aestuat, & vitae disconvenit ordine toto.

Maiores nostri Academias signato vocabulo ad-
pellavere Vniversitates, vel quod universarum
divinarum, humanarumque rerum, tum ini-
tiorum, causarumque, tum cuiusque rei cogni-
tio, in iis ut thesauro conservata aperiatur, vel
quod in earum consuetudine & frequentatione
liceat perdiscere universi mundi hominum mo-
res, linguas & leges, regionum situs & va-
riam indolem ex, αὐτόπταις, civibus, sine aspe-
ritate peregrinationum. Et quantum hoc est be-
neficium domi fieri πολύτροπον, & uno intuitu
quasi & auditione ea experitis hominibus per-
cipere, qui disiectis oris orbis terrarum in eas
confluunt, & succum prudentiae illic collectum
in unum alvearium Vniversitatis comportant?
Hinc illa omnium ore decantata: Extra Aca-
demiam non est vita; Vitam nescit, qui studen-
tium

Digitized by Google

tium vitam neſcit. Sunt enim vevera Vniverſitates terrarum orbis compendium, quae quia in ſingulis regionibus & civitatibus amamus, laudamus, miramur, quaſi in unam tabulam collecta, & deſcripta hic conſpicimus, iis hîc utimur, fruimur, mentem & oculos iiſdem paſcimus, exemplis, & auctoritate earum, vitam & iudicia noſtra conformamus.

Neque tantum ſeverarum Muſarum ſunt triſtia domicilia, verum ibidem ad remiſſiones laborum, relaxationes animorum datur honeſtarum voluptatum copia, & delectus in gymnaſticis & Muſicis ludis; ibi deambulationum, communicationum ſermonis grata opportunitas, ibi habitant Gratiae decentes iunctae Nymphis. Quin ad cultum corporis & commoditatem, omnium artificum & opificum peritorum benigna ſuppetit copia. Quando autem D. Paullus confirmat Pietatem eſſe magnum vectigal, habentem promiſſiones praeſentis & futurae vitae, Illuſtriſſime Princeps, ampliſſimique Ordines, non poteſtis aliter inducere animum veſtrum, quam Deum pro ſua immenſa bonitate, copioſe cum fenore refuſurum publice & privatim ampliſſima praemia beneficentiae veſtrae in fundata Academia, quae eſt ſeminarium Eccleſiae, & Reipub. exhibitae. Benedicet vobis Deus domi veſtrae, in agris, in portis veſtris, benedicet liberis veſtris ad ſui co-

gnitionem, quae eſt ſumma felicitas perducendis: facultates vectigalium ad Reipub. veſtrae conſervationem augebit. Non enim quae Deo impenduntur exhauriunt aerarium, ſed quae Chriſti gloriae ſubtrahunt, ea in fiſcum ut turgidum lienem congeſta, egeruntur, ut ingeſta ſunt ſine ullo uſu ullarum partium Reipub. Huic veſtrae magnificae beneficentiae declaratae erga pietatis, & philoſophiae ſtudia fovenda in veſtra provincia, haec cura accedat oportet: ut ſinguli certatim alii alios hortentur, & urgeant, ut Academiae inſtitutae tradantur chariſſima veſtra pignora erudienda, ne foris quaerantur, quae domi haberi poſſunt commoditates. Occaſio in medio poſita eſt, imperite fiat cum ſumma ingratitudinis nota, ſi negligatur. Ingenia excellentia certae ſpei, quibus paupertate preſſis emergere non licet, nec ſui uſum ad Eccleſiam vel Rempub. conferre, conquirite, & colligite ad Academiae frequentationem. Ita fiet ut Deo, & poſteris veſtris, quorum bonori & utilitati labor veſter deſervit, relicturi ſitis ſementem fertilem idoneorum civium ad omnes partes humanae ſocietatis tuendas. Et quidem vel paucorum civium piorum & prudentum beneficio, & opera Academiae paratus, compenſat etiam magnorum ſumptuum vectigal.

Porro quum omnia ex praecepto Paulli iubeamur facere ad gloriam Dei, in vera adgnitione filii ſui, in firma fide, & ſeria invocatione eiuſdem, hanc orationem pia invocatione concludam.

O Maipotens, aeterne, vere, vive Deus, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, oro te ſupplex propter filium tuum, quem voluiſti eſſe mediatorem, & deprecatorem, ac victimam pro peccatis noſtris, ut in his Batavicis regionibus voce incorrupta Evangelii, Spiritu ſancto duce, colligas, conſerves ac gubernes Eccleſias ac ſcholas pias, ut ex iis traducamur ad aeternam illam ſcholam ſub unico illo doctore ac rege Ieſu Chriſto. Conſerva o Deus, & confirma Inclitum ac Illuſtriſſimum Principem Wilhelmum Auriacum, cum ampliſſimis Ordinibus & Magiſtratibus huius provinciae patronum ac defenſorem libertatis literarum & pietatis. Da laborioſis ipſorum conatibus felicem ſucceſſum. O aeterne ſancte Deus, haec tenera cunabula, haec prima ſemina naſcicurae Academiae, tuere, ac fove, ne hoſtis impii vi confringantur, ac diſiiciantur, ne ſentibus & ſpinis perſequutionum prius ſubfocentur, quam in herbam exeant. Concede o Deus ſtudiis gloriam tuam ornantibus placidam quietem, ne ſinas docentium & diſcentium coetum bello, peſte, aut alia calamitate diſſipari. Inſtrue & illuſtra docentium animos Spiritus tui ſancti lumine, & gratia, ut hortulum caeleſtem hîc in terris plantare poſſimus; & noſtrae vocationis munere probe defungi. Sub umbra alarum tuarum protege nos: Iulianorum & Syllanorum hoſtium tuorum, & omnis pietatis & literaturae crudelitatem propitius averte. Tu o Deus benigna & potenti tua manu, apta ſecurim, qua cedatur materia ornandae & augendae Academiae, da prudentiam da conſtantiam in ea tuenda, ad regni tui amplificationem, ad nominis tui gloriam propagandam, cum ornamento & ſummo decore Batavicae gentis.

D I X I.

IOAN-

Digitized by Google

IOANNIS MEVRSI ATHENARVM BATAVARVM

LIBER PRIMVS

In quo de Vrbe Leidenſi, eiuſque origine, incremento, & vario ſtatu.

CAP. I.

Eius ſitus; tum & Vrbes, Pagi, Arces, quae circumiacent.

AVETE Muſae; Vrbem LEIDAM, domicilium a quinquaginta annis veſtrum, deſcribere animum induxi. Debeo Vobis, quibus totum me devovi; debeo Vrbi, in qua annos iam viginti quatuor egi. Et meretur etiam illa; ſive Antiquitatem eius, ſive Genium loci, ſpecto: quippe hunc, & illam, talem, quae ſimul habeat, nullam aliam in Hollandia urbem invenio. Sita eſt in Hollandia Auſtrali; & metropolis eius agri, quem adpellant Rhenolandiam: pagos quinquaginta ſeptem ſub ſe habens: magna, opulenta, clara: cincta urbibus, pagis, arcibus; aquis varie irrigata, & in inſulas triginta interſecta, Agro fertilis, ſive arvo, ſive paſcuo: aëre amoena, & ſalubris. Oceanum habet, ad ſecundum ab Vrbe lapidem; item Hagam, Comitum ſedem: ad tertium, Delphos: ad quintum Harlemum, Woerdam, Goudam, & Roterodamum: ad ſeptimum, ingens Amſtelodamum; & Durdrechtum; vetuſtate, ut putatur, in provincia ſua primum. Videturque genius eius mediam ipſam inter iſtas collocaſſe, ut honorem conciliaret. Aquae perfluunt, aut circumfluunt, Rhenus, Doeſa, Zilia, Marna, item Fletus. Pagi ad alendos cives, comportato undique cibo, circumiecti; Waſſenaria, Rhenoburgum, Valckenburgum, & Catwicum inde geminum; unum, ad Oceanum ſitum; alterum ad Rhenum: hinc Nordwicum item geminum; unum, Exterius; alterum, Interius adpellatum: tum Ooſtgeeſta, & Warmonda, ac Voorhouta: Coudekerca, Leiderdorpa, Soeterwouda, & Voorſchota. Arces inde, ſive inſignia aedificia, a nobilibus habitata, Wera, Sudovica, Stopia, Endegeſta, Abſpoela, Lockhorſta, ſeu Teilinga vetus, Warmonda, Bockhorſta, Poelgeſta, Doeſa, Sweta, Croneſtena, Roucopa, Roſenburga, Wingarda, Lipſia, Santhorſta, Duvenvorda, & Raephorſta. Olim erant etiam Waerta, Zilia, Alckemada, Paddenpoela, Boshuſa, Ceubelia, Rodenburga, Berendrechta, Miia, Torenvlieta, Sonnevelta, & Teilinga, nuper inſtaurata. Atque iſtas aut civilia quondam bella, aut turbae proximae, ſub Philippo II. ortae, everterunt. Ad has antiquiſſima alia, quam iniuria longi temporis, & protervi vis Oceani, intercepit, arx Britannica memoratur; ad ſecundum ab Vrbe lapidem, in Oceani littore ſita: ubi Rhenus olim ſe exonerabat, uſque ad annum IↃCCCLX, quo tempeſtas ingens orta, alveum eius intervertens aliorſum derivavit.

CAP. II.

De nomine Vrbis; & eſse eam Lugdunum Batavorum.

HAbes ſitum. Nunc ad ipſam veniamus, & inveſtigemus nomen. Id *Lugdunum* olim fuit; uti clare Antoninus in Itinerario docet. Nam, in Germaniae ſecundae deſcriptione, ab ipſo Rheni oſtio exorſus, & Argentinam uſque pergens, primo loco *Lugdunum* ponit, & *Germaniarum* illud *caput* dicit; non quidem iſthoc, ceu metropolis; verum, ceu principium eſſet. Atque ita res ſe habet. A Rheni oſtio, uti quidem olim exſtitiſſe dixi, uſque ad urbem Argentinam, prima ſe Lugdunum obfert: Ptolemaeus *Lugdunum Batavorum* nomen tribuit, ad diſcrimen nempe eius, quod in Galliis: & truncate *Lyon* dicitur, ut hoc noſtrum a nobis *Leyen*, ſive *Leyden*: manifeſtis utrobique adpellationis priſcae monumentis. Illud autem veritatis minime fallax argumentum eſt; quod *Lugduno* Antoninus mox *Albiniana* ſubdat, quod nunc *Alphen*: hinc *Traiectum*, quod nunc *Vtrecht* nominamus. Errat valde Bilibaldus Pirckhaimerus, qui Lugdunum hoc iuxta urbem Sevenbergam, aut Goricomium, aut Gertrudis montem ponit: nec Traiectum Stofflerinus recte putat; confunditque nimis temere, quae diſtinguit claris verbis Antoninus. Iam Gerardus Noviomagus, &

cum

Digitized by Google

cum eo Ludovicus Guicciardinus, *Legiam* olim dictam volunt; quia ibi legiones Romanorum in praesidio collocatae: verum neque horum opinio satis iusta ratione se tuetur. *Cur Lugdunum* adpellatum, nemo facile explicaverit. *Dunum* quidem nos nominitamus Collem: eum, quia in medio sinu Vrbs complectitur, etiam in fine nominis repraesentat: verum syllabae prioris rationem comminisci nondum potui.

CAP. III.

De Antiquitate eius, & priore magnitudine.

QVam antiqua autem Leida, & a quo exstructa fuerit, non est facile declarare. Illud facile; cum Durdrechto, tum Harlemo, multo antiquiorem esse. Nam Durdrechtum, uti tradunt, Antonius Pius condidit, circa annum Christi CXL. & Harlemum, a Dibbaldi, Frisiorum Regis, filio Lemo conditum memoratur, anno CCCCCVI. at Lugdunum Batavorum celebratur Ptolemaeo, qui sub Antonino Pio aetatem egit, eo tempore, quo Durdrechtum ille condidisse fertur. Itaque necesse omnino est, multo ante eas urbes, quae nunc vetustate primae existimantur, Leidam nostram exstitisse. Neque sane quicquam illae pro se habent, quam quod in conventu Ordinum ante eam considere ipsis datum: quem honorem potius magnitudini suae, opibusque, quam antiquitati debent: uti alias quoque urbes non pro ratione aetatis loci dignitatem habere, facile cuivis adparebit, qui originem singularum inquisiverit. Fuit autem initio non ita magna, qualem hodie habemus; & hinc Rheno, inde Steenschura, ac Rapenburgo, terminata, ambitu suo vix viginti quinque iugera Rhenolandica continebat. Partes eius, quatuor erant; una, a S. Catharinae nosocomio, illic sito nominata: altera, a panna.ia domo: uti tertia, a lanaria; quarta denique, a macello. In tertia vero, templum D. Petri erat; item alterum: monialibus calyptratis dedicatum: tum, quod Salomonis vulgo adpellabant; ubi insignis Bibliotheca, a Philippo de Leidis instituta: quarta, habebat aulam Comitis, fossa undique olim cinctam; cuius pars meridionalis iniecta arena oppleta fuit, quum exstrueretur chorus templi D. Petro sacri, cui obiacet, anno Christi CIↃCCCXXXIX. Et hîc natus perhibetur Gulielmus, decimus octavus Comes, Rex electus Romanorum; filiusque, Florentius V. ac Gulielmus, in opposito D. Petri templo baptizatus, aram ibi, e lapide Lydio, dedicavit; cuius post confractae frustum ante curiam nunc spectatur; historiam obsidionis, tam praeclare toleratae, repraesentans. Ex his quatuor autem partibus, anno CIↃCCCLI. Consules electi totidem, ex unaquaque earum singuli; qui res Vrbis, cum praetore, ac senatu, adcurarent.

CAP. IV.

De variis eius incrementis.

VIdimus antiquam urbem; nunc ad eius incrementa veniamus. Quater autem, in dies crescente numero habitantium, aucta fuit; primum, anno CIↃCCXCIV iterum, circa CIↃCCCXIII. sive, uti coniectura aliorum est, CIↃCCCLV. tertium, CIↃCCCLXXXIX. quartum, CIↃIↃX. Per haec omnia ita crevit, ut, quae initio, quod iam paullo ante dixi, vix viginti quinque iugera Rhenolandica contineret, hodie centum septuaginta duo habeat. Vniversa in viginti tres Regiones, quas nos Bonnas adpellamus, distributa est; illae rursum, in Vicinias numero circiter nonaginta. In his Insulae, triginta; fossae, quatuor & viginti; vici, centum octoginta; pontes, nonaginta quinque: in murorum ambitu turres, quadraginta; portae septem. Regionibus, quas iam dixi, singulis praefecti quatuor; quorum cura est, ut, ad exstinguenda incendia, scalae, situlae coriaceae, caeteraque ad rem istam necessaria instrumenta sint in promtu. In Viciniarum singulis, unus Dominus, quem adpellant, cum duobus Adsessoribus, curam gerit, ut vicini inter se concordes agant, funeraque ut decore efferantur.

CAP. V.

De primariis eius templis.

TEmpla primaria, tria habet; primum, SS. Petro, & Paulo consecratum: alterum, S Pancratio: tertium, S. Mariae. Ex his primum, anno CIↃCXXI. dedicatum SS. Apostolis Petro & Paullo. Initio non tam magnum erat, quam id hodie conspicimus: adeoque chorus eius in maiorem amplitudinem est exstructus anno CIↃCCCXXXIX. Turris autem tanta altitudine erat, ut in mari, quod ad duo milliaria inde distat, instar phari adpareret: eaque anno CIↃIↃXII. primo die mensis Martii, est collapsa; qua ruina, cum in ipsa publica archiva essent, chartae omnes, caeteraque instrumenta, quae asservabantur illic, comminuta perierunt. Templum vero Ordini Theutonico dedit Florentius V. Comes Hollandiae, anno CIↃCCLXVIII. & donationem istam confirmavit postea Albertus Bavarus, anno CIↃCCCXCII. Iam S. Pancratii templum, quod & Hogelandicum dictum, quia loco editiore collocatum est, quum initio ex asseribus structum esset, *Domus Lignea* dicebatur: mole sua, & structura, longe S. Petri superans; verum, intermisso opere, imperfectum. Dedicatum est anno CIↃCCCXV. habuitque collegium Canonicorum, institutum a Ioanne Vairnenburchio, Vltraiectino Episcopo, anno CIↃCCC LXVIII. Quod vero S. Mariae sacrum dicitur, ut antiquitate vincitur a prioribus, ita fabricae elegantia, & magnitudine; dedicatum anno CIↃCCCLXV.

CAP.

Digitized by Google

A

CAP. VI.

De Monaſteriis, tam urbanis, quam ſuburbanis.

POſtquam templa memoravimus, monaſteria, cum urbana, tum & ſuburbana item, numero octodecim referemus: quae quidem a quibus condita, aut quo tempore, quum non conſtet, ſaltem nomina ſingulorum, atque loca indicabimus. Erat in antiqua Vrbe S. BARBARAE adpellatum; hodie, Principis magnatumque domicilio deſtinata, *Aula Principis* nuncupatur. Erat alterum, quod CALYPTRATARVM dictum; eiuſque templum ſtudioſae iuventuti nunc conceſſum eſt. Hîc armorum illis diſciplina traditur; hic humani corporis fabrica ſectione ordinaria explicatur; tum & lectiones illic Mathematicae lingua Belgica audiuntur; & inſignis Bibliotheca, libris omnibus inſtructiſſima adſervatur. Tertium item, PETRINARVM; ceu fundatum a Petro quodam: ſed exiguum illud valde, potiuſque contubernium tantum quoddam adpellandum. Id, corruptae iuventuti caſtigandae pridem datum; nunc eſt proprium Academicis, qui hic equos agitare edoceantur. In ſecunda Vrbis parte, ſive primo incremento, nullum omnino ſtructum fuit. Vnicum tantum ibidem contubernium erat, ad Pancratiani templi foſſam poſitum; vulgo NIDVS ERVCARVM dicebatur. In ſecundo incremento, S. VRSVLAE habebatur; iuxta noſocomium ſitum, S. Eliſabethae ſacrum: cum quo partim mox coaluit, partim in *Domum Leproſorum* commutatum eſt. Illud antiquiſſimum omnium, &, priuſquam ullum in antiqua Vrbe conditum eſſet, exſtitiſſe perhibetur, Etiam S. MICHAELIS, S. AGNETIS, NAZARETHVM, SCAGA, ABCOVDA; quae nunc omnia partim in privatas aedes, partim in publicas commutata: S. CAECILIAE, nunc a peſte, aut inſania, laborantibus habitatur, Denique, in tertio incremento, ROMA erat; & quod S. CATHARINAE dicebatur: nunc utrumque privatorum domicilium. Item, ALBARVM MONIALIVM; ubi nunc eſt Muſarum regnum, & Minervae, Academia. Atque haec quidem univerſa, muliebria; unicum virile erat, CELLARIORVM: nunc Collegium, in quo, publico Ordinum Hollandiae ſumtu, Theologiae ſtudioſi educantur. Et in Vrbe ea ſita. Extra illam, & ſub ipſos fere muros iſta erant; LOPSENVM, MINORITARUM, REGVLARIVM, S. AGATHAE, S. MARIAE MAGDALENAE, ROMAEBVRGVM: quorum tria poſteriora, mulieribus; cetera, viris ſacrata: omnia nunc ſolo aequata; & in agrum arvum, aut paſcuum, commutata. Inter ea excellebat ROMAEBVRGVM: centum monialium capax; olim Romanorum caſtrum, unde nomen illi datum. Et effoſſa ibi quondam huius rei monumenta, ex aere fuſo leo, & Pallas; tum numiſmata, variorum Imperatorum, quae donata ante ſeculum Maximiliano Caeſari: atque is, provincia excedens, ſecum abduxit.

B

C

D

E

F

CAP. VII.

De Noſocomiis; aliisque aedificiis, in pios uſus exſtructis.

MOnaſteriis noſocomia ſubiungemus; ceteraque aedificia, pietatis cauſa ſtructa. Ac priore nobis loco memorabitur.

S. CATHARINAE; cuius initia ignorantur: illud conſtat, ante annum cIↃ cccLxxxviii. exſtitiſſe: ſiquidem in archivis eius tunc ſtatutum reperitur uti tantum quatuor illic, viri duo, feminae totidem alerentur: tum, qua veſte uterentur; &, ne fratres, aut ſorores haberentur. Hic diſtincta loca ſeptem; ubi viri, foeminaque, morbo, aut aetate, debiles, nutriuntur: & in illis lecti ſtrati centum quadraginta quatuor; praeter quos, complures ſtoreae, ad curandos melius aegros, adhibentur. Inſuper ſeorſim quoque locus quidam eſt, ubi curantur, a chirurgis Vrbi propriis, morbo Gallico laborantes; aliuſque, in quo, qui petenda ſtipe palabundi victum quaerunt, per tres noctes hoſpitantur. Ab hoc pendet, etſi alio loco ſita, Domus propria furioſis, atque peſte laborantibus; in qua, ſex diverſis locis, lecti ſex, & octoginta; non duntaxat furioſis, aut correptis peſte, ſtrati; ſed & aliis, morbo preſſis, aut aetate: quibus propter multitudinem, in hoc S. Catharinae noſocomio locus dari nullus poteſt. Atque his ſex Patres, quos adpellant, dati, ac Matres totidem; quibus ſedulo providendum eſt, ne quid commodis laborantium uſquam deſit.

S. ELISABETHAE. Solis mulieribus proprium; magnitudine, ac reditibus, infra S. Catharinae. Conditum primum a *Ioanne Theodoro*, & *Catharina Tedenia*, uxore, anno cIↃ ccccxxviii. atque ex eo, pietate moti, alii varie mox adauxerunt. Loci in eo ſeparati numero quatuor, & inſtructi lectis ſexaginta quinque: ac ſeorſim item quintus; in quo feminae veluti in S. Catharinae viri paſſim ſtipem quaeritantes, per trinoctium hoſpitantur. Huic autem adnexa *Domus Leproſorum*; in qua lecti decem & novem: tum ſecretus locus alius, in quo pariter viri, ac foeminae, aliunde advenientes, per tres noctes excipiuntur. Curatores iſtic octo; ex utroque ſexu quatuor.

S. MARIAE. Condidere *Nicolaus Rengerſius*, & *Machtildis Zilia*, uxor, ſed quo tempore, ignoratur. Nunc in *Domum orphanorum*, de qua ſtatim ſum dicturus, commutatum eſt.

S. IACOBI, & S. BARBARAE. Haec quantumvis aegris partim, & egenis deſtinata a conditoribus, quorum nomina, uti tempora, ignorantur, tamen nunquam eum uſum habuerunt, ſacris tantum exercitiis adplicata. Nunc pannariae rei ſerviunt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VIII.

De Domo Orphanorum, atque Eleemosynariorum, aliisque egenorum contuberniis.

AD haec *Domus Orphanorum* nunc dicenda est. Ea initio non tam ampla, alioque loco sita, quum illorum numerus crescceret, neque ista ultra caperet, in nosocomium S. Mariae, ad Pancratiani templi fossam positum, est translata, anno clɔ lɔLxxxiii. Sed, quum neque sic subficeret, indies augente pupillorum numero, annis seculi huius quarto, atque septimo, in maiorem amplitudinem est exstructa. Ac pupillis, qui hic quadringenti circiter educantur, praesunt Pater, atque Mater; quibus cura rectae educationis demandata: tum Praefecti octo alii, ex utroque sexu quatuor, qui res eius Domus omnes cum suprema potestate administrant.

Domus Eleemosynariorum. Hic conveniunt, qui praefecti eleemosynis inter pauperes erogandis, duodecim viri. Distribuunt autem panes, cespites, ac pecuniam; unicuique pro familiae ratione: suntque, quibus isthoc modo subvenitur, ad viginti amplius millia. Quin praeterea in Contuberniis, quae adpellant, alii plures magna egestatis suae subsidia habent. Ex his est.

HIERVSALEMVM. Habet domicilia tredecim; conditumque est a *Gualtero Isebrandi*, circa annum clɔ cccc LXVII.

SION. Sunt in eo domicilia quatuordecim; conditumque est primum a Viro Nobili, *Hugone Svvieteno*, & uxore, *Luitgerda Boshusia*, anno clɔcccc LXXX. inde auctum a *Gisberto Christiani*, anno clɔlɔ v. postea a *Ioanne Laurentii*, anno seculi eiusdem LXVIII.

S. STEPHANI PORTVLA. Habet domicilia tredecim; condiditque *Gulielmus Tetrodius*, ac *Christina Arnoldi*, uxor, anno clɔcccc LXXXVII.

S. IVSTI PORTVLA. Domicilia itidem tredecim numero habet; condiditque quaedam *Gertrudis* vidua *Iusti Henrici*, viri defuncti mandato, anno clɔlɔIII.

S. IOANNIS HORTVLVS. Constat domiciliis tredecim; condiditque *Ioannes Stopius*, cum uxore, *Clara Petri*, anno clɔlɔIV. posteaque auxit multum *Gerardus Vander-Lanius*, Iuris utriusque Licentiatus, & Abbatiae ad Ledam quaestor, anno seculi eiusdem LXV.

S. ANNAE HORTVLVS. Habet domicilia tredecim; ac condidere, *Gulielmus Gulielmi*, *Clementiaque*, & *Sophia*, eius sorores, anno clɔlɔ VII.

BETHANIA, quae & EMAVS dicta. Habet domicilia tredecim; condiditque foemina nobilis, *Agatha Alcmadia*, vidua *Ioannis Culemburgii*, Equitis, anno clɔlɔ LXIV. denique.

CATHARINAE IACOBI DOMICILIA, numero novem; ab eadem in hos usus destinata, cum redditibus suis annuis, anno clc lɔ xcvii.

CAP. IX.

De Curia, domo Rhenolandica, aula Principis domo Sagittariorum, aliisque, rei pannariae propriis.

POstquam aedes sacras diximus, aut in pios usus structas, ceteras quoque videamus; inter quas se primo loco *Curia* offert, dignitate, & amplitudine ante ceteras. Eius inferiora habent, tribunalia numero tria, Academicum, Vrbanum, & Rhenolandicum; tum armamentarium quoque, ac macellum; inde in postica parte, gazophylacium utrumque: illud Maius, istud Minus adpellatum. In superiora autem, viginti & duobus gradibus, bifariam adscenditur: opere utrinque colmnario muniente. In adscensu, duo se leones obferunt, qui insignia Vrbis tenent: atque in summo, duo pueri, unus clepsydrae incumbens, alter cranio cadaveris, vitae huius brevitatem, & necessitatem mortis, repraesentant. Hinc intrare cupienti, Pax occurrit, & Iustitia: quas transgressos, Atrium spatiosum excipit; unde in varias cameras itur, Consulumque, & Curatorum Academiae, tum & Iudicum, Orphanorum, Rationum, Secretarii, ac Graphiarii. In Consulum camera, variae picturae exstant, arte operis laudatissimae; a Cornelio Engelberto, & Luca Leidensi; huius Vrbis quondam civibus industria claris, elaboratae: inter quas Iudicium eminet, Lucae opus; tanta artificii fama, ut Rudolphus Imperator, statuariae, ac picturae summus pridem aestimator, per legatum aureos pro eo Hungaricos tot obtulerit, quot operiendae tabulae, etsi magnae, satis essent. Totum autem aedificium, turrim habet; non tam alte, quam ornate, ante annos fere quinquaginta structam, quum antiqua conflagrasset.

Non longe a Curia, *Domus Rhenolandica* visitur; in venustam amplitudinem pridem exstructa, anno clɔlɔxcviii. Hic Balivus Rhenolandiae, qui & aggerum praefectus, cum collegis, quos Heemradios nominamus, muneris sui negotia tractat.

Hinc, ubi deflexeris paulum, *Aula Principis* occurrit; olim, ut dixi, S. Barbarae monasterium: nunc, Principibus excipiendis usum praebet: ac frumentum quoque publicum, bellicique instrumenti partem servat.

Inde, ad ipsa Vrbis moenia, *Domus sagittariorum*: ubi ambulacra varia amoenissima, civiumque exercitiis loca propria. Instaurata est anno clɔlɔ LXXXVI. cameramque insignem habet: in qua, in fenestris vitreis, Comites Hollandiae omnes sunt depicti, a *Gulielmo Theobaldo*, eius artis peritissimo.

Istis adde ad rem pannariam, qua Vrbs tota olim constitit, Domos quatuor; quarum una, alteraque, e monasterio Nazaretho; tertia autem, e nosocomio S. Barbarae; quarta, e S. Iacobi edificata. In his pannos omnis generis, texi in hac Vrbe solitos, explorare, pro-

probatiſque plumbeum ſigillum apponere, uſitatum: ac, cum quaeſtus hic floreret, anno uno panni illic inſtar centum mille exhibiti.

CAP. X.

De Academia.

ACademiam nunc deſcribam, qua Auriacus, Ordineſque, ob virtutem toleratae obſidionis, anno clolo LXXIV. Vrbem ornandam cenſuere; & inſtituere ſtatim, anno proximo, ad octavum Februarii menſis diem. Ac initio, locus captus S. Barbarae monaſterium; ſive, ut nunc nomen habet, Aula Principis: inde, anno clolo LXXXI. in Albarum monialium eſt migratum. Sed, quum anno clolo CXVI. conflagraſſet, dum conantur inſtaurare Curatores, Lectiones, ceteraque iuventutis ſtudioſae exercitia, in S. Barbarae, veterem ſedem, ſunt relata. Hoc incendium, uti inſtaurationem, lapis Lydius, in interiore introitu ſupra fores collocatus, repraeſentat, iſtis verbis.

MEMORIAE POSTERITATIS,

AEDEM . ISTAM . IN . QVAM . ANNO . CIↃ. IↃ. LXXXI. CVRATORES.
ACADEMIAE . ET . COSS . HVIVS . VRBIS . PVBLICAS . ACROASES.
TRANSFERRI . VOLVERVNT . QVAMQVE . VERAE . SAPIENTIAE . ET.
LIBERALIBVS . DOCENTIVM . AC . DISCENTIVM . EXERCITIS.
ATQVE . HONORIBVS . DEDICARVNT . POSTQVAM . EXORTA.
REPENTE . FLAMMAE . VIOLENTIA . III. EID. NOVEMB. ANNO.
CIↃ . IↃC . XVI . TECTVM . EIVS . TRABEIS . CATHEDRAS . SVBSEL.
LIAQVE . FOEDE . ABSVMSISSET . EAM . EX . DECRETO . ILL. AC.
PRAEPOT . HOLLANDIAE . ET . WESTFR . ORDINVM . IN . HVNC.
MODVM . MAGNIFICE . RESTAVRATAM . PVBLICIS . DIVINARVM.
ATQVE . HVMANARVM . RERVM . DISCIPLINIS . CONSECRARVNT.

ADRIANVS . A. MATENES . DOMINVS . IN . MATENES, OPMEER . ETC. } ACAD. CVRATORES.
CORNELIVS . VAN . DER . MYLE . DOMINVS . IN . MYLE . DVBBELDAM . ETC, }

PR . CORN . TOORNVLIETIVS.
LAVRENT . HVG . GALIVS.
PETRVS . ARN . DEYMANNVS.
THEODORVS . GER . HOGEVENIVS } CONSVLES . REIP . LVGDVNO-BATAVAE.

ANNO CIↃ. IↃC. XVIII. KAL. IVNII.

EK . MOICAN . AΓAΘON . KAEOC.

Habet auditoria quatuor; duo inferius, ac ſuperius: ex inferioribus iſtud, auguſtiſſimum, *Theologiae*; alterum, minus opere concamerato, *Linguis*, *Artibuſque*, proprium; in ſuperiorum uno, *Ius* docetur; ut in altero, *Medicina*, & *Matheſis*.

Verum, age inſtitutionem primam videamus. Anno itaque, quem iam dixi, clolo LXXV. die octavo Februarii, ut illuſtri adeo operi bonus Deus adſpiraret, habita prius ſacra concio, publicaeque in aede S. Petri preces; tum, libertas quia armis parta foret, iuſſi in iis eſſe cives, qui in novam Academiam Profeſſores deſtinatos introducerent: illis ipſis contra vim hoſtilem porro ſtrenuo eos defenſuri. Ecce autem apparatum univerſum, & pompae ordinem. E curia, quo convenerant, progreſſi, non uno per viam arcu triumphali poſito, in trophaei alicuius ſpeciem, ad Academiam proceſſere. Anteibat in carruca vecta femina ſimplici habitu, veſte candida, *Sacram Scripturam* repraeſentans. Circum carrucam pedibus ibant quatuor Evangeliſtae, *Matthaeus*, *Marcus*, *Lucas*, *& Ioannes*. Tum *Iuſtitia* ſequebatur, in Monocerote incedens, cultu egregio, obligatis faſcia oculis, manu una ſtrictum gladium, altera bilancem tenens; hanc ſtipabant, equis vecti, quatuor ſummi Iureconſulti, *Iulianus*, *Papinianus*, *Vlpianus*, *Trebonianus*: quibus ad latus ſatellites totidem, & a pedibus pueri duo. Poſt hos, *Medicina* erat, & ipſa equitans, manu librum: ac herbas, geſtans media inter antiſtites quatuor praeſtantiſſimos, *Hippocratem*, *Galenum*, *Dioſcoridem*, *Theophraſtum*: ac his quoque ſatellites adtributi totidem, puerique a pedibus duo. Tum armata *Pallas* ſequi; dextra haſtam, laeva clipeum ſuum tenens, in quo Meduſae caput expreſſum: ad utrumque latus ibant, principes Philoſophorum, *Plato*, ille, & *Ariſtoteles*; Oratorum, *M. Tullius*;

Digitized by Google

lius; Poëtarum, *P. Virgilius*: quos ſatellites item tui tuebantur, & a pedibus pueri totidem. Hos flatores, & tubicines ſequebantur, laeto cantu implentes vias; inde accenſi urbis quatuor, virgam ſinguli geſtantes, colore rubro, & albo diſtinctam. Poſt hos denique Profeſſores veniebant; quorum primus *Caſparus Coolhaſius*, Theologiam ad tempus aliquod profeſſurus; cui latus dextrum claudebat, iuſſu Auriaci, atque loco, vir nobilitate antiqua *Gerardus Wingardus*, Iureconſultus, & Hollandiae curiae Senator: ad laevum incedere *Iacobus Douſa*, ex primaria etiam provinciae nobilitate, Rhenolandiae aggerum curator, & Auriaco a conſiliis, ac praefectus urbis ſummus. Hos vir nobilis ſequebatur, *Theodorus Nieuburgius*, Iureconſultus, & provincialis item curiae Senator, Iuriſprudentiae profeſſionem inchoaturus; mediumque deducebant, e praecipua nobilitate, *Ianus Douſa*, Nordovicus, & *Arturus Brederodius*: ille, fama perilluſtri, & Rhenolandiae aggerum curator, urbiſque etiam praefectus: iſte, in provinciali curia conſiliarius. Collegam Nicuburgium *Iuſtus Menenius* ſequebatur, Senator quoque, & Phiſci patronus; itidem, ius praelecturus: hunc ducebant, vir proſapia inſignis, *Arnoldus Duvenvordius*, & *Feudo Bronckhovius*, Rhenolandiae praetor, aggerumque curandorum praefectus. Proximus illis *Petrus Foreſtius*, Medicinae Profeſſor futurus, medius inter conſules urbanos duos, *Nicolaum Hemskerckium*, & *Theodorum Montfortium*. Inde *Laurentius Orſchotus* ibat, communem cum Foreſtio operam Medicinae ſtudioſis navaturus: cui a dextro latere, conſul *Gulielmus Lous*; a ſiniſtro, *Hadrianus Barreveltius*, ſenator urbis. Poſt hunc erat, Medicinae Doctor, *Gerardus Bontius*, Mathematicen docturus; quem *Cornelius Hugo Thorenvlietius*, & *Petrus Henricus Waßenarius*, ambo urbani ſenatores, adducebant; denique, *Cornelius Grotius*, Iureconſultus, ſupplicumque libellorum magiſter, Philoſophiam praelecturus: cui alterum latus claudebat, *Petrus Omius*: alterum, *Petrus Georgius*; etiam illi ſenatores. Inde reliquus magiſtratus ſequebatur: & promiſcue omnis ordinis multitudo. Totum agmen, inter civium armatorum ſigna quatuor medium ibat: e quibus in fronte duo praecedebant, duo tergum tuebantur. In foſſa illa, cui Academia adiacet, quaeque vulgo Rapenburgum nominatur, navis erat, rubro alboque panno amicta, vario deſuper tapete tecta; & e tholo corona laurea, pomis Medicis interſtincta, dependebat. Hac *Apollo* vehebatur, & novem *Muſae*: ad clavum autem *Neptunus* ſtabat, liberata maris ſui aquis Vrbe, Academiam in navigio introducens: Apollo, teſtudinem manu tenens, fides ſuaviter pulſabat: Muſae, voce accinebant: mox, quum Profeſſores novi advenirent, in terram exſcenſione facta, poſt amplexum, atque oſcula, ſingulos latina lingua compellantes, adventum eorum gratulabantur. Tum ingreſſi in Academiam: ac *Caſparus Coolhaſius*, auditorum frequentiſſima corona, de Theologiae laudibus praelocutus, laboris Muſici anteſignanus, primam lectionem habuit. Id dum fieret, cives, qui in armis erant, per praecipuas urbis vias ambulantes, laetitiae ſuae teſtimonium, ſclopos identidem explodebant: quin & alibi tormenta grandiora, omnis generis, exonerata, gaudium diei iſtius univerſis teſtabantur. Ad extremum, quum peracta rite omnia, epulum in domo Naeldwicena ingens, ac magnifico adparatu, magiſtratus urbanus dedit; diesque inter feſtos poſitus. Ita Muſis dedicata Academia, primuſque illi Rector datus, Petreius Tiara.

IN EFFIGIEM GVLIELMI A NASSAV PRINCIPIS AVRIACI &c. ACADEMIAE LVGDVNO-BATAVAE CONDITORIS.

EN tibi, quem ſemper Belgarum poſtera ſecla
Praeclarae mactum laudis ad aſtra ferent;
Qui Libertatis vindex, auctorque Lycei,
Quo nullum toto clarius orbe viget;
Talis erat, talis vultus atque ora ferebat:
Hac illum noſcet Poſteritas facie.
O multum ante alias omnes Academia felix;
Illuſtris fato es Principis ipſa tui!

IOANNES MEVRSIVS.

IANI DOVSAE EPIGRAMMATVM EXTEMPORALIVM SILVA

Ad Lugdunum noſtram pertinens, & Scriptorum quorundam in omni diſciplinarum genere elogia continens; eorum praeſertim, quorum perſonae adſcriptis nominibus An. clɔlɔLXXV. VI. Id. Februar. qui primus Academiae inſtitutae dies fuit, ab IOANNE HAVTENO, eidem Vrbis a Secretis in forum productae, Populoque repraeſentatae fuerunt.

Neptunus ad Muſas.

QVid Muſis cum Marte? nihil confidite Divae:
Ille abiit, vobis poſſit ut eſſe locus.

Muſae ad Neptunum.

Laus Neptune tibi, obſidio quod ſolveris urbem,
Tam comi quae nos excipit hoſpitio.

Apollo ad Artes, ſive Humanitatis ſtudia.

Docta ſatis Martem urbs, Artes nunc diſcere; remque
Vobiſcum, & mecum, poſtulat eſſe ſibi.

Artes, ſive Humanitatis ſtudia ad Apollinem.

Connubio iunctas ſtabili, propriaſque dicatas,
Phoebe Pater, praeſto nos tibi ſemper habe.

Salvius Iulianus ad Iuſtitiam.

Lovanium fructu nos tantum accepit, & uſu,
Hîc etiam nexu me iuvat eſſe tuum.

Responsum Iustitiae.

Nec fructu Grudii nos accepere, nec usu:
Namque Papam, non me, nunc locus ille colit.

Ad eundem Salvium Iulianum.

Care Pio, ac Divis gratissime fratribus olim,
Non ingratus eris nunc quoque Cattigenis.

Ad Aemilium Papinianum.

Tu quoque, Septimii iustissima cura Severi,
Huc ades: omnis abest hoc Caracalla loco.

Ad Eundem.

Et sedem, & Dominum mutes melioribus hortor,
Lugduno Romam, Septimium Auraico.

Ad Domitium Vlpianum.

Tutor Alexandro, Domiti, & consultor eidem,
Huc ades: & Baldos, barbariemque, doma.

Ad Caium.

Aemilius Latio Iuris sit dictus Asylum,
At Legum nobis tu Coryphaeus eris.

Ad Sextum Pomponium.

In pretio quondam Romae, qui Sexte fuisti,
Nunc quoque Lugduni non inhonorus eris.

Ad Hippocratem Coüm.

Huc ades Hippocrates, Medicorum gloria, Coë,
En, vocat ad partes te Medicina suas.

Ad Galenum.

Tu quoque Lugdunum venias curare Galene,
Adfectam bello, pestilitate, fame;

Ad Theophrastum.

Hunc etiam in numerum adscribi, Theophraste: mereris;
Plantarum cui vis cognita tota fuit.

Ad Cornelium Celsum.

Facta urbana tuo res rustica munere, scriptis
Nec minus illustris est Medicina tuis.
Hinc quoque militiae tractasti commoda Rhetor.
Hoc mortem Musis iungere Celse fuit.

ACADEMIA LVGDVNENSIS AD AEMILIVM MACRVM.

Hic etiam volucres tecum meditere licebit,
Quaeque nocet serpens, quae iuvat herba, Macer.
Ergo age, sed propera, licet aevo grandior; & quae
Nasoni quondam, nunc lege Cattigenis.

Ad Eundem.

Mane Macer, semperque tibi ver floreat, herbas
Tam bene cui verbis iungere cura fuit.

Ad Sammonicum Serenum.

In Medicis Medicus, vatesque in vatibus idem.
Esse duorum hominum quod solet, unus habes.
Ergo ades, & felix nostris quoque civibus adsis:
Et vatem dici te patere, & Medicum.
At Baias metuis funestaque balnea; fors &
Nunc quoque subspectus est Caracalla tibi:
Quod metuas non est, Caracallas vicimus omnes,
Romanasque minas, Hesperiumque iugum.
Quique adeo peior Caracallis omnibus unus,
Omnibus & Baiis saevior, Alba fuit.

Ad Theophrastum Paracelsum.

Tu quoque ades, nostro non inficiande Lyceo,
Nec Medicus, verum magnus Apollo mihi.

Ad Platonem.

Salve, Socratici notissima fama Lycei,
Die Plato, magni Doctor Aristotelis.

Ad Aristotelem:

Fide poli interpres, naturaeque aemule, & idem
Digne tuo salve nomine Aristoteles

In Laudem Homeri.

Magnus Aristoteles, maior Plato, maximae Athenae:
Omnibus at maior magnus Homerus erit.

Ad Vergilium.

Ilium in Italiam portasti Andine poeta,
In Batavos transfer nunc precor Italiam.

Ad Eundem.

Parthenopen Leida mutes Maro: vicit Iberos
Ista, quibus servit nunc quoque Parthenope.

Ad Ciceronem.

Lugdunum venias, Tulli, aut famulare necesse est.
Maranum patitur Belga Italusque iugum.

Minerva Lugdunensis.

Hactenus arma mihi curae, obsidioque fuerunt,
Nunc mutare bonis artibus arma paro.

In Lugdunensem Minervam.

Arma virum, & pugnas studiis obstare Minervae
Qui putat, in nostra non meret urbe locum.
Haec Delo, & timidis, placeant commenta: Batavos
Lugduni & Musas Pallas, & arma, docet.

Ad novam Academiam Lugdunensem.

Quantum Delo amni Rhenus praestare videtur.
Tantum Leida tibi cedere Lovanium.

Ad Eandem.

Cedat Lovanium; cedat tibi Leida Duacum.
Armis, Iustitia, Relligione, Fide.

HADRIANI IVNII AVGVRIVM IN NOVAM ET A PRINC. ARAVSINO RECENS INSTITVTAM Lugd. Batav. Academiam

Ales de Ciconum traxit quae nomina gente,
Auspicio liquido
Lugdunum invehitur primi sub tempora veris,
Legitimum ante diem;
Nimirum octavo mensis, lustralia nomen
Februa cui dederunt:
Nuncia laetitiae, circum praetoria pennis
Concita remigibus.
Quando coronatos studiorum invexit honores,
Primitiasque novas
Turba Deum Aonidum, Phoebo comitata chorago,
Gratiaque alma simul:
Illustremque Academiae titulum addidit urbi,
Perpetuumque decus:
Lustratoque loco ramo felicis olivae
Intulit illa pedem,
(Feminei is fuerat lustro gregis ante profanus)
Principe dein solio
Eloquii interpres sacri considere iussa,
Veste nitens nivea.
Iustitiae sequitur vindex, quae legibus, aequo & Iure regit populos.
Tam quae Paeonias artes morbisque professa est
Auxilium, subiit.
Hinc aliae, quibus ore loqui Latioque & Achivo
Musa dedit, subeunt.
Publicus est ita honos re confirmatus & albo
Alitis augurio.

Quae

Quae ſtreperis hoſtis ranis, inimica colubris
Noſcitur eſſe nigris:
Hoſtibus infeſtis funeſta ut nuper Iberis
Exitium dederas.
Defectos ſenio pennis vehit illa parentes,
Fertque alimenta ſimul:
Sic tu Doctores complectere grata, parentes
Mentibus, atque foves.
Macte urbs obſidio, famis & toleramine, & hoſtis
Inclita perfugio.
At nunc pacis opum ſtudiis atque artibus una
Inclita Palladiis.

IN LVGDVNVM NOVAM BATAVORVM ACADEMIAM.

Danielis Rogerii Epigramma.

SEu tibi Lugduni nomen ſub nomine priſcis
Exſtitit, hoc Legio ſeu tibi Leida dedit.
Sive alia ſub voce vago tua conſtitit orbi
Fama, recens vicit priſca trophaea fides.
Nam quis murorum fuerit latet ambitus olim,
Nunc compage valent moenia fulta nova.
Derivatus aquas praebet tibi Rhenus, & altas
Navigat is foſſas, quas tremit hoſtis Iber.
Templa auguſta micant, vicos interfluit amnis:
Sed quid ego his parvis cetera magna premo?
Qualis adeſt urbi genius? conſtantia morum
Quanta? quis hic purae Relligionis amor?
Proque focis ariſque ſimul quae cura tuendis
Civibus, Hiſpano bella fremente fero?
Ille quidem cinxit Leidam obſidione ſuperbus,
Foedarunt que urbem peſtis, & atra fames.
Sed ſpes nixa Deo vicit mala cuncta, merente
Cive decus rarum, dedecus, hoſtis habet.
At quantum eſt, urbem duce quod Rectore profundi
Muſarum intrarit Morte furente chorus?
Quis non tale probet bellum, quo vindice Leida
Et pariter Muſas, & ſacra pura colis?

Vt autem fundata fuit a Gulielmo Auriaco, ita anno cIↃIↃXCVI. ab Henrico Turrio, Bullionio, eius genero, inſigni admodum beneficio exornata eſt; procurato ab Henrico Magno, Rege Galliarum, privilegio, quo conceſſum, ut Doctores, hic creati, toto regno, ad munia omnia, iis propria, obeunda admitterentur: ſola cathedra Profeſſoria denegata.

CAP. XI.

De Academiae horto.

ACademiae Hortus ſubiacet: ipſe quoque pars eiuſdem aliqua, ob herbarias lectiones, quae aeſtate a praefecto hic habentur. Eſt is longe amoeniſſimus; & arboribus, ſtirpibuſque, tam indigenis, quam exoticis, quae hic ſupra noningentas, inſtructiſſimus: ita ut Lutetiano, Monſpelienſi, Patavino, nihil cedat: ſi non etiam quoſdam ex his antecellat. Eſt hic plurima invenire, quae conceſſa coelo noſtro rei herbariae periti admirantur. Longus eſt, ab Oriente ad Occidentem, pedes geometricos CXXXIII. a Meridie ad Septentrionem, CIII. Vniverſim in quadras quatuor diſtribuitur: illae rurſum, in pulvillos; iſti, in areolas ſuas. Quadra prima, quae obverſa Orienti, continet pulvillos ſedecim; illi, totidem areolas: ac pulvilli quidem, longi pedes octo: & tres cum dimidio lati. Quadra ſecunda, quae ſe porrigit ad Meridiem, in duodecim pulvillis, longitudine pedum totidem, latitudine trium item cum dimidio, complectitur areolas viginti quatuor. Tertia, ſecundae ſimilis: quarta, primae. Suntque areolae in his numero mille octoginta octo. Quadrae ſingulae quadrivio, octo amplius pedes lato, inter ſeſe diſtinguuntur: pulvillorum intercapedo trium pedum eſt: ambitus quadrarum, novem. Huic pulvinus circumducitur, partes quatuor complectens: quarum una, ad Orientem, oſtio communi ſecta, habet in ſe areolas quadraginta octo: altera, quae ad Meridiem, media Ambulacri porta interrupta, areolas quinquaginta quatuor: quae ad Occidentem eſt tertia, ea quadraginta octo: quarta, ad Septemtrionem, ſexaginta quatuor. Sic areolae in pulvino exteriore ſunt ducentae quatuordecim: univerſae, mille & trecentae duae. Praeter iſta, porticus exſtructae duae; ad Septentrionem una, longitudine minor altera, latitudine antecellens; in qua plantae, frigoris impatientes, in fictilibus alveiſve collocatae, quaſi hiemi ereptae, redituraе mox aeſtati adſervantur: iuxta, aquila educatur; altera, quae huic adiacet, ad Meridiem, inſignis pedum centum & triginta trium longitudine, latitudine duodecim; in qua, aeſtum pluviamve declinare cupientibus, ambulatio amoeniſſima, multa ex aliis orbis partibus rara habens, quae oblectent ſpectatorem: & in fronte Inſcriptio iſta eſt.

VSVI ORNAMENTO
ACADEMIAE
CVRATT. ET. COSS. IVSSV
STRVCTVM OPVS
ANNO. A. NATO. CHRISTO. CIↃ. IↃ. C.
HORTVM. INGRESSVS. AD. SVBSCRIPTA
RESPICITO.

I. STATVTA. A. PRAEFECTO. HORA. HORTVM. INGREDI. FAS. ESTO; EXAMINE. FINITO. EGREDITOR.

II. INGRESSIS, STIRPES. VIDERE. LICET. ODORARI. LICET. TENELLAS. SVCCRESCENTESVE. TRACTARE. LAEDEREVE. NON. LICET.

III. RAMOS. FLORES. SEMINA. DECERPERE. SCAPOS. CONFRINGERE. BVLBOS. RADICESVE. EVELLERE. HORTVM. INIVRIA. ADFICERE. NEFAS. ESTO.

IV. PVLVILLOS. AREOLASVE. NE. CONCVLCATO. TRANSILITOVE.

V. NIHIL. INVITO. PRAEFECTO. ATTENTATO.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XII.

De Theatro Anatomico.

EX adverſo, in Calyptratarum fano ante nobis memorato, eſt Theatrum Anatomicum; amplum illud, & ingenti ſumptu ſtructum, anno clɔ lɔ xcvii. Vbi in imo menſa poſita, quae huc illuc circumagitur. In hac ſternitur cadaver, a praefecto diſſecandum; qui, ut liber expedire ſectionem ſuam poſſit, ſolus adſtat. Quod ſubſellium proxime ambit, in hoc Profeſſores ſedent, quibus libet adſpectare: alia duo, iſti proxima, Medicinae ſtudioſis, & chirurgis occupantur: quae ſuperſunt, cetera iuventus tenet: ita vero univerſa ordinata, ut nec ſummos imi impediant, quo ſpectare minus poſſent. In ſubſelliorum ambitu poſita varia ornamenta, loco apta; inteſtinum deſiccatum, ſtomachuſque, & pellis, hominis; deinde oſſa univerſa, arte inter ſe connexa, viri, ac feminae: tum multorum animalium, equi, bovis, cervi, lupi, urſi, capti, cercopitheci, canis, vulpis, felis, lutrae, talpae, muſtelae, muris, aquilae, cygni, ardeae, & ciconiae: hinc balaenae oſſa, ac dentes: denique humana corpora, aromatibus condita, ac ſiccata, aliaque, ex Aegypto huc adlata, & a Paullo Gulielmo mercatore dedicata: ad haec tabulae anatomicae, picturaeque; & armarium, in quo condita inſtrumenta, ſectioni neceſſaria. Primus autem huic loco eſt praepoſitus, V. Cl. Petrus Pavius; qui peritiam artis ſummam cum facundia admirabili ſic coniunxerat, ut fortaſſe parem ipſi aliquando, ſuperiorem certe nunquam, Academia ſit habitura: iſque hic, viginti duûm annorum ſpatio, praeter varia animalia, corpora humana ſexus utriuſque ſexaginta publice ſecuit,

CAP. XIII.

De Bibliotheca.

HActenus Doctores vivos, & eorum Auditoria proſequuti; nunc de mortuis agamus. Ii ſunt auctores priſci, loco publico repoſiti; ubi ſtudia Iuventutis lectione, ut auditione alibi promoventur. *Bibliotheca*, Graeco nomine, adpellatur; nam Latini voce propria deſtituuntur, & *Libraria* potius taberna dicitur, in qua libri venum proſtant. Ea initio iuxta Academiam erat; verum, arctiore loco, in Calyptratarum fanum itidem translata fuit; ſupra anteriorem partem, ubi armis exercentur. Et auctorem, ac conditorem, *Gulielmum Auriacum* habet; qui, quum pridem Academiam dedicaſſet, imperfectam hanc putavit, nec conſtare etiam poſſe ſine iſthoc inſtrumento. Atque, ut principium faceret, dedit *Biblia* illa Auguſta, quae edenda Rex Philippus, unde *Regia* nuncupantur, cum aeterna ſua gloria procuravit. Ad haec item *Thalmud Iudaeorum* addidit; ac deinde Curatores Academiae libros plurimos, editoſque, ac ineditos, magno ſumtu coemerunt: Vrbium quoque Magiſtratus profeſſores, & Iuventus, operam hic ſtudiis navans, certatim de ſuo quiſque liberalis, ſymbolam aliquam contulerunt: adeoque anno clɔ lɔ lxxxvi. vir egregius *Ioannes Holmannus*, S. Theologiae Profeſſor, vita excedens, totam ſuam Bibliothecam eſt largitus. Et, *Ioſephus Iuſtus Scaliger*, Academiae, dum vivebat, ſummum decus, munere incomparabili eam illuſtriorem reddidit, morienſque, ut nomen orbi immortale relinquebat, ita quoque huic loco nominis ſui monumentum ſempiternum eſſe voluit, libris datis ducentis octo, manuſcriptis, quorum, qui Ebraici eſſent, aut Chaldaici, numero ſunt civ. Arabici autem; xl. Syriaci, ix. Aethiopici, vii. Ruſſici, ix. Graeci xxi. Latini, xviii. Praeter libros, proprium loci inſtrumentum, etiam ornamenta addita, effigies Principum Auriacorum; Gulielmi conditoris, & Mauricii, eius filii; inde Profeſſorum aliquot, editis libris clariorum: tum in tabula, paſſus decem ac ſeptem longa, urbs ingens, Conſtantinopolis, calamo picta, admirando artificio,

CAP. XIV.

De Collegio utroque Theologico.

PRoximum ordine, atque loco eſt Collegium, Theologiae ſtudioſis educandis inſtitutum, a provinciae Ordinibus, anno clɔ lɔ xcii. Ad hunc uſum captus locus in Cellariorum Fratrum Monaſterio; & Regenti, Subregenti, atque Oeconomo, ſua cuique habitatio hic exſtructa; ac Muſea, informandae Iuventuti. Ipſi alumni ut triginta unus eſſent, primo placuit; ſed deinde varie auctus ille numerus, ita ut nunc ſexaginta habeantur. Primus Regens conſtitutus *Ioannes Kuchlinus*, tunc Eccleſiae Amſtelodamenſis Miniſter. Dedicatus autem locus, die Octobris menſis ſexto, pompa maxime ſolemni, in hunc modum. Primo, ut auſpicato fieret, quod propoſitum, feriatum eum diem, precibuſque publicis ſacrum eſſe placuit: quibus peractis, ad diei horam nonam, e curia Vrbis, quo convenerant, in Academiae auditorium maius itum eſt. Prior incedebat Rector, cum Senatu Academico, ceteriſque Profeſſoribus: inde Curatores duo, medium inter ſe Kuchlinum, quem Regentem conſtituerant, deducentes; hos Vrbanus Praetor, Conſules, Senatores ſequebantur. Quum in Academiam ventum, Ianus Hautenus, qui tunc Vrbi a ſecretis, e ſuggeſtu verba in rem praeſentem facere, acta publica de Collegii novi inſtitutione, regulaſque, & ſtatuta, quis Iuventus deſtinata obſequi neceſſe haberet, coram univerſis legere. Hunc excepit mox Kuchlinus; habitaque luculenta oratione, actum inauguralem finiit; illicoque, gratulatione facta, qui in Academiam duxerant, in Collegium deducentes, illud ei regendum in poſterum tradiderunt. Ad exemplum hoc Miniſtri Eccleſiarum Gallicarum

per

Digitized by Google

per provincias foederatas, quum iam dudum adoleſcentes aliquot pios in Theologiae ſtudiis aluiſſent, quorum opera ad ſuarum Eccleſiarum miniſteria uterentur, ipſi quoque ad Collegium iſtiuſmodi inſtituendum animum adplicuerunt; ac, quum ſumptus deſtitueret, etiam Hollandiae Ordinum munificentiam implorarunt, qui eximie ſubvenerunt: adiuvitque mox praeclare, vir cum laude nominandus, N. Halletus, qui legavit florenorum quadraginta octo millia. Datus illi primus Regens, *Daniel Colonius*; tunc Eccleſiae Belgicae pariter atque Gallicae in Vrbe Roterodamenſi Miniſter; iſque munus ſuum adiit ad xxx. diem Maii, anno cIↃ IↃ CVI. quum regendam Iuventutem oratione inaugurali ei traderet *Ioannes Polyander*, tunc Durdrechti Eccleſiae Gallicae Miniſter, nunc Theologiae in hac noſtra Academia primarius Profeſſor.

CAP. XV.

De Burgo, eiuſque Comitibus; & quo tempore illi eſſe deſierint.

BVrgus, ornamentum hodie, olim munimentum erat: condituſque ab Engiſto, Saxonum Duce, ſive Friſiorum Rege, ut alii volunt, quum rediret a Britannis ſubiugatis anno CCCCXLIX. Adiacet Rheno, in effoſſo inde tumulo; cuius ima, in circuitu, habent decempedas trecentas; ſumma autem, centum quadraginta quatuor. Burgus ipſe, ad quem adſcenditur gradibus circiter quinquaginta, lapide antiquo ſtructus, opere rotundo, muro valido; altitudine pedum viginti unius intus, fornix eum ambit, decempedarum ſexaginta octo: e quo in ſubiectam Vrbem, & circumiacentes agros, amoeniſſimus eſt proſpectus. Hic receptus quondam erat, contra ingruentes hoſtes; itaque ſub *Diderico*, Comite ſecundo Hollandiae, poſtquam rebellantes Friſii primo Alcmariam, inde Harlemum, & Caninefates adeo univerſos ſubiugaſſent, atque ulterius etiam tenderent, in hoc obice ſtitit impetum eorum *Halevvinus*, Burgi Comes; dum, exercitu comparato, Didericus, provinciae Comes, eos funderet, fugaretque. Huc ſe etiam recepit *Ada* Comes, anno CIↃ CCIII. quum *Gulielmum* patruum fugeret. Suberat autem, ut urbs item univerſa, Comitibus ſuis, quos Burg-gravios adpellamus; qui interdum, quum iniquius dominarentur, idque aegre cives ferrent, turbas multas habuerunt: donec tandem *Ioannes Bavarus*, Hollandiae Comes, anno CIↃ CCCCXX. Burg-graviorum dominatum abolevit, dato Vrbi privilegio, quod *Iacoba* quoque filia, anno CIↃ CCCCXXX. confirmavit, ne deinceps Dominum adgnoſcere, praeter Comitem provinciae tenerentur. Sed, Hiſtoriae illuſtrandae, rem hanc totam paulo fuſius exponemus. Orto bello inter *Fridericum*, Epiſcopum Vltraiectinum, &, quem dixi, *Ioannem Bavarum*, cum Philippus Waſſenarius, Burgi Comes, & Vrbs ipſa, Vltraiectino ſtuderent, Ioannes Bavarus, irritatus contumelia, Vrbem obſedit, menſe Maio, anno CIↃ CCCCXX. In praeſidio erant milites CCCC. ab Vltraiectino miſſi. Bavarus vero, excitata ante portam Hoochwoerdanam magna mole, atque ex ea variarum machinarum exploſione Vrbem verberans, graviter infeſtare obſeſſos: illi contra animoſe repugnare; & egreſſi ſaepenumero, obſeſſores propulſare, atque capere. Quumque iam obſidionem menſes duos toleraſſent, & parata Vltraiectino auxilia eſſent, gnarus Bavarus, ac praeveniendum aſtu arbitratus, Burgi Comiti, & Vrbanis pacem offert: quae, & procerum nonnullorum interventu, conſtituta, ea lege, ut praeſidiarius miles ſine damno domum abire ſineretur; Burgi Comes, & Vrbani, nihil mali paterentur. Sed promiſſa non ſervata; nam Ioannes Egmundanus, in vaſtati Iſelſteinii, ſuae Vrbis, ultionem, militem praeſidiarium inter Woerdam & Vltraiectum, fide Principis ſecurum, ex inſidiis adortus, magna eum clade affecit: Bavaruſque, Vrbe dedita, fidei non ultra retinens, Burgi Comitem poteſtate ſua exſuit; ita ut ei nil relinqueret, praeter Burgum poſſidendum, homines, cygnos, ac tributa, quae pro aqua, item lupo ſalictario cereviſiae coctores perſolvebant, tum piſcinas, & conſueta vectigalia: antea autem & res urbanas univerſas ordinabat, & praetorem ſtatuebat, conſuleſque, ac ſcabinos; inſuper nec panni ulli, quo commercio Vrbs conſtabat, vendi poterant, ni ſigillo prius eius ſignarentur.

CAP. XVI.

De Saxo Caeruleo.

BVrgo vetuſtate proximum *Saxum*, quod *Caeruleum* vocant. Hic ſupplicia ſumebantur; donec Philippus Burgundus, anno CIↃ CCCCLIV. poteſtatem Vrbi dedit, uti deinceps Sgraveſteinio, quaſi *Comitis Saxum* dicas, inſtaurato, illic fieret. Manſit tamen mos antiquus; quo receptum, uti cives, ſi res forte poſtularet, ibi loci civitate exuerentur: ac vix deſiit ante hos quinquaginta annos, fiebatque iſto modo. Si quis civis, aere alieno obrutus, in iudicio bonis omnibus excidiſſet, non dabatur prehendendi eius copia, niſi prius civitate exutus eſſet. Itaque, qui eviciſſet, reum evictum ad praetorem evocabat; qui duobus cum ſcabinis, & actuario, in Caeruleo iſthoc Saxo conſtitutus, imo virgae, quam ex Vrbis privilegio dextera manu tenebat, in eo poſito, poſt ſolemnia quaedam acta, ni inveniretur ſponſor, qui pro reo fidem ſuam interponeret, civitate eum ſua excidiſſe pronuntiabat: atque ita comprehenſus, in cuſtodiam ducebatur. Verum neque hoc permiſſum, niſi prius ter deductum circum Saxum praetor Vrbis, toties quoque rogaſſet circumſtantes, num quis eſſet, qui iubere fide vellet: ac, ſi nemo compareret, tum poteſtas abducendi demum data.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVII.

De tumultu Houxiorum, & Cabeliaviorum.

CEleberrima est in Historia nostra Hollandica Houxiorum, & Cabeliaviorum dissensio. Ea quoque Vrbem graviter infestavit, & potissimum anno cIↃ cccccxlv. hac de causa. *Gosvvinus Wildius*, Hollandiae ac Zelandiae Praeses, postquam Hagam advenisset, munus suum aditurus, ab ordine equestri, & Senatu honorifice exceptus, mox dissidium inter partes ingens ortum; contendentibus de sepulcro, quod in D. Petri erat, *Florentio Boshusio*, praetore urbano, & *Baldevvino Zvvieteno*. Ac *Boshusio* controversia item erat cum *Simone Friderico*; qui, praetoris postquam minus impetrasset a *Philippo Burgundo*, provinciae Comite, idque exercere vellet, *Boshusius*, non ferendum id ratus, substituto sibi quodam, ad *Philippum*, qui Bruxellis aulam habebat, se conferre, & querelam de iniuria instituere. *Simon Fridericus*, a *Gosvvino Wildio*, provinciae praeside, introductus, sibi quoque substituit: ita ut praetores duo, & propraetores uno tempore in Vrbe essent. Mox evenit, ut *Ioannes Danielius*, adfinis *Boshusii*, ante aedes *Bucoldi Heermanni*, ipso ad fores assidente, praeteriret, & in transitu crepitum ventris emitteret; quam ob rem *Heermannus*, indignatus admodum, quum ulcurum contumeliam sese diceret, respondere cum contemtu *Danielius*, Faceret, quodcumque posset. Hinc utrinque animis exasperatis, quum amicos, & fautores, concitarent, ad Kalendas mensis Iulii, orto tumultu ingenti, mox ad arma est deventum. Hic quum Praesidem & Senatum Cabeliavii imploravissent, statim Praeses, cum provinciae proceribus aliquot, & nobilibus, civibusque Hagiensibus, ac Delphensibus, item aliis, qui pro partibus Cabeliaviorum stabant, advolare: quumque Vrbem ingressus esset, & ad Saxum Caeruleum omnes convenissent, correptum vexillum Vrbis *Ioannes Wassenarius* sustulit. Congregati quoque Houxii, in platea, Nova dicta, iuxta templum Hogelandicum; iamque gradum promovere in Cabeliavios, cum in ponte frumentario, Rheno imposito, qui utrosque dirimebat, obvius *Gerardus Potterus*, Cabeliaviorum verbis pacem obfert. Quamdum illi amplecti se paratos dicunt, atque iste id renuntiat, irruentes alia via Cabeliavii, per obiectam angiportum, Houxios, pacem exspectantes retrocedere compellunt, usque ad templum Hogelandicum. Hic, conferta acriter manus, caesis aliquot, saucisque, capti centum & viginti, Hagam abducti; e quibus *Ioannes Danielius*, *Ioannes Haesbrouckius*, & *Menardus Arnoldius*, capitis supplicio adfecti: ceteris, cum se Comes Ostervantiae obponeret, facta vitae redimendae gratia. Quae quum ad *Philippum Burgundum* adlata essent, ille, ut componeret turbas, ocyus in Hollandiam venit; mutatoque passim in urbibus Magistratu, & aequali ex utraque parte numero constituto, sic provinciae pacem reddidit.

CAP. XVIII.

De tumultu partis utriusque altero; item tertio.

SEd, compressis potius odiis, quam exstinctis, iterum mox ad seditionem ventum. Anno enim cIↃ ccccclxxix. quanquam, e *Philippi Ducis* instituto, numero utrinque pares Magistratu fungerentur, tamen, quum provincia tota inimicitiae recrudescerent, etiam hic turbatum fuit: verum in ipso statim initio, quum primates factionis utriusq; conveniissent, iuramento ad concordiam sese mutuo obstrinxerunt; quo non diu tamen statum. Quippe e nobilitate quidam, aliique, factionis Cabeliaviae, quum se Vrbe hac potiri, nisi discordia excitata, minime posse animadverterent, clam solicitant, quos addictos factioni suae nossent: ac quum eos tandem ad se pertraxissent, de eiiciendis Houxiis mox consilia item ineunt. Forte aberant ab Vrbe, causa publica, duo Houxiorum Consules; id momentum ingens habuit, ad audaciam aliorum accendendam; qui, occasione usi, cum proceribus factionis, sociisque, Haga, Delphis, & Harlemo, passim accitis, ad diem iii. mensis Iulii Vrbem ingressi, suis illic adiutantibus, facile ceteros pepulerunt. Ac eiecti, praeter vulgus, e primaria civitate plures centum; consulesque, qui legati pridem aberant, cum *Ioanne Woudio*, Warmondae Toparcha, porro emanere iussi: nec uxoribus ad maritos suos ire est permissum. Tum quaesita & calumnia ad facinoris patrocinium; ceu praecidere ipsis iugulum statuissent, iamque cultros in rem istam comparassent. Ita in exsilium acti, pars querelam apud curiam instituere; pars iniuriam, qua adfecti, ipsi quoque pari iniuria vindicare; spoliatis, aut occisis, quos in viis nacti essent. Sed quum, lite apud curiam iudicata, qua restitui Vrbi, & bonis, iubebantur, non reciperentur tamen anno cIↃ ccccclxxxi. Vltraiecti congregati, duce *Reinerio Brouchusio*, ordinis equestris viro, manu promto, de recuperanda Vrbe clam consultant: & adgressi, rem perficiunt. Ianuarii mensis die decimono ultraiecto circa vesperam egressi viri numero centum & triginta quinque, duce, quem dixi, Brouchusio, per admotas muro scalas, inter Reinsburgensem portam, & Marnae turrim, universi clam enisi, advocatis, quos faventes sibi scirent, Vrbem capiunt. Et ad Saxum primum Rubrum, quod adpellant, contendentes, mox ingenti cum clamore *Brederoda*, *Vltraiectum*, & *Montfortum*, ingeminantes, tubis quoque incinentes, ad Caeruleum Saxum eunt; hinc vicinam Curiam occupant, & custodes inde expellunt. Cabeliavii consternati, ceu ingente hostium numero, domi quisque se abscondere; pauci, arma capere ausi, duce praetore, *Adriano Zvvieteno*, quatuor ex his interfectis, repelluntur. Sic redacta in potestatem suam Vrbe,

Digitized by Google

be, ut deinceps tuerentur, eam ordinant, Magiſtratum novum ſtatuunt, militeſque e civibus cunctis mille capiunt, qui armati propugnarent: quinquaginta e primoribus, ceu futuros pacis obſides, ſub cuſtodia eſſe iubent,

CAP. XIX.

De obſeſſa a Maximiliano Auſtriaco Vrbe.

VRbes aſſitae, Delphi, Harlemum, Amſtelodamum, quae favebant Cabeliaviis, quum dolerent, ſic eiectos ſuos eſſe, ablegarunt, qui ad *Maximilianum Auſtriacum* rem deferrent; tum diſcrimen item dicerent, ne Hollandiam univerſam ipſi mox ereptum irent: quam ſi ſalvam porro cuperet, armis prima ſtatim initia coerceret. Ille, ira exaſperatus, e veſtigio *Iuſto Lalanio*, Hollandiae Praeſidi, dat mandatum, ut *Brouchuſio* ſe obiiceret; idem quoque *Ioannem Ranſtium*, Marcgravium Antuerpienſem, facere iubet; quin Hollandiae quoque Vrbes advocatum ad ſe Philippum, Brabantiae nothum, cum militibus, ne Dordrechtum forte, aut Goudam, interverterent, Roterodamo imponunt. At Leidenſes, quum *Lalanium* adveniſſe accepiſſent, mittunt, qui orarent cauſam, peterentque, iure potius, quam armis, agere cum ipſis vellet. Sed is illos ſe negavit auditurum, ni *Brouchuſium*, *Nieveltium*, Gelricoſque, & Vltraiectinos milites amoverent; tum captivos, quos haberent, ſibi traderent. Quod quum nollent, ducem ipſum oratum mittunt, daret delictorum veniam, & firmaret Magiſtratum, quem pridem conſtituiſſent, ut ſe contra adverſarios tuerentur. Inter iſta apparare ſe *Lalanius*, & moliri obſidionem; ſed, Delphenſes, Harlemenſes, & Amſtelodamenſes, quum auxilium negarent, impeditus, dum exſpectat aliunde iuſtas vires, ante ineuntem Martium nihil potuit. Per hoc tempus *Gisbertus Raephorſtius*, cum adfine *Ioanne Woudio*, arcem Warmondanam occupat; alii item Alckemadam, & Endegeſtum; inde Vrbem infeſtaturi. Contra obſeſſi arcem Doeſiam, ac Zwetenum populantur; Ziliae praeſidium imponunt: & ad molam exteriorem, iuxta portam Hagienſem, ocyus munitionem validam ſtruunt: aliam quoque ad Reinsburgenſem: &, ne invadere hoſtis poſſet, pontes proximos deiiciunt; tum & pontem Heimanni muniunt, ne Harlemo, aut Amſtelodamo, Goudam verſus commeatus ullus eſſet. Hanc munitionem capere quum *Ioannes Ranſtius* vellet, qui Alpheno impoſitus erat, Principis & provinciae nomine; contra egreſſi Leidenſes manu armata, ſub ductoribus *Reinerio Brouchuſio*, *Henrico Nieveltio*, & *Theodoro Pottero*, quum veniſſent Rinoburgum, prope Condekercam ſitum, idque Ranſtius accepiſſet, ocyus conſilium mutans, per Buſcopum, & Haſerſwoudam, Delphos verſus iter cepit; quo, quum Haſerſwoudae ruſtici ſeſe primum obieciſſent, & Potterus, per canalem Hogevenae ducto milite, ad Benthuſam adſequutus, vehementer adflixiſſet, aegre evaſit. Inde, inſtauratis copiis, cum *Lalanio* denuo contra Vrbem egreſſus, munitionem, quae ad molam exteriorem, iuxta portam Hagienſem, vi expugnat, molas quinque igne iniecto exurit; & corripiente domos proximas flamma, quae mox lati us graſſabatur, oppidanos in diſcrimen ſummum adducit. Illi poſt haec quoſdam ad Principem ablegare, veniam ante delictorum oraturos, & pecuniae mulctam ingentem oblaturos; ac legationem iſtam adiutare Dordrechtani, Goudani, Schoonhoviani: quorum opera tunc effectum, uti Princeps in provinciam adventurum, & diſſidia iſta coram pacaturum ſe promitteret. Nec moratus, mox advenit, quumque Vrbi immineret, & in veſte pulla cives e primoribus obviam ei progreſſi, inque genua provoluti, claves Vrbis ultro obferrent, atque ignoſci ſibi peterent, ſurgere iuſſos admodum benigne excepit; non ſupplicio ullo uſus, niſi quod, pro tot delictis, florenorum quinquaginta millia ipſis imperaret; tum octodecim quoque viros, qui potiſſimum turbaſſent, tradi ad poenam poſtularet, quos indemnes tamen omnes mox dimiſit. *Theodorus Potterus*, aliique, in arcem Ziliam ſe receperant; unde a *Ranſtio* deducti, ſeptem eorum, inter quos *Potterus* erat, capite facinus luerunt. *Ioannes*, Montfortii Burggravius, *Reinerius Brouchuſius*, *Henricus Nieveltius*, aliique, inter principes factionis, in exſilium eiecti, & redacta in fiſcum bona.

CAP. XX.

Ioannes, Montfortii Burg-gravius, capere Vrbem fruſtra conatur, Arx Poelgeſta obſidetur, expugnatur, & evertitur.

POſt haec, in Woerdana arce quum *Ioannes*, Monfortii Burg-gravius, ageret, anno clɔ ɔɔɔɔlxxxv. & *Ioannes Naeldvvicenus* adceſſiſſet, de recuperanda Vrbe inter ipſos conſultatum. Itaque mox eam adorti cum ſelecta militum manu, ad diem Iunii xiii. poſtquam per admotas ſcalas, iuxta portam Zilienſem, clam in muros adſcendiſſent, clamore admodum incondito *Brederodam*, ac *Monfortum*, & *Brouchuſium* ingeminantes, terrorem incutere animis civium quaeſivere. Sed conatus fruſtra fuit; & in armis ſtatim omnes congregati, fortiter eos, caeſis aliquot, repulere. Poſt repulſam retrogreſſi, ad Poelgeſtam, arcem in pago Coudekerca, accedentes, eam in deditionem a *Gerardo Poelgeſtano* accepere. Is vir, genere equeſtri, & arcis dominus, in ſtipendio Vrbis erat, ac tutelae neceſſaria, machinas, pulverem nitratum, aliaque abunde habebat; adeoque reiicere hoſtem, forte non obpugnaturum, facile erat, niſi animi ignavia, aut conſenſus quidam arcanus impuliſſet. Ac conſilium de aggredienda Vrbe, gnarum civium nonnullis; qui *Ioanni Egmondano*, Hollandiae praeſidi, tunc ibidem commoranti, quum aperuiſſent totum, inſuper omnino habiti: moxque tamen, quum eventus recte monuiſſe oſten-

deret, quidam, qui acceperat literas, & produxerat, homo insigni probitate, annos septuaginta natus, cum virtute, tum aetate, veniam meritus, immo neque nocens quidem, praeter ius, aut fas, abreptus ad supplicium, capite luit. Miles vero, qui Poelgestam occupaverat, cum urbanos summo opere infestaret, ii, copiis collectis, ad obsidionem egressi, valide arcem oppugnarunt; ac potiti, solo aequarunt.

CAP. XXI.

De tumultu Casembrotiorum, & Anabaptistarum.

VIx haec gesta, quum invaluit Casembrotiorum factio, anno clɔ ɔɔɔɔxci. ita dicta, quod egeni fere homines, quique vitam pane, ac caseo tolerarent, quia tributis premerentur, concitati tumultuarentur. Pridem Hollandiam Borealem occupaverant; inde Australem adgressi, quum Harlemum expugnassent, ac foede diripuissent, Leidam porro contenderunt. *Egmundanus*, provinciae praeses, ut periculo anteverteret, Vrbem ingressus ante portam Reinsburgensem propugnaculum ocyus struit; sed id illi, totis viribus obpugnatum, statim capiunt, proximasque portae domos: & iam Vrbi imminebant, quum repente, panico terrore acti, terga vertunt. Quo conspecto *Egmundanus*, fugientes insequutus, alios caedit, alios capit; adeoque factionem universam paene delet. Illa autem mox extincta, orti post Anabaptistae, quum Hollandiam, Frisiamque, ac Westphaliam adiacentem, perturbassent, Monasterii iam potentes, Leidam quoque in potestatem suam cogere destinarunt. Itaque ex his triginta, aut quadraginta, clam ingressi, ad xxiv. diem Ianuarii, anno clɔ lɔ xxxv. noctu, hora praestituta, Vrbem invasuri erant; ac, quantumvis pauci numero, spem conceperant, fore, ut se, solito novitatis studio, plebs adiungeret. Nec periculo res carebat; verum prudens magistratus, a senatu Amstelodamensi monitus, ut consilium perturbaret, horologio subflaminato, ne facinoris inchoandi tempus scirent, civibusque ocyus arma capere iussis, coniuratos, in hospitio suo obpressos, iuxta Antonianum pontem digna poena adfecere.

CAP. XXII.

De obsidione dupliçi.

SEd tempestas omnium maxima post incubuit. Nam obsessa ab Hispanis, ab Octobris die ultimo, anni clɔ lɔ xxiii. ad xxi. Martii insequentis; cum discedere hi coacti, per adventum *Ludovici Nassovii*, eo mox cum fratre *Henrico*, & *Christophoro Palatino*, ad Movicum profligato, instaurata obsidione, dura omnia quam fortissime toleravit; donec tandem ad Octobris diem tertium liberata, post constantiam in adflictione asperrima admirabilem, benedictionem Dei manifestam, eamque uberrimam, consequuta est: qua nunc floret, supra alias civitates; atque ut porro item floreat, faxit, qui id hactenus fecit, bonus Deus. Ergo, ut dixi, profligato iam Nassovio, Ludovicus Requesensius ad obsidionem Vrbis redeundum sibi statuens, quadrifariam est adgressus. Ac Harlemo pars per mari obpositos colles, per canales pars incumbere; alii rursum Vltraiecto, alii Sconhovia ducere. Qui Harlemo adveniebant, Nordovicum, & Valckenburgum, in itinere obiectos pagos, munitosque, diffugientibus praesidiariis, occupare. Vltraiecto venientes, cum Goudanum emissarium, tum Alfenum prohibebant; sed utrumque expugnatum, liberam inde viam fecit, ceteris locis nullum impedimentum erat: itaque Vrbs obsessa undique, Valdesio, duce; qui quum Leiderdorpium primum occupasset, *Andreas Alardus*, tribunus civium, militumque, cum triginta circiter viris, noctu egressus, ne se communiret hostis, prohibere conabatur; sed repulsus, & occisus, munus tradidit *Iano Dousae*, viro genere, ac doctrina, animoque pro republica, mox & fama excellenti. Auriacus statim, datis literis, adhortari, *uti Vrbem ordinarent; ac, annona constituta, mendicantes, & invalidos removerent: tum Anglorum signa decem, duce Eduardo Chestrio, in praesidium intromitterent; & trimestre saltem unum obsidionem tolerarent; se interea liberandis, quae necesse, paraturum; quod si forte longius etiam differrentur, nollent animum despondere; quippe, si perseverarent, etsi post aerumnas quasdam, certam liberationem; si satisfacerent, servitutem sempiternam ipsis fore*. Praefectus ab Auriaco datus Theodorus Bronchorstius; vir egregio in patriam affectu; sed praesidium nullum erat; itaque e civitate legi placuit signa quinque, sub ductoribus, Iano Dousa, Iano Duvenvordio, Andrea Schotto, Bartolemaeo Havicio, & Nicolao Montfortano. Bronchorstius inter primas curas Vrbem, & Annonam ordinat; censu abito, amotisque, qui obsidioni inutiles, capita quatuordecies mille sunt reperta; & frumenti, his alendis, modii vix quater mille. Hinc diurnum unicuique in bimestre panis selibra constituta; lacque vetitum, nisi pressum, venum dari; equi, circiter nonaginta; bubuli pecoris, supra mille; illi in stabulis retenti; hoc, in pascua dimissum; unde identidem, imminentibus obsessoribus: quod mirandum, sonitu aliquo, quem dignosceret, revocatum; neque, praeter vaccam unam, & tres vitulos, toto obsidionis tempore, quicquam abactum; saepe hostem, levibus praeliis vellicantes, propulsarunt; sed Valdesio destinatum, fame illos expugnare; interdum etiam, per blanditias scriptis literis, cum a civibus desertoribus, aliisque e nobilitate aliquot, tum inprimis a Lanoio, Licquioque, ad deditionem Vrbis invitati, partim nihil responderunt, partim isto tantum versu:

Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Ac

Ac, Septembri desinente, acclamare e vallo suo; *frustra insidias agitari, nec se dedituros unquam; potius fame morituros. quam canina, felinaque, quam diu illa supereſſet, tolerare decreviſſent: &, deficiente iſta, laevum brachium reſtare; hoc eſuros, dextro autem libertatem ad extremum defenſuros; illo quoque deſtituente, quod non ſperent, vitam inedia, Vrbem incendio exincturos: nec in poteſtatem quicquam tyrannorum, praeter cineres, aut cadavera perventurum; ſat Machliniam, ac Zutphaniam, Nardenumque, & Harlemum docuiſſe, quam clementiam exſpectare ab ipſis debeant.* Quin virorum hanc virtutem uxores etiam quaedam accendere, & orare: *ne ſe communeſque liberos, hoſti tam crudeli darent; omnia magis ferre certas; quam ſaevitiam Hiſpanorum, ac libidinem experiri.* Ne pecunia deeſſet, e papyro in priore obſidione pridem cuſam revocarunt; quam mox etiam liberati in argenteam commutarunt. Ea autem duplex erat; & viginti octo aſſibus, illa maior: iſta minor, quatuordecim aeſtimata. In maiori, ab una parte, leo ſtabat, pileum in haſtili ferens; circumſcriptum, HAEC LIBERTATIS ERGO; parte altera, in exteriore ambitu, inciſum erat, DEVS SERVET LEIDAM; in interiore vero, N. O. V. L S. G. I. P. A. C. id eſt, NVMMVS OBSESSAE VRBIS LVGDVNENSIS SVB GVBERNATIONE ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AVRIACI CVSVS: in minori, parte adverſa, itidem erectus leo, gladium praeferens, clypeumque, in quo expreſſa inſignia Vrbis, claves duae decuſſatae: in adverſa autem, ſcriptum: PVGNO PRO PATRIA.

Inter iſta quum obſeſſi premerentur, & Auriacum, Ordineſque ſaepe orarent, dare omnem liberandis operam vellent; viſum tandem, faeno, ſtramine, frumentoque paſſim ex agris ſubducto, Moſam atque Iſelam, perforatis eorum aggeribus, denique Oceanum, reſeratis cataractis, intromittere: ac re ipſa hoſti oſtendere, *nihil ſibi ante libertatem poni; & iacturam, quamvis magnam, ac ſexcentis circiter millibus florenorum aeſtimatam, contra vitam, fortunaſque, inde corporis, animaeque, deteſtandam ſervitutem, parvi fucere.* Id negotii Gulielmus Palenſteinius, Daniel Wingardus, Paulus Buſius, ſatis gnaviter perfecere; aggereſque locis ſedecim perfodere. Hinc Tempelius, qui auxilium poſtularet, in Zelandiam ablegatus. Vnde miſſus Iuſtus Morus, cum tormentis aliquot bellicis, ceteroque inſtrumento. Hunc ſequutus, mari praefectus a Zelandis Ludovicus Boiſotus Ruartus; & Adrianus Gulielmus, a Ziriczaeis. Qui, cum nautis octingentis advenientes, machinas aeneas, ferreaſque, plures centum attulere. Tum triremium inſtar etiam cum carinis planis naves circiter ducentae factae; remis decem, aut duodecim, quatuordecim, ſedecimve commovendae. Quarum maximis aeneum tormentum grandius unum, alterumve, in prora; in lateribus, ſex minora. His impoſiti nautae illi octingenti, e Zelandia advecti; homines animi praeferoces, ac vulneribus multis truces brachio quoque pars, aut crure, per priores pugnas mutili. Et nonnulli nexas pileis ex argento lunulas ferre, quibus literae iſtae adtextae; POTIVS TVRCAE; QVAM PONTIFICI. Quippe ſic exiſtimabant; illum corpori dumtaxat, iſtum etiam, quod omnino non ferendum, conſcientiae imperare. Ad XXVIII. Auguſti interdictum ab Vrbano magiſtratu, ne quis eſculenti quicquam, niſi in dies quatuordecim neceſſarium, domi abſconderet; neve aliud item emeret, antequam ea, quae haberet, abſumſiſſet: quod ſi cui amplius eſſet, id ablatum, & egentibus diſtributum. Iamque milites, *Liberi praedones* vulgo adpellati, qui merebant aere publico, fame urgente, ante curiam congregati, commeatum poſtulabant, dictitantes; *adeo ſe inedia debiles, ut excubiis non ſubficerent; itaque victum, aut commeatum exhiberent: malle in armis, uti viros aequum eſſet, glorioſa morte cadere, quam ignava fame extingui.* Sed, quum victus exhibendi nulla omnino copia eſſet, reddito vexillo ſuo, & accepto commeatu, exceſſerunt. Literas ad Auriacum dederant, quibus ipſi nuntiabant: *non ſe ignorare poſſe ſtatum Vrbis, quemiam ante indicaſſent. Liba e buna, vix quatriduum ſubfectura; unde manifeſtum foret, recte ſeſe pridem temporis, de trimeſtri obſidione ſubſtinenda, rationem iniiſſe: ſic bimeſtre prius pane perexiguo, tertium menſem ſine eo aerumnoſe toleratum: iamque civium pleriſque, buna in cibum impenſa, aquam bibi. Mirum omnino videri, ab Ordinibus foederatis nihil literarum dari; cum momenti in his tamen plurimum foret, erigendis civium adflictorum animis. Quod reſtaret, Deum orare, in aerumnis ut conſtantiam ſibi daret, ipſi vero cum prudentiam, tum & animi magnitudinem, hoſtibus ſuis propulſandis neceſſariam.* Vix haec ſcripſerant, quum Auriacus illis nuntiat, quonam uſque aquae iam progreſſae eſſent; & mox alterae quoque literae certiores eos faciunt, *imminere ipſas Vrbi, ac ſolo aggere limitaneo Rhenolandiae, & Delphenſis territorii, diſtineri: illo ſecto, adiuvante ſummo Numine, in proclivi liberationem fore. Sevenhoviam ſigna octo miſſa eſſe viam illic munitura, uti tuto commeatus deportari in Vrbem poſſet. Quin & naves, militemque, adparari.* Sed, tam graviter adflicti, quum non ſatis feſtinari exiſtimarent, etiam ad Ordines ſcribunt, & hortantur, *ne periculum ſuum negligant, neve lente liberationem inſtituant; ſibi feſtinato opus. Admirari autem valde, quod ab ipſis quamdiu obſeſſi fuerant, nihil adeo literarum accepiſſent. Iam trimeſtre, ab Auriaco praeſcriptum, per aerumnas multo maximas toleratum; nec de liberandis ipſis fere quicquam, praeter ſpem, non ſatis certam, apparere. Se officio hactenus feciſſe ſatis; ipſos vero culpae non immunes eſſe; quam viderent: quonam modo aliquando eluere poſſent. Capere autem, ſi non foret ulla liberandi ratio, aut incerta ea denique putaretur, id per literas indicarent, & remitterent ſacramentum.* Ad quae Ordines reſpondere: *mirum ſibi omnino eſſe, quod de ipſis animum iſta induxiſſent;*

ſent; quippe Deum hominesque teſtes eſſe, quantam hactenus curam illorum habuiſſent: & iacturam, qua tam multos affeciſſent, ſatis clare indicare. Immo fidei teſtimonium incredibile, & a tota poſteritate celebrandum, ſe dediſſe. Ac ſi porro, quod feciſſent, in tuenda libertate tam conſtantes permanerent, animoſque obſirmarent, provinciam potius univerſam, ſeque ipſos perdituros, quam ut illos unquam deſerant. Neque enim ignorare, urbe ſua liberata, totam Hollandiam liberari. Non ſcripſiſſe quidem hactenus, & id nulla ſociorum negligentia commiſiſſe, verum ſic exiſtimaſſe, Auriaci literas ſuas eſſe, & in his acquieviſſe. Iſtis literis confirmati, ut oſtenderent, ſibi extrema experiri deſtinatum, quicquid bubuli, aut ovilli, ſuillive pecoris eſſet, inquirendum ſtatuerunt; ac duumviros huic rei prepoſuerunt, qui curarent, quantum poſſent, ne quis fame moreretur. Qui abſcondere quicquam horum deprehenſus, is abſcondita amittebat, aliamque poenam dabat. Quicquid autem inventum eſſet, eius pretium aeſtimatum, ac de illo a Magiſtratu cuique cautum: & in quartum quemque diem ſubfecturum mactabatur, imputata in ſingula capita, & dies ſingulos, carnis ſelebra. Inter iſta ut obſeſſi quam graviſſime premebantur, ita Auriacus, Ordineſque liberationem eorum ſumma cura agitare. A Goudanis, ſub Wingardo, ſex triremes adparatae. A Delphenſibus, arca inſtructa, quam vocabant, e coniunctis binis navibus; quae non remo ullo, aut velo promoveri; ſed conſtructis intus rotis, quas e nautis duodeni circumagerent. Vndique latera contra ſclopos communita; & tormenta multa impoſita, ſociique quinquaginta. Ad haec grandiores aliae, denſa aſſerum compage, retibuſque interpactis, fabricatae. Tota claſſis naves centum ſexaginta numerabat. In his, ſub praefecto utroque, Ludovico Boiſoto, Hadriano Gulielmio, & Cornelio Nicolaio, ſuppraefecto Vliſſingano, Noiellius, Cameſſius, Bouchaultius, Egmundus, Gardius, Durantus, Cattevillius, Guillereſſius, Ladrierius, Creittus, Grenuttus, Outranus, Citadellius, Herrius, Morus, alii: militeſque ſclopetarii mille ducenti. Bellici inſtrumenti cura Philippo Aſſelerio data. Additi Ordinum delegati, qui rem ſummam accurarent, Petrus Waſtelius, curiae Machlinienſis conſiliarius, Cornelius Bouchorſtius, Henricus, Duyſtius, aliique. Qui, quum Delphis diſceſſiſſent, ad undecimum Septembris Rota amne in aggerem limitaneum vecti, quum perfoſſum muniiſſent, Soetermeram, quam Martinus Aiala tenebat, contendere; ubi Hiſpani: utrumque latus levi proelio vellicantes, propulſati. Et inſignis in hanc gentem odii ſignum nauta dedit; quum evulſum cor occiſo, commorſumque, canibus devorandum obiecit. Poſtquam aggerem tranſiiſſent, per Soetermeranum pontem claſſis deducenda erat. Hic triginta Hiſpanorum ſigna poſita ſub Ludovico Pimentello, acriter valde propugnabant. Ac quantumvis magnam ſtragem Batavi ederent, tamen, quia navis una e ma-

ioribus, tormentorum exploſorum vi diſrupta, mergebatur, recedendum a pugna fuit: ac deſiderati illic Cattevillius, Guillereſſius, centuriones; & gregarii milites ſeptem. Ad diem decimum octavum, decimum nonum, & viceſimum, flante Cauro, quum non parum aucta aqua, Petrus Waſtelius, vir induſtrius, deprehendit, non iam amplius neceſsarium, ſubter pontem ut tranſirent; verum Segwartenſi via, Soetermeram & Benthuſam inter media, duci poſſe. Itaque, relicto Boiſoto, qui cum aliis pontem porro obſideret, ipſe, navibus quinquaginta clam adſumtis, & delecta etiam manu, iſthuc tendit. Soetermeram, ac Benthuſam miles Germanus ſervabat; ſed is territus e praeſidio quum diffugeret, Ladrierius ſtatim occupat. Eadem via Creitus cum Delphenſi arca ſubſequutus, praefectique tunc Benthuſam ad lapidem unum praetervecti, in canali ampliore, cui Nortae vulgo nomen, qua Swietenum via ducit, totam claſſem obſeſſis conſpicandam exponunt; & tormenta, quod adventus ſignum eſset, cuncta explodunt: reſpondentibus pari modo oppidanis, qui iam huc redacti erant, ut equina, vaccinaque, diſtributa in diurnum unicuique ſemilibra, uti dixi, victitarent, Panis nihil reliqui factum. Neque eum quadraginta iam diebus quiſquam ederat. Canes, feles, glires, in deliciis eſſe. Nec matronae Melitaeis ſuis parcere. Radiceſque, & caules braſſicae comminuti, lacte coqui. Pampinis vitium, arborumque aliarum item foliis, ſale & amylo conditis, paſſim vita tolerari. Corticeſque, & putamina, ſquamae piſcium, e fimetis conquiſitae. E vaccarum, equorumque, & canum oſſibus, ſuccus elici, aegrotantibus, & puerperis, quae lactarent, in dies ſingulos buccellatum ad quadrantem librae adpenſum. Nonnulliſque in ipſo utero foetus paene inedia extinctus; & abortum multae facere. Radix aliqua, aſſe uno; pomum, aut pirum, duobus: quindecim butyri libra aeſtimata. Modius tritici, centum florenis; hordei, toto agro venditus: cui etiam in hunc diem ex re iſta nomen manſit. Potus, coqui e folliculis hordeacis; alii, ſiliquas adhibere: ac pro lupulo rutam, & abſynthium indere. Quidam acetum, aqua temperatum, ſumere. Itaque videre erat homines diſſutis genis, facie cadaveroſa, corpus macie confectum, tremulis genibus, & lapſantibus fere veſtigiis, aegre admodum ſubſtinentes. Neque pauci fame mori; ad quam peſtis accedebat: & utraque ad ſex millia intercepti. Saepe viri in excubiis ipſis ſtantes, animam deficientem exhalabant. Alii, ab illis redeuntes, domi uxores, liberoſque, exſpirantes reperere. Ac, ſepeliendi merces, ab hominibus aerumnoſis, fruſtum panis poſcebatur. Ad haec mala & diſcordia, quaeque comitari huic ſeditio ſolet, divexare, ſed repreſsa per Bronchorſtium praefectum; qui ſevere in quoſcumque animadvertere. Quo defuncto, mox audacia iis crevit. Quidam, in platea mortuus, poſtquam membra obriguiſsent, rectus ante conſulis fores a nonnullis collocatus; ceu convitio occulto, *tanquam*

Digitized by Google

quam ſua pertinacia cives miſeros in aerumnas tam ingentes perduxiſſet. Aliquando & quindeni, a trecentis, ut aiebant, delegati, cibum in curia a conſulibus petere auſi, adiutique a quodam conſulum, qui negare, *civibus ſuis mortis cauſam ſe futurum*. Et conſilia arcana erant, ut in armis Magiſtratum ad deditionem cogerent. Qui praemonitus, ut vitaret, prior ſemper arma capere. Denique ad conſulem, Petrum Hadrianum Wervium, quidam accedere; & orare, *cum Hiſpanis de tradenda Vrbe ageret; neque enim famem tantam tolerare ultra poſſe. Sat perpeſſos aerumnarum, quibus ſemel finem daret. Penuria cibi, quod miſerrimum mortis genus, tot iam millia obiiſſe, vel reliquias ſervaret; & obſtringeret ſibi cives, gratiamque apud Regem ſummam iniret*. Quibus ille reſpondere: *iuſiurandum ſe dediſſe, quod praeſtare certus eſſet. Nullum in promtu cibum habere, neque tamen cum Hiſpano agere velle. Quod ſi ita videretur, ſe concideret, & viritim carnes ſuas diſtribuerent, ederentque. Mortem a naturae lege indictam ſcire: quam ſive hoſtes, ſive cives, intentarent, plane nihil intereſſe. Bonam ſibi in bona cauſa conſcientiam hanc fiduciam comparare, & paratum extrema pati. Quod ſi illi ſecum fecerint, gloriam aeternam fore; ſi turbarent etiam porro, poenam minime defuturam*. Qua conſtantia conterrati, cum facinoris pudore receſſere. Hic obſeſsae Vrbis ſtatus; & nec caro iam reſtabat. Contra Auriacus, ut obſeſsos liberaret, nil omnino praetermittere: utque a morbo convaluerat, quatuor ipſe navibus frumentariis vectus, caſtra accedere. Vbi omnia quum luſtraſſet, placuere. Verum adhuc aqua deerat, quae vix novem pollices alta; quum & quindecim, & octodecim, naves quaedam poſtularent. Quin &, flante aquilone, retro fluere, uſque ad viceſimum octavum Septembris diem. Itaque viſum, quae templaris via dicta, quum haec ruinis emineret, ut perfoderetur ſtatim. Ac ni, aeſtuante Oceano, ſatis aquae augerentur, operam dandum, clam triginta, aut quadraginta, navibus illic tranſmittendis, quae obſeſſis panem ferrent: cui rei & Graenutus ſe offerre. Hoc conſilium per columbam ſignificatum; monitique, *ne ab hoſte per inſidias miſſa annona, capi ſeſe paterentur*. Inde erectiores animis, etiam magis confirmati flante Cauro; quum, in aeſtu plenilunii, undas ſuas magna copia mare infunderet; quas mox aquilo Leidam verſus propellebat. Idque lignum manifeſtum adiuvantis Dei habitum. Quam ob cauſam, quum viceſimum iam octavum pollicem aqua ſuperaret, claſſem immittere per templarem viam placuit; ac, ſi alibi obhaererent, decem quidam, aut duodecim, exſilientes, naves ita leviores promoverent. Id tentatum ad ſecundum Octobris diem; quum viginti quinque naves praefectorum quiſque duceret. Ac Boiſotus, Gardiuſque, ſiniſtrorſum Soeterwoudam; Gulielmius, Citadellius, & Outranus, cum Duranto, iter dextram verſus capere. Nicolaius ſubpraefectus, cum Noiellio, Carneſſio, Bouchautio, Herrio, Grenuto, Swietam tendere. Aſſelerius, cum triremibus octo, aut decem, commeatum cuſtodire in canali Norta iuſsus. Boiſotus, media fere nocte ad templarem viam advectus, inſidentem utrinque hoſtem poſtquam fortiter depuliſset, ocyus ſe communire; muriceſque, ne invadere quiſquam poſſet, paſſim ſpargere. Inde tribus eam locis perforare; frumentariaſque naves, plures centum, intromittere: quarum duas, quae a ceteris aberrarunt, hoſtis capere. Inde recta ad Meranum pontem itum; ubi interdum, non profunda ſatis aqua, nautae quidam, exſilientes, humeris ſublevatas naves provehebant. Interim acriter obpugnata Soeterwouda, & incenſae aedes aliquot. Qui praeſidium tenebant, imminere ſibi claſsem quum viderent, metu ne includerentur, tum maiore aquae incremento territi, non deductis inde machinis, Leiderdorpium diffugere. Inter hos Valdeſius ipſe; qui mandare etiam Borgiae, quando nulla ſpes auxilii ſupereſſet, Lammum item ut deſereret, ac periculo ſe ſubduceret. Id ad Flevum excitatum, qua tranſire naves omnes, ſive venientes Delphis, ſive eo contendentes, neceſsarium, omnium munitionum, quotquot circa Vrbem erant, ut momenti longe maximi, ita quoque validiſſimum; & vel ſolum prohibere liberationem poterat. Borgiam ſequi Alphonſus Lopeſius; & Vorſcotam uterque fugere. ita ſine ullo ordine, ut ſubmerſi aquis multi, alii contis interfecti, miſere plane vitam amiſerint. Hic laudanda Petri Ciaconii virtus; qui cohortis e legione Borgiae ductor, quum & ipſe graviter lauciis, & attractus, pro feminece haberetur; dum ſecuri attrahendis aliis nautae occupantur, de repente ſemet erigens, proximo adrepto, nihil tale exſpectantes pone invadit, tres occidit, ceteroſque deſilire in aquam cogit: inde cymbam, commeatu, & praeda, onuſtam, in ſuorum manum ducit. Praefecti, iuxta Soeterwoudam in Papemeram tormenta adduci, Lammo obpugnando, iuſſerant. Illud, neque capi facile; nec tranſmitti claſſis poterat ſine magna quadam ſtrage. Eius rei nuntium Auriaco mittunt; & ſignificant, *obpugnare tamen certos: ſed ruina quamvis data, quum non ſubſecturus miles videretur, excuſando, ſi virtuti eventus minime reſponderet*. Inter iſta Iuſtus Morus a praefectis ablegatus, ut tribunos, ductoreſque, Soetervvoudam convocaret; cumque his deliberaret, *num, relicta obpugnatione Lammi, ſeorſim, extra ſclopi ictum, foſſam ducere expediret: quod facilius, & periculoſum minus*. Sed, dum hoc conſilium capiunt, *aufugiſſe inde hoſtem, & tormenta in canalem ſubiacentem deieciſſe*, nuntiatur. Cauſa deſerendi Lammi, quod Valdeſius, ſi obpugnaretur forſan, medio hoſte ſeparatus, ſe ſuppetiis prohiberi animadverteret. Tum columba intercepta, cui literae ad Leidenſes adligatae, eum mandato, ut, ex Urbe facto impetu, illa quoque parte invaderent. Hinc obſeſſis aucti animi; eo magis, quum ardere Soterwoudam

Digitized by Google

dam conſpicati, in propinquo liberationem A cernerent. Gaudiumque tota Urbe ſummum erat; & decedere vallo foeminae, puerique, viri, quotquot arma ferrent, ſtationem quiſque ſuam capere iuſſi: ſubductaeque e canali naves omnes. Tum adfari cives ſuos Magiſtratus; *iam in promptu panem eſſe, ac ſolo Lammo diſtineri: an relinquere eum illic, & inedia ipſi miſere interire, an petitum armata manu ire vellent*. Ad quae alacres acclamare: *ſibi Lammum oppugnare potius certum: & ſi arma non ſufficiant, unguibus omnes,* B *dentibuſque diſcerpturos illud eſſe. Igitur aperiret portas, & in hoſtem ire ſineret; ſe virtutem antiquam animi, licet fracto pene corpore, integram adhuc ſervare*. Haec ſecundo Octobris geſta; quum ſequente ſtatim nocte Lammum Hiſpani, metu magis, quam periculo, reliquere. Id obſeſſis ignoratum, & qui eos liberatum veniebant. Noctu quidem, quum tormenta ſua mergerent, exauditus ingens clamor; ſed ſperare quod vix poterant, neque credere audebant. Tandem C indicium puer facere: qui ellychnia ſclopetaria inde exire, nec redire obſervarat. Ac quum veniam explorandi dari ſibi petiiſſet, dimiſſuſque, ſicut opinatus fuerat, locum vacuum inveniſſet, ſigno dato; ad Boiſotum, rei tam optatae nuntius, ultra pergere. Verum neque ſic credentes, & hic dolum eſſe veriti, ſubmiſere, qui mox plenam fidem faceret. Iſque quum & ipſe Lammum praeteriret, laeti omnes exſultare, liberatorique Deo grates agere. Et Gerardus Vanderlanius, praemiatoreſque aliquot, illico Boiſoto occurrere; ac triremibus duabus, quas praemiſerat, ſuum adventum gratulari. Palis, in canalem impactis, viam hoſtis intercluſerat, ne tranſire navis illic ulla poſſet; quibus ocyus evulſis, tota ſub Boiſoto claſſis in obſeſſam hactenus Vrbem introducta, ſubſequente Gulielmio. Et Boiſotus, tertio Octobris die liberatam Vrbem ingreſſus, incredibili cum laetitia, civibuſque, & Magiſtratui acceptus fuit. Illud inter laeta iſta E triſte viſu, cum extenuati ſumma fame homines in canalis ripa utraque cum vociferatione magna cibum flagitarent; & obiectos ſibi panes, haleceſque, ita avide devorarent, ut, debilitato ſtomacho, iliiſque coarctatis, multi inde morerentur; quum, qui bene inediam tulerant, cibum ferre, iam deſuetum, minus poſſent. Praefecti claſſis, Magiſtratus, civitaſque univerſa, cum ſe paullum refeciſſent, templum petere; &, pro liberata Vrbe, grates Deo ſummas agere: F tanto animorum adfectu, ut, quum Pſalmi canerentur, incertum eſſet, plures cantu, an effuſis gaudio lacrimis, coetum implerent. Tum Auriaco nuntium mittunt. Quem quum ille accepiſſet, ut ſacrae concioni intererat, hac finita, mox Miniſtrum coram toto auditorio literas eas recitare, & Deo gratias agere, iubet: urbibusque foederatis idem mandat. Importato in hunc modum commeatu, gratiiſque Deo actis ut victoria uterentur, hoſti porro incumbere placuit. Iſque, tanquam panico terrore actus, omnibus relictis locis, liberam undique Vrbem fecit. Dux Valdeſius, quum diſcederet Leidlerdorpio, tabulae in qua picta obſidio, ſubſcribebat; VALE CIVITAS, VALETE CASTELLI PARVI, QVI RELICTI ESTIS PROPTER AQVAM, ET NON PROPTER VIM INIMICORVM. Eius pertinacia factum dictitabant, ut obſeſſi conditiones non acciperent; qui colloquia, a Laneio inſtituta perturbaſſet: aegre ferens, expugnatae Vrbis gloriam ſibi eripi. Idque a Romero etiam, quum ad eum, recenſendis legionibus, a prorege Requeſenſio miſſus eſſet, exprobratum. Erant illi in exercitu militum ſupra undecim millia, & caſtella ad haec ſexaginta duo: quique Vrbem liberarent, vix bis mille, ac quingenti, cenſebantur, atque in fuga, praeliiſve anteactis, ex Hiſpanis inſtar mille interfecti; quum vix quadraginta e ſuis Batavi deſiderarent. Neque iſtud reticendum. Nocte eadem, qua deſertum ab Hiſpanis Lammum fuit, murus, a vaccaria porta ad Burgundicam turrim ducens, cum fragore longe maximo ad viginti ſex decempedarum ſpatium, una cum pomerio ſuo, ſponte cecidit; & apertam per ruinam iſtam Vrbem facile hoſti intrare erat; ſed hoc ipſum fugienti, tanquam obſeſſis magno impetu erumpentibus, metum auxit. Ac poſtridie, ut preſentem opem ſuam Deus manifeſtam faceret, flans Vulturnus, aquas, ceu perfecto opere, ad quod eae immiſſae eſſent, rurſum Vrbe ſubmovebat, & excipiens illum Aquilo, cum ingenti tempeſtate, D in Oceanum repellebat. Tum Auriacus, Vrbem ingreſſus, blande cives, pro conſtanter tolerata obſidione, collaudavit; & egenis eleemoſynam procurayit. Dein, mutato Magiſtratu, Kagam, in faucibus lacus Harlemenſis ſitam, & Goudanum emiſſarium, communivit. Hinc Boiſoto, Gulielmio, Nicolaio, & ductoribus claſſis ceteris, torques aureos, ac numiſmata, ad memoriam rei cuſa, Magiſtratus primum Urbanus, inde Ordines, donavere: Vrbem vero ipſam Auriacus, Ordineſque, Academia ornavere; quae octavo Februarii, anni proxime inſequentis, conſtituta, uti ſupra a me dictum.

CAP. XXIII.

De factione Leiceſtriana.

POſtea; anno cIↃ IↃ LXXXVII. quum, Auriaco interfecto, iam Leiceſtrius praefecturam accepiſſet, atque data poteſtate abuteretur, orto diſſidio inter ipſum Ordineſque, dum in partes populus abit, parum abfuit, quin Reſp. univerſa intercideret. Et nutabat vehementer, ſumma nempe vi concuſſa; ſed ſubſtinuit eam Leida: quae provinciae libertatem uti pridem vindicaverat, ſic auctoritatem Ordinum, quam ereptam adverſarii cupiebant, & ſummopere labefactatam impellebant, ſtabilivit. Quidam in eam conſpiraverant, ſub Leiceſtrii poteſtatem, quam ſupremam omnino eſſe cupiebant, redacturi. Ac ſe duces factioſis praebuere Nicolaus Mauldius, Iacobus Volmarus, item Coſmus

Pe-

Digitized by Google

Pescarengus. Ita autem res composita, uti Mauldius, qui cohortem in Vrbe habebat, ea armata, tanquam inde discessurus, curiam, & portam, qua cohortem Heraugerii introduceret, occuparet: tum Regina Elizabetha inclamata, & Leicestrio, consocios, tanquam signo dato, ad capienda raptim arma concitaret. Verum facinus, dum differtur, emanavit, indicante Andrea Scohotto. Itaque statim Pescarengus, & Voimarus, comprehensi; Mauldius, exire iussus, a Poelgestio, prope Woerdam assecuto, mox reducitur. Crimen fassi, gladio percutiuntur; capitaque Pescarengi, ac Volmari, palis fixa: Mauldii, cum corpore suo tumulatum. Sic, represse factione, Vrbi quies, Ordinibus auctoritas restituta.

CAP. XXIV.

De Illustribus genere, doctrina, aut arte, viris.

HActenus Vrbem, & Fortunam eius variam explicavi; nunc qui viri, genere, aut doctrina illustres, aliave arte aliqua, illic nati, seu vocati aliunde, famam ei, gloriamque compararunt, memorabo. Inter istos merito primum locum habebit GVLIELMVS, eius nominis II. decimus quintus Hollandiae ac Zelandiae comes; filiusque, FLORENTIVS V. Natus autem est GVLIELMVS circa annum cIↃ CCXXVII. patre Florentio IV. decimo quarto Hollandiae Comite, & Machtilde, filia Henrici I. Lotharingiae, ac Brabantiae Ducis. Patrem amisit, interfectum in hastiludio a Claremontano Comite, anno cIↃ CCXXXIV. ipse vix aetatis suae sextum egressus: a quo tempore mater vidua, vita pie ac caste acta, & Losduni, in natali mihi pago, dedicato virginum Cisterciensium monasterio, in quo item tumulata diem obiit anno cIↃ CCLXVII. Aetate adulta, uxorem duxit Elisabetham, Othonis Brusvicensis filiam; quae Florentium, nominis istius quintum, de quo mox dicendum erit, in hac ipsa quoque Vrbe ei peperit. Tantum autem huic virtutis studium erat, & armorum tanta gloria, ut annorum vix viginti Rex Romanus crearetur, anno cIↃ CCXLVII. ac quum eum Aquisgranum agnoscere nollet, statim graviter obsessum, anno proximo, mense Octobri desinente, ad deditionem adegit. Vbi, ob rem praeclare gestam, Henricus Gelrus, Othonis Gelriae Comitis frater, e Nassoviorum gente, eius ex sorore nepos, Episcopus Leodicensis est creatus. Hinc profectus Leodicum; &, Henrico in Episcopatu novo constituto, traditoque fratri eius, Othoni Comiti, quem iam dixi, in feudum Imperii Neomago, Treviros abiit, ad Arnoldum Isemburgicum Archiepiscopum: apud quem bimestre fere commoratus, & exceptus permagnifice, retrogressus, subiugato in itinere Keiserswaerto, Vltraiectum mox pervenit, ad Othonem Episcopum, patruum, cuius sub tutela pridem adoleverat. Hic largitus privilegia quaedam civibus, in Hollandiam iter cepit. Erat ibi Comitum sedes ad id tempus Gravesandae; quae provinciae, ut nonnulli adseverant, urbs est omnium antiquissima, Mosae adsita; sed reversus Hagam transtulit, vicum silvae adiacentem, situ longe amoenissimum, tanta hodie magnitudine, & ornatu, uti, parem non habere, merito quis adfirmaverit. Hic palatium exstruxit, plane regium, atriumque quam amplissimum, lignis ex Hibernia advectis, quae nec cariem, nec araneam patiuntur. Arcem quoque Hemskerckam struxit, qua Occidentales Frisios, ne excurrerent in Hollandiam, coerceret. Postea, anno cIↃ CCLIV. quum Margareta, Flandriae Comes, Walacriam, tanquam sibi debitam, postularet, ac feudum esse suum cuperet, eoque istud pernegante copias ingentes mitteret, quae Zelandiam universam vindicarent, edita Flandrorum strage incomparabili, Guidonem, Margaritae filium, & Ioannem Dampetraeum, fratrem eius, alioque e magnatibus, captos Wateringam abduxit. Quumque Comitem Andegaviae Margareta imploraasset, & Hannoniam auxilii pretium promisisset; isque excepto Angiano, totam eam occupasset, ecto Ioanne Avennensi, cui soror Gulielmi, Adelheidis, nupta erat, hic, indignitate rei, & sororis suae iniuria, ac querela stimulatus, illo quoque propulsato Hannoniam recuperavit. Vnde quum reduceret copias, in itinere nuntiatur, natum sibi filium esse; cui, reversus in Hollandiam, mox Florentio nomen dedit. Hinc a Papa Innocentio accersitus in Italiam sese contulit; & Abbati Egmondano Episcopalis dignitatis ornamenta, mitram, pedum, annulumque, ceteraque item privilegia, impetravit. Ac regressus, Frisios rebellantes habuit; quos dum coercere parat, structa prope Alcmariam arce Torneburgo, & collecto magno exercitu, iam vergente Ianuario, anno cIↃ CCLVI. Iuxta Hochwoudam, paullum a castris provectus, sine ullo comitatu, fracta equi pondere glacie, invadente ocyus Frisiorum manu circumventus, interficitur. Eius corpus, in tugurio quodam abditum, quum diu ignoratum esset, quonam loco conderetur, tandem a Florentio filio annis post sex & viginti est inventum, & Elizabethae uxoris monumento, Middelburgi in Abbatia, mox illatum. Ita in aqua est exstinctus, qui bis ignem ante evaserat. Anno enim cIↃ CC LI. postquam uxorem duxisset Elizabetham, Othonis Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis filiam in palatio Brusvicensi, ipso nuptiarum festo, orto incendio, & corona item regia, vestimentis, ceteriscque ornamentis praetiosis, flamma absumptis, vix evasit. Iterumque, anno cIↃ CC LIV. Novesii agens, ob contentionem quandam cum Colonienssi praeuse odio incensis civibus, & ad aedes eius ignem admoventibus, cum legato illic quodam, pene exustus, aegre effugit.

FLORENTIVS V.

Post Gulielmum, memorandus Florentius Quin-

Digitized by Google

Quintus, ejus filius; natus in hac item Vrbe, in iis aedibus, quae tunc, quidem Aula Regia, poſt Lockhorſtianae dictae, ob Lockhorſtios poſſeſſores. Patre amiſſo, primo tutorem accepit Florentium patruum, ob virtutem ſingularem in Weſtcappellana pugna contra Flandros dignitate equeſtri auctum. Quo defuncto, ex vulnere in haſtiludio accepto, Henricum habuit, nominis iſtius Tertium, Brabantiae Ducem, patrui maioris filium. Hoc deiecto, ob domeſticorum proterviam, Adelheidis, Hannoniae Comes, Ioannis Avennenſis vidua, ad tutelam eſt vocata. Verum, imperium muliebre dedignantibus quibuſdam, Otho Naſſovius, Gelriae Comes, advocatus, illam depulit. Qua de re diſſidium ortum, ingens detrimentum dedit. Ipſe Florentius, iam adultus, clara ſtatim virtutis ſuae indicia dedit; & anno clɔ ccLxxii. quum aetatis decimum ſeptimum non dum impleſſet, oſſa patris inſepulta a Friſiis repetere, apud quos viginti & ſex amplius annos tenebantur, animum induxit. Itaque, parata manu, adgreſſus eos, fortiter fecit; verum, his acriter repugnantibus, propulſatus, cum ſuorum magna clade retro ceſſit. Ac, repulſa hac incenſus, quum ulciſci contumeliam ſtatuiſſet, negotiis aliis, e tranſverſo incurrentibus, impeditus, demum poſt decennium fecit; anno enim clɔ ccLxxxii. iterum coactis copiis contra Friſios profectus, profligatis qui occurrerant, patris Gulielmi oſſa, a ſene quodam indicata, recuperavit; & abducta, honorifice Middelburgi in abbatia, iuxta uxorem Elizabetham, ſepelivit: poſteaque, anno clc lɔ xLvi. Florentius Sconhovius, Abbas, monumentum permagnificum ſuperpoſuit. Subiugatis ita Friſiis, & obſtrictis, ne deinceps rebellare unquam auderent, ſacramento, arcem etiam Wideniſſam, prope Schelſincwoudam, ſtruit: item quatuor alias addit iuxta Alcmariam, & Outdorpam, ac Veronam; quae nunc Vrbs, quum olim magna & potens eſſet, funditus deleta iacet. Nomina arcibus, illic poſitis, Medembliccum, Enigeburgum, Middelburgum, & Nieuburgum. Ad Veronam, qua potiſſimum irrumpere poterant, Nieuvvendorpam communivit, ducto aggere, quo Alcmariam facilis commeatus eſſet: ac, ne hunc perfodere poſſent, ad crepidinem ſtruxit arcem Middelburgum, ex re dictam, quaſi medio inter Nieuvvendorpam loco, & Torneburgum, a Gulielmo patre ſtructum. Hinc ſequutum eſt bellum Flandricum, a Zelandis concitatum. Illi enim, a Florentio deſciſcentes, ad Guidonem Dampetraeum, Flandriae Comitem, confugerunt. Iſque, cum ingenti manu in Valacriam profectus, Middelburgum obſidebat. Laborabat magno nobilitatis ſuae odio Florentius; itaque, quum nullum haberet, cui praefecturam Vrbis credere poſſet, uxorem impoſuit, & Ioannem item filium; ociuſque, lecto exercitu, liberare obſeſſos ſtatuit. Ac iam Zirczeae erat, quum Ioannes, Dux Brabantiae, intercedens, pacis ſe auctorem offert; &, negotio tranſigendo, ad Biervlietam convenire partes iubet. Acer animi Florentius, & iam adeo in procinctu, aegre ſane arma ponit. Quum Biervlietam adveniſſet, Guido ei, contra fidem commeatus, & promiſſa Brabantiae ducis, manum iniicit; nec dimittit, niſi pretio libertatis conſtituto. Quod quum liber exhibere detrectaret, & a Duce, per quem circumventus eſſet, perſolvendum dictitaret; factum aiunt, ut his poſtea coniuratis, & Velſeno duci, faverit. Auxit nobilitatis odium, quod Florentius, rebus ſuis confirmandis, quadraginta opulentiores ruſticos, ad convivium vocatos, equeſtri dignitate ornavit. Tandem a Velſeno occiſus, contumelia violatae per abſentiam uxoris irritato. Haec inveterata opinio, patriaeque Annalibus tradita. Alii ferunt, ictum cum Philippo Pulcro, Galliarum Rege, foedus; quo offenſum Angliae Regem, cuius filiam Elizabetham eius filius Ioannes uxorem duxerat; & Guidonem Dampetraeum, Flandriae Comitem, ſocerum ſuum; cum infeſta provinciae Hollandiae nobilitate de comprehendendo ipſo, & in Angliam tranſmittendo, agitaſſe: idque quum iam coniurati conarentur, nec perficere tamen poſſent, concurrentibus ad eripiendum eum provincialibus, Gerardum Velſenum, ſupra ceteros infenſum, manum illi violentam intuliſſe, & vulneribus uno ac viginti ſaucium occidiſſe. Caeſi corpus, vectum Alcmariam; ubi exempta inteſtina, & in choro templi humata: ceterum vero cadaver, adſervatum, dum ex Anglia Ioannes filius adveniret, Rhenoburgi in abbatia permagnifice tumulatum. Erat Princeps magni animi; uti forma, ſic virtute item excellens, liberalis, ac facundus; erga ſubditos benignus; Muſicaeque, & venationis amans; iuris inprimis obſervans; anno clɔ ccLxxvii. quum iceſimum ſecundum ipſe ageret, eques factus. Aulam Hagae, a Rege Gulielmo patre inchoatam, in maius auxit, ſacello, & operibus aliis: quin & arces aliquot ſtruxit, ante nobis memoratas. Vxorem habuit Beatricem, Guidonis Dampetraei filiam, e qua liberos multos ſuſtulit, omnes prima aetate extinctos, & Loſduni in abbatia conſepultos, unico Ioanne excepto; quo mox ſine prole mortuo, vetus illa Hollandiae Comitum ſtirps defecit.

PHILIPPVS DE LEIDIS.

Hic familia nobili natus, & equeſtri, eruditione tamen multo nobilior, famam ſibi immortalem comparavit; in primis opere, *De Reip. cura, & ſorte principantium*. Initio iuris utriuſque Doctor renuntiatus in Academia Pariſienſi, anno clɔ ccc Lxix. Profeſſorem Decretorum ibidem egit. Inde, in patriam reverſus, magno in honore fuit apud Gulielmum Bavarum, Hollandiae Comitem, qui conſiliis eum admovit: quin & curio Ziriczeae, theſaurarius Cameraci; tum Canonicus Vltraiecti, Leidae, & Hagae; mox Vicarius generalis Archiepiſcopi Ultraiectini, Arnulphi Hornani, qui ab anno clɔ cccLxxi. uſque

Digitized by Google

usque ad cIↃ CCCLXXVIII. sedem tenuit. Praebendas, quas adpellant, duas in Pancratiano huius Vrbis templo instituit; unam, ad altare S. Andreae Apostoli; alteram, ad S Nicolai Episcopi. Bibliothecam instructissimam, collocatam retro S. Petri templum, ad australem eius partem, uti supra a me dictum, cap. III. Vrbi legavit. Vivere desiit circa annum cIↃ CCCLXXX.

ENGELBERTVS *Leidensis*.

Hic *versificator*, & *Grammaticus*, a Gerardo Noviomago adpellatur. Wesselo Groningano, qui *Lux mundi* nuncupatus, perfamiliaris fuit; uti patet ex Epistola quadam eius, ad hunc scripta anno cIↃ CCC LXXX. Quando natus, aut denatus, in incerto est.

IOANNES GERBRANDIVS.

Vitam is monasticam amplexus, inter Carmelitas census; monasterii eius ordinis quondam Harlemi subpraefectus, mox praefectus: ut doctrina excellebat, ita fama clarus fuit. Vita eius, a *Trithemio*; libri vero, a *Gesnero*, in *Bibliotheca*, memorantur. Vitam finiit Harlemi, in monasterio, cui praeerat, anno cIↃ IↃIV.

NICOLAVS LEONTIVS.

Ignoraretur omnino, quae Fortunae interdum iniuria est, nisi eum *Gerardus Novismagus* inter doctos terrae Hollandiae recensēret.

PETRVS BLOMMEVENNA.

Carthusianus, & Coenobio apud Ubios mox praefectus. Scripsit *Vitam S. Brunonis*, ordinis sui fundatoris; &, *in quinque libros Mosis Commentaria*. Obiit circa annum cIↃ IↃ XXX.

IOANNES FRANCONIVS.

Eius legitur *Praefatio*, in Libros Philippi de Leidis, *De Reip. cura, & sorte principantium*.

CORNELIVS PETRI.

Scripsit *Adnotatiunculas* in IV. priores libros Dioscoridis; item, *Experimenta, & Antidota contra varios morbos*: tum, *De rebus occultis in natura mirandis*. Feruntur & alia quaedam eius.

IOANNES GERARDVS.

Is praefectus monasterio Abcoudano, supra mihi memorato, cap. VI. instituto Hierosolymam itinere, anno cIↃ IↃ XLIV. & perfecto, quum rediisset, Vrbem eam, ac loca sancta, accurate mox descripsit.

CORNELIVS HEIDIVS.

Medicinae Doctor, eam artem Delphis diu factitavit; & ostendit, quam peritia multis aliis antistaret.

GERARDVS TVNINGIVS.

Libro sequenti, inter claros Academiae Professores, memorabitur.

CAP. XXV.

De Pictoribus excellentibus.

POstquam eos, qui ingenium literis clarum habuerunt, memoravi; eos fas est recensere, qui id ipsum in pictura exercuere. Inter illos,

CORNELIVS ENGELBRECHTVS.

Hic, natus anno cIↃ CCCCLXVIII. quum adultus animum suum ad pictutam adplicuisset, ad fastigium artis venit. Monumenta in curia Vrbis aservantur, tabulae duae; quarum prior; Christi crucifixi signum repraesentat; & latrones, iuxta adpensos: tum Mariam & Ioannem, alioque, circumstantes, pedites partim, equitesque: in dextro latere, Abrahami sacrificium; in sinistro, serpentum morsus. In altera vero, Christum auferunt de cruce: circum, est Maria plorans Sed in primis admirationem extorque alia tabula; in qua agnus, ante thronum dei positus, librum aperit, septem sigillis munitum: iuxta, caelites universi: aliique, vota Deo nuncupantes. Hic thesaurus, olim, a Lockhorsti dominis D. Petro in aede eius dedicatus, & retractus, bello pridem imaginario, ne periret in tumultu, nunc servatur Vltraiecti, apud *Bernardum Bongardum*, V. N. Nienrodiae toparcham, *Mariae Lockhrostiae* maritum. Obiit diem in Vrbe patria; anno Domini cIↃ IↃ XXXIII. aetatis suae LXV. Eius filius.

CORNELIVS KVNSTIVS.

Natus anno cIↃ CCCCXCIII. non indignus patre suo, mox evasit. Bonam aetatis suae partem Burgis egit, ac vivere desiit anno cIↃ CCCCXLIV. Inter operum reliquias unum excellit, quod in aedibus *Theodori Sonneveldii* adservatur. In hoc Christus, crucem baiulans, & latrones, ad supplicium educuntur; tum Maria, filii sui vicem dolens, exhibetur. Est & alterum, Christi de cruce deducti imaginem habens. Sed in primis memorandus,

LVCAS LEIDENSIS.

Ille, coelo, & penicillo pariter excellens, nomen sibi praeter ceteros immortale comparavit. Natus anno cIↃ CCCCXCIV. in prima aetate, quantus mox futurus esset, clare ostendit. Adeo artis studiosus, ut diebus etiam

Digitized by Google

noctes saepe adderet, frustra matre moderari cupiente. Et industriae inimitabilis monumenta, satis multa passim exstant. Tanta autem viri huius fama fuit, uti *Albertus Durerus*, ipse quoque ea arte celeberrimus, eius videndi, e Germania Leidam usque nostram excurreret. Anno clɔ lɔ xxvii. quum trigesimum ipse tertium implevisset, animum induxit, per Zelandiam, Flandriamque, & Brabantiam peregrinari; ac pictores, illic claros, in itinere salutare. Itaque Middelburgi primum *Ioannem Mabusium* vidit; epuloque ipsi exhibito, ad quod ceteros quoque pictores invitaverat, mox discessit. Hinc Gandavum, Machliniamque, & Antuerpiam profectus, idem fecit. Sed itineris eum huius post poenituit; quippe, ut ipse existimabat, propinato a malevolorum aliquo clam veneno, labefactata valetudine, toto sex annorum spatio, quos deinde supervixit, male habuit; obiitque anno clɔ lɔ xxxiii. aetatis suae xxxix.

ARNOLDVS LEIDENSIS.

Natus anno clɔcccc xcviii. ad aetatis decimum octavum usque fulloniam exercuit; inde ingenio ad picturam adplicato, brevi tempore sic excelluit, ut cum primis censeretur, & ad invisendum ipsum, *Franciscus Florentius*, arte eadem tunc insignis, Leidam excurreret; & Antuerpiam, ubi pretium arti suae iustum fore dictitabat, secum adducere conaretur: quum is tamen id abnueret, & fortuna, quanquam tenui, se contentum responderet. Ita vero eius opera laudabantur, tanquam quae industriae plus, quam curae, haberent. Ex his quaedam est spectare apud civem Vrbis primarium, *Gerardum Butevvechium*; nempe Christus, inter latrones crucifixus; & Maria, subter adstans, cum discipulis, mulieribusque aliis, lessum faciens: Magdalena, crucem amplexans. Alia tabula est, in qua Christus crucem gestat; matre, & aliis subsequentibus. Rursum alia, Abrahamum repraesentat; filium, lignis onustum, ut mactaret, educentem. Plura, apud alios exstant. Vitam finit, aqua mersus, anno clɔ lɔ lxiv. quum vixisset lxvi.

OCTAVIVS GISELBERTVS, PETRVS VENII.

Octavii tanta est in pingendo excellentia, ut certatim eum ambierint orbis Christiani Principes. Quum septennium in Italia, artis addiscendae causa, exegisset, apud *Alexandrum Farnesium*, Parmae principem summo in honore fuit; postea, ad Rudolphum Caesarem sese contulit. Inde ad Bavariae ducem, & Archiepiscopum Colonienſem, eius fratrem, se recepit: a quo aegerrime dimissus, ad Albertum, & Isabellam, Archiduces Austriae, demum transiit. Nec, quantumvis invitatus a Rudolpho Caesare, cui antea inserviverat, Regibus Galliae ac Hispaniae, Archiepiscopo Salsburgensi, locum inde, dominumve commutavit. Inter prima eius opera, Bacchanalia memorantur; item Zeuxis, foeminas quinque nudas pingens. Quin & duo eius fratres, obiter hic recenseri per quam digni; GISELBERTVS, coelo egregius: item PETRVS, Iureconsultus; qui, cum inamoena litium penicillo permutare animum inducit, ipsos artis coryphaeos admirari industriam cogit.

ISAACVS NICOLAVS Fili eius, Aliique.

Sunt & alii, nullo modo omittendi. ISAACVS NICOLAVS, Consul Vrbis, inter artis huius decora numerandus; & hoc patre digni filii IACOBVS, NICOLAVS, GVLIELMVS: quorum ultimus, ipso aetatis vere exstinctus, luctum suis, & lacrimas reliquit. IOANNES ADRIANVS, CVNRADVS SCILPERORTVS, ARNOLDVS ELZEVIRIVS, DAVID BILLIVS, & LIEFRINGVS, ad suprema laudum tendunt.

IOANNES BVCOLDVS, Rex Israëlis.

Istud Vrbis carcinoma potius extra memoriam hominum deducendum, utinam omittere nobis licuisset; verum, quia alii iam memorarunt, & in Famae quoque templo nomen eius collocarunt, quum existimem item mihi id dicendum, in hoc fine, & postremo libri loco, quam pauciſſimis verbis potero, vitam eius explicabo.

Natus est anno clɔ lɔ x. parentibus tenuis fortunae, qui, qua vitam toleraret, ad sartorem, artem suam edocturum, deduxerunt. Mox adultus, & sequutus Anabaptistarum sectam, tandem ab iis Rex creatus, regnum annum unum tenuit. Quo exacto, ab Episcopo Monasterienſi captus, regno, ac vita, spoliatur. Regnum autem qua acceperit ratione, operae pretium est exponere. Occupato Monasterio, anno clɔ lɔ xxxiv. ad diem xxiv. Iunii, *Ioannes* quidam *Tuiscoscurius*, de eadem secta homo, quum in forum multitudinem convocasset, confidenter ei dicit, *velle Deum, uti Ioanni Bucoldo imperium orbis universi traderetur; atque ipsum, cum exercitu prodeuntem, Reges omnes, Principesque, devicturum, caesurumque facta, vitae gratia populo; id est is, qui iustitiam adamarent: sessurumque in Davidis patris solio, donec ille regnum ab ipso reposceret: quippe isthoc fatum esse; ut boni, profligatis malis, toti orbi dominentur*. Quae quum ille sic dixisset, mox Bucoldus, in utrumque genu procidens, *Fratres!* inquit; *hoc quidem ego dudum scivi, verum revelare nolui; ac nunc vobis ore alterius famuli sui pater noster indicandum existimavit*. Simul, quanquam diu illud agitasset, detrectare sese grave regni onus simulabat. Tamen, confirmato animo, statim adgressus, omnia ordinat; ac, duodecim Consiliariis constitutis, cetera quoque regni officia inter varios dispartitur. Vestes etiam, Rege dignas, & coronam sibi ex auro geminam,

Digitized by Google

nam, ac ſceptrum, capit, equos ſerico, phaleriſque auratis, ornat. Quumque in publicum prodiret, magnus aulae comitatus deducebat; proximeque adequitabant duo pueri, quorum unus, qui ad dextram, Biblia ferre, & coronam; alter vero, ad ſiniſtram, ſtrictum gladium, capulo aureo, gemmis varie interſtincto: ipſe, ſumtuoſo amictu, manu una orbem terrae, decuſſatim binis gladiis transfixum, altera ſceptrum geſtabat: cingulo, inſcriptum erat: *Dei virtus, mea poteſtas*. Ante eum, ſtipatores octo & viginti ibant. Numum cudit, qualem ſub effigie eius exhibemus. Solium in foro poſuit, auro, & gemmis, exornatum; e quo civibus ius dicebat. Vxores plurimas habebat; quarum Eliſam, dignitate, & dilectione primam, quod, obſeſſa arcte Urbe, plurimiſque paſſim fame morientibus, negaret ſe Deo hoc gratum poſſe putare, in corona ceterarum, quas procidere circum eam in genua iuſſerat, ſua manu, quod crudelius, capite truncavit; tum calumnia oneravit, tanquam legem matrimonii violaſſet; neque puduit, ſe tortorem e Rege facere. Et, ceu parum illud eſſet, alio etiam quodam tempore, militi eodem modo, proditionis accuſato, caput abſcidit. Monaſterienſis Epiſcopus, non ferendam ſibi ratus tam inſignem nebulonis contumeliam, ut recuperaret Vrbem, ſui Epiſcopatus ſedem, ocius collectis copiis, arcte obſedit; iamque fame intoleranda premebantur opidani: quum *Ioannes Langeſtratius*, ab epiſtolis, modum aliquem importandi commeatus inveniſſe ſe commentus, cum Epiſcopo clam paciſcitur, & mox ei urbem prodit, die xxv. Iunii, anno cIↃ IↃxxxV. Illa capta etiam Bucoldus capitur; &, Epiſcopo incuſante, *quod ſe, populumque ſuum, miſere iviſſet perditum: atqui*, inquit, *ſi me audis, facile tibi damnum omne refundetur. Illo modum inquirente; caveae reſpondet, ferreae, corioque tectae, incluſum circumducito; & ſpectaculi quiſque praemium aſſem ſolvat: ita plus es accepturus, quam in bellum impendiſti*. Quum conſilium placuiſſet; in ludibrium iſto modo circumductus, ad xx. Ianuarii inſequentis, & reductus Monaſterium, exquiſito mox ſupplicio regni nequiter adfectati, & improbius uſurpati, poenas dedit.

IOANNIS MEVRSII ATHENARVM BATAVARVM

LIBER SECVNDVS.

In quo de Viris, qui ingenio, & ſcriptis, clari, Vrbem pariter, & Academiam illuſtrarunt.



EST hoc animo noſtro inditum, ut, quum ipſam virtutem nemo poſſit, quicquid illi proximum eſt, cupide ſpectemus. Ipſa autem ſedes Divae illius, & domicilium, homo eſt; cuius ita corpus cum animo cohaeret, ut, quod mente in hoc intelligitur, (mentem enim mente videmus,) oculis in illo uſurpemus: ſed praecipue in vultu, id quod quiſque ſumus, a Natura eſt deſcriptum: in quo noſtri imaginem magna illa mater propoſuit; lineiſque, ac ductibus quibuſdam, quaſi literis, expreſſit. Ita eruditio cuiuſque, probitas, ac candor, ut in animo latet, ſic in oculis, ore, ac fronte, adparet: neque temere errare videas, qui hos duces ſequuntur. Huic rei librum hunc habe; in quo univerſos fere, qui Athenis noſtris Batavis famam aliquam adtulerunt, aeri inciſos contueris; ut, quorum eruditionem in ſcriptis hactenus admiraris, vultus quoque hic ſolerter delineatos ſpectes.

EPIGRAMMA.

QVod hic tabellis mortuis vides vivos,
Vivis tabellis mortuoſve, ſpectator;
Miracula illi dum parentis aeternae,
Abſtruſa quamvis, vivida igneae mentis
Rimantur acie, poſteriſque recludunt;
Miracula ipſi quid niſi ipſa Naturae?

PETREIVS TIARA.

PRimum in hoc ordine locum iure primus novae Academiae Rector occupabit. Is fuit PETREIVS TIARA, natus anno cIↃ IↃXVI. Idibus Iulii, oppido Friſiae, quae Lavicam & Flaevum fluvios interiacet, maritimo, WORKVM vulgo dicto. Vir ingenii ſagacis, iudicii acris: nec ſolum Philoſophus, ac Medicus eximius, ſed & literarum peritiſſimus. Ac Graecas in Duacena primum, ac Lo-

vanienſi, deinde etiam tum in Lugduno-Batava, (in qua primus Rectorem egit) tum Friſiorum Franekerana Academia ad extremum vitae profeſſus eſt. Interpres Graecorum fideliſſimus, ac feliciſſimus. Fidem faciunt, quae de iis Latina fecit, tam adſtricta oratione, quam ſoluta. Eorum nonnulla pridem edita, ut *Sophiſtes Platonis*, *Medea Euripidis*, *Pythagorae*, *Phocylidis*, *ac Theognidis Sententiae*; quaedam adhuc in ſcriptis lucem ſuo tempore viſura ſuperſunt, ut, *Homeri Hymni*, *Hippocratis Aphoriſmi & Prognoſtica*, *Platonis Eutyphro*, & *Alcibiades* II. atque alia nonnulla. Poemation, *De Nobilitate*, & *Diſciplina militari veterum Friſiorum*, non inelegans, ante quam multos annos typis excuſum.

Exſtat etiam de laboribus ipſius carmen Ioannis Arcerii hoc:

Ad Felices P. TIARAE manes.

QVam mallem vivo mortem deflere Parenti
Natorum, tutor quam eſſe Tiara tuis.
Aut natalitio te patre ſuperſtite verſa
Gratari tibi, quam nunc dare Epitaphium.
Sed bene habet: pater in natis ut vivit, ita ipſe
Non moreris, ſed poſt fata renatus ades.
Pythagoras Samius teſtis te auctore fidelis,
Phocylideſque monens, atque Theognis, erit.
Teſtis & Euripides quondam, atque ex parte Sophocles
Olim erit, & dius eſt, erit atque, Plato.
In medio & Cous magna gravitate magiſter
Hippocrates, medica maximus arte, aderit,
Ipſe Poetarum pater, Oceanuſque immenſus.
Hymnis doctaurus caecus Homerus idem.
Quippe omnes Latio per te ſermone loquuntur,
Haud ſecus ac Graio quiſque ſonare ſolet.
O utinam Heſperiam tantum, quantum Helladа, Muſam
Promoſſes! tota Graecia Roma foret.

Mortuus eſt anno aetatis LXXII. Chriſti vero Servatoris CIↃIↃ LXXXVIII. VI. Idus Februar. Franekerae; ibidemque in templo ſepultus, cum carmine Epitaphio inſcripto tabulae ad columnam adpenſae, tali, eodem Arcerio auctore:

HEus quicumque teris ſacri huius limina templi,
Subſpice paulliſper, verbaque pauca lege.
Sortem diſce tuam, & quae te quoque fata manebunt,
Ocyus, aut ſero: corde reconde tuo.
Hoc ſaxo tegitur Petreius ille Tiara;
Ingens Doctorum, Pieridumque, decus.
Waldricheim ei patria eſt, Friſiorum in littore claro,
Quaeque rudimentis nobilitata viri eſt.
Artibus Harlemum poſt pluribus imbuit, atque
Linguis ornavit vim facilem ingenii.
Inde, Machaoniam natura ductus ad artem;
Lovanium vix dum factus ephebus adit.
Tandem Pergameo, Cooque, aliiſque magiſtris,
Artis bonos ceſſit ſummus in Italia.
Hanc deinceps toto coluit feliciter aevo,
Muſamque Graiamque, Auſoniamque ſimul.
Scilicet inſignis Medicus, ſummuſque Poeta,
Audiit, & Lingua Philoſophus gemina.
Lovanium expertum eſt Doctorem, ipſumque Duacum,
Lugdunum in Batavis atque Franekra ſuum,
Haec poſtquam civem, quem multos foverat annos,
Grate complexa eſt, & Schola docta ſenem:
Grandaevum, & vitae ſaturum mors abripit atrox;
Adgregat & civem civibus inde ſuis,
Diſcite Tergeminas non ulli parcere Parcas,
Nec quid in hoc magno ſtare perenne ſolo:
Nam pariter doctos rapit, indoctoſque, bonumque
Vna falce virum mors metit, atque malum;

IANVS DOVSA P.

PRimo Academiae Rectori quemnam rectius ſubiungemus, quam primum eius Curatorem, IANVM DOVSAM? Is Nordovici, cuius pagi dominus fuit, nobiliſſima Hollandiae familia natus, admodum infans parentibus orbatus, Lyram, Brabantiae oppidum, ſtudiorum cauſſa amandatus eſt; primaque eius rudimenta fuerunt ſub Ioanne Fabro: inde Delphos mox translatus, Henricum Iunium praeceptorem habuit, cuius celebris tunc temporis ſchola. Huic quum annum unum operam dediſſet, Lovanium conceſſit, & mox inde Duacum; ubi inſigni Lucae Fruterii ingenio captus, ſtudiorum eum ſocium, ac comitem adſcivit; Lutetiam cum eo profectus, nobiliſſimum ſcientiarum omnium emporium. Vnde in patriam arceſſitus, mox eo rediit; ſummorum illic virorum fama, ac claritate adductus; a quibus viciſſim, propter excellentes ingenii dotes, amabatur, aeſtimabaturque. Inde domum iterum reverſum, ductaque uxore, etiam tum iuvenem ſibi Reſpublica vindicavit; atque in ſupremum aggerum curandorum, fluminumque retandorum, Collegium cooptavit; quo munere, totos viginti annos functus, ſponte ſe abdicavit. In memorabili illa Lugduni obſidione magnum animi robur oſtendit; ita illuſtriſſimo Principi Auriaco probatus, ut, tam graviter adflicto patriae ſtatu, praefectura Vrbis nemini rectius committenda crederetur. Hanc ubi cum laude obiiſſet, liberata mox Vrbe, quum Academiam inſtituere illis decretum eſſet, nullum Principi, Ordinibuſque, tantae rei auſpicatius nomen viſum eſt, quam IANI DOVSAE, cui & bellica fortitudine, & eruditionis gloria parem alterum Reſp. non habebat. Multiplex erat in viro lectio, incredibilis pene memoria. Graecarum, ac Latinarum literarum; Hiſtoriae veteris, ac novae, nihil erat, quod ipſum fugeret; nihil, de quo rogatus non ex tempore reſponderet. Vnus ille, quod de Longino ait Eunapius, erat βιβλιοθήκη τις ἔμψυχος, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον. Vnus ille, Bataviae Varro, & Academiae commune oraculum. Et cum hac quidem doctrina, tam eximia ceterae etiam virtutes certabant, Comitas,

Digitized by Google

tas, Candor, Urbanitas, ac Modeſtia; ob quas non Batavis modo, aut Belgis, ſed & Gallis reliquis, & Germanis, Anglis, Italis, Bohemis, Polonis, atque adeo ipſis in Turcia Graecis Europeis, pariter atque Aſiaticis, in honore ac pretio habitus fuit: aeſtimantibus magni viri merita etiam tam longe diſſitis gentibus. Geſſit autem hanc Academiae Curam annos XXIX. Quo medio tempore, quum ad patriae Annales conſcribendos animum adiunxiſſet, Archivorum item publicorum cuſtodiam in ſe ſubſcepit. Deindè in ſupremae quoque Curiae Senatum adſcriptus, XIII. eo in munere annis laudabiliter exactis, ad plures abiit, anno CHRISTI MDCIV. aetatis ſuae LIX.

EPITAPHIUM.

Siſtas Viator: Douſici Manes rogant
Tempus exiguum, moramque parvam;
Quem terra novit, Troicique pallida
Mater Memnonis, integerque Phoebus,
Quique emerentem ſubripit terrae diem.
Non iſti gemituſque tibiaeque
Inane murmur, ſordidamque naeniam,
Mendicant cineres, vagumque leſſum,
Fractique raucos aeneatoris modos;
Sed plenas tibi lacrimas remittunt,
Cui tota luctum deſtinat tellus ſuum,
Vnius ſcelus eſt ciere voce.

Exſtat in eum hoc Epigramma Gulielmi Cripii I. C.

NOn ficus mage ficui, nec ovum
Eſt ovo ſimile, haec imago, DOVSA,
Quam tibi eſt ſimilis, tuoſque vultus
Ad vivum exprimit. Intereſſe quicquam
Nec putes aliud, niſi quod iſta
Elinguis ſine voceque eſt imago,
Tibi lingua diſerta, blanda, dulcis.
Ah fallor. Nec imago muta DOVSAE eſt:
Nam quamvis minus haec diſerta certe eſt,
Hoc ſaltem loquitur, facitque certam
Fidem, moribus eſſe te venuſtis,
Acri iudicio, piaque mente:
Queis longe es celebratior futurus,
Et poſt fata diutius ſuperſtes,
Quam per ſtemmata longa, imagineſque.
An haec muta tibi eſt loquace vultu
Quae tantum ſimul explicat bonorum?
Sed quod non ſatis exprimit diſerte,
Supplebit liber hic ſatis ſuperque.

Etiam iſtud.

OS, oculos, frontem, totumque ſimillima vultum,
Te effigies mira haec dexteritate refert.
Ne ſis effigies tua tu, & tua rurſus imago
Tu quod es, hoc deſit quod nequit illa loqui.
Oſcula ſi foret hoc, cui libet, neſciat uxor;
Cui det, cuique ſuum deneget officium.
Providus hoc veritus ſculptor, diſcrimen id eſſe
Inter te voluit effigiemque tuam.

Scripta ab eo edita haec ſunt.

EPigrammatum, Satirarum, Elegiarum, Silvarum libri.
Nova Poemata Lugdunenſia.
Notae ad Salluſtium.
Epodon liber ex puris Iambis.
Odae Britannicae.
Elegiarum & Epigrammatum liber.
Praecidanea ad Petronium Arbitrum.
Centurionatus ad Plautum.
Praecidanea ad Catullum.
Praecidanea ad Tibullum.
Schediaſma Succidaneum ad eundem.
Commentariolus in Q. Horatium.
Appendix Succidanea ad eundem.
Epiſtolae Apologeticae duae; una de Annalibus Bataviae, altera pro praetore Nortvviceno, peregrinitatis reo.
Annales Hollandiae carmine.
Iidem proſa Oratione a filio incepti uſque ad Didericum IV.
Echo, ſive Halcedonia, cum novis Epigrammatis, & Elegiis.

Procuravit ut ederentur, ab aliis ſcripta.

BAtavia Hadriani Iunii.
Inſcriptiones antiquae Smetii.
Lucae Fruterii Opuſcula.

Confecta partim, partim adfecta, nec edita, reliquit;

PRaecidanea in Iuvenalem.
Volumina aliquot Epiſtolarum.
Fragmenta omnia veterum Oratorum, Poetarum, Hiſtoricorum.

HADRIANVS IVNIVS.

HADRIANVS IVNIVS in hoc doctorum Virorum catalogo merito ſe ſiſtit: ut loco, ita doctrina quoque, ex toto hoc ordine nulli cedens: quippe Medicus, Hiſtoricus, & Poeta, doctiſſimus, alterum ab Eraſmo Hollandiae lumen dici meretur. Vir, in quo omnia excellerent, Medicinae, Hiſtoriae, Antiquitatis peritia; ingenium, ad Poeticen factum. Linguas, praeter vernaculam, ſeptem tenuit, Graecam, Latinam, Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, Germanicam, Anglicam. Natus Hornae, anno cIↃ IↃ XII. patre conſulari. Adoleſcens, ut nobiliores animae ſolent, peregrinationem inſtituit in Hiſpaniam, Angliam, Galliam, Germaniam, Italiam; ubi etiam Medicinae Doctor creatus. Tandem, in patriam reverſus, varia uſus fortuna, Harlemi ludum litterarium quibuſdam aperuit; inde varia fortuna iactatus, demum Middelburgum in Zelandiam ſe tranſtulit, & mox Arnemudam; ubi ex gravi lateris ulcere decumbens, vitam cum morte commutavit, anno Chriſti cIↃ IↃ LXXV. aetatis LXIII. menſis cognominis die XVI. ſub mortis tempus Academiae naſcenti inter primos Profeſſores deſtinatus; ſed, in-

ter

ter ipsa initia morte abreptus, inchoare munus non potuit,

Mortuo Epitaphium hoc positum est,

HADRIANO IVNIO HORNANO PHILOSOPHO MEDICO ET POETAE CELEBERRIMO BATAVIAE HISTORICO FIDELISSIMO CVIVS IN OMNI DISCIPLINARVM GENERE EXQVISITA ERVDITIO SINGVLARIS INDVSTRIA INFINITAE LECTIONIS PRAESTANTIA MVLTIPLEX LINGVARVM SCIENTIA PARI CONIVNCTA COMITATE DOCTORVM OMNIVM ADMIRATIONEM LAVDEMQVE MERVIT POST VARIA INCOMPARABILIS INGENII MONVMENTA QVIBVS AETERNAM SIBI MEMORIAM COMPARAVIT SVB HOC MARMORE CONDITO PATRI OPTIME DE SE MERITO PETRVS IVNIVS MAESTISS. PIETATIS ERGO P. C. VIXIT ANN. LXIII. OBIIT XVI. SIBI COGNOMINIS MENSIS ANNO SALVTIS CHRISTIANAE ɔlɔ. lɔ LXXV.

Edita ab eo haec sunt.

Cassii Iatrosophistae Problemata cum Latina interpretatione, & Notis.
De Anno & Mensibus Commentar.
Fastorum Liber.
Calendarium.
Animadversionum libri sex.
De Coma liber.
Nomenclator.
Emblemata.
Aenigmata.
Anastauroſis Christi,
Non. Marcellus.
Fulgentius Placiades.
Textoris Epitheta contracta.
Plutarchi Sympoſiaca Latine.
Euſtathii compendium.
Eunapius, cum verſione Latina.
Heſychius Mileſius de claris Philoſophis, cum verſione Latina, & Notis.
Hiſtoria Bataviae.
Poemata Sacra, & Profana;
magnam partem inedita, ut &
Epigrammatum libri complures.
Epiſtolarum volumen ingens.
Stromateus, opus eximium, ex quo liber de Coma.
Commentariolus de Phallo.

Exstat in eum hoc Epigramma.

Hoc decus Harlemi latitat, Coeleſtibus irae
Tantae, qui dignus luce, alioque loco, eſt.
Sed ridet funus, ſolida virtute ſuperſtes,
Hiſtoriis patriae non ne ſupremus erit?

PETRVS FORESTVS.

ALCMARIAE natus, anno 1522. patre ex nobiliſs. & antiquiſſima Foreſtorum familia oriundo; ibique non minima primae aetatis parte in humanioribus litteris conſumta, Lovanium tandem eſt profectus: Vbi per aliquod tempus haerentem, nec ullum ſtudiorum genus certum adhuc deligentem, variae cogitationes retardarunt. Quum, praeter alios, pater ipſius Iordanus Foreſtus ad legum ſcientiam ipſum adhortaretur. Quae quum ipſi difficillima videretur, ob tantam & auctorum & opinionum varietatem, quumque ipſe, (reluctante etiam natura,) a litibus, quibus diſceptandis dirimendiſque iuris cognitio perpetuo eſt occupata, abhorreret, ea ſpe protinus abiecta, tandem medendi artem, ad quam naturae quodam genio propendebat, multis nominibus conſectandam ſibi propoſuit. Sive enim dignitatem eius, ſive praeſtantiam, ſive utilitatem, ſive neceſſitatem conſideraret, reliquis certe longe ſuperior ipſi videbatur, Noluit tamen hoc ſtudiorum genus citra patris conſenſum amplecti. Proinde quum Petrus Nannius, Latinae Linguae apud Lovanienſes Profeſſor, civis & Praeceptor eius, patri ipſius hoc per literas ſuaſiſſet, factum fuit, ut pater ipſi permiſerit ſuo arbitratu Medicinae operam dare. Quum itaque animum ad eam rem adpuliſſet, & poſtea intellexiſſet, ex Galeni doctrina omnes ingenuas artes partim ratione, partim experientia comparari, exiſtimavit ſibi cum doctiſſimis & exercitatiſſimis Medicis eſſe verſandum, ut non modo artis theoriam, verum & tecmarſin recte poſſet adipiſci. Quamobrem quum Lovanii quatuor amplius annos theoriae inſudaſſet, ſub Hieremia Brachelio, Philoſopho ac Medico inſigni, & aliis haud contemnendis Medicis eo tempore Medicinae ſcientiam profitentibus; tandem Italiam acceſſit; ut praxin a Doctoribus expertiſſimis tam Bononiae (ubi Doctoratus quoque inſignia conſequutus eſt) & Patavii, quam Romae, aliiſque in locis celebrioribus, perdiſceret; quo etiam illa, quae apud eos circa aegros obſervaret, aliquando in uſum produceret. Inter praecipuos tum temporis Romae erat Giſsibertus Horſtius Amſterodamenſis, magni nominis Medicus, (cuius non raro in ſuis Obſervationibus meminit,) qui praeerat Noſocomio Mariae Conſolationis: Bononiae vero, celeberrimus ille Benedictus Faventinus; Iacobus Erigius, qui Noſocomium Mortis, quod vocant, curandum ſubſceperat, & inter alios vel primo nominandus Elideus, Practicus inſignis, & Medicus Noſocomii Vitae, ut adpellitant; Patavii vero Veſalius, Anatomicus ille inſignis, quorum omnium animis, propter diligentiam, ac fidem, acceptiſsimus fuit. Quum igitur iſtis in locis, apud hos praeſtantiſsimos Medicos, & alios, non minus celebres, ad annos aliquot egiſſet, aegrotantes non paucos ab iiſdem curatos vidiſſet; ac ſimul, quae ad praxin ſpectarent, ſtudioſe obſervaſſet; cogitare coepit, quam taedioſum, ne dicam miſerum, eſſet, ſemper diſcurrere, & incertis ſedibus vagari: itaque tandem ſibi locum certum deligendum eſſe exiſtimavit, in quo vitae ſuae reliquum tranſigeret, honoremque, & opes, ex arte Medica honeſte ſibi quaereret. Quo factum fuit, doctorum hominum conſilio, ut, relicta Italia, Galliam accederet, ac Lutetiae

ad

Digitized by Google

ad aliquot menſes praxin inter domeſticos, & notos exercere inciperet. Et humaniſsime a Vido Vidio Florentino, Medico, & Philoſopho, ac tunc temporis Regis Galliae Phyſico, acceptus fuit; ad quem literas commendatitias a praeſtantiſsimis, & praecipuis Medicis Italis adtulerat. Non minus fuit gratus Iacobo Sylvio, Profeſſori Regio; cui tum temporis Galenum De facultatibus ſimplicium medicamentorum praelegenti aliqua ſimplicia, atque herbas, ſubminiſtravit; quas ipſe, partim cum viris doctis, partim cum Valerio Cordo, iuvene doctiſsimo, (quo cum Romae coniunctiſsime vixerat, cui ibidem morienti anno clɔlɔxliv. oculos compreſſerat) magno labore, diverſis Italiae locis, ſibi collegerat. Verum poſtea, eodem Sylvio monitore, literiſque commendatitiis ab eo acceptis, Pythureas venit, qua in urbe per annum Medicinam cum honore fecit. Tandem, patre & amicis crebro per literas ipſum revocantibus, reverſus eſt Alcmariam, patriam dulciſsimam; ubi civibus ſuis curandis operam magna diligentia per xii. annos impendit: deinde Reipublicae Delphenſi, honeſto ſtipendio vocatus, quo potiſsimum tempore peſtis ibi ultra modum graſsabatur, circa xl. annos publicus Medicus fideliſsime inſervivit. Diligentia viri, in hoc vitae genere, quae fuerit, neminem doctum latere poteſt. Quisquis enim numerum librorum, quos edidit, contempletur, neceſſe eſt, ut ſumma adficiatur admiratione. Qui vero Obſervtiones eius attente, & cum iudicio perlegat, alterutrum ad exiſtimationem ſummae diligentiae ſubficere, aut tantae praxeos molem ſubſtinere, aut tot volumina ſcripſiſſe, procul dubio iudicabit. Hoc loco ſilere non oportet, primam in Medicina lectionem, & orationem pro laude eius, in Academia Lugdunenſi habuiſſe; tanto ſtudio ad artem illam propagandam flagravit. Quum iam tantum temporis ſpatium operam ſuam exteris praeſtitiſſet, civibus ſuis adhuc nonnihil impertiendum exiſtimavit. In ſumma itaque ſenectute domicilium Alcmariam tranſtulit, non ſine magno dolore Delphenſium. Galeni in hoc exemplum ſequutus, qui, quum Romae optimam vitae partem egiſſet, ibidemque & honores magnos, & gloriam, ex arte Medica conſequutus eſſet, iam gravis annis, ad Graeciam ſuam abiit. Vt Alcmariam venit, ne minimo quidem civium operam ſuam negavit. Conſilium eius erat, non tantum honore mortis ſuae, & ſepulchri, patriam adficere; ſed re, & opera, quod poterat, iuvare. Quum patriae, quod debebat, ſolviſſet, etiam animam, quam in ea hauſerat, in ea reddidit, anno clɔ lɔ lxxxxvii. Epitaphia exſtant haec:

Τῇδε ποτὶ σήλῃ ὄψις, ξένε, δάκρυα λείβεις,
Παύσασθαι μέλεαι· ἐ χρεὼ ἐσι γόε.
Ὅσσα γὰρ ἔλλαχε μοῖρα κακὴ, ἡ γαῖα μελαίνη,
Τοῖσιν ἀνὴρ παύροις γνώριμος ἔσχε βροτοῖς.
Τοῖσι μὲν ἐν χίνυσιν μόγις πτολίεθρον ἐκεῖνον,
Ἠ ὀλίγη πληθὺς, ἰσῖο περιπλόμενον·
Λείψανα δ' ἀβληχρῆ ξανάξιε μέγαν ἀμφιπολεῖται

Κόσμον, ἔπ' ἀνθρώπων χείλεσιν ἰζόμενα.
Ἠ ῥα φίλον γαίη καλέχει ἔτι πᾶσα Φόρεσον,
Ὠ λεσε δ' εἰς χῶρος, τῷ δ' ἐνὶ ναιέτασεν.

Manibus magni patrui ponebat
IOANNES FORESTVS I. C.

MEM.

PETRI FORESTI
Med. artis operibus clariſsimi.

NOris ut hoſpes, oſſa quanti marmore
Sub hoc repoſita ſint viri, ſic accipe:
Sunt illa Petri, e gente quem Foreſtia
Coeli benignior, bono mortalium,
Magni bearat aura mente Hippocratis.
Hac, artis uſu fontibuſque Iatricae
Orbi reſectis, ceu perenni lumine,
Iam maior annis ſeptuagenario,
Nil mente fractus, hos ut artus exſuit:
Deſiderat lugetque civem patria,
Aether recepit; quo fide tetenderat
Fama relicta poſteris induſtria.
Nunc hoſpes i, quo fata te vocant tua,
Sua gratulatus optimo Foreſtio.

Praeceptori & amico vet.
PET. HOGERBETIVS, Med. Hornan.
moerens B. M. P.

CEu vivum ut videas oculis, atque ore, Foreſtum;
Hic pictor mira dexteritate dedit,
Non tamen ingenium manus aemula reddidit, aegris
Et quae Paeonia reddidit arte ſuis.
Haec libri referunt, ſubplent ſic ſcripta Foreſtum,
Etſi non totus detur in aere tibi.

Nannius Foreſtus Alcmarianus.

Scripſit ediditque:

LIbrum de incerto urinarum iudicio.
Obſervationum & curationum medicinalium libros xxxii.
De Chirurgia libros v.

BONAVENT. VVLCANIVS.

NATVS eſt Brugis Flandorum anno Chriſti clɔ. lɔ. xxxviii. die xxx. menſis Iunii. Patrem habuit Petrum Vulcanium, qui, ob inſignem eruditionem, pari cum eloquentia coniunctam, magno illi Eraſmo carus in primis atque acceptus fuit, ut Epiſtolae eius teſtantur. Ab hoc optimis praeceptoribus traditus annos circiter xvi. natus, tantos in utraque lingua, & humanioribus literis, progreſſus fecerat, ut aequalium ſuorum nulli cederet. Mox Lovanium ablegavit; ubi quum per biennium egiſſet, dubitante patre, Iuriſne an Medicinae ſtudio filium adiceret, opportune admodum accidit, ut eo ipſo tempore quaereretur iuvenis aliquis, Graece & Latine doctus, qui Illuſtriſsimo

Digitized by Google

Franciſco a Mendoza, Cardinali & Epiſcopo Burgenſi, a ſtudiis eſſet. Cuius rei is negotium dederat Ioanni Paccio, Hiſtorico Regio, qui tum temporis Lovanii agebat. Ac pater commodam hanc occaſionem viſendae Hiſpaniae, & ſimul linguae addiſcendae, non negligendam eſſe ratus, non gravate eum Paccii eiuſdem fidei commiſit, qui in Hiſpaniam duceret, & Cardinali iſteret, commendaretque. Iſque anno clɔ lɔ LIX. per Galliam in Hiſpaniam abductum, Burgis Cardinali tradidit; qui peramanter exceptum in familiam ſuam adſcivit, & ſtipendium honorificum adſignavit. Quum autem is tum temporis totus eſſet in ſcribendo libro, *De naturali noſtra per dignam Euchariſtiae ſumtionem cum Chriſto unione*, eius opera ſtatim in tranſcribendis, & Latine vertendis, multis Patrum Graecorum, Cyrilli maxime Alexandrini, & Iſidori Peluſiotae, qui coaetaneus illi fuit, aliorumque auctoritatibus, antea non editis, fuit magnopere adiutus. Eiuſdem auſpiciis Cyrilli libros XVII. *De adoratione in ſpiritu, & veritate*, primus Latinos fecit. Praeterea Nicolai Cabaſilae Methonenſis Epiſcopi Orationes VII. *De vita in Chriſto*, antea neque Graece, neque Latine, a quoquam editas, Latine vertit. Qui liber poſtea inſpiciendus Theologo cuidam datus, una cum verſione intercidit. Vſus eſt etiam Cardinalis opera eius ad Epiſtolas Latine primum, deinde etiam Hiſpanice ſcribendas. Bibliothecae etiam ſuae, quam codicibus Graecis manuſcriptis inſtructiſſimam habebat, eum praefecit. Quum vero poſt obitum Cardinalis, frater eius, Ferdinandus a Mendoza, Archidiaconus Toletanus, eum in familiam ſuam recepiſſet, mortuo etiam illo, a patre, graviter aegrotante, per literas ad Ioachimum Hopperum ſcriptas, domum revocatus. Quum, poſt XI annorum abſentiam, periculoſiſſimo tempore per Galliam rediſſet, quanta potuiſſet feſtinatione, & patrem iam vita functum reperiſſet, ac miſerum patriae ſtatum aequis oculis adſpicere non poſſet, compoſitis ibi rebus ſuis, in Germaniam abiit. Vbi primum Coloniae commoratus, *Cyrilli librum adverſus Anthropomorphitas* antea non editum vertit, & Latine edidit; cui adiecit primum eiuſdem Auctoris librum *De adoratione in ſpiritu & veritate*, abs ſe verſum: qui antea ſolus & perperam verſus in operibus Cyrilli legebatur. Inde Baſileam profectus, & ope Ioannis Baptiſtae Heintzelii Duum-viri Auguſtani, vetuſtiſſimum exemplar, in membrana exaratum, nactus, in quo erant *Cyrilli Dialogi ad Hermiam*, ut alia, antea perperam admodum ab interprete habiti, eos de integro vertit. Ibidem etiam *Iſidori libros Originum*, una cum *Martiano Capella*, ab innumeris mendis ope MSS. codicum, & ex coniectura, emendavit. Inde Genevam profectus, *Arriani Hiſtoriam De rebus geſtis Alexandri*, turpiſſime ab interprete verſam, ope MSS. exemplaris infinitis locis correxit, & nova interpretatione donavit. Vnde Baſileam reverſus, quum etiam de matris obitu nuntium accepiſſet, & iam res Belgicas in meliore paulo ſtatu eſſe cognoſceret, peregrinandi ſatur domum rediit. Et, quum in Friſiam cum Legatis Ordinum Belgicorum proficiſceretur, ac Leidam tranſiret, a Curatoribus Academiae profeſſor linguae Graecae deſignatus, anno clɔ lɔ LXXXVIII. triennio demum poſt reverſus, Profeſſionem ſubſcepit. Ab eo tempore adſidue, tam publice docendo, quam ſcribendo, per annos XXXII. de re literaria optime meritus eſt. Diem obiit anno clɔ lɔ c XV. aetatis LXXVII. Ipſe de ſe Epigramma iſtud fecit,

Ter denos docui Leidis binoſque per annos
Cattigenum pubem Graiiugenum ore loqui.
Nunc manibus, pedibuſque, oculiſque, atque auribus aeger,
Et ſenio languens, lampada trado aliis.

Eſt in eum haec ELEGIA.

SIccine te, flos o doctorum, Flandriae ocelle,
Siccine te vitae munia deſerere,
VVLCANI? *Brugae quem nobis, Flandriae ocellus,*
Telluris patriae grande dedere decus.
Gloria quem, Famae niveis invecta quadrigis,
Eois notum fecit, & Heſperiis.
Fas tibi ſupremis encomia dicere verbis,
Et breviter laudis tangere ſumma tuae.
Et merito. Nam quis Muſis te carior uno?
Ternaque cui Charitum numina fauſta magis?
Quis Phoebo vixit patri dilectior unquam;
Aut quis Parnaſſi dignior hoſpitio?
Par coelo ingenium, ſuperant ingentia caelum
Ingenii paſſim tot monumenta tui.
Teſtis ISIDORVS, *teſtis tu gnare* CAPELLA
Septem Artes uno perdocuiſſe libro.
Hiſtoria ARRIANI, *doctaeque Poemata* (1) *Trigae,*
IORNANDES *Getica clarus in Hiſtoria.*
Teſtis APVLEIVS, *ſcriptor lepidiſſimus, in quo*
Tres habitant divae, Gratia, Suada, Venus.
Quid GLOSSAS *dicam, priſcae ſacraria linguae,*
Graecia qua pridem eſt uſa, vel Auſonia?
Quid memorem AGATHIAM? *quid magnum* CONSTANTINI
Nomen, quem dominum Roma ſecunda tulit?
Nimirum non ſat, doctos obſtringere, laudis:
Debere Auguſtos & tibi ſceptra cupis.
Magnus in AGATHIA *debet tibi Iuſtinianus;*
In CONSTANTINO, *totum etiam Imperium.*
Sed minus hoc. Ipſum voluiſti obſtringere (2) MVNDVM,
Debet in exiguo qui tibi multa libro.
Nec ſatis hoc; ultra ſtimulus te laudis honeſtae
Impulit: & coelum, quod tibi debet, habet.
Sic pia CABASILAE *eduxiſti ſcripta tenebris,*
Et NILI *nuſquam flumina viſa prius.*
Sic tot CYRILLI *nobis monumenta dediſti*
Aurea, in Auſonia conſpicienda toga.
Magne ſenex, columen Phoebeae grande cohortis
Aeterna Aonii luxque decuſque chori:
Ecquas Aonides grates, quas Phoebus Apollo,
Aonidum mater quas tibi Mnemoſyne,
Perſolvat digne; triplici quas Gratia nexu?
Vincuntur meritis numina tanta tuis!
En, meritos tellus famae praeluſtris honores
Red-

(1) CALLIMACHVS. MOSCHVS. BION.

(2) ARISTOTELES De Mundo.

Digitized by Google

Reddit, & immenſum donat habere decus.
En, meritas coelum voluit perſolvere grates,
Quum tam multa tibi condere luſtra dedit.
O felix, nimium felix, certe omine fauſto
(1) Luſtricus impoſuit nomina laeta dies.
Nunc ſatur annorum, & victuri plenus honoris,
Incolis aeterni regna beata Dei.

IOANNES MEVRSIVS.

EPIGRAMMA.

BRugarum ſoboles, patriis e finibus exſul.
Adduxi Argolidas in mea fata Deas.
Eripui Graias mecum tibi, Flandria, Muſas;
Subduxi Grudiis, & tibi, Leida, dedi.
Sic dedimus poenas tibi, Flandria; ſic ferar exſul,
Vt ſimul exſilium ſit tua poena meum.

DANIEL HEINSIVS.

Scripta ab illo edita haec ſunt.

CYrilli Alexandrini Patriarchae liber adverſus Antropomorphitas, Graece & Latine: cui adiunctus eſt eiuſdem Cyrilli liber, Quod Chriſtus ſit unus.
Eiuſdem Cyrilli, De Adoratione in ſpiritu & veritate, libri ſeptemdecim., quos ille primus vertit.
Arrianus, De Rebus Geſtis Alexandri Magni, Graece & Latine.
Callimachi Hymni & Epigrammata, cum Moſchi, ac Bionis idilliis, totidem verſibus Latine ab eo reddita, & ſcholiis illuſtrata.
Conſtantinus Porphyrogenneta, De Thematibus Orientalibus, Graece ac Latine, cum Notis.
Agathias Graec. ac Lat. cum Notis.
Nilus Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, De primatu Pontificis Romani, & De Purgatorio. Graece ac Latine.
Iornandes, De Reb. Geticis, cum Notis.
De lingua Getica, ſive Gothica, Commentarius, cum Characteribus ei linguae propriis.
Gloſſaria Latino-Graeca, & Graeco-Latina, cum Notis.
Apuleii opera omnia, poſt Colvianam editionem innumeris locis correcta.
Ariſtoteles, De Mundo, Graece ac Latine, cum Apuleii & aliorum verſionibus accurate collatus, & innumeris locis caſtigatus. Cui adiecit Gregorii Cyprii Archiepiſcopi Conſtantinopolitani Encomium maris.

Nec dum edita.

Tatiani Harmonia IV. Evangeliorum, cum interpretatione verbali, lingua Gotica.
Poemata Graeca & Latina, ac verſa e Graecis Latine, & e Lat. Graece.
Proverbia Gnomica ex Hiſpanica lingua Latinis trimetris & dimetris ad imitationem Mimi Publiani verſa.
Odae tres Anacreonticae Graece in Natalem Domini.
Emmanuelis Chryſolorae tractatus De comparatione veteris & novae Romae, Graece & Latine.

(1) Adiunſum ad nomen BONAVENTVRAE.

IVSTVS LIPSIVS.

HOc florentiſſimum aevi ſui ingenium in Iſcano municipio Brabantia extulit, anno CIↃ IↃ XLVII. familia honeſta, & per matrem nobili. Annos ſex iam natus, Bruxellas cum parentibus migrat; & ſtudiis illic literarum initiatur. Annum agens decimum, Athum, Hannoniae oppidum, ablegatur; ibique biennio exacto, carmen ſcribere coepit, & anno ſequente Coloniam mittitur, ad Gymnaſium Societatis IESV; ubi Graecis, Rhetoricis, ac Philoſophicis, operam navavit. Itaque vix tredecennis orationes ſcripſit, & habuit; pueriles quidem, ſed quas gravior etiam aetas in illa aetate laudaret. Philoſophica ſic illi placuere, ut ſubflaminandus videretur. Sub id tempus, pietate motus, Societati IESV adgregari voluit; quod quum inaudiſſent parentes, abduxerunt; &, annos XVI natum, Vbiis Lovanium evocarunt. Ibi Philoſophiae ſpatia emenſum, amoena literarum, & antiquitatis ſtudia, ad ſe totum traxerunt. Mox etiam ad Iuriſprudentiam animum adplicat. Interea pater ipſi fato eripitur, & non ita multo poſt mater. Annum fere agebat XVIII. quum per utriuſque parentis mortem liber, in Italiam iter capeſſit; editis prius libris *Variarum*, quibus ad famam viam ſibi ſtravit. Inſcripſerat hos Antonio Perenotto, Cardinali Granvellano, acri ingeniorum aeſtimatori; iſque ingenio & eruditione eius delectatus, in domum eum ſuam recepit, & a Latinis epiſtolis eſſe voluit. Illic biennium egit; otiumque omne lapidibus inſpiciendis, ac veteribus libris inter ſe comparandis, addixit, qui in Vaticana, Farneſiana, Sfortiana, Bibliothecis. Simul viris doctrina clariſſimis innotuit, Mureto, Manutio, Latinio, Bencio, Vrſino, Mercuriali, Sigonio, Victorio; qui omnes adoleſcentis famae faventes, ingenium exoſculati ſunt. Lovanium deinde rediit; annum ibi unum egit, ſatis iuveniliter, in choreis, ludis, ac ceteris eius aetatis vanitatibus: ſed, revocata ſaniore mente, ut ſe expediret, in Sequanos, & Germaniam, peregrinationem inſtituit. In Sequanis, quum Victorem Giſelinum, Doctoris Medici titulo auctum, publice laudaſſet, celebrato convivio, in febrim acerrimam incidit, eamque ſatis periculoſam, Valetudini redditus, Viennam in Auſtriam abiit, atque in Maximiliani II. aulam ſe contulit; ubi Busbequio, Cratoni, Bieſio, Sambuco, Pighioque, innotuit, & placuit; qui retinere illum variis conditionibus conati ſunt, ſed fruſtra. Nam patriam reſpectabat; &, animo redeundi, per Bohemiam, Miſniam, Thuringiam, & vicina Saxoniae loca, viam facit: cum ecce triſtes de adflicta patria, & adtrito per militum iniuriam patrimonio, nuntii. Ideo Ienae paulo plus annum haeſit, & docuit. Sed, rebus in Belgio paullulum pacatis, oculos iterum ad ſuos, & ſua flexit; ac Coloniam Vbiorum venit. Illic exactis novem menſibus, Iſcanum repetiit; animo deſtinans ruri

Digitized by Google

de gere, in alto otio, & quiete. Ac iam serio rurestre illud vivendi genus ingressus erat; cum ecce bello civili irerum subscitato, licentia militaris ex agro in urbem migrare compulit. Itaque Lovanium redux, ex amicorum consilio, Iurisprudentiae studiis magis serio se dedit, & titulum etiam Iureconsulti publice post solennia experimenta sumsit, anno clɔlɔLXXVI. A foro tamen, & Rep. perpetuo abstinuit. Inde, acrius rursus turbante Belgio, & Lovanio capto, Lugdunum in Batavos se transtulit, Ordinum vocatu, anno clɔlɔLXXIX. Ibi tredecim annos honestissime habitus docuit cum summo adplausu; exortaque cum Theodoro Cornhertio controversia, super puniendis haereticis, e Batavia discessit, profectione per Germaniam in Eburones, ad Spadanas aquas, morbo, quo laborabat, hepatario curando, instituta. In itinere Moguntiacum deflexit, & illic religioni maiorum denuo se addixit. Inde digressus, cum Leodici, tum Spadae, biennium fere egit. Interea, fama discessus per Germaniam sparsa, certatim ad se Principes ubique vocarunt; in Italia Clemens VIII. P. M. Senatus Venetus, Ferdinandus Medices Etruriae, & Franciscus Maria Vrbini, Duces, ut omittam Cardinales plurimos: in Gallia rex Henricus IV. in Germania, Ernestus Vbiorum & Eburonum antistes, Septemvir Imperii, eiusque frater Gulielmus Boiorum dux. Wolfgangus Salisburgensium, Iulius Herbipolensium, Andreas Vratislaviensium praesules. Ad hos cum accederent Brabantiae Ordines, patriam praeferre, & Lovanium reverti, visum fuit. Illic, pariter atque antea in Batavis, tanta fama docuit, ut ipsos Principes aliquando auditores habere meruerit. Qui postea rude donatum in Sanctissimum Senatum, quem rerum ac status vocant, adlegerunt. Etiam antea Historiographi titulo auxerat Hispaniarum rex, Philippus II. Anno clɔlɔcVI. XV. Kal. April. e tussi, gravissimisque stillantis cerebri defluxionibus, aeger esse coepit; moxque, ingravescente morbo, X. Kal. April. placide ac leniter exspiravit, annos quum vixisset LIX. Mortuo marmoreum tumulum, una cum statua, uxor vidua excitavit; Senatus vero populusque Antuerpiensis, sarcophago itidem marmoreo complecti voluit; hac Epigraphe addita.

IVSTI LIPSII
QVOD CLAVDI POTVIT
HIC IACET
S. P. Q. ANTVERP.
INCLITI VIRI
FAMAE ORBI NOTAE
VIRTVTI COELO RECEPTAE
H. M. P.

Exstat in eum hoc Epigramma, nescio cuius Auctoris,

CRispi, Varronis, Talli, Senecaeque, Quirites
Immensum attollunt laudibus ingenia;
Felices Belgae, datus est queis Lipsius unus
Par dio tantis ingenio ingeniis.

Edita ab eo haec sunt.

Historica sacra.

DE Diva Virgine Hallensi, liber.
De Diva Virgine Sichemiensi, sive Aspricolle liber.

Historica Romana & externa.

Admiranda; sive, De Magnitudine Romana, libri IV.
De Militia Romana, libri V. Commentarius ad Polybium.
Poliorcetica, libri V. qui sunt de Machinis, Tormentis, Telis.
De Amphitheatro Romano, liber.
De Amphitheatris, quae extra Romam, liber.
Saturnalium sermonum, libri II. qui de Gladiatoribus.
De Cruce, libri III. ad sacram profanamque historiam utiles.
De Vesta, & Vestalibus Syntagma.
De Bibliothecis, Syntagma.
Commentarii pleni in Corn. Tacitum.
Animadversiones in C. Velleium Paterculum.
Lovanium, sive opidi, & Academiae eius descriptio, libri III.

Politica, & Ethica.

Politicorum, sive Civilis doctrinae, libri VI.
Monita & Exempla Politica, libri II.
De Constantia, libri II.
Manuductionis ad Stoicam Philosophiam libri III.
Physiologiae Stoicorum libri III.
Commentarii, & Scholia in L. Annaeum Senecam Philosophum.
Dissertatiuncula, apud Serenissimos Belgicae Principes Albertum & Isabellam *Austrios; item Commentarius perpetuus in C. Plinii Panegyricum, Traiano Imp. scriptum, sive dictum.*

Critica, & Philologica.

Variarum lectionum libri III.
Antiquarum lectionum libri V.
Epistolicarum Quaestionum libri V.
Electorum libri II. in quibus praeter Censuras, varii prisci Ritus.
De recta pronunciatione Latinae linguae Dialogus.
Ad Valerium Maximum Notae.
In Tragoedias, quae L. Annaeo Senecae tribuuntur, Animadversiones.
Iudicium de Consolatione M. Tullii Ciceronis.
Satyra Menippea. Somnium, & Lusus, in nostri aevi Criticos.

Apologetica.

De una Religione liber, adversus Dialogistam, Theodorum Cornbertium.
Dispunctio Notarum Mirandulani codicis ad Corn. Tacitum, adversus Lucium.
Reiectiuncula Sannionis cuiusdam Batavi, pro Diva Virgine Hallensi.

Epistolae.

Epistolarum Centuriae X. Ex his quinque sunt Miscellaneae, tres ad Belgas, una ad Italos & Hispanos, una item ad Germanos & Gallos.
Epistolica Institutio, e dictantis ore excerpta.

RO-

Digitized by Google

RODOLPHVS SNELLIVS.

ROdolphus Snellius natus ad Isalam in Hollandia Veteraquini, quae nobis Oudevvatera vernaculo sermone dicitur, anno Messiae regis clɔlɔxLvi. Octobris IIx. hora 5. ante meridiem stilo Iuliano. Patre Willebrordo Snellio a Roien, matre Gloria Henrici, utrisque honesta & vetere familia ex eadem urbe oriundis. In urbe patria, sub rectore Martino, viro navo, &, prout tunc tempora ferebant, erudito, ad annum aetatis duodecimum literis operam dedit. Inde, ut uberiorem ingenii cultum caperet, suadentibus amicis, & maxime avis, tam paterno, quam materno, ad scholam Vltraiectinam traductus est, in qua paullo ante floruerat Georgius Macropedius. Interea, patre vita functo, cursu scholastico absoluto, annum integrum in patria apud matrem haesit; & in poesi, ad quam genii ductu pronior erat, totum illud tempus trivit. Quo exacto, vix annum aetatis quintum decimum egressus, multum dissidente initio & matre & materna avia, intercessu amicorum tandem dimissus, & Coloniam Agrippinam est profectus, ut studiis operam daret, ubi sub Valentino Nabodo, Iudaeo, sed qui Christo iam nomen dederat, non solum Ebraicae linguae, sed & mathematicis artibus operam navavit. Sic itaque triennio exacto, domum reversus, matre haud ita pridem e vivis sublata paullo post trans mare Hamburgum petiit; & inde Ienam, Witebergam, aliasque Saxoniae urbes lustravit. Witebergae autem aliquandiu substitit. Inde Heidelbergam profectus, Cl. virum Immanuelem Tremellium Ebraeam linguam docentem audivit. Inde paulo post peste grassante digressus, in pago quodam vicino per aliquot septimanas, apud eius loci pastorem celebrem, Oudevvatera quoque oriundum, haesit, utpote apud popularem, & olim in eadem schola condiscipulum, quo extincto, ipse quoque eodem malo correptus, Dei benignitate evasit, & se Marpurgum contulit, ubi antea quidem aliquandiu haeserat, consilio patrui sui Iacobi Snellii, qui illic olim studiis operam navaverat; ubi primum Rami Logica ei visa, tanto eius amore est accensus, (nam antea Coloniae totum triennium in Collegiis, prout illic mos est Aristotelem didicerat, & penitus combiberat) ut ex eo die totum se eius philosophiae manciparit. Hic se ad docendi munus traduci passus est, & literas Graecas, Latinas, Ebraeas, totamque artium encyclopaediam magno adplausu docuit, & ea quidem felicitate, ac facilitate, ut vix ullum tempus ab interpellantium molestia haberet liberum; quanta cum laude, & quam carus plerisque illic vixerit, adfectus, & recordatio multorum, iam post multa lustra eas oras visenti, abunde testata est. Nec non libri commentarii, a discipulis & amicis editi; quos, ut saepe eum narrantem audire memini, ex tempore dictitabat. Nam ne per somnium quidem id unquam in mentem ei venerat, ut ista ipso ignaro in lucem ederentur. Ex omnibus tamen maxime commedabat dialogum Logicum, & aureolum commentarium De usu Logices per genesin & analysin. Anno secundo & septuagesimo supra sesquimillesimum Magister Artium creatus, quamvis invitus, sed more Academiae, a viro doctissimo Bernardo Copio, Iuris Doctore, & Graece linguae Professore. Paullo post Italiam adiit, adsumto fratre minimo natu Iacobo, qui postea celebs in patria diem suum obiit. Et Pisis, atque Florentiae, annum integrum substitit, & Medicinae operam dedit. Inde Romam profectus, ubi divina virgula praesentissimum vitae periculum cum fratre evasit. Atque ita sesquennio in Italia transacto Marburgum reversus, summo Academiae adplausu est exceptus. Hinc iterum paullo post digressus, revocantibus fatis, & calamitatibus patriae urbis, ac natalis soli, cuius memoriam tam longa peregrinatio nunquam potuit obliterare, quin quotidie recurreret, anno salutis LxxvIII. Oudevvateram remeavit, quam vastatam & solo aequatam invenit. Vbi ducta uxore, honestissima matrona, Machtilda Cornelii, domo aedificata, paullisper consedit. Quum vero sub id tempus Lugduni in Batavis in vicinia nova Academia erecta esset, studiosorum rogatu primum, qui eius caussa excitati frequentes eum e patriis sedibus, ubi aetatem porro degere constituerat, evocabant, inde etiam Curatorum vocatu, in illam se contulit, sub finem anni LxxvIII. Vbi simul tirocinium iuventuti Batavicae erudiendae privatim aperuit, & operam suam publice Academiae impendit. Atque annos continuos xxxIv. Mathematicas disciplinas summa cum laude interpretatus est; & aliquandiu etiam, Curatorum rogatu, linguam Ebraeam, maximo auditorum confluxu, prout ea tempora ferebant, & summo eorundem profectu. Ebraeae autem professionis lampadem Raphelengio tradidit, Mathematicam sibi ad extremum vitae diem reservavit. Ex uxore liberos subscepit masculos Wilebrordum, Iacobum, & Henricum, sed hic infantiam non excessit. Iacobus, vivido ingenio, & ad omnes disciplinas percipiendas idoneo, nec poeta infelix, anno aetatis septimo supra decimum immatura morte extinctus est, anno salutis 1599. Mai 17. Epicedium in eum exstat huiusmodi.

Iacobus hocce Snellius busto tegor,
Amans iuventae flore quem rapuit Deus,
Tu quisquis es, hinc discito sortem tuam:
Ego, qualis es, talis fui; Tu mox eris,
Vt me iacentem conspicis: vive, & vale.

Wilbrordus natu maximus etiamnum supersest, & in professione patri successit. Saepe ad professionem, aut alias functiones, a Principibus, & liberis Rebuspublicis, evocatus, nunquam animum potuit inducere, ut e patria quoquam discederet. Ingravescentibus iam annis, antiquas Hassorum sedes, in quibus florem aetatis transegerat, ab amicis, & illustrissimis alioqui viris, crebro per literas evocatus, revisere constituit; a quibus summa cum gratulatione acceptus, longe hone-

Digitized by Google

ſtius eſt dimiſſus. Summum Academiae Magiſtratum laudabiliter, & cum dignitate ter geſsit. Tandem anno clɔ lɔ c xxii. ſtudiorum laboribus fractus, annis gravis, cum aſthmate & renum calculo aliquandiu conflictatus, anno ſequenti, qui erat aerae uſitatae milleſimus ſexcenteſimus decimus tertius, ſecundo die Martii, ſtilo Greg. hora ſecunda, ſcrupulis 20 a meridie, animam Deo creatori reddidit, corpus autem Oudevvaterae in avita monumenta illatum. Vixit annos LXVI. menſes IV. dies XXII. horas 8.

Scripta eius edita haec ſunt.

Commentarius in Dialecticam P. Rami.
Tractatio de Praxi Logica.
Ethica, methodo Ramea conſcripta.
Snellio-Ramaeum Philoſophiae Syntagma.
Commentar. in aureum Philippi Melanchtonis de anima Libell.
Explicationes in Arithm. P. Rami.
Partitiones Phyſicae.
Praelectiones in Geometriam Petri Rami.
Adnotationes in Ethicam, Phyſicam, Sphaeram } *Valerii.*
Commentaria in Rhetoricam Thalaei.

Eſt in eum hoc Epitaphium.

Fortunate ſenex, quem non inimica Minervae
Impulit ambitio, vanis incumbere curis;
Nec populi plauſus, & inania murmura vulgi,
Avertere altam Muſarum a tramite mentem:
Sed tranquillus amor veri, dulciſque lubido,
Virtuti inſcriptas Sophiaeque evolvere chartas,
Detinuit, ſanctoque infecit pectus honeſto:
Iam tibi formoſi panduntur lumina coeli,
Auratae que fores; quarum acri accenſus amore
In terra peregrinus eras, ſemperque beatis
Luſtrabas oculis maioris moenia mundi.
Seu te Lugdunum tenuit, domus hoſpita Muſis,
Felix voce tua, ſemperque adſueta doceri
Auctores rerum numeros. Samiique renati
Argumentum ingens; ſeu, quae tibi lumina vitae
Indulſere olim, Veteres tua gaudia Nymphae;
Iſelides Nymphae, quae leni murmure quondam
Naſcentem & blandis primae excepere lacertis.
Nunc quoque quae rapti circumdant corpus alumni,
Dulcibus intentae choreis, tumulumque volenti
Attollunt, patrioque involvunt ceſpite civem.
Hic, quoties doctae donarent ocia divae,
Et conſueta ſuas differrent munia curas,
Excludens populi pariter ſoliſque calores,
Ingenti cinctus ramorum atque obſitus umbra,
Vrbano procul a ſtrepitu, ſublimia coeli
Templa pererrabas, interque ardentia noctis
Lumina, flammanteſque orbes, toto aethere iam tum
Diffuſus, pulcros habitabas aetheris ignes:
Qui tibi nunc, divine ſenex, circum undique terris
Erepto, occurrunt pariter, circumque voluti
Concentus edunt varios, aeternaque fundunt,
Murmura, ſed ſenſus non admittentia noſtros.

DANIEL HEINSIVS.

REMBERTVS DODONAEVS.

HOc tam egregium patriae, & ſeculi ornamentum Machlinia protulit, urbs inter Belgii praecipuas una. Erat in viro acerrimum ingenium, & ad ſtudia magnus impetus: itaque facillime maximam rei Medicae, & Herbariae cognitionem ſibi comparavit; quae nomen eius, nunquam moriturum, per totam Europam late diffudit. Et de eo hoc fatendum, in ſua arte illi pares paucos ſua aetate, ſuperiorem neminem uſquam exſtitiſſe. Hoc famae encomio duobus maximis Imperatoribus commendatus, Maximiliano, eiuſque filio Rudolpho II. ab utroque in aulam adſcitus, ac curandae valetudini praepoſitus fuit. Inde in hanc Academiam a Curatoribus vocatus, lectionibus eam, ſcriptiſque doctiſſimis, mirum in modum exornavit; donec tandem vivere deſiit, anno CHRISTI clɔ lɔ LXXXV. aetatis LXVIII.

Mortuo hoc Epitaphium poſitum eſt.

D. O. M.
REMBERTO DODONAEO MACHLIN.
D. MAXIMILIANI II. ET RVDOLPHI II. IMPP.
MEDICO ET CONSILIARIO
CVIVS IN RE ASTRONOM. HERB. MEDIC.
ERVDITIO SCRIPTIS INCLARVIT
QVI IAM SENEX IN ACAD. LVGDVNENSI
APVD BATAVOS PVBLICVS
MEDICINAE PROFESSOR FELICITER OBIIT
AN. clɔ. lɔ. LXXXV. AD VI. IDVS MART.
AETATIS SVAE LXVIII.
REMBERTVS DODONAEVS
FIL. M. P.

A REMBERTO DODONAEO. haec ſunt in lucem edita.

EDidit Belgico primum idiomate, & poſtea Latino Stirpium Hiſtoriam, Pemptadibus ſex, ſeu triginta libris, comprehenſam.
De Sphaera, ſive de Aſtronomiae, & Geographiae principiis Coſmographicam Iſagogen.
Medicinalium Obſervationum exempla rara, & Adnotationes in Antonii Bonivenii eiuſdem argumenti libellum.
Compoſuit & Curationem omnium morborum, quam diſcipulis ſuis dictitavit, nondum editam.

LAMBERTVS DANAEVS.

HIc natione Gallus eſt, patria Aurelianenſis, qui facili promtoque ingenio, cui diſcendi cupiditas, labor, & exercitatio accedebat, id quod voluit eſt conſequutus. Praeter artium enim encyclopaediam, variarum etiam rerum, & ſcientiarum, cognitiones adeptus eſt: earum ſcilicet, quibus ſancta illa ſtudia, quae poſtremo ſequutus eſt, ornavit, atque illuſtravit. Adeo ut mirum ſit, homuncionis unius ingenium tot, & tam diverſas ſcientias haurire, & retinere potuiſſe. Initio operam Iuri dedit, annoſque IV. docentem Aureliae Annam Burgium audivit; qui poſtea, conſiliarius in ſenatu Pariſien-

Digitized by Google

risiensi, anno clɔlɔ LIX. crematus fuit. Ex quo tempore reformatae religioni adhaerens, mutatis studiis, anno sequenti LX. Genevam concessit, ibique se totum sacris literis tradens, summa sua vigilantia, lectione Auctorum infinita, memoriaque stupenda, obtinuit, ut inter praestantissimos, & exercitatissimos, Theologus fuerit habitus. In Pastorum Doctorumque Genevensium ordinem accitus, & Ecclesiae, & Scholae, sua opera perutilis fuit: qui semper commentabaturque, edebatque aliquid. Porro in Patribus, tum in Scholastica Theologia, ita versatus fuit, ut non facile crediderim exstitisse aliquem, qui in illo studiorum genere hunc antecelluerit. Geneva evocatum Academia Lugdunensis apud Batavos excepit, docentemque audivit. Cuius & eruditionem ingenii alacritatem, promtitudinem, memoriamque in allegandis recitandisque Patrum, Scholasticorum, Canonistarum, profanorumque Scriptorum sententiis, est admirata. Lugduno Batavorum post exactum annum discedens, Gandavum anno clɔlɔ LXXXII. commigravit. Vbi & ad breve tempus docuit. Vrbe autem illa immoderato in rebus agendis studio, discordia, moleque sua, iam laborante, in Navarram vocatus: in ea Ortheſianam Academiam, Hispaniae proximam, docendo, scribendoque, illustriorem reddidit. Orthesio Lascurium translata Academia, Sereniſſimae Catharinae Navarrae Christianissimi Regis Sororis unicae (quae tum Bearniae principatui fratris nomine praeerat) & Ordinum decreto; ibidem concessit, & biennium docuit. Quo exacto, a Magistratu Cesseronensi in Albigensibus, vulgo *Castres*, vocatus, qui urbem suam recens auctam iurisdictione classis edictalis bipartitae, quae supremum iudicium, nomine Senatus Tholosani, ferret in causis protestantium: voluit etiam ornare Schola Theologica. Lascurio migravit anno 1594. & Cesseronem se contulit, ubi aperta Schola, postquam in ea biennium circiter docendo, & scribendo contra Bellarminum, exegisset, septuagenario paullo minor, decessit, anno 1596. Cuius obitus meminit Amplis. Thuanus Histor. lib. 117.

Exstat in eum hoc Epigramma incerti auctoris.

Magna est exiguo Danaei in corpore virtus;
In quo, ut thesauro, sunt nova, sunt vetera;
Quid Patres, Sorbona, docent, Sophia utraque, novit.
Et novit fraudes, factaque, Pontificum.

Danaei scripta Didactica haec.

Elenchus Haereticorum.
Ethices Christianae libri tres.
Tractatus de Amicitia Christiana.
Tractatus de Ludo Aleae.
Physices Christianae partes duae.
De Veneficis Dialogus.

Exegetica.

Methodus Sacrae Scripturae, quae est Commentarius in Epistolam D. Paulli ad Philemonem.
Commentarius in priorem Epistolam Paulli ad Timotheum.
Orationis Dominicae Explicatio.
Paratitla in D. Augustini Tomos duos praecipuos, nimirum VI. & VII.
D. Aurelii Augustini liber de Haeresibus.

Polemica.

Tractatus de Antichristo.
Commentar. triplex in Petri Lombardi librum primum Sententiarum.
Responsio ad calumnias Gulielmi Genebrardi.
Demonstratio Antitheſis Iacobi Andreae de Persona Christi.
Examen libri de duabus in Christo naturis a Martino Kemnitio conscripti.
Apologia adversus blasphemias Iacobi Andreae.
Antosiander, sive Apologia adversus iniustam Lucae Osiandri condemnationem.
Responsio, ad Lucae Osiandri Admonitionem ad Ecclesias Gallicas & Belgicas.
Ad Fratres Tubingenses Responsio de tribus gravissimis quaestionibus. I. De S. Domini Coena. II. De Maiestate hominis Christi. III. De non damnandis Dei Ecclesiis.
Responsio ad Stephanum Gerlachium.
Sophismatum eiusdem Gerlachii Elenchus.
Responsio ad Nicolai Selnecceri librum, qui inscribitur: Necessaria & brevis Repetitio, &c. in quo Exegesis Saxonica obpugnatur.
Ad Nicolaum Selneccerum de Exegesi Saxonica brevis Epistola.
Ad Articulos de Coena Dominica Ministris Ecclesiarum & Scholarum Marchiticarum proponendos necessaria Responsio.
Ad Libellum ab Anonymo quodam Libertino recens editum hoc titulo. De externa seu visibili Ecclesia, ubi illa reperiri possit, & quaenam vera sit. Responsio.

Edita praeterea a DANAEO.

Commentarius in Evangelium Matth.
Commentarius in Evangelium Marci.
Loci Communes: quorum tractatio Capita summa V. continet. I. de Deo. II. de Angelis. III. de Homine. IV. de Ecclesia. V. de Salutaribus Dei donis erga Ecclesiam.
Responsio ad Bellarmini Disputationes Theologicas.
Harmonia, sive Tabulae in Salomonis Proverbia & Ecclesiasten.
Geographiae Poeticae lib. IV.
Aphorismi Politici.
Politices Christianae lib. VII.
Vetustissimarum primi Mundi Antiquitatum lib. IV.

HVGO DONELLVS.

IN Heduis natus anno clɔlɔ XXVII. inter praecipua Galliae suae ornamenta locum sibi non infimum vindicat. Decurso scholae stadio, ad Iurisprudentiam animum adplicuit, in qua tantos cum aetate progressus fecit, ut inter primos sui aevi Iureconsultos merito habitus fuerit. Insignia Do-

cto-

Digitized by Google

ſtoratus accepit a manu Fr. Duareni, magni Themidos antiſtitis, & quem nullus Europae angulus ignorat. Memoria prae ceteris adeo excellebat, ut totum Iuris corpus a capite ad calcem verbo tenus recitaret. Docuit Biturigibus, & Aurelliae, ſumma cum laude, & maximo Auditorum fructu. Sed ſingulari pietate ſua, odium provocavit eorum, qui religionis reformationem animis iniquiſſimis perſequebantur; adeo ut anno illo Galliae funeſto, multis crudeliſſime interfectis in nuptiis Navarraci, in manifeſtiſſimo quoque periculo fuerit: a quo mirabiliter tamen ſervatus, fideli opera, & felici ductu quorundam nobilium Germanorum; qui, ſtudiorum cauſſa illic commorati, ſalvum, atque incolumem, in Germaniam abduxerunt. Atque illic aliquot annos in Heidelbergenſi Academia ſub Friderico & Ludovico Electoribus, ius civile cum maxima Auditorum admiratione docuit. Inde, ob graves cauſas, legitimam vocationem nactus, Lugdunum Batavorum commigravit; ibique annis aliquot fideliſſime in profitendi munere exactis, anno clo lo LXXXVIII. Anglicanae factionis partibus involutus, urbem, & ſtationem reliquit, & in Germaniam iterum abiit. Hic a Senatu Norico Altorphium vocatus, vixque per triennium ius profeſſus, qua ſolebat fama, vitam cum morte commutavit, anno clo lo XCI. aetatis LXIV.

Monumento eius haec inſcriptio adpoſita.

HVGO DONELLVS HEDVVS NVLLI IVRISCONSVLTORVM NOSTRI SECVLI SECVNDVS IN GALLIIS INITIO MOX INDE CIVILI BELLO FLAGRANTE SECEDERE COACTVS HEIDELBERGAE DEINDE LVGDVNI BATAVORVM · DENIQVE ALTORPHII MAGNA CVM OMNIVM ADMIRATIONE ET CONCVRSV EXTERORVM IVRA FACVNDO ORE DOCVIT DEO ET HOMINIBVS AEQVE CARVS SENIO TANDEM CONFECTVS VITAE ET MOLESTIARVM SATVR PIE AC PLACIDE ANIMAM CREATORI REDDIDIT ANNO REPAR. SAL. HVM. M. D. XCI. MENSE MAIO AETATIS SVAE ANNO LXIIII. CVI BENE MERITO DE ACADEMIA ALTORPHINA SCHOLARCHAE PERENNIS MEMORIAE ERGO H. M. P. C.

Fecit in eum hoc Epigramma
Paulus Meliſſus,

CVi forte pectus, mens aperta, vox tonans,
Aequi bonique norma, legum regula,
Morumque amuſſis inerat, heic depictus eſt
DONELLVS *ille, Iureconſultus gravis,*
Facundus, acer, integer; quem nemo non
Bonorum amavit. En adhuc ex illius
Thraſeas refulget ore, Theſeus, Cteſiphon:
Et cum Lycurgo, cum Solone, ingens Cato.

Scripſit.

COmmentariorum de Iure Civili libros XXVIII.
Commentaria ad Titul. Digeſt. De rebus dubiis.
Comm. ad Titulos C. de Pactis, & Tranſactionibus.
Comm. ad Titul. Digeſt. De praeſcriptis verbis & in factum actionibus.
Comm. ad Titul. Digeſt. De verborum Obligationibus.
Comm. ad Titul. Digeſt. De rebus creditis, De iureiurand. De in litem iurand. De cond. ex lege De condict. Triticar. De eo quod certo loco dari oportet.
Comment. ad lib. quart. Cod. Iuſtinan. Paralipomena ad aliquas Cod. Iuſtinianei lib. 2. 3. 4. 7. 8.
Ad legem Iuſtiniani, De eo quod intereſt. De Vſuris. De Fructibus. De Mora. De Aedilicio edicto. De Evictionibus & dupli Stipulatione. De Probationibus. De fide Inſtrumentorum. De Teſtibus,

IOANNES HEVRNIVS.

HVnc ſeculi Aeſculapium non obſcura proſapia Vltraiectum extulit, anno clo lo XLIII. Primam aetatem ſub Georgio Macropedio egit, celebri tunc temporis viro. In pueritia tardiſſimi fuit ingenii, adeo ut ante annum undecimum vix elementa prima tenuerit, & ante decimum quintum vix Grammaticam perceperit. Poſtea ſummo impetu ſtudia adprehendit, diebus noctes adiungens. Adoleſcentiam ingreſſus, Lovanium a patre abducitur; ubi ſub Clariſſimis viris, Hieremia Triverio Brachelio, Andrea Baleno, Petro Brogelio, & Gemma Friſio, per biennium Medicinae, Philoſophiae, & Matheſi, operam dedit. Lovanio Lutetiam ſe contulit, anno aetatis XXI. ibique familiariter admodum uſus eſt celeberrimo Medico, L. Dureto, quem triennium docentem audivit, ea diligentia, ut lectionem nullam negligeret. Eodem tempore audivit ibi in Philoſophia Carpentarium, & Ramum, in literis Turnebum, & Auratum, magna ſeculi lumina. Inde Hiſpaniam inviſere ſtatuerat; ſed, erepta ea voluntate, in Italiam profectus eſt; ubi Praeceptoribus uſus praeſtantiſſimis Capivaccio, Stephanello, Mercuriali, Paterno, Aquapendente, & Guillandino, dignum ſe iis diſcipulum praeſtitit: tantumque profecerat, ut Medici loco, ac ſtipendio honeſtiſſimo, Conſtantinopolin abducere vellet Legatus Venetus, illuc iturus. Et ſequutus invitantem fuiſſet, niſi parente inconſulto id facere veritus eſſet. Patavio Ticinum abiit, ibique Doctor renuntiatus, a Nicolao Perenoto, Comite de Cantecroii, pro Medico per biennium habitus fuit. Dum Ticini commoratur, celeberrimuſque eius Academiae Profeſſor ipſi filiam unicam, ſimul cum Profeſſione, & hereditate tota tradere decreviſſet, iamque publice doceret, ut eruditionis ſpecimen daret, Itali plures, conrivales, in perniciem eius conſpiravere. Qua de cauſa, quum perſpecta ſatis eſſet Italorum in huiuſmodi rebus indoles, repente clam in patriam rediit, idque tanta feſtinatione, ut exiguo admodum tempore iter univerſum abſolveret; nullum ſibi locum tutum, niſi in patria, exiſtimans. Sic reverſus Vltraiectum poſt duodecim peregrinationis annos, uxorem ducit, Chri-

Digitized by Google

Chriſtinam Bayers, virginem indigenam, & patricia ibi familia pervetuſta oriundam. Moxque in Senatum adſcribitur; ſed, homo Muſis & quieti deditus, quamvis difficulter, officii vacationem impetravit. Poſtea, anno clɔ lɔ LXXXI. in Academiam Lugdunum evocatus, per XX. annos ſummo cum honore Profeſſoris perſonam ſubſtinuit, ſextum Rector. Anno clɔ lɔ LXXXVIII. Franekeram, novam in Friſia Academiam, ab Ordinibus, & Comite Gulielmo Naſſovio, vocatus, etſi honeſtiſſimo ſtipendio, mutare ſedem noluit. Integra valetudine toto vitae tempore uſus eſt, ad annum uſque aetatis LVI. tunc ſubito obortus calculus biennii cruciatu fractum ſuſtulit anno clɔ lɔ CI. aetatis LVIII.

Ei hoc poſitum eſt Epitaphium.

HIC SITVS EST IOANNES HEVRNIVS VIR CELEBERRIMVS IN ACADEMIA LEIDENSI PRIMARIVS MEDICINAE PROFESSOR PER ANNOS XX ET IN EADEM VI. RECTOR MAGNIFICVS MAGNAE PRVDENTIAE SVMMAE IN DOCENDO ET SCRIBENDO VENVSTATIS AC CELEBRITATIS VITA LAVDABILIT. TRANSACTA OBIIT XI. AVGVSTI clɔ Iɔ CI.

Exſtat in eum hoc Epigramma Ioannis Anratii.

QVI medicos purgavit ovans a ſentibus hortos,
Heurnius, & Phoebi creſcere fecit opes;
Fecit opes Coas medicis floreſcere ſilvis,
Et Charitum lymphis imbuit omne nemus,
Heurniades, doctae radianti munere linguae
Illuſtrans magni turbida ſcripta Sophi;
Solers Aſſyria ſcrutari ſidera cura,
Et morti faciles rite notare dies;
Ereptum Graecis, Romana voce Batavis
Excultum, nitide qui dedit Hippocratem:
Sic faciem, ſic membra tulit ſpirantia magnus
Heurniades, Coïs ora rigatus aquis,

Edita partim ab ipſo, donec viveret, partim ab Othone filio, eo defuncto.

I. *INſtitutiones Medicinae.*
II. *Praxis Medicinae Generalis. Praxis Medicinae Particularis, in qua ſunt.*
III. *De morbis Capitis Liber.*
IV. *De morbis Oculorum, Aurium, Naſi, Dentium, & Oris, Liber.*
V. *De Morbis pectoris Liber.*
VI. *De Febribus Liber.*
VII. *De Peſte Liber.*
VIII. *De Morbis Ventriculi Liber.*
IX. *De Morbis Mulierum Liber.*
X. *Reſponſum ad Supremam Curiam Hollandiae.* Nullum eſſe aquae innatationum Lamiarum indicium.
XI. *Oratio de Medicinae Origine, Aeſculapidum, ac Hippocratis ſtirpe & ſcriptis.*
XII. *De Humana Felicitate Liber.*
XIII. *De Morbis Novis & Mirandis Epiſtola.* Commentaria in Hippocratis.
XIV. *Libros* II. *De hominis Natura.*
XV. *Iuſiurandum.*
XVI. *Lib. De Medico.*
XVII. *Legem.*
XVIII. *Lib. de Arte.*
XIX. *Lib. de Veteri Medicina.*
XX. *Lib. de Elegantia.*
XXI. *Praeceptiones.*
XXII. *Lib. De Carnibus ſive principiis.*
XXIII. *Lib. De Purgatoriis Remediis.*
XXIV. *Libros* III. *Prognoſticon.*
XXV. *Libros* IV. *De Victus ratione in Morbis Acutis.*
XXVI. *Aphoriſmos.*

FRANC. RAPHELENGIVS.

LANOII, ditionis Inſulanae oppido, natus XXVII. Februarii anno Chriſti clɔ lɔ. XXXIX. prima literarum fundamenta quum Gandavi iecisſet, patrem amiſit: proinde matris iuſſu ad mercaturam ſe convertere coactus, a mercatoribus, apud quos collocatus erat, Novibergam miſſus, animo ipſius ad mercaturam minus aut apto, aut inclinato, apud eos ipſos, ad quos miſſus erat, commoditatem nactus eſt ſtudia, pauxillum intermiſſa, per biennium plus minus continuandi. Domum inde reduci, nova ſe obtulit occaſio Lutetiam proficiſcendi: ubi, florente tum Academia, magnos in linguis Graeca & Hebraea, ſub illuſtribus profeſſoribus, & in primis Ioanne Mercero, profectus fecit. Supervenientibus ibidem bellorum civilium tumultibus, in Angliam ſe contulit; & Cantabrigiae aliquantiſper Graecam linguam profeſſus eſt: donec inſtituta in patriam reviſendae matris gratia, profectione, Antuerpiam in reditu divertit, coëmendis aliquot libris, quorum tum Cantabrigiae non magna erat copia. Dum Antuerpiae aliquantiſper haeret, correctura Typographica ipſi adridente, mutato conſilio, operam ſuam Chriſtophoro Plantino addixit: qui adeo ingenuitate morum ipſius delectatus eſt, & potiſſimum, quod typographiae ſuae eruditionem iuvenis, cum inſigni coniunctam diligentia, perutilem fore animadverteret, ut maximam natu filiam Margaretam ipſi elocaret, anno clɔ lɔ LXV. Dum in ſoceri typographia per plures annos correcturae librorum praecipuam molem ſubſtinet, Biblia illa magna, quae Regia vocant, edere Plantinum contigit. In horum editione incredibile quantos labores Raphelengius ſubſtinuerit, dum accuratiſſime ſingula recognoſcit; Adnotationibus, ubi opus erat, illuſtrat; verſionem interlinearem adornat; Grammaticam Ebraeam, ex optimis quibuſque Grammaticis, cum iudicio & cura collectam, addit; Epitomen Theſauri linguae Ebraeae Sanctis Pagnini infinitis vocibus auget, & innumeris locis emendat, quod ſatis teſtimonio Benedicti Ariae Montani, inter Prolegomena praemiſſo, patet; Multa iiſdem annis ad ornamenta librorum, quos ſocer excudebat, praecipue in linguis Orientalibus, corrigendo, illuſtrandoque, praeſtitit: quamvis raro nomen ſuum adſcribi pateretur. Tamdem, ſocero Lugduni Batavorum, quo longius a turbis abeſſet, com-

Digitized by Google

commorante, omnis moleſtia directionis Typographicae in illum fere ſolum Antuerpiae incubuit. Plantino vero ſub finem anni clo lo Lxxxv. Antuerpiam reverſo, vice verſa Raphelengius Lugdunum Batavorum cum familia commigravit, & in partem Typographiae, quam eo Plantinus tranſvexerat, ſucceſſit. Hic Ebraeae linguae profeſſor factus operam ſuam & Curatoribus Academicis, & auditoribus ſuis probavit. Otium inſuper maius nactus, ſerio Arabicae linguae cognitioni, quo ante ſemper animus illum ferebat, ſe adplicare coepit; & ſubſidiis librorum, quos Guil. Poſtellus & And. Maſius benevole ſubminiſtrarant, *Lexicon Arabicum*, ſatis copioſum, confecit; adiutus etiam nonnihil uſu librorum Ioſephi Scaligeri, quo cum ſaepenumero de iis ſtudiis conferebat. Lexicon hoc quum in nimiam molem excreviſſe illi videretur, demtis multis, quae minus neceſſaria exiſtimabat, in formam editioni aptiorem contractius deſcripſit; ita tamen ut tironibus ſufficere, & provectioribus etiam placere poſſe, non omnino deſperaret. Vix ultimam manum Lexico deſcribendo impoſuerat, quum mors, quam toto triennio praetaedio amiſſae uxoris, & paralyſi adflictatus, ſaepe optaverat, virum optimum humanis exemit, xx. Iulii, anno Chriſti clo lo Lxxxvii. aetatis ſuae Lviii. ſuperſtitibus filiis tribus, filia unica. Lexicon id, quindecim ab obitu ipſius annis, publici iuris factum eſt. Scripſit praeterea *Dictionarium Chaldaicum*, quod poſterioribus editionibus Epitomes Pagninianae ſubiunxit; item alia quaedam; ſed omnia in privatos ſuos uſus: ut *Lexicon Perſicum vocabulorum quae in Pentateucho*; item *Obſervationes linguae Ebraeae*, quas vir minime ambitioſus nonnullis familiarium & diſcipulorum ſuorum promte & liberaliter communicavit. *Tabulas item in Grammaticam Arabicam*, & alia huc facientia, ſibi concinnavit: ſed quae edi noluit; ne Poſtello, qui primus Chriſtianorum Grammaticae Arabicae Rudimenta vulgavit, gloriam praeripere voluiſſe videretur. Multa ex Ebraeo, & Arabico, in Latinum ſermonem tranſtulit; quorum pauca admodum perfecta, pauciora edita ſunt.

Statura fuit paullo infra mediocrem, forma faciei qualem imago haec non infeliciter refert; colore florido; barba ſpadicea, oblongiore; oculis caeruleis; moribus ſine fuco & fallaciis, & praecipue ab omni faſtu alieniſſimis. Familiares habuit viros doctos Ariam Montanum, Boderianos fratres, Ioſephum Scaligerum, Ioannem Druſium, Franciſcum Iunium, Franciſcum Gommarum, & alios; ſed intrinſece Abrahamum Ortelium, Cornelium Kilianum, Carolum Cluſium, Iuſtum Balbianum, Iuſtum Lipſium, & Lucam Trelcantium ſeniorem.

IN OBITVM FRANCISCI RAPHELENGII

ADſpicis anguſtam tumuli ſe tollere molem
Lenique terram vertice,
Exiguo raram gremio quae poſſidet umbram,
Maneſque nobiles. Procul
Hinc fuge, cui ſcelerum cura eſt, cui gloria rerum
Ventoſa pectus erigit:
Virtuti patet ille locus, ſolique beatus
Sacer modeſtiae vacat.
Virtutum domus eſt; iacet hic Raphelengius ille,
Ingentis Europae decus.
Huic oriens Aurora ſuos ediſcere ſoli
Permiſerat lubens ſonos.
Eooſque, domi reſidens, traduxit honores,
Pauciſque cognitus licet,
Cum patriis Batavis Arabas confudit & Indos.
Ah hoſpes, ah, en, qui fuit
Sol oriens nobis, linguaſque orientis ab ortu
Tranſvexit, occidit tamen.

EVERARD. BRONCHORST.

DAventriae natus eſt, in Tranſiſulania. Pater ei fuit vir doctus, &, libris in Philoſophia editis, celebris, Ioannes Bronchorſt Noviomagus, I. V. Licentiatus, Rector Scholae Daventrienſis, & antea Profeſſor Matheſeos, in Academia Roſtochienſi; Mater Clara Coſtera, Ioannis Coſteri, Conſulis Daventrienſis filia: familia, & genere, uterque perhoneſtus. Fundamenta ſtudiorum, & artium iecit in patria, in Schola florentiſſima; ſub praeceptoribus parente ſuo, item Baſilio, & Lamberto Pythopoëis, viris in politiori literatura eximiis. Tinctus mediocri cognitione humaniorum artium, & linguarum, cum patre, propter tyrannidem Ducis Albani ex patria in exilium electus eſt; ac, ad uberiorem ingenii cultum capeſſendum, Coloniam Agrippinam ſe contulit, anno clo lo Lxix ubi patre poſt annum defuncto, in eadem Academia, Literarum, & Liberalium artium praeceptis plenius imbutus, tandem Iuriſprudentiae ſtudiis excolendis animum adiecit; ac ſpecimen ingenii, publice diſputando, in Collegio Iuridico, ibidem ſemel atque iterum exhibuit. Adhaec in eodem Lycaeo privatim Titulum de diverſis regulis Iuris antiqui enarrandum ſubſcepit, non ſine mediocri auditorum concurſu, qui poſtea eundem Commentarium, rudem & impolitum, ipſo ignorante, in lucem edicuraverunt. Deinde in aliis celeberrimis Germaniae Academiis, videlicet Marpurgi, Erphordiae, & Witebergae, ſub Clariſſimis Iuris Anteceſſoribus, Valentino Forſtero, Vigelio, Weſembecio, curſum ſtudii Iuridici conſummavit, privatimque in iiſdem Academiis tum Inſtitutiones Iuris, tum alios diverſos Iuriſprudentiae tractatus explicandos ſumſit. Tandem, poſt emenſa legitimae ſcientiae ſtadia, Baſileam ſe contulit; atque ibidem, ſub Clariſſimo I. Conſ. Samuele Grynaeo, gradum Doctorae in utroque Iure publice eſt conſequutus, die xvii. Auguſti, anno clo lo Lxxix. Inde, gradum iam adeptus, iterum ſe Witebergam contulit, atque ibi annum integrum docendo in Iuriſprudentiae ſtudio ſeſe exercuit. Deinde integro biennio munere publico Profeſſoris Iuris in Academia

Digitized by Google

mia Erphordenſi defunctus eſt. Inde in patriam, poſt ſopitos nonnihil tumultus militares, reverſus, Conſul eiuſdem Reipublicae eſt electus, anno clɔlɔ LXXXVI. Quo munere per annum functus, patria ſua praeſidiariorum militum perfidia Hiſpano prodita, iterum in exſilium abire coactus, tandem, conſentientibus ſuffragiis Curatorum Academiae Lugdunenſis, ibidem in numerum Ordinariorum Profeſſorum Iuris electus & adſcriptus eſt, Calendis Iulii, anno clɔlɔ LXXXVII. Dum hoc munus Profeſſoris ſuſtinet, varios tum Pandectarum, tum Codicis titulos, tractatuſque Iuris, publice enarravit, & interpretatus eſt. Denique etiam ad ſcribendum animum adpulit, & primum in lucem edidit *quatuor Centurias* Ἐναντιοφανῶν, *& conciliationes eorundem*. Adhaec *alias duas Miſcellaneas Centurias controverſiarum Iuris* adiecit, & deinde *Methodum Feudorum* a ſe conſcriptam divulgavit, atque ita legalis ſcientiae ſtudioſorum conatus, & labores, pro virili audivit, & promovit.

Praeterea conſcripſit & in lucem edidit *Aphoriſmos Politicos*, olim a Theologo doctiſſimo Lamberto Danaeo nudis regulis & praeceptis deſcriptos. Quos ipſe deinde variis egregiis & memorabilibus exemplis, deſumtis tum ex veteribus Graecis & Latinis, tum recentioribus Italis, Gallis, Germanis, & Belgicis. Hiſtoriographis petitis amplificavit, & illuſtravit. Ad haec de novo rudem & ſuccinctum *Commentarium ad Regulas Iuris*, antea ſtudioſis quibuſdam ex ore eius excerptum, ſeque inſcio editum expolivit, & ſub incudem revocavit, eumque multis limitationibus, ampliationibus, & exemplis auxit, & locupletavit. Habet praetera auctor in ſcriniis ſuis ſcripta quaedam, & monumenta, quae brevi in lucem, & adſpectum prodibunt. Et imprimis iam confecta & abſoluta habet *Adagia Graeca* magni & incomparabilis doctrinae viri Ioſephi Scaligeri, quae ipſe in Latinam linguam convertit, una cum difficillium & obcurorum Adagiorum dilucida & ſuccincta explicatione, adiecta etiam multis in locis tranſlatione in Germanicam ſive Belgicam Linguam. Poſtremo habet ſub manibus prolixum & ampliſſimum volumen, quod comprehendit *Deciſiones & Sententias Curiarum & Tribunalium univerſi fere Chriſtiani orbis*. In quo collegit & in locos communes redegit, quaecunque in ſingulis & univerſis practicis Iuris controverſiis, & quaeſtionibus pronuntiata & definita ſunt in omnibus curiis, Parlamentis, ſive ſupremis Tribunalibus, Italiae, Siciliae, Regni Neapolitani, Hiſpaniae, Luſitaniae, Sabaudiae, Galliae, Burgundiae, Germaniae ſuperioris, & inferioris, additis in ſingulis deciſionibus expreſſis textibus, ſeu rationibus, ex Iure Civili & Canonico depromtis. Quod opus, ut ſpero, omnibus Pragmaticis, Iudicibus, Advocatis, Cauſidicis, & patronis eauſarum, caeteriſque in foris verſantibus, non inutile & infrugiferum eſt futurum.

LUCAS TRELCATIUS P.

ERini natus eſt, in agro Atrebatico, non procul Duaco, anno clɔlɔXLII. Pueri curam matertera ſubſcepit, pia & religioſa femina, Coenobii cuiuſdam Veſtalium Mater. Ab hac Duaci primum educatus, ubi literaturae principia hauſit; &, pro ingenio, quo valebat in literarum humaniorum ſcientia profecit plurimum. Ex ea ſchola Inſulas Flandriae miſſus eſt, atque inde Lutetiam, celebre tunc omnis doctrinae emporium. Illic, dum ſtudia colit, viris magnis quibuſdam innoteſcit; inter quos Ioannes Mercerus, regius Ebraeae linguae profeſſor, & Petrus Ramus oratoriae. Moxque, religionis purioris amore accenſus, materterae beneficiis renuntiat, & mercatoribus quibuſdam Inſulanis, ſtudiis promovendis neceſſaria promittentibus, operam in poſterum addicit. Lutetia deinde Aureliam abiit, inde Sancerram, quod in agro Biturigum opidum eſt, obſidione ac fame celebre, anno aetatis XXVIII. Inde per belli civilis tempeſtatem, huc illuc circumactus, in Angliam eiectus, Londini ſedem fixit. Ibi linguae Latinae ludum aperuit; iamque octavum ita annum exegerat, quum, vocatus ab Inſulanis, Eccleſiae iſtius miniſterium capeſſit. Sed iniuria temporum non diuturnam illi hanc ſedem permiſit; itaque ad Bruxellanos, a quibus antea quoque rogatus erat, commigrat. Hinc poſt ſexennium, diſturbatis Eccleſiis, Antuerpiam ſe contulit; ibidemque, propter obſidionem urbis, & infeſta itinera, menſes ferme octo ſubſiſtere coactus eſt. Interea, quum variae vocationes ipſi obferrentur de fratrum ſententia, Eccleſiae Gallicae Lugduni Batavorum ſe addixit, cui per XVII. annos fideliter inſervivit. Vix biennium illic egerat, quum, propter eruditionem eximiam, ad Academiam adhibitus fuit. Tandem, cum multa laude munus obeuntem, peſtis rebus humanis exemit, anno clɔlɔCII. aetatis LX. Scripſit *Synopſin Theologiae*.

Eſt in eum Epigramma iſtud Danielis Heinſii.

TRecaltii ora cernis, & pium caput:
Vox ſola reſtat, priſcaque eloquentia.
Illam reliquit artifex ſcalpri manus,
Vt ipſe laudem ſervet hanc totam ſibi.

IANVS DOVSA F.

HIc acceptam a parente nominis claritatem ingenii ſui luce illuſtravit. In eius minimis laudibus erat docilitas, & ad quaſcumque diſciplinas complectendas incredibilis quaedam capacitas. Maiora illa erant, quae ipſum meliorem ceteris effecerunt; facti ad omnem humanitatem mores, nihil tetricum in vultu, nihil in congreſſu aſperum. Adgnoviſſes facile verum Gratiarum pullum. Iam quanti illa cenſenda ſunt? Trium linguarum exquiſita cognitio, Antiquitatis, legumque Romanarum intelligentia, & Mathe-

Digitized by Google

maticae totius, totiusque Philosophiae notitia? Huc accedebat pietatis, castitatis, sobrietatis, modestiaeque studium, etiam usque ad miraculum. Ob has virtutes Henrici Frederici Nassovii studiis praefectus. Quumque Bibliothecam in urbe Lugdunensi Academiae Curatores instituerent, hic primus fuit, cui eius cura demandari debere videretur. Sed tam magnum ingenium, tam multis dotibus ornatum, feliciori sede mature reponere visum Deo fuit; qui rebus humanis iuvenem subduxit, vixdum e peregrinatione Germanica reducem, quum nondum impleviſſet annum aetatis XXVI. Moritur Hagae Comitis, anno MDXCVII. ibique sepulchro illato, cuius haec inscriptio.

D. S
I. DOVSA IANI F. HIC
CVBAT QVI VIXIT
ANN. XXV. MENSES
XI. DIES IV.

Edita ab eo.

Rerum coelestium libri.
De Vmbra.
Farrago variorum carminum.
Catullus, Tibullus, Propertius, cum Notis.
Plautus.
Annales Hollandiae prosa oratione.

In obitum IANI DOVSAE Filii.

Navita qui magni percurris sidera coeli,
Vndamque findis aureo polo duce,
Inter & umbrosae taciturna silentia lunae,
Flammantis altam consulis mundi viam.
Seu Batavis, seu Mattiacis, e finibus ortus
Percurris altam Nerei patris domum;
Desine mirari, niveo quod proxima cygno
Non una sicut ante fulgeat lyra.
Dousiades nocte hac patrio donatus Olympo est,
Suamque magno consecrat lyram polo.

DOMINICVS BAVDIVS I. C.

NAtus est Insulis Flandorum VI. Eid. Aprileis CIↃIↃLXI. Pater ei fuit cognominis, mater Maria Hyems, par lectissimum coniugum, & inter rara fidei exempla numerandum. Tirocinia studiorum egit Aquisgrani, quo pater cum familia profugerat, ob saevitiam Ducis Albani. Patrem ibidem amisit, quo anno inita est pacificatio Gandavensis. Paulo post eius obitum missus est Lugdunum Batavorum, ut illic pars fieret nascentis Academiae. Ibi per VIII. menses commoratus, rediit Gandavum; quo se mater, usa beneficio pacis, receperat. Inde profectus est Genevam, ubi per sesquialterum annum Theologiae sacris operatus est, & saepius publice disputavit, proposuitque, sub praesidio Theodori Bezae, Antonii Faii, & Lamberti Danaei. Inde Gandavum reversus CIↃIↃLXXXIII. sub eodem Danaeo theses Theologicas adseruit, coram frequenti hominum conventu. Postea contulit se Lugdunum Batavorum, ubi, quum per menses XV. adsiduam Iuri operam navasset, titulum Doctoris consequutus est sub auspicio Hugonis Donelli, pridie Non. Iunias CIↃIↃLXXXV. Sub finem eius mensis adcessit numero comitum splendidissimae legationis, quae tunc ab illustrissimis Ordinibus missa est ad reginam Elizabetham. Illic innotuit multis a fama, vel dignitate, claris; sed uni instar omnium maxime charus fuit Philippo Sidneio, cuius morte fecit iacturam ingentis patroni. Anno CIↃIↃLXXXVII. Nonis Ian. adlectus est Hagae comitis in ordinem Advocatorum, Postea per annos decem continuos vixit in Gallia, nulli bono invisus, & gratus acceptusque primariis regni viris, quorum nomina consecrata sunt aeternitati. Anno CIↃIↃXCI. renuntiatus est causarum patronus in suprema curia Parlamenti a principe Senatus Achille Harlaeo, cum cuius unico filio Christophoro, quem Christianissimus rex Henricus Magnus honore Legati ordinarii decorarat, profectus est in Angliam. Inde, pertaesus desultoriam vitam, fixit sedem Lugduni Batavorum; & conspirantibus suffragiis Curatorum Academiae, Consulumque eius urbis, designatus est Eloquentiae Professor, CIↃIↃCII. VI. Eid. Maias. Post obitum vero Pauli Merulae, coepit explicare Cornelium Tacitum, Augustae historiae principem. Docuit etiam coniunctim publice ius Romanum, iisdem ultro liberaliterque invitantibus ad eam operam studiosae iuventuti impartiendam; nec ordine motus est, quasi nescius exercendi, sed honesta missione donatus stipendiis nullam partem imminutis, ut onere sublevaretur. Anno CIↃIↃCXI ab illustrissimo potentissimorum Ordinum consessu, scribendae Historiae munus pro parte iniunctum est. Cuius nunc iam specimen edidit.

De Induciis belli Belgici, libros III.

Alia, quae ab eo scripta, & edita, ista sunt.

Poemata.
Monita Civilis sapientiae versibus iambicis.
Oratio ad Studiosos Leidenses ob caedem Commilitonis tumultuantes.
Oratio in Obitum Iosephi Iusti Scaligeri.
Et alia nonnulla opuscula, tum soluto tum astricto sermone.

Eius *Epistolas* item, post mortem, hinc inde collectas, ediderunt amici defuncti.

Diem obiit anno CIↃIↃCXIII. aetatis LII, Ioannes a Wouwer eum hoc elogio ornavit.

Vultus, & ora, finxit artifex manus
Sculptoris; at mens, indolesque pectoris,
Et illa vox, sermone melleo fluens,
Miranda cunctis, aemulanda nemini,
Nec exprimi colore, nec coelo potest.
Monumenta laudis, ingeníque pignora,
Quae seculo sacrabit, ac nepotibus
Legenda linquet, (si qua fortibus sui
Spes est, & altas respicit mentes honor,)

Pe-

Digitized by Google

Perennitatis in lavario ferent
Illustre nomen, donec in terris erit,
Qui literas amabit, & probos colet,

PAVLVS MERVLA.

HVnc Dordraco debemus, primariae Hollandiae urbi; virum, in quo certarent, probitas, candor, humanitas, modestia, & doctrina. Adolescens, iactis praeclarae eruditionis fundamentis in Academia patria, peregrinandi studio ductus, in Galliam se contulit; ubi, cum Aureliis, tum Genevae, octo totos annos litterarum, & Iuris civilis, studio impendit. Inde Italiam adiit; cuius praecipua loca, & Academias, cum fructu perlustravit. Hinc in Germaniam reversus, & Argentinae diu commoratus, peragrata mox reliqua Germania, in Angliam se transtulit; ut illam quoque videret, insularum maximam. In patriam redux, ad forum animum adplicuit, & causas agendas; sed, quum discessisset Lipsius, ille arcessitus, vacantem Historiarum Professionem publica auctoritate subscepit; in eaque exactis XV. annis, quum, neglecta valetudine, studia nimis attente tractaret, fractis corporis viribus, dum restaurare eas parat, uxore comite iter Restochium versus capessit, amicos, & adfines, illic salutaturus. Illic bimestri elapso, firmata nonnihil valetudine, dum redire cogitat, morbo impeditus acuto, sanguinis atraeque bilis vomitu, & deiectionibus spontaneis, cum febre continua, denascitur XIX. Iulii CIↃ IↃ CVII. quum vixisset XLIX. Sepulto haec inscriptio posita.

TIBI
PAVLE MERVLA
QVI
DVM. DEVS. TE. NOBIS. SVPERSTITEM. VOLEBAT.
OB SINGVLAREM. TVAM. ERVDITIONEM.
MAGNAQVE. ET. MVLTA. IN. OMNES. BENEFICIA.
DOCTISSIMORVM. AVDIISTI. HVMANISSIMVS.
HVMANISSIMORVM. DOCTISSIMVS.
HOC. QVALECVMQVE. MONVMEN-
TVM.
MOERENS. BENE. MERITO.
F. P. Q.
P. D. I. F. EX. A. D. VIII. KAL. AVG.
CIↃ. IↃ. C. VII.
AVE. ET. SALVE. VIR. PAVCIS. COMPARANDE
S. T. T. L.

Est in eum istud Danielis Heinsii.

HOspes Batavi Merulae vultum vides,
Qui scepira Leidae sacra Musarum gerit;
Orbem dat orbi, restat externis nihil:
Terram Batavi fabricant; subdunt mare.

Edita ab eo.

PRaxis Civilis Provincialis Curiae apud Batavos.
Ennii Fragmenta cum Commentariis.
Eutropius.
Cosmographiae General. lib. III. *Specialis* IV.
Cynegetica idiom. Belgico.

A *Vita Erasmi, & Epistolae aliquot nondum editae.*
Vita Francisci Iunii.
Angeli Merulae Historia Tragica.
Historia Ecclesiastica & Politica mille ducentorum annorum. Reliquos quadringentos adtexit Gulielmus Merula F.
Willeramus Abbas in Cantica Canticorum cum Commentariis.

Edenda restant.

Historia Belgica.
Historia Gelrica.
B *Synchronismus earum rerum, quae proxime elapso seculo in Orbe Christiano contigerunt.*
Historia sive Fasti Rerum a Romanis gestarum.
Fasti Dordraceni.
Descriptio Romae.
Descriptio Dordraci.
Descriptio Bataviae, idiom. Belg.
Belgica Vnita, idiom. Gallico.
Status Belgiae, idiom. Belg.
Discursus Politicus in Donationem sive Cessionem qua Philippus Rex Hisp. &c. in Infantem Isabellam Ius transcribit Provinciarum
C *Belgicarum Comitatuumque Burgundiae & Caroleti. Anno* 1598.
Cosmographiae pars altera.
Praxis Latina.
Praxis Criminalis Provincialis Curiae apud Batavos.
Commentarii in IV. *Institutionum Iustiniani lib.*
Tractatus de Dotibus.
Antinomiae Iuris.
De Linguis Variis.
D *Diatriba de linguae Gallicae antiquitate, imitatione & dialectis.*
Nomenclator Cynegeticus.
Fragmenta Vett. Poetarum cum Adnotationibus
Tabulae Antiquitatum Romanorum,
Historia de DIs Vett.
Historia Magistratuum Romanorum.
De Comitiis Rom.
De Legibus Rom.
De Sacrificiorum Ritibus apud Vett. Romanos.
De Sacerdotibus Rom.
E *De diebus Festis apud Rom.*
Lectiones in Iulium & Augustum Suetonii.
Lectiones in I. *&* II. *libb. Flori.*
Lectiones in Taciti Germaniam.
Chronologiae in Lucanum, Caesarem de bello Civili, & Dionysium Halicarnasseum.
Orationes quaedam; & Poemata.

FRANCISCVS IVNIVS.

F VIrum nobilem, nobiliorem Theologum, Bituriges protulerunt, anno CIↃ IↃ XLV. Primum quinquennium egressus, elementa discere coepit, docente patre; sexennis, scribere. Annos natus XII. lectionibus publicis operam dedit; & Iuris studium adripuit, sub praeceptoribus, magni nominis viris Francisco Duareno, Hugone Donello, Antonio Concio, & Ludovico Russardo. Sed, eo postea neglecto, ad Theologiam se adplicuit; exactisque aliquot annis Genevae, quum nuntiaretur, Ecclesiam Gallicam Antuerpianam ministrum sibi quaerere, cum amicorum suasu, tum proprio animi motu, occasionem

Digitized by Google

adripere placuit. Vbi fideli aliquandiu navata opera, ut & in vicina Flandria, Gandavi, Brugis, alibi, varia fortuna, saepe cum praesentissimo vitae periculo, Limburgum translatus, quum neque illic tutam stationem haberet, Heidelbergam abiit, exceptusque illic humanissime a Frederico Electore, aliquantisper haesit in Ecclesia Scoenavienſi. Inde, itinere in Galliam instituto, ut matrem amicosque salutaret, eo peracto in Palatinatum rediit; ibique commoratus, varia mansione, ad annum clɔlɔxcii. cum, ducis Bullionii auctoritate in Galliam rediturus, Belgium transiret, Lugduni Batavorum benigne exceptus, detentusque, per decennium in Academia SS. Theologiae Professoris primarii munus sustinuit. Tunc, grassante per omnem Hollandiam peste absumtus, Deo animam piam reddidit, anno clɔlɔcii. aetatis LVII.

In eum Epigramma hoc fecit Daniel Heinsius;

REgia maiestas, quam quondam vidimus, oris
Talis erat; Iuni, sic redivivus eris:
Sin furor est, tentare hominem coelestia quenquam;
Et furor est, dotes pingere velle tuas.

EPITAPHIVM CHRONOSTICHVM.

OCtobrIs ter sena DIes & qVIna refVLget
SenaqVe LeIdensI bIs sonat hora solo,
OrbIs VbI Titan FranciscVs IVnIVs atrâ
TaCtVs peste aethrae regna beata petIt.

A. A.

ALIVD.

IVNIVS *ergo abiit, Batavae lux aurea gentis;*
Et, quem vix orbis, nunc brevis urna capit?
Quis lamenta mihi dictet, qui flebile carmen,
Atropos, inque tuum non bona vota caput?
Siccine tam sancto tollis de vertice crinem;
Diaque, queis poteras parcere, fila secas?
En, facinus pullato ECCLESIA *luget amictu,*
Et sua GYMNASIVM *nobile damna gemit.*
Et plorat PIETAS, *& sparsos scissa capillos,*
Persolvit cineri tristia iusta pio.
Sertaque dat VIRTVS *lacrimis manantia, mittit*
Inferias tumuli in vertice cana FIDES.
Sic tamen aeterno decurrunt ordine fata:
Vertitur arbitrio sors sua cuique DEI
Illaque adhuc ratio est, animum quae temperet aegrum:
Debuit hoc coelo, quod dedit, ipse suo.

IOANNES MEVRSIVS.

Scripta eius haec sunt.

ORatio Gallica ad Regem Hispaniarum pro defensione Belgii.
Responsum ad fratres Zanvvicenses in Anglia de imagine Christi.
Vetus Testamentum cum D. Immanuele Tremellio transtulit ex Ebraico.
A *Acta Apostolorum, & Epistolas Pauli ad Corinthios, transtulit ex Arabico.*
Confessionem fidei Frederici III. Elect. Palatini fecit Gallicam.
I. Bodini Daemonomaniam Latinam fecit, Germanorum postulatu.
Apocryphos libros transtulit, & instruxit Notis.
Ioannem Tilium de Regibus & Regno Gallorum Latinum fecit, historiae studiosorum quorundam postulatione.
Scripsit item orationem De lingua Ebraea.
B *Grammaticam Ebraeae linguae.*
Ecclesiasticum Latine & Gallice.
Specularium Immanuelis Tremellii adversus Genebrardum.
Orationes duas Francofurtenses habitas ad lectionem veteris Testamenti.
Orationem de vita & obitu Zachariae Vrsini.
In Anathematismum Gregorii XIII. adversus Gebhardum Colonienſem Episcopum.
In Epist. Iudae Apostoli.
Orationes quatuor ad lectionem Veteris Testamenti.
C *Προκατάβλημα in quatuor primos Psalmos Davidis.*
Apologiam Catholicam Latinam fecit.
Lexicon Ebraicum.
Indicem expurgatorium.
Admonitionem Christianam contra Ioannem Haren, Gallice.
Librum, cui titulus Academia.
Curopalatem cum notis, Graece & Latine.
Epistolas duas Regis, & unam Plessaei Latinam fecit.
D *Exstant item Paralleli sacri.*
Praetexta pulla in obitum Principis Anhaltini,
Πρωτοκτισία in III. capita Geneseos.
Confutatio argumentorum in historiam creationis.
Notae in Apocalypsim.
Manilius cum Castigationibus & Notis.
Prima defensio doctrinae Catholicae de Trinitate.
In Danielem Commentarius.
Confessio Regis Galliarum Gallice.
Libitina in obitum Ioannis Casimiri Comitis Palatini.
E *In Psalmum* CI. *Commentarius.*
Expositio in Apocalypsin Gallice.
Analysis in Genesin.
In Ionam Prophetam Commentarius.
M. T. Ciceronis epistolae ad Atticum, & Q. fratrem, cum Emendationibus & Notis.
Defensio Catholicae doctrinae de natura & gratia.
Irenicum.
Christianus Pacificus, Gallice.
De politiae Mosis observatione.
De Theologia.
F *Oratio in Iesuitas Latina facta.*
Notae in Tertullianum.
Animadversiones in Bellarminum. Item Animadversiones ad tres libros de TRANSLATIONE IMPERII ROMANI *a Graecis ad Francos, quos Bellarminus Disputationum suarum libris interseruit, adversus Matthiam Flaccium Illyricum.*
Commentaria in Iechezkelem Prophetam.
In Evangelium secundum Matthaeum analytica Expositio.
Loci communes aliquot SS. Theologiae, & alia, quae nondum exstant.

IO-

Digitized by Google

IOSEPHVS IVST. SCALIGER.

HIc ille eſt, quem in prima adhuc aetate tantopere admiratus eſt vir in literis maximus, Hadrianus Turnebus, ut *portentoſi ingenii iuvenem* adpellare non dubitaret. Id in ſua quadam ad Ioannem Meurſium epiſtola, anno cIↃIↃCI. ſcripta teſtatur Iacobus Gillotus, Chriſtianiſſimi Galliarum Regis in Senatu Pariſienſi, conſiliarius, quum inter cetera ſic inquit: *Nec te, nec Grotium fileo, portentoſi iuvenes ingenii; quod de Scaligero tunc iuvene magnum Turnebum dicentem iuvenis audivi.* Et hoc tam magnum Naturae miraculum Aginnum in Nitiobrigibus dedit, anno cIↃIↃXI. Annos natus XI. cum Leonardo & Iano Conſtantio fratribus Burdegalam a patre miſſus triennium primis elementis Latinitatis operam dedit. Inde peſtilentia exactus ad patrem ſe recepit, qui, quamdiu apud eum fuit, quotidie declamantiunculam ab eo exigebat, facto argumenti arbitrio, quod ex aliqua hiſtoria peteret. Hac exercitatione, & uſu ſtili quotidiano, Latine ſcribere adſuevit. Quia vero verſus patris excipiebat, ex hac neceſſitate aliquem poetices ſaporem imbibit. Itaque & verſu, & proſa oratione, patri, pro captu aetatis, ita ſatisfaciebat, ut aliquando ſeductum rogaret, unde ſententias illas, & colores, depromeret Sed admirationem apud amicos idem diſſimulare non potuit Tragoediae Oedipi, primae ingenii vernantis foeturae; in quam quantum aetas illa patiebatur, omnia poetices ornamenta, & verborum delectum, impenderat. Anno aetatis XIX. quum iam vita functus pater eſſet, Lutetiam petiit, literarum Graecarum amore; quas qui neſcirent, omnia neſcire putabat. Poſtquam menſes duos operam Hadriano Turnebo dediſſet, quia, deſtitutus aliis praeſidiis, in doctiſſimo eius auditorio operam omnem ludebat, in muſeum ſe abdidit; &, in illo piſtrino incluſus, quod ex aliis non potuerat, ſe magiſtro diſcere experiebatur. Igitur, vix delibatis coniugationibus Graecis, Homerum cum interpretatione adreptum XXI. diebus totum didicit; poeticae vero dialecti veſtigiis inſiſtens Grammaticam ſibi ipſe formavit; neque ullam aliam didicit, quam quae ipſi ex analogia verborum Homericorum obſervata fuit. Reliquos vero poetas Graecos omnes intra IV. menſes devoravit. Neque ullum Oratorem, aut Hiſtoricum prius adtigit, quam poetas omnes teneret. Biennium continuum Graecis literis impenderat, quum ad Ebraeas ecce impetus animi rapit. Et quamvis ne ullam quidem literulam in ea lingua noſſet, tamen ad eam diſcendam nullo alio magiſtro, quam ſe ipſo, uſus eſt. Multa verſu in utroque ſermone luſit; quae edere odium ambitionis, a qua ſemper alienus fuit, prohibuit. Multa in Auctores utriuſque linguae obſervavit; e quibus Variarum, Antiquarum Lectionum, Miſcellaneorum, & aliorum eiuſmodi, libros concinnare potuiſſet: ſed haec talia ab aliis edi, quam à ſe, maluit. Vt tamen ipſi vigiliarum ſuarum conſtaret ratio, interpretandos, & emaculandos, auctores integros ſubſcepit. Hoc enim ſine ulla ambitione recte ſe facere poſſe iudicavit. Anno cIↃIↃLXIII. in contubernium ſe dedit Ludovici Caſtanaei Rupipoſaei; exque illo tempore vix ullum a peregrinationibus vacuum tempus habuit: donec in Academia Batava quieti ſedem invenit, ad quam venit, Curatorum vocatu, anno cIↃIↃXCIII. Hanc quum per annos XVI. nominis ſui fama, ſcriptiſque, illic editis, illuſtraſſet, ex hydrope obiit, anno cIↃIↃCIX. aetatis ſuae LXIX. Mortuo monumentum e marmore poſuerunt Curatores Academiae, cum hac inſcriptione.

DEO. OPT. MAX. SACRVM.
ET.
AETERNAE. MEMORIAE. IOSEPHI. IVSTI. SCALIGERI. IVL. CAES. A. BVRDEN. F. PRINCIPVM. VERONENSIVM. NEPOTIS. VIRI. QVI. INVICTO. ANIMO. VNA. CVM. PARENTE. HEROE. MAXIMO. CONTRA. FORTVNAM. ADSVRGENS. AC. IVS. SVVM. SIBI. PERSEQVENS. IMPERIVM. MAIORIBVS. EREPTVM. INGENIO. EXCELSO. LABORE. INDEFESSO. ERVDITIONE. INVSITATA. IN. LITERARIA. REP. QVASI. FATALITER. RECVPERAVIT. SED. PRAESERTIM. EIVSDEM. MODESTIAE. QVOD. SIBI. FIERI. VETVIT. IIDEM. QVI. IN. VRBEM. HANC. VOCARVNT. CVRATORES. ACADEMIAE. AC. VRB. COSS. HOC. IN. LOCO. MONVMENTVM. P. F. I. C.

IPSE. SIBI. AETERNVM. IN. ANIMIS. HOMINVM. RELIQVIT.

Eſt in eum hoc Epigramma.

TEmpora qui nobis, qui veros reddidit annos,
Qui docuit priſcos certius ire dies,
Iuliades, ſic ora tulit: quae regna parentum
Fortuna abſtulerat, reddidit ipſe ſibi.
Nunc, licet invita te, Sors, maiora capeſſit;
Sceptraque, ſed nulli praeripienda, gerit.

DANIEL HEINSIVS.

Edidit haec.

OPus De emendatione temporis.
Chronicon Euſebii, cum Notis & Caſtigationibus: & Iſagogicorum Canonum libri III.
Catullum, Tibullum, Propertium, cum Caſtigationibus.
Varronem cum Coniectaneis.
Auſonium cum duobus Auſonianarum Lectionum libris.
Feſtum cum Caſtigationibus.
Hippocratis libellum De oſſibus, cum notis.
Sophoclis Aiacem Lorarium charactere veteri a ſe converſum.
Stromata verſuum proverbialium vere aureum.
Martialis Epigrammatum verſionem Graecam. Iſ. Caſaubonus edidit.
Dionyſium Catonem, cum Notis, & Graeca verſione, amici Lutetiae.
Iambos eius morales edidit Daniel Heinſius: item Notas in Senecam.
Opuſcula eius poſtuma edidit Iſaacus Caſaubonus Lutetiae.

Li-

Digitized by Google

Librum De Aequinoctiis edidit Ioannes Rutgerſius ibidem.

Nullus vero exſtat auctor, ſive Graecus, ſive Latinus, in quem non plurima notarat; quae partim in librorum ſuorum marginibus, qui in auctione ſunt diſtracti; partim in Gallia, in amicorum libris, notaverat. Partem vero, ex legato eius Bibliotheca publica Lugduno-Batava adhuc ſervat.

PETRVS MOLINEVS.

FIlius Ioachimi Molinei, Paſtoris Eccleſiae Aurelianenſis, natus anno clɔ lɔLXVIII. VIII. Id. Octob. in agro Vexinate, qui eſt Franciae & Normanniae confinium. Vnde paullo poſt in Sueſſonas translatus eſt. Strage Bartholemaea late ſaeviente, cum fratribus, admodum pueris, ad necem quaeſitus, ancillae induſtria ſervatus eſt. Sedani prima literarum ſtipendia meruit. Inde Lutetiam miſſus, ſtudiorum cauſa, civilibus tempeſtatibus in Angliam pulſus eſt: ubi uſus eſt conſuetudine doctiſſimorum virorum Wittakeri, & Reinoldi. Vt vero audivit Franciſcum Iunium accitum eſſe Lugdunum Batavorum, ad profeſſionem Theologicam, eo ſe contulit: ubi paullo poſt, adeptus Profeſſionem Philoſophicam, aetatis anno vigeſimo quarto, docuit pro ſuggeſtu Organum Ariſtotelis Graecum: libros φυσικῆς ἀκροάσεως: Iibros de Coelo; De Generatione & Corruptione. Meteorologica: & libros de Anima. Sexto anno profeſſionis, crebris ſolicitationibus Eccleſiae Pariſienſis in Galliam revocatus, Lutetiam venit, ibique eſt initiatus ſacro Miniſterio. Nec multo poſt a Catharina Burbonia, Henrici IV. ſorore, quae filio Ducis Lotharingiae nupſerat, in Lotharingiam ductus eſt. Vbi pientiſſima Princeps, adſidue tentata ſoceri & mariti precibus, & monachorum technis, qui eam a vera fide avertere ſumma ope nitebantur, Molinei in adſerenda veritate experta eſt induſtriam. Ex eo carus illuſtriſſimae feminae, & inter domeſticos habitus. Qua rebus humanis exemta, Lutetiae manſit; ubi adverſariorum circumlatrantium, & ſubinde in arenam provocantium, acumen improbum ſaepe retudit. Ideoque adpetitus inſidiis, capitis diſcrimen non ſemel adiit. Vocatus a D. Pleſſaeo Mornaeo, & a Synodo Andegavenſi, Salmurium, ad ſubſtinendam profeſſionem Theologicam, Synodi auctoritate, & Eccleſiae Pariſienſis interceſſione, prohibitus eſt. Quin & flagitantibus Illuſtriſſimis Ordinibus Hollandiae, nec non Celſiſſimo Principe Mauritio, & Ampliſſimis Academiae Lugdunenſis Curatoribus, & obnixe hortantibus, ad capeſſendam Lugduni profeſſionem Theologicam, certus eis obſequi, clamoribus ſuae Eccleſiae, & parentum ſtudio, aegre retentus eſt. Scripſit, quum eſſet in Hollandia, *Elementa Logica*, & *Meditationem in Pſalmum* CXXIII. *Adverſus Iacobum Perronium, Epiſcopum Eburoicenſem*. Lutetiae in vita occupatiſſima ſcripſit tamen Latine *De Peregrinationibus*, & *Altaribus*. Gallice, *In Purgatorium* & *Indulgentias* ac *Satisfactiones* librum, cui titulus eſt AQVAE SILOE. *Apologiam Coenae Domini*. *Anatomen errorum Cuffetelli*. *Defenſionem Fidei Catholicae pro Sereniſſimo Maioris Britanniae Rege Iacobo*. Cui libro noviſſime addidit alterum DE IMPLETIONE PROPHETIARVM, ubi panduntur arcana Apocalypſeos. Scripſit & *Meditationes De vanitate*, & *De Amore Dei*. *Reſponſionem ad triginta duo Quaeſita Petri Cottoni*, una cum *Sexaginta quatuor Quaeſtionibus Cottono regeſtis*. *Acta Diſputationis cum Petro Cazierio*, excepta ab amanuenſibus ex ore diſputantium: *Anatomen Arminianiſmi*, & alia minutula, quae referre longum eſſet. Daturus, cum bono Deo, alia plura, in Theologicis, & Philoſophicis; ſi quando ſe ex iſto vitae actuoſae aeſtu in portum ſubducere, & aliquid otii nanciſci, potuerit:

Eſt in eum hoc Epigramma innominati Auctoris.

INgenioſa manus faciem ſimulavit in aere:
Defuit ars, per quam ſculperet ingenium.

FRANCISCVS GOMARVS.

FRANCISCVM GOMARVM, domo Flandrum, anno a ſalute parta clɔ lɔLXII. tulere Brugae, vere Belgarum Athenae. Sive humanitatem civium videas, ſive ingenia ad literas nata, ſive nominis celebritatem, ad quam plures noſtra tempeſtate pervenerunt. Patri Franciſco, matri Ioannae Moermans, fuit nomen; ambobus honeſto loco natis, & in re non contemnenda. Puer, prima literarum ſtipendia in urbe patria fecit; quae doctiſſimos iuventutis doctores ſemper aluit in literis: nonnumquam &, qui publice docerent; invidente fruſtra Duaco; cui Academiae praerogativam Flandria concedit. Ceterum, quum pietatis verae luce imbutus eſſet, & hanc parum tutum eſſet, ut tum tempora ferebant, conſcientiae iniqua, profiteri, in Britanniam ſe contulit: ubi in Philoſophiam magna animi contentione incubuit, &, peracto, ut loquuntur ibi, curſu, magiſterii honorem adeptus eſt. Hinc in Germaniam profectus, in ea Heidelbergam, in qua ſummi tum Theologi docebant, ſtudiis delegit. Neque minus optatam ibi metam curſu contigit, & ſupremum in ſanctiſſima hac facultate gradum promeruit. Quum autem patria carendum videret ſibi, Francofurtum ad Maenum, urbem toto orbe, a celebritate nundinarum, quae bis anno recurrunt, notiſſimam, reliquis praetulit: ut in eo cum fructu verbum Dei pure, ac fideliter, doceret. Et in ea quidem Eccleſia annos aliquot tranſegit. Tandem Lugdunum Batavorum, ab iis, quorum curae ab Illuſtribus Hollandiae Ordinibus commiſſum eſt, ne quid detrimenti literaria res capiat, in hanc Academiam, quae magni iam tum erat nominis, vocatus fuit. In qua annos aliquot Lucam Trelcatium patrem, divinae cuiuſdam pietatis, ac facundiae, virum, mox & filium

Digitized by Google

filium in primis vero magnum illum Franciſcum Iunium, cum quo & adfinitate ſe coniunxit, collegas habuit. Cui Iacobus Arminius, ingenii ac iudicii acerrimus, deinde ſucceſſit. Tandem, quum Senatui populoque Middelburgenſium de illuſtri apud ſuos ſchola inſtituenda cogitare viſum eſſet, ab iis invitatus eſt; ut nimirum Eccleſiam paſceret, quod ſubinde Lugduni fecerat, & Ebraeas literas ſimul ac Theologiam doceret. Linguas plures praeter patriam didicit; ſed praeſertim, quibus eruditi cenſentur, Latinam, Graecam, & Ebraicam; hanc a Iudaeis, & in primis adcurate.

Eſt in eum hoc Epigramma.

HOc etiam vobis patriae debetur Athenae;
Hoc etiam, Brugae, quod numeretis, erit.
Sin lubet, ut nunc eſt, mea patria, ceſſimus ultro;
Exſilium tectis praetulit ille tuis.
At vos, poſteritas, hoc ſaltem diſcite teſte,
Quid patriae poſſit, quid pietatis, amor.

DANIEL HEINSIVS.

Scripta eius haec in vulgus ſunt edita.

MArſilii Patavini Defenſor pacis, Notis illuſtratus.
Conciliatio doctrinae orthodoxae de providentia Dei.
Anticoſteri pars prima, de diſcrimine Haereticorum & Catholicorum. 2 de S. Scriptura.
Anticoſteri pars ſecunda, Speculum verae Eccleſiae Chriſti.

PHILIPPVS MARNIXIVS.

PHILIPPVS MARNIXIVS Sancto-Aldegondius natus eſt Bruxellis, anno clɔ lc xxxviii. Nomen eius per Europam totam clariſſimum; & in viro genus, ingenium, eruditio, eloquentia, virtus, atque induſtria certabant. Tumultu Belgico pro communis patriae libertate praeclaram ſane operam navavit, & a GVLIELMO NASSOVIO AVRIACO, magno Principe, ſummo honore habitus eſt. Vix quiſquam dicat, quantos labores, quae pericula p o Rep. exceperit, & ſubſtinuerit. Ad diverſos Reges, Principes, ac Reſpublicas ſaepe legatus. Inter varias graviſſimaſque occupationes, aut ſcribebat, aut commentabatur ſemper aliquid, Reip. aut Eccleſiae profuturum. Quum ſingulari ſacrarum literarum amore flagraret, e lingua Ebraea, cuius praeter alias plures adprime doctus erat, Pſalterium tranſtulit. Inde Biblia quoque ipſa, Ordinum auſpiciis, eſt adgreſſus; quod opus abſolvere mors non permiſit. Ac poſtremum in Galliam legatus, valetudine obnoxia, fractoque multis laboribus corpore, Lugduni Batavorum, in Muſarum gremio, exſpiravit; quum in Vrbe illa, Bibliorum translationi incumbens, annos aliquot exegiſſet. Obiit xv. Decembris, anno ſeculi xcviii. aetatis ſuae lx.

EPITAPHIVM.

NOn poterant alibi tua dignius oſſa cubare,
MARNIXI, iuxta clare ſago atque toga,
Quam LEIDAE; Martis quae, & Palladis, artibus alte
Effert prae reliquis urbibus alma caput.

Eſt & iſtud in eum Epigramma.

QVantus amor patriae, quantus quoque religionis,
Sancte-Aldgonde tibi, cura laborque docent.
Hiſpanus ſenſit, ſenſit Romanus & illud.
Te extinctum luget Religio, & Regio.

IACOBVS VERHEIDEN.

Scripta haec ſunt.

PSalmi ex Ebraea in Belgicam linguam translati: deinde ad Rythmos Belgicos ab eodem revocati.
Sic Veteris & Novi Teſtamenti Cantica.
Theſes aliquot de Eccleſiae atque Eccleſiaſticarum Traditionum κριτηρίῳ, ſeu certa norma.
Item de Sacramento Coenae Dominicae.
Reſponſio ad Michaelis Baii, Regii Profeſſoris, Lovanienſis, Apologiam.
Epiſtola Conſolatoria ad Fratres Exſules, Brabantos, Flandros, Hannones, Arteſios, alioſque Belgas, peregrinis in regionibus, ob puram Evangelii doctrinam, diſperſos.
Tractatus de Coena Domini ad Galliarum Regis ſororem, Lotharingiae Duci nuptam.
Contra Libertinos.
Apologetica Reſponſio contra Anonymum quendam Libertinum.
Alvearium Romanum.
Tabula, qua Differentia Chriſtianae & Papiſticae Religionis exponitur.
Oratio pro Sereniſſimo Archiduce Auſtriae Matthia, & Ordinibus Belgicis, habita Wormatiae in Comitiis, anno clɔ lɔ lxxviii. *menſe Maio.*

Huic accedunt variae, variis temporibus evulgatae, *Admonitiones, Declarationes, Tractatus, Conſilia, Diſputationes, Conſolationes, Interpretationes;* Et inter Seria, Ioci etiam, & Facetiae, aliaque Scripta Anonyma multa.

IOANNES KVCHLINVS.

WETTERAE natus eſt, Haſſiae exiguo quidem, ſed, ob feracitatem ingeniorum, haud ignobili oppido, familia tenuiori, ſed honeſtiſſima. Pater, HERMANNVS KVCHLINVS, hortatu doctiſſimi viri D. Ioannis Pincierii, Eccleſiae illius Paſtoris, cui indoles pueri mire adridebat, e tredecim liberis unum ſtudiis mancipavit. Patrem quum admodum adoleſcens amiſiſſet, ſub Pincierio, cuius curae & tutelae commendatus fuit, praeclaram pietatis, & doctrinae ſementem fecit. Poſtquam in Schola Wetterana in Graecis pariter ac Latinis literis feliciter profeciſſet, promovendus ad altiora atque

Aca-

Digitized by Google

Academica ſtudia, impedimenta habuit, quae praeclariſſimos quoſque praeſtantium ingeniorum conatus evertere poſſent, rem domi anguſtam, & innatum pudorem. Sed, animo fortunam ſuperans foris quaerere, quod domi non aderat, deſtinavit. Quod quum Argentorati, Tubingae, atque alibi fruſtra quaeſiviſſet, Heidelbergam conceſſit; ubi ab Ehemio Cancellario, ad VRSINVM ductus fuit: qui, animadvertens adoleſcentis ingenium, mores liberales, inſignem indolem, variis indiciis emicantem, & in Graecis Latiniſque literis promtitudinem; Tu vero, inquit, mi fili, noſter eſto, ego tibi pater ero. Et vere fuit; ſingulari enim prae ceteris diſcipulis affectu, ob inſignem eius pietatem, modeſtiam, atque indefeſſam in ſtudiis induſtriam, ſemper eum complexus fuit. Quum ſexennium totum ſub VRSINI diſciplina tranſmiſiſſet, evocatus eſt ad Scholam Neuhuſianam, ubi Pithopoeum, Crellium, & Sylburgium, collegas habuit. Inde a Schola ad Eccleſiam Tackenhemium a Senatu Eccleſiaſtico arceſſitus, miniſterium adiit; ibique, Friderico Electore mortuo, quum ſucceſſor Ludovicus omnia innovaret, eiectus cum multis aliis piis Eccleſiarum Paſtoribus illa tempeſtate, in patriam ad Landgravium Haſſiae ſe contulit, ubi per odium aulicorum cum non admitteretur, inſtinctu uxoris, quae Belgica erat, in Belgium abiit, Embdamque venit anno clɔ lɔ LXXVII. Vbi quum operam aliquandiu tam in Schola, quam in Eccleſia navaſſet, eodem tempore ab Amſtelodamenſibus, & a Groeningenſibus evocatus fuit. Ille, quum propter Germanici idiomatis vicinitatem Groeningenſes praeferendos iudicaret, a clariſſimo viro D. MENSONE ALTINGIO graviſſimis rationibus permotus fuit, ut operam ſuam Amſtelodamenſi Eccleſiae addiceret. Siquidem illa virum ſingularis eruditionis, zeli, & prudentiae deſiderabat, qui naſcentis fundamenta ſecundum verbi DEI normam ſolide collocaret; qua in re tam fidelem atque utilem navavit operam, ut Eccleſiae illius Pater iure adpellari queat. Totis octodecim annis ei praefuit, tanto cum fructu, & piorum omnium amore, ut deſiderium eius apud eam intermori nec dum poſſit, quotieſcumque animos ſubit recordatio ſingularis illius dicendi maieſtatis, qua efficaciſſime mentes auditorum flectebat; & ſuſpiciendae morum gravitatis, adfabili humilitate temperatae. Quum anno clɔ lɔ XCI. Illuſtres Hollandiae Ordines Collegium Theologicum in Academia Leidenſi erigere ſtatuiſſent, & quaerendus eſſet vir doctrina, prudentia, & gravitate conſpicuus, qui huic erectioni, atque ipſi poſtea Collegio praeeſſet; itum fuit ad Kuchlinum. Aegre ab Eccleſia ſua avelli potuit, & multo aegrius Eccleſia eum ad hoc munus a ſe dimiſit. Collegio erecto, & bene iam conſtituto; quum quotidianis Amſtelodamenſium precibus repoſceretur, lampada hanc tradidit Clariſſimo viro D. HIEREMIAE BASTINGIO, & ad Eccleſiam ſuam rediit, quae ſummo cum gaudio eum recepit. BASTINGIO defuncto, quum huic Collegio iterum praefectus quaereretur, ad KVCHLINVM fuit reditum; qui, licet & animus eius, & Eccleſia, reniterentur, voluntate Ordinum, cui parendum cenſuit, ad priſtinum munus retractus fuit, anno clɔ lɔ XCV. Hoc munus XI. annos laudabiliter ſubſtinuit, ita ut nihil omnino, neque quoad ſingularem, & ſolidam eruditionem, neque quoad morum gravitatem, neque quoad moderatam in regenda iuventute ſeveritatem, prudentiam, & ſingularem dexteritatem, ab ullo in ipſo ſit deſideratum. Tandem, apoplexia correptus, ſupremum DEO ſpiritum reddidit poſtridie Kal. Iulias, anno clɔ lɔ VI. pene ſexagenarius. Vir docendo potius intentus ſcripſit:

Diſputationes Theologicas, ad Catecheſeos Eccleſiarum Belgicarum explicationem.

CAROLVS CLVSIVS.

HIc in Atrebatum urbe natus, familia nobili, ad fortunae bona animum honeſtum adtulit, & ingenium liberale, ſtudiiſque optimarum artium capeſſendis aptiſſimum. Vt primum ex ephebis exceſſit, Gandavum a parentibus miſſus, ſub optimis praeceptoribus optimis artibus rite imbutus eſt. Aetate iam grandior factus, ad graviores diſciplinas, & inprimis Ius Civile diſcendum, Lovanium ablegatur; unde mox digreſſus, anno aetatis XXII. Marpurgum in Germaniam profectus eſt; ubi diligentiſſimus Oldendorpii auditor aliquandiu, quum in familiarem ab Andrea Hyperio Theologo conſuetudinem receptus eſſet, de conſilio eius Witebergam Saxonum adiit; potiſſimum, ut Philippum Melanchthonem videret, audiret, ac propius cognoſceret. Circa annum L. in Narbonenſem Galliam ſe contulit: unde paucos poſt annos, ob bellum inter Carolum V. Caeſarem, & Henricum II. Galliarum Regem, exortum, in patriam a patre revocatus, iſtic aliquot annos vixit, donec anno LX. denuo in Galliam reverteretur, Lutetiaeque biennium viveret. Inde, propter inteſtinum bellum, Lovanium abiit, & iſtic anno uno vixit. Anno LXIV. evocatus in Germaniam, bimeſtri iſtic tranſacto, per celeres equos in Belgium rediit; & inde per Galliam in Hiſpaniam profectus, plures eius provincias, & magnam Luſitaniae partem anni ſpatio perluſtravit. Anno ſequente in patriam reverſus, uſque ad annum LXXI. in ea permanſit; quo Lutetiam profectus, & inde per Caletes in Angliam. Illa autem ex parte peragrata, denuo Lutetiam, & inde in Belgium regreſſus eſt: iſtic haerens uſque ad annum LXXIII. Tunc, a Caeſare Maximiliano II. evocatus, Viennam Auſtriae conceſſit, ubi in aulae familiarium numerum benigne receptus, & Horto Caeſareo praefectus, mox quoque locum eundem apud Rodulphum II. Maximiliani F. tenuit. Sed inde, aulae taedio, Francofurtum ſe contulit, anno LXXXVII. ubi ſexennio privatim exacto, (etſi vix latere potuerit, nam & conſuetudinem eius gratiſſimam habuit

Guiliel-

Digitized by Google

Guilielmus Landgravius Haſſiae, & annuum ei ſtipendium decrevit,) anno XCIII. Lugdunum Batavorum evocatus, a Curatoribus Academiae iſtius, illic, aetatis & gloriæ ſatur, vivere deſiit anno CIↃIↃCIX. quum annos vixiſſet LXXXIV. Vir in quo praeter exactiſſimam ſtirpium cognitionem, erant ceterae dotes praeclarae complures, & peritia linguarum Graecae, Latinae, Italicae, Hiſpanicae, & Germanicae. Sepultus eſt in templo B. Mariae, cum hoc Epitaphio.

BONAE MEMORIAE
CAROLI CLVSII
ATREBATIS
POS.

QVI OB NOMINIS CELEBRITATEM PROBITATE, ERVDITIONE, TVM REI INPRIMIS HERBARIAE ILLVSTRATIONE PARTAM, INTER AVLAE CAES. FAMILIARES ALLECTVS, ET POST VARIAS PEREGRINATIONES A NOB. DEMVM ET AMPLISS. DD. CVRR. ET COSS. IN HANC VRBEM CONDECORANDAE ACADEMIAE EVOCATVS, ET STIPENDIO PVB. PER ANNOS XVI. HONORATVS XXCIV. AES. ANNVM INGRESSVS OBIIT IV. APR. M.DC. IX.

Exſtat in eum hoc Epigramma.

OS Cluſii, frontemque, oculoſque, & cetera vultus,
Pictoris expreſſit boni manus bene;
Ingenii haud potuit vires: at Cluſius ipſe
Expreſſit illas hoc in opere quam optime.
Longa dies ut opus pictoris deleat, ipſum
Et Cluſium opus hoc nulla delebit dies.
Ergo, illum in cineres ubi longa redegerit aetas,
Adhuc opere in hoc ſibi ſupererit Cluſius.

IOANNES AB HOGELANDE.

Scripta ab eo edita.

TAbula Chorographica Galliae Norbonenſis.
Vitae Hannibalis & Scipionis in linguam Gallicam translatae.
Dodonaei Hiſtoria plantarum, Gallice.
Garciae ab Orto Dialogi, De Aromatibus apud Indos naſcentibus, Latine cum Notis.
Nicolai Monardi medici Hiſpalenſis De ſimplicibus Med. novi orbis, Latine.
Antidotarium Florentinum, Latine.
Hiſtoriae ſtirpium Hiſpanicarum a ſe obſervatarum.
Chriſtophori a Coſta Hiſtoria aromatum.
Obſervationes plantarum Pannonicarum.
Petri Bellonii Obſervationes Latine. Eiuſdem de neglecta ſtirpium cultura.
Nicolai Clenardi Epiſtolae.
Hiſtoriae Americanae, Latine.
Tabula Hiſpaniae, ab Ortelio edenda.

HIEREMIAS BASTINGIUS.

HOneſta familia Iperis in Flandria oriundus, parentibus ob religionem a patria profugis, Caleti in Gallia natus eſt, anno CIↃIↃLIV. Puerum adhuc Emdam in Friſiam Orientalem abduxerunt parentes; & ludo literario, honeſta diſciplina imbuendum, mandarunt. Quumque ſtatim vis illa ingenii alacrioris eluceſceret, de graviſſimorum quorundam virorum conſilio Bremam miſſus, ut altioris illic doctrinae fundamenta iaceret ſub Ioanne Molano; inde Genevam profectus, ibique per biennium integrum, in exhauſto labore, & indefeſſo ſtudio, adeo inſignes in Graecis & Ebraicis literis, atque adeo in Philoſophiae & Theologiae ſtudio progreſſus fecit, ut, quum inde Heidelbergam ſe contuliſſet, digniſſimus iudicatus fuerit, cui Doctoris Theologiae titulus ab illuſtri illa Academia conferretur, anno LXXVI. die Decemb. XVIII. quo quidem titulo ornatus, quum ad ſuos rediiſſet, Antuerpiam evocatus ad miniſterium, ſumma cum laude, celebrique pietatis ac doctrinae fama, illud obiit; donec, expugnata ab Alexandro Farneſio, principe Parmenſi, urbe, cum ceteris religionis reformatae cultoribus cedere coactus, Dordracum commigravit. Illic intermiſſum Eccleſiaſtae munus, presbyterii rogatu, recepit; & quam Antuerpiæ de ſe famam excitaverat, inſigniter auxit. Inde ad Novi Collegii Theologici rectoratum ab Academiae Curatoribus Lugdunum Batavorum vocatus, paucis annis poſt munere, & inde vita quoque, deceſſit, anno CIↃIↃXCVIII. die Octob. XVI.

Edidit *Catecheſin, cum luculento Commentario.*

IOANNES MEVRSIVS.

NAtus eſt anno CIↃIↃLXXIX. familia Meurſae & patricia, & antiqua. Locus natalis, Loſdunum eſt, pagus, Haga uno milliari diſtans, admirabili partu Margaritae Hollandicae, Comiti Hennenbergenſi nuptae, celebratus. Vix ſexennis primis Latinae linguae elementis domeſtica opera a parente imbutus, ad reliquum litterarum tirocinium ſeptennis Hagam amandatur; ibique exacto quadriennio, ſub rectoribus Bernardo Beiema, & Folquero Weſtervvoltio, Lugdunum Batavorum tranſiit in diſciplinam Nicolai Stochii, celebris per id tempus Scholae publicae Rectoris, ſub quo duodecennis Orationes ſcribere coepit. Ad Graecae linguae ſtudium natura pronior vix tredecennis carmen Graecum ſcribebat. Anno aetatis decimo ſexto in Lycophronem, obſcuriſſimum totius Graeciae Poetam, commentari inſtituit: decimo ſeptimo, in Theocriti Idyllia, poſt Henricum Stephanum, Iſaacum Caſaubonum, & Ioſephum Scaligerum, viros in literis omnibus maximos, Spicilegium ſcripſit. Exin ingenium ad omne literarum genus adplicuit. Remotiſſimam Graeciae hiſtoriam, & ſepultas paene cum ipſo tempore antiquitates, eruit, ac revocavit, in iſtis ſtudiorum ſuorum primitiis. Mox ad Latinas literas, ordine praepoſtero, ſed quem D. Hiero-

Digitized by Google

ronymus praescribit, magnus autem vir, Iosephus Scaliger, est sequutus, animum adiecit. Et a primis Romae cunabulis orsus, magnus illic quoque antiquitatis admirator, & cultor fuit: idque *Curae Plautinae* loquuntur, & *Animadversiones Miscellaneae*. Deinde a rudiore Roma ad adultam, & cultiorem transiens, hanc quoque illustrandam sibi proposuit. Atque huius sui conatus testes dedit libros *De Funere*, & *Luxu Romanorum*. Ad Poetica etiam delatus, plus praestitisset, si ad naturam studium quoque, & curam adiecisset: sed in eo genere ipse se destituit. Nam quos dedit *Iambos Morales*, *Elegias*, *Heroidum Epistolas*, & *Epigrammata*, ea semestris unius opera sunt, extraordinarium animi oblectamentum, quum totis novem annis ante paucos admodum versus scripsisset. Inde ad Philosophiam se etiam convertit, non scholasticam illam, sed masculam; quae generosas mentes ad virtutem excitat: &, dum inibi est, *De Gloria* librum edit. Porro nec Theologiam quoque intactam reliquit; atque ita *Meditationes Christianas* conscripsit, in Psalmum cxvi. & tres priores partes cxix. Inde in Graeciam studia reduxit; sed illam sub Imperio Romano barbarascentem, & *Glossarium Graecobarbarum* vulgavit; in quo collecta vocabula clɔ clɔ clɔ lɔc. ad quae deinde, iterata editione, clɔ lɔ ccc. addidit: eoque opere Imperii Orientalis barbariem non parum illustravit. A Ioanne Barneveldio, viro Nobilissimo & Amplissimo, Reip. huius Nestore, ad erudiendos privatim filios evocatus, decennium in eius familia, & consuetudine egit; &, peregre cum iis profectus, maximorum totius orbis Christiani principum aulas vidit, & bibliothecas. Atque ex his praeclara monumenta multa, nunquam hactenus edita, depromsit. Quorum partem iam reversus publicavit; partem aliquando quoque iuris publici faciet; si vitam, & otium Deus concesserit. Dum peregrinatur, anno clɔ lɔ cviii. Aureliani summo in Iurisprudentia Doctoris titulo cohonestatus est. In patriam redux, Academiae celeberrimae anno clɔ lɔ cx. operam addixit; & iniunctam a Curatoribus Historiae primum, deinde linguae etiam Graecae, Professionem, moxque anno insequente clɔ lɔ cxi. ab Illustrissimis ac Potentissimis Ordinibus foederatarum Belgii Provinciarum Historiae patriae conscribendae partes suscepit. Inde, animo ad matrimonium adplicato, anno clɔ lɔ cxii. uxorem duxit, Annam Catharinam Bilderbecciam, e nobilissima in Angrivariis, & antiquissima, Bilderbecciorum familia. Ac Professione quidem annos quatuordecim functus, ita se in ea gessit, ut & lectiones omnes ordinarias pari cum collegis reliquis diligentia, atque fide, semper obierit; libris vero conscribendis, & edendis, qua re fama Academiarum constat, tam insignem operam dedit, ut hic quoque nullum sibi e collegis, si non parem, certe superiorem habeat. Quod si laude, ac favore dignum esse non videbitur, saltem hoc videri possit, quod Auctores item Graecos, nunquam antea vulgatos, unus ipse plures dederit, brevi hoc Professionis suae tempore, quam a primis Academiae incunabulis, quinquaginta retro annis ceteri Professores omnes, quotquot isthic exstiterunt. Nunc a Christiano IV. Sereniissimo ac potentissimo Daniae Rege, ad Historici Regii munus, & Professionem item Historiarum, ac Politices, in Soranam Academiam evocatus, eo transiit ipso hoc anno clɔ lɔ cxxv.

AVCTORES GRAECI,
Quos primus vulgavit, & Notis additis, emendavit, atque illustravit.

Constantinus Porphyrogenneta, De Administrando Imperio, Graece, & Latine. Anno clɔ lɔ cx.

Leonis Imp. Tactica, Graece, & Latine. clɔ lɔ cxii.

Hesychii Milesii Origines Constantinopolitanae, Graece, & Latine. clɔ lɔ cxiii.

Aristoxeni Elementa Harmonica, Graece. clɔ lɔ cxvi.

Nicomachi Enchiridion Harmonices, Graece. clɔ lɔ cxvi.

Alypii Isagoge Musica, Graece. clɔ lɔ cxvi.

Philostrati Epistolae aliquot, Graece. clɔ lɔ cxvi.

Palladii Historia Lausiaca, Graece. clɔ lɔ cxvi.

Constantini Manassis Annales, Graece, & Latine. clɔ lɔ cxvi.

Eusebius in Canticum Canticorum, Graece. clɔ lɔ cxvii.

Polychronius in Canticum Canticorum, Graece, clɔ lɔ cxvii.

Psellus in Canticum Canticorum, Graece. clɔ lɔ cxvii.

Theophylacti, Bulgariae archiepiscopi, Epistolae, Graece. clɔ lɔ cxvii.

Constantini Porphyrogennetae Tactica, Graece. clɔ lɔ cxvii.

Anastasius, Antiochiae archiepiscopus, in laetum nuntium, immaculatae Deiparae adlatum; Graece clɔ lɔ xix.

Andreas Ierosolymitanus, Cretae archiepiscopus, in vitam humanam, & defunctos; Graece. clɔ lɔ cxix.

Methodius De libero arbitrio, Graece. clɔ lɔ cxix.

Timotheus, Presbyter Constantinopolitanus, De accedentibus ad S. Ecclesiam, Graece. clɔ lɔ cxix.

Idem de duabus Iesu Christi naturis; Graece. clɔ lɔ cxix.

Hilarion Monachus, De pane mystico Graecorum, & azymo Latinorum; Graece. clɔ lɔ cxix.

Procopius Gazaeus, in Libros Regum, & Paralipomenon; Graece, & Latine. clɔ lɔ cxx.

AVCTORES.
Antea quidem editi, sed quos ipse Commentariis, sive Notis illustravit.

GRAECI.
Lycophron. clɔ lɔ xcvii.

Codinus, De Originibus Constantinopolitanis. clɔ lɔ cvii.

Hesy-

Digitized by Google

Heſychius Mileſius, De Viris doctrina claris clɔ lɔ cxiii.
Beſſarionis Epiſtola. clɔ lɔ c xiil.
Antigonus Caryſtius. clɔ lɔ cxix.
Phlegon Trallianus. clɔ lɔ cxix.
Apollonius Alexandrinus. clɔ lɔ cxx.

LATINI.

Macrobius. clɔ lɔ xcvii.
Cato de Re Ruſtica. clɔ lɔ xcvii.
Apuleii Apologia. clɔ lɔ viii.
Phaedrus. clɔ lɔ cx.
Chalcidius. clɔ lɔ c xvii.

LVCUBRATIONES

Variae; Theologicae, Philoſophicae, Hiſtoricae, & in primis Philologicae: quibus Antiquitates Graecas, Latinaſque illuſtravit.

Spicilegium Theocriticum. clɔ lɔ xcvii.
Criticus Arnobianus. clɔ lɔ xcviii.
Hypocriticus Minutianus. clɔ lɔ xcviii.
Curae Plautinae. clɔ lɔ xcix.
Animadverſiones Miſcellaneae. clɔ lɔ xcix.
De Gloria. clɔ lɔ ci.
Poemata. clɔ lɔ cii.
Panegyricus, dictus Iacobo I. cum is Magnae Britanniae regnum adiret. clɔ lɔ ciii.
De Funere. clɔ lɔ civ.
De Puerperio. clɔ lɔ c iv.
Meditationes Chriſtianae, in Pſalmum cxvi. *& tres priores partes* cxix. clɔ lɔ c iv.
De Luxu Romanorum. clɔ lɔ cv.
Gloſſarium Graecobarbarum. clɔ lɔ cx. *Et multo auctius* clɔ lɔ c xiv.
De Induciis belli Belgici. clɔ. lɔ c xii.
Ferdinandus Albanus; Sive De rebus ab eo per ſexennium in Belgio geſtis. clɔ lɔ c xiv.
Lectiones Atticae. clɔ lɔ c xvii.
Orcheſtra; Sive, De Saltationibus veterum. clɔ lɔ c xviii.
Graecia Feriata; Sive, De feſtis Graecorum. clɔ lɔ c xix.
Eleuſinia. clɔ lɔ c xix.
Panathenaea. clɔ lɔ c xix.
Aeſchylus, Sophocles, Euripides; Sive, De eorum Tragoediis, clɔ lɔ c xix.
Gulielmus Auriacus; Sive, De rebus ab eo geſtis uſque ad exceſſum Ludovici Requeſenſii. clɔ lɔ c xx.
Archontes Athenienſes; Sive, De iis, qui Athenis ſummun illum magiſtratum obierunt. clɔ lɔ c xxi.
Fortuna Attica; ſive, De Athenarum origine, incremento, vario ſtatu, & decremento. clɔ lɔ c xxii.
Graecia Ludicra; Sive, De ludis Graecorum. clɔ lɔ c xxii.
Piſiſtratus; Sive, De eius, liberorumque vita, & tyrannide. clɔ lɔ c xxiii.
Areopagus; Sive, De Senatu Areopagitico. clɔ lɔ c xxiv.
Athenae Atticae; Sive, De Athenarum Antiquitatibus. clɔ lɔ c xxiv.
Athenae Batavae; Sive De Leidenſis Urbis Antiquitatibus: & Viris claris, qui ingenio eam, aut ſcriptis, illuſtrarunt. clɔ c xxv.

A Nondum edita; ſed perfecta, & parata ad editionem.

Theodori Metochitae Hiſtoriarum libri iv. *hactenus non editi, Graece & Latine, cum Notis.*
Athenaei Mechanica, nunquam edita, Graece, cum Notis.
Apollodori Poliorcetica, nunquam edita, Graece, cum Notis.
Iulii Africani Ceſti, nunquam editi, Graece, cum Notis.
B *Meletius, De Natura Hominis, Graece, nunquam editus, Graece, & Latine.*
Harpocration, Graece, cum Animadverſionibus.
Menander Rhetor, De diviſione cauſarum in genere demonſtrativo Graece & Latine: cum Notis.
Bibliotheca Attica; Sive, De Antiquis Scriptoribus Atticis, eorumque item Operibus.
Ceramicus; Sive De Ceramici utriuſque Antiquitatibus.
C *Pireaeus; Sive De eius Antiquitatibus.*
Reliqua Attica; Sive Ad Librum De Populis Atticae Paralipomena.
Familiae Atticae.

Adfecta, non perfecta.

Bibliotheca Graeca; Sive, De Scriptoribus antiquis Graecis. & eorum item Operibus.
Dionyſia; Sive, De Bacchi apud Athenienſes feſto.
D *Themis Attica; Sive, De Legibus Athenienſium.*

Fecit in eum hoc Epigramma Daniel Heinſius.

TAlis erat, famam cui priſtina tempora debent,
Meurſius, & debent tempora noſtra ſuam.
Qui Siculi vatis, noctemque Lycophronis atri,
Diſpulit; & Phoebus poſt tria luſtra fuit.
Nunc patriae Annales venturos mittit in annos;
Vtrumque, ingenii eſt, hoc, pietatis opus.
Loſdunum peperit; quod poſt miracula tanta
Hoc, ſed quod credas, conſpiciaſque, dedit.

Aliud Madrito miſit, a ſe factum, vi. Kal. Febr. clɔ lɔ c xix; Vincentius Marinerius Valentinus; in quo literae, dictionem inchoantes, nomen eius cum elogio repraeſentant, hunc in modum: *Io. Meurſius, vir doctiſſimus.*

INclitus orbis Honos, Affulges Nomine Noto;
Et Superas Muſas, Et Vincis Robore Sacri,
Ingenii, Variis Semper Virtutibus Ingens.
Reſtauras Doctrinam Omnem, Contraria Tollens:
In Summa Sede Ipſe Manes, Vtrinque Supremus.

AELIVS EVERARDVS VORSTIVS.

NAtus anno clɔ lɔ lxv. die xxvi. Jul. Ruremundae in Menapiis ad Rurae & Moſae confluentem, ex Vorſtiorum clara in illo tractu familia, parentibus Henrico Vorſtio & Ma-

Digitized by Google

& Maria Schaeria. Celebres patrum memoria fuere, Ioannes Vorſtius, Brabantiae Cancellarius, & Petrus Ioannes filius, Epiſcopus Aquae pendentis, & Auditor Rotae ad Vrbem. Vixit etiam non multis ab hinc annis Nicolaus Vorſtius, non poſtremae eruditionis vir. Pueritiam Everardus partim in Patria, partim Venlonae, apud avos maternos exegit, uſque ad annum aetatis decimum, quo Dordracum in Batavos cum parentibus ob bellicos tumultus migravit; ubi literis humanioribus primum informari cepit. Anno quintodecimo Lugdunum Batavorum a parentibus miſſus eſt; audivitque hic biennium Iuſtum Lipſium, Bonavent. Vulcanium, Petreium Tiaram, alioſque, qui tunc in ea Academia erant, viros celeberrimos. Exin in Germaniam ablegatus eſt; in qua ultra quadriennium vixit, primum Heidelbergae & apud Nemetes, deinde Coloniae Agrippinae, Philoſophiae & Medicinae ſtudiis addictus. Hinc ex parentum voluntate ad Artem medendi uberius perfectiuſque hauriendam in Italiam contendit, in qua totos annos novem tranſegit. Patavii in Medicina audivit tres Hieronymos, Mercurialem, Capivaccium, & Aquapendentem, & Bernardinum Paternum, in Philoſophia Iacobum Zabarellam, alioſque praeſtantiſſimos viros. Bononiae Mercurialem iterum, qui tunc recens eo a Senatu Bononienſi evocatus fuerat, Iohannem Coſtaeum, Caſparum Taliacotium, & Vlyſſem Aldrovandum, in rerum naturalium Hiſtoria incomparabilem. Ferrariae Hieronymum Braſavolum, Alphonſum Cataneum Archiatrum. Huius hoſpitium, & familiaritatem nactus in aulam Principis illi patuit acceſſus, unde rerum aulicarum multorumque nobilium notitiam, atque amicitias ſibi comparavit; donec, eiuſdem Catanei opera & commendatione, D. Nicolao Granae Epiſcopo Anglonenſi in Magna Graecia ad Sinum Tarentinum, in medicum domeſticum adſcitus eſt; apud quem in extrema hac Italiae ora ultra triennium vixit, multaque obſervavit, quae ad regionum illarum, Iapygiae, inquam, Magnae Graeciae, Lucaniae, & Brutiorum antiquitates, ſitum, mores, rerumque naturalium cognitionem ſpectant. Epiſcopo febre acuta extincto, in clientelam Marchionis Querceti, Fabritii Pignatelli, qui tunc forte iſthic in ditione ſua verſabatur, ſe dedit; quo cum in agro Sybaritico, ſeu Thurino, ad mare Ionium hibernavit, & anno ſequenti per Brutios, Lucanos, & Picentinos, Neapolim profectus eſt; ibidemque in aula eiuſdem annum integrum commoratus eſt. Quo tempore non ſolum medicinam in urbe hac florentiſs. cum laude fecit, ſed exactiſſime vicinam Campaniae oram perluſtravit, Puteolos, Baias, Miſenum, Cumas. Excurrit etiam ſemel per Samnium Bovinum uſque, ad loci illius Ducem aegrotantem a Marchione miſſus. Tandem longae a patria pertaeſus abſentiae, domum poſtliminio repetere illi viſum fuit, quo poſt XIV. annorum peregrinationem anno CIↃIↃXCVI. menſe Iunio incolumis pervenit. Delphos Batavorum, a Comitiſſa Meurſenſi honeſto ſtipendio invitatus, poſtquam ibi medicinam biennium ferme exercuiſſet, ducta interea uxore, a Curatoribus Academiae Lugdunobatavae ad Profeſſionem publicam evocatus fuit; in quo munere annos XXVI. honorifice verſatus, ac quater ſummo in Academia magiſtratu functus, diem obiit anno CIↃIↃC XXIV. die Octobris XXII. quum vixiſſet annos LIX. menſes II. dies XXVII.

Habuit prae manibus, ſed, morte praeventus, edere non potuit:

Obſervationem rerumque memorabilium per Magnam Graeciam, Iapygiam, Lucaniam, Brutios, adiacenteſque regiones, Commentarium Hodoeporicum.

Notas praeterea ad Corn. Celſum, De Re Med. aliaque.

Edidit autem *Commentariolum De Annulorum origine* in gratiam Abrahami Gorlaei qui Dactyliothecae eius praefixus eſt.

Exſtant etiam eiuſmodi *Orationes funebres* duae; una, in obitum Caroli Cluſii; altera, in Petri Pavii.

Eſt in eum hoc Epigramma;

Αἴλιος εἰμ' Ἐβράρδος, ὁ Φώρσιος, αἷμα Σικάμβρων,
Ὧ κλέος ἀθάνατον δῶκεν ἀκεσορίη.
Ἰταλίη, μεγάλη θ' Ἑλλὰς, νέον ὄντ' ἐσοφίζε
Αὐτονόμων δ' ἐμὲ νῦν αἶα τρέφει Βατάβων.
Λείδης τ' ἰτυντὴρ κλεινοῦ πάλιν εἰμὶ Λυκείου,
Ἱμέρτην δὲ, Θεὸς, νηῒ δὸς εὐπλοΐην.

Idem Latine.

Ælius Evrardus ſum Vorſtius, ille Sicamber.
Immortale decus cui Medicina dedit;
Italia erudiit iuvenem me, & Graecia Magna;
Autonomos felix nunc ago apud Batavos:
Leidenſiſque iterum data mi Rectura Lycei eſt;
Tu facilem curſum da, Deus alme, rati.

BON. VVLCANIVS, anno aetatis ſuae LXXIV.

Aliud.

Sic cedat, quod ubique mali eſt; coeantque repente
Vulnera, tam doctae quae tetigere manus:
Nullaque ſit peſtis, vis hauſti nulla veneni,
Quam tuus exigua non fuget arte labor:
Et toties retro Mors acta potentibus herbis,
Victori veniat non niſi ſera ſuo;
Vt te praecipue, Vorſti, delector amico,
Et iuvat in primis me placuiſſe tibi;
Non tantum, quoniam, dum tu mihi proſpicis, in me
Experior morbos iuris habere minus;
Vt nuper, quumſaeva mihi quartana minata eſt
In longum ſegnes, maxima damna, dies:
Sed quia peſte magis, magis occidente veneno,
Odiſti, Virtus quicquid amare negat,
Eſt aliquid, morbis; plus eſt, mihi crede, mederi

Mo-

Digitized by Google

Moribus, atque animis ferre potenter opem.
Peſſima ſunt ſecli contagia; tot male ſanos
Inter, & agrotos, qui valet, ille valet.

HVGO GROTIVS.

HVGO GROTIVS natus eſt Delphis Batavorum, honeſta antiquitus, ac praeclaris adfinitatibus non ſemel innexa, domo, IV. Eidus Apriles anni clɔ lɔ LXXXIII. Avum paternum habuit cognominem, virum, ſupra quam ea tempora ferebant, Latinarum, Graecarum, Ebraearum quoque literarum ſcientem. Patruus, Cornelius Grotius, Lugduni Ius Civile profeſſus eſt, cum laude, & ſumma bonorum gratia. Pater erat Ioannes Grotius, cuius exſtant carmina, & Lipſii ad ipſum literae Douſaeque verſus; nec pauca aliorum monumenta, ipſius inſcripta nomini. Hic excitando fovendoque filii ingenio diligentiam ſummam adhibuit, ita ut anno clɔ lɔ xci. fundere verſus inciperet; clɔ lɔ xcvii. de Philoſophicis argumentis bis publice diſputaret: anno autem clɔ lɔ xcviii. in comitatu viri incomparabilis Ioannis Oldenbarneveldii, ab Ordinibus ad Regem legati, Galliam quum vidiſſet, ornatus regia liberalitate, & virorum illuſtrium amicitia, domum rediit: quum iam ante edere coepiſſet Notas in ſeptem artes liberales Martiani Capellae. Et, quum Lugduni aliquandiu, dilectiſſimus Scaligero, vixiſſet, verente patre, ne amoenioribus ſtudiis irretiretur iuvenilis animus, anno clɔ lɔ xcix. Hagienſium Advocatorum ordini adſcriptus eſt: neque multo poſt cauſſas egit; non ita tamen, ut humanioris literaturae libenter obliviſceretur: quo nomine cum aliis ampliſſimis viris, tum in primis Paullo Choarto Buzanvalio, Regis Galliae legato, Iano Douſae patri, chariſſimus fuit. Hoc ipſo tempore Hollandiae Ordines opera ipſius ad ſcribendam belli omnium nobiliſſimi Hiſtoriam uti coeperunt. Anno poſtea clɔ lɔ cvii. Curiarum ſuffragiis commendatus, ab Ordinibus, nominatus, ab Illuſtriſſimo, & Principibus ipſis admirando, Principe, Mauritio Naſſovio, electus eſt ad Fiſci advocationem, difficillimum munus, ut quod apud nos, praeter cauſſas proprie fiſcales, criminum quoque publicam perſequutionem contineat. In eo ita ſe geſſit, ut quibus inſpectoribus vivebat ampliſſimum integritatis, ac diligentiae, teſtimonium retulerit. Hic, quum intelligeret, navigationem in Indiam, foederaque eius orbis, ingentia eſſe praeſidia patriae ſuae, quo magis populares ſuos excitaret, ad eas res magno animo ſubſcipiendas, *De Iure commercii Indicani* libellum compoſuit. Rurſum, quum animadverteret, poſt inducias cum potentiſſimo Hiſpaniarum rege factas, intus rempublicam concuti coepiſſe a quibusdam, res novas periculoſe molientibus, boni civis ratus, pro virili occurrere, & ſtatum praeſentem omnibus commendare, diſſertationem edidit, cui titulum fecit, *De antiquitate Reipublicae Batavicae*. Tandem, anno clɔ lɔ cxiii. quum diem obiiſſet, vir ingenio non minus quam gente nobilis, Elias Oldenbarneveldius, eius ſe in locum in civitatis Roterodamenſis adſeſſionem, quem Syndicatum vulgo vocant, cooptari paſſus eſt, atque ita a foro ad rempublicam tranſiit. Simul in Britanniam miſſus, ob motas de Indicano commercio controverſias, a Rege optimo, ac religioſiſſimo, & eruditiſſimis eius inſulae viris, non parva benevolentiae ſigna accepit; hunc quoque eximium nactus itineris ſui fructum, ut quem abſentem coluerat Iſaacum Caſaubonum, eum ſibi amiciſſimum praeſentem experiretur.

Opuſcula haec ſunt.

Silvae ipſius; & Epigrammata, aliaque Poematum genera quaedam, ſigillatim edita ſunt, alia in amicorum libris adparent: pars maxima nondum auctori viſa eſt tanti quae ederetur.

Notae in Martiani Capellae Satyricon, in quo de nuptiis Philologiae libri duo, & de ſeptem artibus liberalibus libri ſingulares: prodierunt anno clɔ lɔ ıc.

Notae in Arati Phaenomena Graeca & verſiones Ciceronis, Germanici, & Avieni, inque imagines ſiderum cum ſupplemento verſionis Ciceronianae: anno clɔ lɔ c.

Metaphraſis Latina libri Belgice ſcripti a Simone Stevino, cui nomen λιμενευρητικὴ, ſive, portuum inveſtigandorum ratio: anno clɔ lɔ ci.

Adamus Exſul, Tragoedia, anno clɔ lɔ ci.

Chriſtus Patiens, Tragoedia, anno clɔ lɔ cviii.

Mare liberum, ſive; De iure quod Batavis competit ad Indicana commercia, Diſſertatio: anno clɔ lɔ cix.

De antiquitate Reipublicae Batavicae, anno clɔ lɔ cx.

Ordinum Hollandiae pietas, ab improbiſſimorum multorum calumniis, praeſertim vero a Sibrandi Lubberti Epiſtola, quam ad Reverendiſſimum Archiepiſcopum Cantuarienſem ſcripſit, vindicata clɔ lɔ cxiii.

De Satisfactione Chriſti, adverſus Socinum, clɔ lɔ c xvii.

Dicta Poetarum apud Stobaeum, Latine verſa, & emendata. clɔ lɔ c xxii.

Item alia, partim Belgica; partim etiam minus nota.

Nondum editae ſunt.

Commentationes in leges quaſdam difficiliores, l. Mater. ff. De inofficioſo teſtamento. l. Frater a fratre ff. De cond. ind. l. Eius qui ff. De rebus cred. l. Lecta. eodem tit. l. Gallus. ff. De lib. & poſth. l. Filius, C. Familiae erciſcundae. Et alias quaſdam iuris partes, exercitii gratia conſcripta.

Item, Comparatio Rerumpublicarum, Athenienſis, Romanae veteris, & Batavicae.

Notae in Hymnos Orphei, qui dicuntur.

Illuſtratio Hiſtoriae Moſaicae, ex ſcriptis Ethnicorum.

Annales belli Belgici, a digreſſu Philippi II. Regis in Hiſpaniam, ad Inducias uſque anno-

Digitized by Google

norum plus quadraginta tempus libris viginti tribus complexi.

Est in eum hoc Epigramma;

DEpositum coeli, quod iure Batavia mater
Horret, & haud credit se peperisse sibi,
Talem oculis, talem ore tulit se maximus Hugo;
Instar crede hominis, cetera crede Dei.

DANIEL HEINSIVS.

DANIEL HEINSIVS.

DANIEL HEINSIVS, Nicolao Heinsio, Nicolai, viri ab eruditione varia in patria celeberrimi, consulis Gerardimontani filio, & Elisabetha Navegeria, Gandavi anno CIↃ IↃLXXXI. natus, vix in patria vixit; fortunae, ut subinde loqui de se solet, privignus. Trimulo vix maior quippe, Veriam a matre cum nutrice ablegatus est, ut materteras, matronas nobilissimas, Catharinam, & Elisabetham Houwelias, quae calamitate temporis adductae eo se contulerant, puerilibus blanditiis in exsilio oblectaret. Paulo post in Britanniam a parentibus deductus, Doverae, & Londini quum haesisset menses aliquot, Delphos Batavorum primo, mox Ryswyckum [Hagae vicinus vicus est] eosdem est sequutus: ubi avunculum recenter Ordinibus adscitum, cum matertera, germana matris sorore, magni animi foemina invenit. Quae, post occupatam ab hoste urbem, quum immani pecunia multata esset, quod marius amplae dignitatis vir, summus rerum criminalium per Flandriam Praefectus, Auriaco haesisset, & cum eo in Zelandiam elapsus esset, cum uxore Praesidis, rustica veste, quam in via adsumserat, per media hostis praesidia, ad Divi Philippi munimentum, quod in Flandriae finibus Scaldi imminet, pervenit. Vbi navem nacta commode, in eam se coniecit: publico accenso, qui ad eam rem missus a marito venerat, hosti, qui in ripa adstabat, ignaviam eminus per gestus exprobrante, & militari lascivia crudelitatem subinde ingerente. Pater ea fuit prudentia, ut quum paullo ante deditionem Gandavensem a Brugensibus invitaretur, qui praeclarum illi in urbe sua munus Syndici obferrent, ipse autem propter fatalem nonnullorum in Rep. intemperiem, miram rerum omnium praesagiret conversionem, honorem oblatum laudaret, omni autem functione publica se abdicaret; Espinoiae principis bonorum, tum molesta satis cura, & negotiis forensibus contentus. Donec patriae ruenti, solo amore pietatis, quam ex Desiderii Erasmi lucubrationibus perceperat, quas perpetuo legebat, se subduxit. Multis consilium illius admirantibus, quem in partibus fuisse nemo prope gnarus esset. Seditiones quippe, & plebeiam insaniam, sed praecipue superiorum contemtum, ne cum specioso quidem praetextu admittebat: quod ad extremum usque diem filio vir prudens inculcabat. Religionem enim plurimis mantellum esse, quae cuicumque improbitati induceres, eam facile caelaret. In maximis patriae turbis, crebro verba ista usurpabat: Audi, Vide, Tace, Abstine. Quae in Lycestriana quoque factione saepe repetebat; quum nonnullos ea implicatos videret, & praesertim pietatem professos. Vnde, vulgo omnia in partem alteram interpretante, primum timidus, mox, quum ad successum esset ventum, qui non raro est cruentus, callidus adpellabatur. Videbat enim principes in aliena Rep. primum voluntates licitari civium; mox sanguinem: securos utro res cadat. Cum morituris quippe, nisi si succedat, scire se pacisci. Eos ergo aut prodesse sibi, aut molestos amplius non esse. Religionem vero illis ludum, plebi autem escam esse. Ea animi prudentia & functiones aliquot subscepit. Intelligebat enim, neminem ut vellet in exilio versari, cuius maximum incommodum aiebat esse, quod privato sibi esse non liceret. Rysvici aliquamdiu, cum amore ruris tum commoditate loci captus, quum haesisset, Hagam cum adfine, & filio se contulit. In qua urbe puer prima literarum elementa, a parente primum, cui post amissas opes & forenses occupationes, unum hoc supererat solatium, mox ab anu quadam, quae mercede ludum aperuerat, edoctus est: praestante interim omnia optimo parente, quae a praeceptore exspectari poterant. Nam & manum pueri iam scriptitantis studiose admodum ducebat, & plerumque voces Gallicas quas disceret quotidie praeibat, ac praemiolo subinde invitabat: delinquentem autem solo vultu in officio, quum indolem illius perspexisset, & natura mire lenis esset, continebat. In Zelandiam non ita multo post cum parentibus migravit. Vbi a doctissimis suavissimisque praeceptoribus, Ioanne Kauvvenburgio Belosio, innocentissimo & supra fidem erudito viro, Nicolao Olivario, Petro Montano, & Tobia Schemeringio, primis literarum & Philosophiae, praeter Logicam quam dicunt, Moralis quoque & quae de Natura agit, principiis imbutus est: verum ut nihil cum maiore animi molestia quam Grammaticorum canones hauriret, a quibus occulto quodam naturae instinctu abhorrebat. Nam ad Graecam eruditionem, quanta quidem ibi solet percipi, nullis praeceptorum monitis compelli poterat. Quum aetatis anno nono, priusquam ullam syllabarum percepisset rationem, quam cum maximo labore postea perdidicit, versus scribillaret, & occasione qualibet effunderet supra quam credibile, laboris fugitans, & in lusum toto animo intentus. Quae res quum non usquequaque praeceptoribus placeret; qui libenter tamen connivebant, quicquid delinquebat, versibus plerumque iussus expiabat; quid de facili proveniebant. Anno admodum aetatis decimo & quarto, Franekeram a parente addiscendi iuris caussa missus est. Vbi inter alios Henricum Schotanum bis quotidie docentem audiebat. Ita tamen, ut maiorem Graecis literis, quarum incredibili tum studio efferebatur, curam impenderet.

Quas

Digitized by Google

Quas breviſſimo tempore adripuit. Adeo ut quum Muſaei *De amoribus Leandri & Heronis* poematium, manu ſua deſcripſiſſet, & ex eo aliquem poetici ſermonis percepiſſet guſtum; paucis poſt menſibus hoc ipſum aliis praelegeret. Poſtquam ibi ſeſquiannum egiſſet, Lugdunum miſſus eſt: ubi annum amplius Iurisconſultos, & Vulcanium inprimis, virum celeberrimum, ac alios, audivit. Philoſophiae ſupra cetera diſcendae cupidus, ſed quae ex Platone & Ariſtotele, ac eorum interpretibus, ſimul cum facundia hauritur. Clam parente quidem iſta. Qui diverſa longe a profectu eius, quem iam foro deſtinarat, ſpe & animo volvebat. Quare domum revocatus ſubito, deſertor prope ſtudiorum factus eſt. Ut qui & a foro abhorreret, ſacris ſtudiis addictior, & auctores Graecos Latinoſque omnes maximo ardore mentis ac cupiditate percurriſſet. In hac urbe primum a Ioſepho Scaligero, Philippo Marnixio, aliiſque primis ſui ſaeculi hominibus, dilectus eſt. Et ab illo quidem tam conſtanter, ut cum alias non ſemel, tum ſub ipſum vitae exitum, neminem ſe, dum vixiſſet, pari proſequutum eſſe amore adfirmaret. Quod & luculenta, partim edita, partim, quae in amicorum manibus verſantur, maximi herois iudicia, inprimis ſupremum, teſtantur. Quo & libros illi quot, & quales vellet, & e ſupellectile, quod gratum maxime exiſtimaret, moriens reliquit. Quem & ipſe ſupra omnes veneratus eſt. Neque parum ſe debere ſemper eſt profeſſus. Quum vix dies eſſet, quin divinum ſenem ſalutaret, & quaecumque ſcriberet, cuius ea cunque eſſent generis, maxima cum voluptate audienti legeret, aut recitaret. Saepe audire ex eo memini ſolo vel conſpectu, vel oratione maximi herois, ita inflammatum ſaepe ſibi animum fuiſſe, ut non raro noctes totas ex profectus deſperatione ageret inſomnes, aut de commutanda vitae ratione cogitaret. Idemque illi eveniſſe, quum praeclara aliorum ſcripta (Grotii praecipue ac Baudii) evolveret. Eius commendatione & a Paulo Choarto Buzenvalio, Chriſtianiſſimi Regis Legato, & a Iano Douſa, tenerrime amatus eſt: qui vir vere magnus, quoties Lugdunum Haga ſe conferret, ultro ſaepe, & privatum & adoleſcentem, viſitabat, ſaepe etiam Nordvvicum adducebat. Vbi dies aliquot plerunque in literis cum voluptate incredibili ponebant. Adoleſcentem enim deperibat innocentiſſimus ſenex, ſenem viciſſim ſanctiſſime colebat adoleſcens. Cuius rei teſtes eſſe poſſunt nobiliſſimi herois liberi ſuperſtites. Eidemque rebus humanis exemto, adſtricto & ſoluto ſermone parentavit. Adoleſcens admodum publice docere coepit: anno nempe ſupra decimum octavo. Cum Latinos primo, mox & Graecos exponeret auctores. Nunc Politicos interpretatur, ac Hiſtoricos. Poſt Douſam filium, & Paullum Merulam, tertius publicae a Curatoribus bibliothecae praefectus eſt. In munere autem Secretarii, quem vocant Academicum, Bonaventurae Vulcanio ſucceſſit: adnitente ubique viro nobiliſſimo Cornelio Vandermylio, cui omnia debere ſe libenter profitetur. Anno trigeſimo aetatis circiter & quinto, Ermegardin Rutgerſiam, Iani Rutgerſii, viri, cum eruditione, ſcriptis, ac ingenio plane admirando, tum legationibus ad omnes fere Europae principes clariſſimi, atque hoc tempore ad Ordines Belgii foederatos Sereniſſimi Svecorum Regis Oratoris digniſſimi, ſororem unicam, uxorem duxit. Qua adfinitate primis Reip. Dordracenae familiis, inprimis Muſiorum antiquiſſimae, innexus eſt. Anno cIↃ IↃ CXVIII. a Sereniſſimo ac vere invicto Principe Guſtavo II. poſtquam liberalitatem eius ſine exemplo magnam ſaepe expertus eſſet, Regni Hiſtoricus, neque multo poſt in Conſiliariorum numerum, cum vere regio ſtipendio, adſcitus eſt. Ac quum de religione ortum certamen eſſet, eiuſque componendi cauſa Dordracum Foederati Ordines legatos e provinciis miſiſſent, ab iis ad concipienda Politicorum Acta vocatus eſt. Italiae, ingeniorum principi, ita ſe probavit, ut quod honori ducit, ſaepius ab ea gente fuerit vocatus. Inter ceteros, Auguſtae Venetorum Reipublicæ; in qua alios non paucos, tum incomparabili virtute ac nobilitate virum, Illuſtriſſimum Dominicum Molinum, cum antiquitate omni comparandum, ita ſibi iunxit, ut, quod proprium eſt Italorum, quem complexus ſemel eſſet, humanitate obrueret; nec ipſum modo, ſed quoſcunque commendaret, beneficiis demereretur. Qua occaſione, quum inter Sereniſſimam Rempublicam, ac Praepotentes Ordines, foedus eſſet initum, ac Gratulationem ad Senatum Sereniſſimum ſcripſiſſet, totius Pregadini, praeter omnem expectationem, ſuffragiis, Eques D. Marci deſignatus primum, ac deinde cum Nobiliſſimo Ampliſſimoque Viro, Marco a Lyclema, qui eo tempore, quo ſubſignatum fuit foedus in Collegio illuſtrium ac praepotentum Ordinum ex more praeſidebat, Hagae Comitis, a Marco Antonio Moreſino, Sereniſſimae Reipublicae Legato, torque, diplomate, ac illius ordinis inſignibus, ſolemniter donatus eſt. Neque multo ante ſummo ac prope ineffabili linguarum Orientis ſtudio flagrare coepit. Quia fabulas Graecorum & Grammaticorum nugas, ad hunc unum Solem, & origines illarum gentium collatas, quae & quales eſſent, optime convinci poſſe iudicabat. In quibus praeceptore, viro ſummo, Thoma Erpenio, in Ebraeis praecipue, Chaldaeis, ac Syriacis, aliquamdiu uſus eſt. Qui & in illius gratiam Syriacam Grammaticam conſcripſit. Atque haec vitae ſeries Lectori eſto, non elogium. Quod non praeripiendum, ſed iudicio, vel aliorum, vel poſteritatis relinquendum eſt.

Haec autem edidit.

Silium Italicum, cum Crepundiis. Quae poſtea indigna iudicavit, quae tolleret. Vt & Auriacum Tragoediam.

Latina ac Graeca poemata, in quibus diverſa & diverſi generis ſaepius edita, ac nunc demum ab auctore recenſita.

Ma-

Digitized by Google

Maximum Tyrium Philoſophum, cum Latina interpretatione & Notis.

Ariſtotelis librum De Poetica; cum interpretatione & Notis.

Librum de Conſtitutione ſecundum Ariſtotelem Tragoediae.

Paraphraſten antiquiſſimum in Ethica Ariſtotelis, nunquam antea editum, cum interpretatione ſua.

Q. Horatii Flacci opera. Quibus librum De Satira, in quo inter alia de adfinitate eius cum Graecorum Satiris, materia, forma, inſtituto poetae, ac aliorum, cum diverſis iiſque praecipuis aetatis huius viris, prolixe diſputatur, & Notas addidit. Quae nunc altera parte auctiores, ut & De Satira liber, eduntur.

Theocritum & Graecos interpretes, cum Theocriticarum Scholarum in eumdem Libro, qui cum Ioſephi Scaligeri Notis, & Iſaaci Caſauboni Lectionibus eſt editus.

Heſiodum & eius interpretes, cum Introductione ſua in Opera & Dies. In qua antiqua eius libri philoſophia exponitur. Item Notas in eundem.

Peplum Graecorum Epigrammatum, in quo omnes celebriores Graeciae philoſophi, encomia eorum, vita, & opiniones, recenſentur, aut exponuntur.

Senecae Tragoedias, cum ſuis & Ioſephi Scaligeri Notis.

Theophraſti Ereſii opera, infinitis locis a ſe emendata; cum interpretatione Gazae, quam recenſuit paſſim.

Orationum volumen, item quaſdam alias: nondum reliquis adiunctas, in obitum Cluverii, & Bontii; item Iul. Caeſarem, ſive de mutatione Reip. Romanae: & Gratulationem ad Venetos, de Foedere cum Illuſtribus DD. Ordinibus inito.

Diſſertationem, ſive in Epiſtolam, qua Iureconſultorum, ac Ariſtotelis, de naturali ſervitute ſententia conciliatur.

Diſſertationem, ſive Epiſtolam, Qualis viro literato ſit ducenda uxor.

Clementis Alexandrini opera recenſuit, & Latinam interpretationem ad Graeci codicis fidem paſſim interpolavit.

Belgica Poemata, in quibus praecipuum Hymnum in Filium Dei, quo tota Eccleſiae doctrina continetur, cum Adnotationibus perpetuis, ex Patrum SS. ſcriptis.

Laudem Aſini; qua, praeter eius animalis laudes, ac naturae propria, cum politica non pauca, tum nonnulla alia, diverſae eruditionis, exprimuntur.

In Ariſtotelis Politica paraphraſim perpetuam.

De Contemtu Mortis, Libros IV. in quibus, argumentis philoſophicis partim, & ſacris, charactere heroico, hoc argumentum tractatur: quos Ioanni Rutgerſio inſcripſit.

Ariſtarchus in Nonni paraphraſin, quo infiniti cum S. Evangeliſtae Ioannis, tum aliorum, ſacrorum praecipue Auctorum, explicantur loci, ſub praelo eſt.

Adſcribuntur illi Satirae tres; Hercules tuam fidem, Virgula divina, Cras credo, hodie nihil.

Nunc Platonicas Diſſertationes, & Ariſtarchum; ſive libros De diſciplinis veterum, prolixum opus, meditatur.

Ex his pleraque aliquoties ab auctore aucta, emendata, recenſita, & de novo edita ſunt.

Ipſe de parentibus, patria, inſtitutione, haec in Hipponacte.

NEc me pudendo mater edidit partu,
Imbelliave notus extulit ſanguis:
Sed Martiali gens adorea compos,
Peiuſque letho, peius inferum portis,
Exoſa nomen ſervitutis ignavae.
Nec poenitenda mater edidit terra;
Quanquam univerſi civis eſſe contendo,
In orbe natus, civitate contentus,
Quam Phoebus ambit, auctor igneae lucis:
Aetherque totus, fons originis noſtrae.
Nec una tellus claudit indolem noſtram;
Angusta laudi, quam meretur hic ardor.
Tamen ſub auras Ganda protulit primum,
Regina quondam floſque Belgicae Ganda,
Nutrix Deorum Ganda, Caeſaris mater:
Quam tauriformis Liza, Liviae iunctus,
Quam Cala, pulcher limpiduſque ſpectari,
Scaldiſque cingit, ipſe fluminum princeps.
Sed me ſuperbus hoſtis, & ferox belli,
Noſtraeque menti ſemper aequa libertas,
Britanniaſque Galliaſque vix natum
Luſtrare adegit. Hinc recepit errantem
Regalis Haga, poſt Walachiae littus.
Hic innocentis ver puertiae fluxit,
Vmbrae fugacis inſtar, aut brevis ſomni.
Tum Friſiorum parva, ſed tamen blanda,
Sedes Minervae, plenioribus Muſis
Et arte donat, dum Bataviae rurſus
Amica Phoebo gens, amicior Marti,
Traxit volentem, nobiliſque Lugdunum
Non inquieto fixit anchoram morſu.
Hic Diva verſor uſque, patriae veſtrae
Nec inquilinus degener, nec ignotus.
Hic me, furentem ardore poſtumae laudis,
Blandique honoris, magna Caeſaris proles
Provexit ultra: dux ſuperbus audendi,
Et certus auctor: nec moleſtus exactor,
Sed callidus laudator ingenî noſtri.
Vt ardua cervice cornipes pullus,
Plenus iuventae, viriumque, celum omne
Hinnitibus laceſſit, & ſolum tundit:
Tum ſi magiſter plauſibus ferit pectus,
Iubamque mulcet, ſtare iam loco neſcit,
Fraenumque mordet creber, & vomit ſpumam,
Sic aeſtuantem mentis indolem noſtrae
Herois inflammavit incliti ſermo,
Oratioque, nunc amica, nunc alta,
Cordis perurens intimum penetrale.

EPIGRAMMA.

HIc ille Heinſiades, quem pingere ſolus Apelles;
Dicere quem digne ſolus Apollo poteſt:
Sola parens regum meruit quem gignere Ganda,
Sola parens vatum Leida fovere ſinu.

MAXIMILIANVS VRIENTIVS.

PE-

Digitized by Google

PETRVS SCRIVERIVS

PETRI SCRIVERII nativitas incidit in annum cIↃ IↃ LXXVI. XII. Ianuarii die, Harlemi; quae urbs Caninefatum primaria, Amstelredamo, Europae emporio florentissimo, tribus, & Lugduno Batavorum, amoenissimo Musarum domicilio, quinque milliaribus distans, jam in Aegypto ad Nili ostium, circa Damiatae expugnationem, ingeniosissima, & animosissima, totius Christiani exercitus habita; & laudabili deinde Typographiae invento, Hispanorum denique gravissima obsidione fortiter tolerata, inprimis celebris Pater eius, Henricus Scriverius, Amstelodamensis, in spem mercaturae a parentibus educatus, adolescentulus admodum Antuerpiam, quod tunc famosius Amstelredamo emporium erat, amandatus est; ubi oblata sibi occasione, in Hispaniam, Lusitaniamque traiecit; atque inde in Brasiliam, Pernambuci, celeberrimo eius regni loco, integrum prope annum subsistere coactus. Tamdem, ex diutina peregrinatione in patriam redux, de ducenda uxore consilium cepit; quam, illectus formae illecebra, Harlemi invenit. Haec patrimonii reditibus contenta, secretique otii dulcedine, a concursu, & strepitu vulgi alienior reddita, aegrè vix Harlemo, & ab carissima eaque unica sorore, Bertholdo Nieuburgio, viro Consulari nupta, avelli potuit: marito interim ad curanda negotia Amstelredamum saepenumero excurrente, bonique patrisfamilias partes strenue tutante. Facta tandem trium natorum (etiam nunc superstitum) parens, exacto Harlemi quadriennio, Amstelredamum se cum tota familia traduci passa est. Ibi Henricus post fidelem aliquot annorum, in ordine Eleemosynariorum administrationem, aerario publico anno cIↃ IↃ CIII. praefectus est; eaque dignitate laudabiliter perfunctus, donec studio tranquillioris vitae munus illud ultro deposuit, atque Harlemum seceſſit. Filius primogenitus Petrus, cetera familia Amstelrodamum migrante, Harlemi ab avunculo, iam liberis suis tempore obsidionis Hispanicae orbato, retentus est, Musis ab ipso destinatus; quarum in nutricatu post, adnitente unice Nieuburgio, tenerrime eductus, edoctusque est. Primaque eius rudimenta fuerunt, tum privatim domi apud avunculum, tum publice in ludo literario; cui tunc praeerat Rector Cornelius Sconaeus, non infimi spiritus poeta, editisque aliquot sacris Comoediis celebris, ut Terentii Christiani nomen adeptus sit. Sub huius disciplina prima studiorum suorum tyrocinia posuit: inter alia Poesi mirifice delectatus, & literis humanioribus. Ad quarum uberiorem cognitionem, tanquam ad mercatum, Lugdunum Batavorum anno cIↃ IↃ XCIII. missus est. Hic irretitus amoenioribus illis Philologiae & Historiarum studiis, Ius Civile, ad quod perdiscendum potissimum venerat, negligentius tractare, ac insuper pene habere; triennium tamen, & quod excurrit, ei studio per intervalla dedit, audivitque Professores in ea facultate primarios, Iulium Beymam, Cornelium Grotium, Everardum Bronchorstium, & Gerardum Tuningium: stimulatus identidem ab avunculo suo, & eius fratre, amplissimo viro D. Theodoro Nieuburgio, Curiae Praeside, qui adolescentis studia sedulo fovit, nascentique ingenio non parum favit. Cuius ingentis amici ac fautoris sui morte, turbata eius Iuris studia fuere: nec Foro, cui consecrabatur a patre, & amicis, (repugnante licet & abhorrente fere a litibus eius natura) admotus est; quamquam brevi in Hagensium Advocatorum ordinem cooptandus videbatur. Fato itaque imputandum est, quod Foro subductus, Historiae atque humanioribus literis totum se dare potuerit; fruens interea amicitia & consuetudine doctissimorum virorum, & praestantissimorum iuvenum, quorum nomina consecrata sunt aeternitati. Cum tribus Ianis, aequalibus suis, familiarissime inprimis vixit, & studia communicavit; I. Wouwerio elegantiarum Arbitri editore clarissimo; I. Meursio Lycophronis tenebras discutiente; & I. Isaacio Pontano, Macrobium pristino nitori restituente. Clarissimis viris, Bonaventurae Vulcanio, & Paulo Merulae innotuit quoque familiariter, & amice; praeceptoresque hos suos, qua debuit discipulus observantia, prosequutus est semper. Summaque reverentia, & honore, etsi annis minorem, coluit Hugonem Grotium. His cum elegantissimo Helia Putschio fel. mem. accessit postea ὁ θαυμάσιος Daniel Heinsius: deinde Georgius, Franciscus, & Theodericus, Dousae, ornatissimorum fratrum triga: denique Dominicus Baudius; quem, ob excellentes ingenii dotes, plurimum semper admiratus est. Sed nec minus dilectus est ab Academiae Curatore Iano Dousa patre, nobilissimorum virorum doctissimo, & doctissimorum nobilissimo: atque ipsomet a Scaligero, illustri ac incomparabili heroe: qui ambo benigne admodum amicitiae fores ei aperuerunt, & a quibus nunquam non nisi doctior receſſit: sed & tristior nonnumquam, & cum displicentia sui, a viris illis & iuvenibus consummatissimis digressus est; considerans, quantum adhuc ignoraret; ac desperans, se unquam ad decus aliquod, nomenque perventurum: atque haec ratio est, quod, ex quo tempore divina Grotii, Heinsiique Poemata in lucem promanarunt, visam sibi iampridem viam, qua iretur ad carmen, calcare timuerit. Et, o utinam ieiuni aliquot pallidique vates, hoc consilium sequuti, manum a scribendis versibus abstinerent! Hoc hominum doctissimorum consortio, & loci amoenitate captus, Lugduni, anno cIↃ IↃ XCIX. uxorem duxit; ita Academiae quodammodo insertus, publico egregio, quamquam privatus, & lare secreto, bonam operam navat: totus nunc in priscis Hollandorum, finitimorumque, Annalibus concinnandis.

Ex quidem hactenus ab eo praestita sunt, partim edita, partim edenda.

EDITA.

V. *Inl Flavii Vegetii Renati de Re Militari libri ad manuscriptorum codicum fidem emendati, anno* clɔlɔcvii. *Subditique Commentarii Godesch. Stevvechii ab ipso recogniti, & expoliti. Quibus inter alios Rei Militaris Scriptores additus*

Iulii Hygini Gromaticus, sive de Castrametatione liber, ex antiquissimis membranis primum editus.

Sex. Iulii Frontini V. C. Strategemata, collatis exemplaribus scriptis, meliora & castigatiora.

Eiusdem Commentarius de Aquaeductibus Romae, emendatior, concinniorque; Item.

De Agrorum controversiis, cum Aggenni Vrbici Commentario: Nec non,

De Limitibus, & Coloniis eiusdem; partim erutа ex MSS. & luculenta accessione aucta, partim studiose interpolata.

Sed quia in his Frontini quaedam restant misere lancinata, & distorta, medicinam opemque ex Bibliotheca Scriverii nostri speramus.

Antiquitatum Batavicarum Tabularium.

Additamenta, & Observationes ad Henrici Aquilii Chronicon Gelriae.

Batavia illustrata, seu de Batavorum insula, Hollandia. Zelandia, Frisia, Territorio Traiectensi & Gelria, Scriptores varii, iunctim ex ipsius museo editi anno clɔlɔcix.

Apuleius, emendatus.

Martialis, cum Animadversionibus.

Seneca Tragicus, cum veterum Tragicorum Collectaneis, & Fragmentis.

Bataviae, Comitumque omnium, Historia, lingua vernacula.

Alia quaedam, subpresso Auctoris nomine.

Debentur huic, quos aere suo redemit, & vindicavit; *Pauli Leopardi Emendationum & Miscellaneorum ex viginti libris decem posteriores: Item.*

Iacobi Nicolai Loensis Miscellaneorum Epiphyllidum libri novem, cum fragmento decimi. Quorum hic tom. v. *Lampadis Criticae Gruterianae in Supplemento, ille tom.* iii. *loco principe legitur.*

Habes in eadem Liberalium artium Face, tom. v. sub finem, *Lucae Fruterii Coniectaneorum Verosimilium librum* iii. *cum eiusdem, & Hadriani Iunii Epistolis quibusdam Philologicis.* Haec quoque ex Bibliotheca Scriverii depromta. Quod adnotatum volui, nescius ne esses, Lector.

EDENDA.

M. Val. Martialis nova Editio. Qua Poeta, post accuratam V CL. Iani Gruteri recensionem, innumeris locis serio castigatur, & Notis illustratur.

De locis dubiis apud Martialem Epistolicae Quaestiones.

Miscellanea Philologica. Quibus optimi quique Auctores, Poetae, Oratores, Historici, Iurisconsulti, Patres, &c a turpissimis mendis, hactenus inanimadversis, vindicantur, & emaculantur; aliorumque ineptae Coniecturae deteguntur passim, & corriguntur.

Farrago Poematum, sed indigniorum (auctoris sententia,) quae tollantur, & in tanta luce ingeniorum typis mandentur,

Animadversiones Historicae in Hadriani Iunii Bataviam, cum Attextu Paralipomenon, & aliis nonnullis.

Willelmi Hedae Alfinii, rerum Vltraiectinarum Scriptoris, emendatior, auctiorque Diplomatis multis Editio; Adnotationibus, ubi opus est, illustrata.

Hollandicarum rerum Scriptores veteres, e MSS, cum Notis, & uberioribus Collectaneis.

Populare Hollandiae Chronicon, ad Archiva & fide dignos Auctores examinatum, rasumque Veri lima. Multis praeterea novis historiis, & praeclaris observationibus auctum, Opus luculentum, & gratissimum indigenis futurum.

IANI DOVSAE PATRIS
ELEGIA,
AD
PETRVM SCRIVERIVM.
Albo eiusdem inscripta.

CVria dum cessans agere Halcedonia gaudet,
Cumque foro puteal litibus omne vacat;
Pragmaticoque gregi ludus datur; & mihi amatae.
Quae (precor) invidia est, tangere fila lyrae?
Ite procul lites, queruli procul ite libelli:
Dum licet; ite: choris aptior ista dies.
Non ego, Phoebe pater (fuit haec mihi copia quondam)
Impendam numeris tempora longa tuis.
Dimidiae (ut nunc est) spatium mihi subficit horae.
Scriverio satis hoc: quid minus esse potest?
Quae superant, Patriis Annalibus insumemus
Otia; non nobis, sed Patriae geniti.
Nec mihi mens, sacris operari velle Vacunae:
Vita (velim quaeras) nostra pigrore vacat.
Et Critice nobis, sed & Antiquaria debet
Res aliquid; debet & Schola Cattigenûm.
Scriverii tabulis nomen, non verba, daturo,
I puer, huc plectrum fer mihi, fer citharam.
Sic Genium, sic usque novos in carmina flores,
Vivifica adspiret Chloridos aura mihi,
Vt non ulla tuo mihi pagina gratior Albo:
Maiores optem nec mihi divitias,
Quam tecum vitae traducere tempora, & uti
Tam doctis propius posse sodalitiis,
Scriveri, a nostris nova lux exorta Camoenis,
Plena cui archaico pectora rore madent:
Ad socias Charitum ductat quem triga choreas:
Omnia cui magni contribuere Dei,
Quae possint homines facere ac servare beatos;
Lactior (ô) quanto sors tua sorte mea est!
Felicem tamen hoc uno me dicere possum
Nomine, quod tanti Dousica Musa tibi,
Ausit ut hanc claris nebulam inter spargere stellis;
Ah, nimium iussis obsequiosa tuis.

Quod

Digitized by Google

Quod fauſtum & felix igitur, cape Douſica tandem
Symbola, manſurae pignus amicitiae . .
Quodque adeo fruſtra poſcat ſibi Braſſica, vate
A ſocio vates hoc tibi carmen habe. Eleg. lib. II. Eleg VII.

Exſtat & iſtud Epigramma in eiuſdem effigiem.

HAec eſt nota tui, Lector, Scriptoris imago,
Hoc illi Phoebus nomen habere dedit;
Cui patriam debet Batavus; cui Martia Roma,
Quicquid habet, nulli notior illa fuit.
Defuit ingenio pictor, minus adſpicis illo;
Non facit ad laudes corpus, & umbra viri.
Scilicet ut gemina ſpectatur imagine Ianus,
Hic quoque plus una conſpiciendus erat.
DANIEL HEINSIVS.

LVCAS TRELCATIVS F.

NAtus Londini, patre ob religionem profugo, anno clo Io LXXIII. Aetatem primam Bruxellis Antuerpiae, & Lugduni Batavorum egit, ſub Orydrio, Carpenterio, Stochio. Annum vix egreſſus XVII concionibus ad populum habendis admotus eſt; iam tunc ſcilicet:

Ante annos animumque gerens, curaſque viriles.

Docendi exercitia peregrinationes excepere, non illae iuveniles, otii tranſmittendi cauſſa inſtitutae, ſed quae athletam Dei exercerent. Ergo ſimul atque Heidelbergam venit, Eccleſiam Gallicam, rogatu presbyterii, totos menſes ſex fideliter divino verbo pavit; & digreſſus inde, Baſileae, Tiguri, Genevae, optimo cuique atque eruditiſſimo gratus & acceptus fuit; quodque Genevae vix unquam cuiquam, hoc iſti noſtro delatum eſt, ut in tanta eruditorum, piorumque, & diſertorum Miniſtrorum copia, ipſe, licet adhuc adoleſcens, in Eccleſia audiretur: adplaudentibus Beza, & Goulartio. Revocatus inde, non delicias cogitavit. non otium, non voluptates, non uxorculam; ſed crucem Chriſti, & gementes ſub tyrannide Antichriſti (1) Eccleſias, partim conſilio amicorum, partim propria deliberatione, experiri inſtituit; & in iis ſe Deo, & ſancto Chriſti gregi probare. Sed & ipſum Aquiſgrano ad ſuos in Bataviam remeantem excepit non levis terror. Captus enim a Buſcoducenſibus, quum nihil niſi mortem, & extrema quaeque imaginaretur, ſubito amicorum opera elapſus eſt. Atque ita Lugdunum Batavorum poſt biennii peregrinationem venit, curamque fidelem ex eo tempore primum Eccleſiae, poſtea defuncto patre Academiae, praeſtitit: donec, conſummato curſu ſuo, in coeleſtem patriam, & contubernium ſanctorum (2) evocatus eſt, ingenti ſuis relicto moerore. Obiit XII. Septembr. anno Chriſti clo Io C VII. aetatis ſuae XXXIV.

EPITAPHIVM.

POſtquam tot Chriſti famulos, tot lumina mundi,
Funeribus denſis merſit acerba dies:
Meurſii Tom. X.

Te quoque TRELCATI, *media florente iuventa*
Mors comitem tantis addidit atra viris:
Vt pullo ſqualleus Eccleſia fleret amictu,
Fleret Athenei mota cathedra tui.
Haec te patrem deſiderat, illa magiſtrum;
Vtraque dat lacrimas, orba parente ſuo.
Iuſtus utrique dolor, tu parte beatior iſta es,
Quod tali potius tempore raptus obis,
Quo fas omne perit, quo non amor ullus honeſti eſt.
Cumque ſua iuſtos mors pietate metit.
Quod niſi ſublatis iuſtis te fata tuliſſent.
Tempus erat iuſtos te moriente mori.
IOSEPHVS SCALIGER Amico.

Scripſit.

INſtitutiones Theologiae.
Tractatum De brevitate vitae, Gallice.
Antidotum contra Peſtem. Et, qui nondum editus eſt,
Adparatum ad S. Scripturam.

PETRVS BERTIVS.

HIc Beveris, Flandriae Occiduae pago, natus anno clo Io LXV. die XIV. Novemb. ferventibus ob religionem διωγμοῖς, tertio ſtatim a nativitate menſe in Angliam a parentibus abductus eſt, & poſt difficilem educationem anno ſeptimo aetatis in ſuburbio Londinenſi prima linguarum Latinae, Graecae, Gallicae, tyrocinia poſuit, ſub Chriſtiano Rychio, & privigna eius, virgine eruditiſſima, Petronia Lansbergia; a qua & καλλιγραφίαν didicit, & artem Muſicam. Inde revocatus in Hollandiam a patre, Rotterodamenſis tunc Eccleſiae paſtore, nomen vix duodecennis ſurgenti primum Academiae Lugduno-Batavae dedit, Rectore Petreio Tiara: ubi & Ebraeam linguam guſtavit ſub Hermanno Rennechero; & humaniores literas ſub Lipſio, & Vulcanio; & S. Theologiae principia ſub Gulielmo Feuguereo, Lamberto Danaeo, Sturmio, Holmanno, Saravia; nunquam ſe vel Academicis, vel Eccleſiaſticis diſſidiis implicans; ſed pacata Muſarum ſacra colens, cum lectiſſimis ſodalibus, Rumoldo Hogerbetio, Ioanne Helychio, Georgio Benedicti, Iacobo Arminio, Reinoldo a Brederode, Nicolao Cromhoutio, Ioanne Berckio, aliiſque; quorum virtus iampridem orbi nota: donec anno clo Io LXXXII. Academiam, & cruda adhuc atque immatura ſtudia deſerere coactus, primum in Flandria Dunkercae ad menſes tres, poſtea Oſtendae ſequentes octo, inde Middelburgi per annum unum, ac tandem Goeſae per annos quinque iuventuti inſtituendae praefuit. Quum autem intelligeret, Lugduni Batavorum in Schola triviali vacuam eſſe provinciam lectoris claſſici, ingentis beneficii loco habuit, quod ad eam honeſtis conditionibus a Rectore Stochio admitteretur; tum ob urbis Genium, tum, quod ſperaret, ſe in Atheneo Batavico praecipitata, ac proinde acerba adhuc, ſtudia ſua ad aliquam maturitatem poſſe revocare; ſi ingenium doctorum virorum, atque

(1) Exſecrare, Lector, hominis heterodoxi blaſphemiam.
(2) Haeretici hominis manes, non coelo recepti ſunt, ſed in infernos perpetuo cruciandi detruſi.

Digitized by Google

que inprimis Iusti Lipsii, lima ad rectam normam poliretur. Nec defuit huic voto eventus. Tantum enim, subsecivis horis contendendo, effecit, ut intra biennii spatium iacturam intermissi temporis aliquo modo compensarit. Etsi vero quotidie horas quinque Scholastico muneri impenderet, tamen in Historia Lipsium, in Graecis Vulcanium, in Philosophia Ramseum, in Theologia Trelcatium, docentes publice sectabatur: privatim vero legebat M. Tullium, & Aristotelem, & Plutarchum, exque iis notabilia diligenter excerpebat, una cum Generoso Domino de Langerack; idemque postea in Arnobio, & Tertulliano, & Clemente Alexandrino factitabat; nocturnis lucubrationibus restaurans diurnarum occupationum iacturam. Disputando etiam publice, ac privatim, sese exercebat quotidie: & eloquentiae, ac Poesi operam navabat sub Lipsio; una cum Iano Dousa iuniore, Iusto Raphelengio, aliisque Academiae nostrae doctissimis iuvenibus. Hoc autem omne tempus, quod docendo partim, partim discendo, ita sine intermissione transactum est, iudicavit postea in omni vita sibi fuisse iucundissimum. Quum autem peregrinationis quoque studio caperetur, ductus tum exemplo suorum aequalium, tum admiratione famae Hieronymi Zanchii, Antonii Sadeelis, & Fortunati Crellii, quos ille viros videre, adloqui, & consulere de quibusdam, cupiebat, conflato omni peculio, atque insuper etiam virtutis ergo ab Illustrissimis Hollandiae Ordinibus donatus liberaliter, statuit una cum Lipsio, qui tunc, valetudinis caussa Germaniam petebat, sese in viam dare, praesertim quum se comites iungerent Rochus Honertius, Canteri duo, Werchovius, Schapius, Gravius, praestantissimi iuvenes. Francofurtum ut ventum est, adfertur tristis fama, de obitu eorum, quorum caussa iter susceperat, ac praeterea Donelli, atque Hotomanni. Decretum ergo Heidelbergae subsistere, tum propter Bibliothecam, tum propter Iunium, Melissum, Freherum: sed, quum sentiret, non bene sibi cum illo coelo convenire, concessit Argentoratum; ubi florentissimam iuventutem privatim docuit, concedente id ipsi illius Scholae Senatu. Inde per literas revocatus ab Academiae Batavae Curatoribus ad Collegii propediem erigendi directionem, quum nondum animum peregrinando explesset, abiit ad Noricos, atque ab iis media hieme per Bohemiam, Silesiam, Poloniam, Russiam, ac postea prono anni per Masoviam, & Borussiam, Dantiscum vectus, tandem Lugdunum Batavorum, ad Academiam, iam Scaligeri exspectatione ardentem, rediit; &, cum bono Deo, munus sibi commissum serio adgressus est, primum sub ductu Ieremiae Bastingii, deinde Ioannis Kuchlini, cuius quoque filiam postea uxorem duxit. Bibliothecam Academicam, de consilio praecipui nostrae Reipub. viri, D. IOANNIS HOVTENI, primus digessit; inque eum ordinem redegit, qui nunc conspicitur; quemque Ianus Dousa innior vehementer probavit, & Curatores servandum deinceps sanciverunt, & sequentes Bibliothecarii sequuti sunt. Philosophiam practicam publice professus est. Collegium quoque Oratorium praecipuorum Academiae studiosorum per annos decem domi habuit, exercendae in dicendi facultate iuventuti. Quum autem, defuncto D. Ioanne Kuchlinio, anno clɔlɔcvi. Collegio Theologico Regens posceretur, non ante sibi illud munus, cuius molestias iam animo praecipiebat, capessendum putavit, quam se aliis omnibus prius exoneravisset. Inde in Galliam profectus, fixo Lutetiae domicilio, etiamnum ibi agit.

Edita ab ipso.

ARgentorati. *Oratio de Modestia in adpetenda gloria.*
Altorphii; *Carmina aliquot.*
Lugd. Batavorum. *Orationes variae, & Carmina, sparsim.*
Tabularum Geographicarum Contractarum libri quinque.
Logicae Peripateticae libri tres.
Hymenaeus desertor, sive Problemata duo de Apostasia Sanctorum.
Abrahami Gorlaei Thesaurus numismatum Romanorum, aureorum, argenteorum, aereorum, ad familias eius urbis spectantium, usque ad obitum Augusti. Accessere Paralipomena, sive typi numorum Romanorum, quos Fulvius Ursinus non edidit.
Cl. Ptolemaei Geographia, Graece ac Latine.

Premuntur adhuc

Diatribe de Perseverantia Sanctorum ex Epistola ad Ebraeos, ad Cl Virum D. Danielem Tilenum Theologum Sedanensem.
Commentarius rerum Pelagianarum.
Dissertatio de Iustificatione: in qua ostenditur, quid illud sit, Fides credentis reputatur ei in justitiam?
Epistola ad Rev. virum Guilelmum Barlouvv, Episcopum Lincolnienſem, de citato a se Confessionis Anglicanae Articulo XVI.
Examen Analyseos a D. Beza factae ad cap. IX. *Apostoli ad Romanos, cum nova Analysi, Paraphrasi, & Orthodoxae antiquitatis consensu.*
Theseon Philosophicarum, intra annos XIV. *in Collegio & Academia publice disputatarum Sylloge, in quibus multa Logica, Physica, Metaphysica, explicantur.*
Theseon Theologicarum Sylloge, in quibus hactenus disputata haec sunt:
De ratione studii Theologici.
De Theologia occulta, & revelata.
De verbo Dei.
De sacrae Scripturae auctoribus.
De eius dignitate, & perfectione.
De haeresi Pelagii, & Coelestii.
De Perseverantia Sanctorum ex epistola ad Ebraeos.
De Vite, & Palmitibus.

IACOBVS HARMINIVS.

HVnc nobis dedit Oudewatra, ad Isalam in Hollandia oppidum, patria clarissimorum virorum, *Ioannis de Veteri Aqua.*

Cor-

Digitized by Google

Cornelii Valerii, & Rudolphi Snellii. Natus est autem anno clɔ lɔ Lx. Patre orbus, a Theodoro Æmylii, viro honesto, ac gravi, literis in Schola Vltraiectina mancipatur. Quo mox vita functo, Rudolpho Snellio ducente, Marpurgum in Hassiam concessit, anno clɔ lɔ Lxxv. ubi quum intellexisset excisam ab Hispanis patriam, ruinas videre cupidus, iis collustratis, iterum in Hassiam iter instituit. Interea Illustrissimi principis Auriaci auspiciis erecta est nova in Batavis Academia: quod ubi fama accepisset, domuitione in patriam instituta, Roterodamum venit, quo parriae Oudewatrae reliquiae, & cives, Amstelodamo ob religionem profugi, concesserant. Inde in novam, quam dixi, Academiam ablegatus, tantum profecit, ut a Lamberto Danaeo, viro celebri, industriae, ac diligentiae exemplum ceteris studiosis publica collaudatione proponeretur. Ad Theologiam, Philosophiamque ingenium adplicuit, & in intima se utriusque adyta penetravit. Atque haec ad annum usque clɔ lɔ Lxxxii. quo S. P. Q. Amstelodamensis Genevam, uberioris profectus capiendi causa, misit. Ibi Theodorum Bezam, magni nominis Theologum, quum aliquamdiu audivisset, Basileam migravit, ubi summus ingenio & doctrinae eius honos habitus fuit; adeo ut Genevam iterum discessuro Doctoris titulum sumtu publico facultas Theologica detulerit, quem modeste recusavit. Genevam reversus, exacto illic aliquo tempore, motus fama Iacobi Zabarellae, qui tunc Philosophiam Patavii, ingenti studiosorum concursu, profitebatur, Italiam adiit; qua per septem menses collustrata, Genevam pedem reflexit. Inde post aliquot menses a Moecenatibus suis revocatus: cum luculentissimo doctrinae testimonio reversus est Amstelodamum. Ibi magna cum existimatione functus ministerio per annos xv. a Curatoribus Academiae Leidam vocatur, aegreque dimissus, munus Professoris adiit, anno clɔ lɔ cii. In Professione autem sexennio exacto, vivere desiit, anno clɔ lɔ c ix. aetatis suae xlix.

Scripta ab eo edita haec sunt.

Disputationes de diversis Christianae Religionis capitibus.
Orationes, itemque Tractatus insigniores aliquot.
Examen modestum Libelli Guilhelmi Perkinsi de Praedestinationis modo & ordine, itemque de amplitudine gratiae divinae.
Analysis capitis ix. *ad Romanos.*
Dissertatio de vero & genuino sensu cap. vii. *Epistolae ad Romanos.*
Amica Collatio cum D. Francisco Iunio, de Praedestinatione, per literas habita.
Epistola ad Hippolytum a Collibus, &c.

IOANNES POLYANDER.

Ioannes Polyander, filius Ioannis Polyandri, Ecclesiastae quondam Emdani, sacrarum literarum, ac linguarum peritissimi, ex patritia Gandavensium familia, dicta. *Van den Kerckhoven*, oriundi, ac piae matronae *Christinae van Houten*, Flandriae, natus est Metis, anno clɔ lɔ c Lxviii. die Martii xxviii. Vnde anno sequente parentibus suis in Palatinatu Religionis caussa exsulantibus, ab ipsis Franckendaliae biennium fuit educatus. Hinc, patre ipsius ad Verbi divini Ministerium a Gallobelgis, Embdae peregrinantibus, vocato, in Scholis primum Gallicae, deinde Latinae, & Graecae linguae usque ad annum xiv. operam navavit. Inde a parentibus Bremam missus, *Christophori Pezelii*, aliorumque doctissimorum virorum lectiones biennium audivit. Hoc evoluto, iactisque ibidem Philosophiae, ac linguae Ebraicae fundamentis, Heidelbergae quadriennium, in palaestra Philosophica, ac Theologica desudavit, suorumque praeceptorum *Danielis Tossani*, *Francisci Iunii*, *Georgii Sohnii*, ac *Fortunati Crellii*, utens consuetudine, tam publicè, quam privatim, declamando, ac disputando, sub iis se exrcuit. Anno aetatis suae xx. Genevam, studiorum suorum absolvendorum caussa, profectus, *Theodori Bezae*, atque *Antonii Faii*, lectiones, aedesque, frequentavit: Ibidemque familiariter usus est eximio Theologo, *Antonio Sadeele*. Anno sequente, ab Ecclesiis Gallobelgicis in Belgium vocatus, postquam Leidae aliquot menses substitisset, publicumque sui progressus specimen in nonnullis Ecclesiis Gallobelgicis edidisset, ab Ecclesia Dordrechtana ad munus Pastorale vocatus, eam annos viginti, Verbi divini pabulo summa cum tranquillitate pavit, atque, Amplissimi Senatus postulatione, Logicam, & Ethicam, in schola Dordrechtana extra ordinem, triennium cum dimidio professus est. Anno aetatis suae xliii. a Nobilis. DD. Curatoribus Academiae Lugduno-Batavae ad professionem Theologicam evocatus, non minus aegre a Magistratu, quam ab Ecclesia, totaque civitate Dordrechtana dimissus fuit. In qua vocatione annos quatuordecim versatus, Rectoris Magnifici officio ter defunctus est.

Opuscula ipsius haec sunt.

Varia poemata, Genevae & Heidelbergae ab amicis ipsius evulgata.
Harmonia locorum S. Scripturae, prima fronte invicem discrepantium, ab ipso ordine disposita, quae Gallice prodiit, anno clɔ lɔ xcix.
Historia Andreae Demetrii de Graecorum ortu & interitu è Belgico in Gallicum sermonem translata atque edita, anno clɔ lɔ ci.
Theses Logicae atque Ethicae in lucem emissae, anno clɔ lɔ c ii.
Disputatio adversus Invocationem Sanctorum Gallice conscripta, atque evulgata, anno clɔ lɔ c vii.
Responsio ad Interpolata Anastasii Cocbeletii Doctoris Sorboniſtae ac Monachi Carmelitae sophismata, edita anno clɔ lɔ c x.
Disputatio contra Adorationem Reliquiarum Gallice composita atque impressa, ann. clɔlɔcxi.
Syntagma Exercitationum Theologicarum, anno clɔ lɔ c xxi.

Ce-

Digitized by Google

Cetera, quae meditatur, aliquando, Deo iuvante, in lucem emittet.

Antonius Fayus, Sacr. Theologiae Professor, Ioanni Polyandro suo Geneva in Belgium revertenti scribebat IV. Kal. Martii, anno CIↃIↃXCI.

NVnquam non alia ex aliis in bella vocantur
Dura pii bello cinctam, qui, IANE, Genevam
Linquis, iens Christi legatus, pacis ut almae
Dona feras illis, Christum qui pectore gestant.
Bella parata vide: pacemque, optare memento.
Non sperare. Vides migranti nubila coelo
Vt princeps erebi coniuratique malorum
Conglomerare greges properent, & quicquid in orbe
Lucis habet vivae Christi sol aureus, atris
Obscurent sparsis non una fraude tenebris?
Ac tu non molli succinctus robore, contra
Audens ire velis: quanquam discrimina mille
Ordine perpetuo, pugnandaque praelia surgant.
Nil formidandum Christo duce, qui tibi pugnis
Millenis claro, millena tempora lauro
Vestiet, & tuto tandem te littore sistet.

Est in eum etiam istud Epigramma;

QVem voluit lapsis paullatim occurrere rebus
Versa suas in se maxima Leida manus,
Hoc vultu Polyander erat; pax candida vultum,
Et prudens habitat simplicitatis amor.
Non satis ingenium est, plus nunc Academia poscit;
Concordes animos debeat illa tibi.

DANIEL HEINSIVS.

APPENDIX.

LVDOVICVS CAPPELLVS.

LVDOVICVS CAPPELLVS Parisiensis cum Gul. Feuguereo dignissimo collega Lugduni Batavorum Theologicis exercitationibus A. D. CIↃIↃLXXV. exordium dedit, ad id Sedano accitus ab Illustrissimis Ordinibus & Gulielmo Auriaco. Is filius fuit Iacobi Cappelli, celebris, in supremo Senatu Parisiensi, advocati regii, natus A. D. CIↃIↃXXXIV. Ianuarii XV. Septennis puerulus pater orbatus est, & exinde aetatis XVII ineunte praeceptoris classici in Gymnasio Cardinalis Monachi elogium nacto partes substinuit, quas quum praeterpropter quinquennium dignissime impleviſſet, Burdegalam litterarum nobilissimum emporium cessit, iuri civili operam navaturus. Vbi interea dum professionem linguae Graecae honorifice sibi delatam ornat, veritatis Evangelicae cognitionem degustare coepit, quum prius, sicuti dictitare solebat, Ciceronianus modo esset. Quapropter ea professione anni & aliquot mensium interusurio defunctus, Genevam se confert, sitim veritatis expleturus, cui quum abunde satisfeciſſet, Lutetiam advolat, rebus suis prospecturus, & de vitae genere deliberaturus: quumque a suis proposito patris exemplo, ad forensis instituti sectam invitaretur a patre vero coelesti ad fori sublimioris ius enarrandum traheretur, anceps aliquandiu restitit, & per varios casus interea iactatus est, orto sub id tempus tumultu Amboisiano. Praecipitante vero Francisci II. fato, deferveſcente aliquantulum persequutione, & crescente in dies Evangelicorum numero, convenere Reformati, de libertate professionis Evangelicae intrepide & secure petenda. Quo factum, ut Cappellus id oneris, quum plurimi detractarent, subire voluerit, aususque sit in eum finem verba facere publice in Basilica Parisiensi in conventu comitiolorum totius Reip comitia Aureliae indicta antecedente. Carolo IX. regnum auspicante, universarum Ecclesiarum Reformatarum nomine (nequicquam frementibus & reclamantibus seditiosis, & superstitiosis) referri ad ordines regni de postulatis suis impetravit. Mox conditum fuit primum illud de libertate Evangelica a Ianuario nuncupatum Edictum. Quum igitur Cappello felicissime succeſſiſſet, omnesque demirati essent eius facundiam, ornamenta sua, & dotes, ut Ecclesiae vindicaret, & addiceret, solicitabatur; quumque diu reluctatus esset, tandem vi ferme adactus fuit verbi divini ministerium amplecti, & Parisinae Ecclesiae nomen dare, a qua amandatus est ad populosam Meldensem Ecclesiam pascendam. Quumque inibi sedem fixiſſet, per novos tumultus novum domicilium deserere coactus, primum Genevam, mox Sedanum fugit. Vnde anno CIↃIↃLXIX. ad Antuerpianos pastorem deposcentes ablegatus, supereſſe diu non potuit, quum saeviente passim inclementissime Albano, Sedanum regredi cogeretur, maxime quum iam plerisque Pontificiis, non sine praesenti vitae discrimine, innotuiſſet. Paullo post revocatur in Galliam, & Ecclesiae Claromontanae attribuitur. Quumque postridie eius diei, quo Colinius summus heros vulneratus est, concionem in ipsius aedibus, ad id laribus suis evocatus, habuiſſet, post festum infaustum, & diram lanienam Sanbarptolemaeam, Sedanum repetere, facultatibus omnibus, instar Lothi, exsutus cogitur. Ibi quum per plures dies contra insignem illum Iesuitam, Maldonatum, a Duce Monpensierio missum, decertaſſet, idque maximo cum honore, ablegatur ad Principes Germanos, eorum auxilium imploraturus. Ea legatione dum cum laude & successu fungitur, Lugd. Batavorum ab Illustrissimis Ordinibus, & Prin-

Digitized by Google

Principe Auriaco evocatur, interea dum Germanicae copiae contrahuntur. Nec ita diu post, adventante Casimiri exercitu, revocatur, castrensi praedicationi inter Gallos addicendus, usque dum pax illa in brevissimum tempus, quod praesenserat, & praenuntiaverat, Stampis percussa est. Recrudescente igitur bello, tandem ab Ecclesia Sedanensi, & Illustrissima heroina, Franciscа Borbonia, Bullionaei Ducis vidua, in pastorem ordinarium adoptatus, Ecclesiae Parisinae indultu, docte & facunde sacri ministerii provinciam, necnon professionem Theologicam, ad A. D. clɔ lɔ lxxxvi. obivit; diemque ultimum clausit, sexto Ianuarii, cum summo omnium piorum & eruditorum luctu; annum agens aetatis li. oratione publica a Tenantio collega, & pastore sincero collaudatus, omniumque, qui ibi litteras profitebantur, epitaphiis pro merito cohonestatus, toti Ecclesiae ac Principibus suis extremum sui desiderium reliquit.

GVLIELMVS FEVGVERAEVS.

GVLIELMVS FEVGVERAEVS, Theologus per illud tempus non incelebris, Rothomagi natus, atque e Gallia in Academiam Lugduno-Batavam honorifico stipendio accitus, ut post D. Coolhasium [qui eam provinciam ad tempus tantum tunc sustinebat] Theologici studii fundamenta in hac felicibus iam auspiciis crescente Academia iaceret; vocationem oblatam amplexus, anno clɔ lɔ lxxv. in urbem Leydensem venit: eodemque ipso anno professionem suam ibidem exorsus, solus eam sine Collega aliquamdiu primus ordinarie obivit, utque dum D. Bollius ei Collega adiungeretur. Vix professionem ingressus, disputationum creberrimarum, mox exercitia proponebat; hacque sua diligentia ad Academiam frequentandam, studiaque Theologiae ibidem capessenda, plurimorum tam exterorum, quam indigenarum animos mirifice accendebat; adeo ut iam inde ab hoc tempore observare liceret certissima Academiae caput suum aliquando magnifice erecturae indicia. Anno vero clɔ lɔ lxxix. rebus ipsius id ita exigentibus, ad suos iterum in Galliam reversus est, atque provecta iam multum aetate, ibidem ubi natus fuerat (quod paucis inter peregrinationes suas conceditur) vitam cum morte commutavit, anno, ut rumor est, clɔ lɔ cxiii. Scripta, quibus quidem Academiam Leidensem celebrem reddere studuit, ea fere haec sunt:

BErtrami Presbyteri, De corpore & sanguine Domini, liber ad Carolum Magnum Imperatorem, Gulielmi Feugueraei opera emendatus & commentario illustratus.

Gulielmi Feugueraei responsa ad cuiusdam obscuri inquisitoris in Zelandia delitescentis, de Ecclesiae perpetuitate & Notis, deque aliis quinque eodem pertinentibus capitibus, quaestiones. Hunc libellum Iustus Lipsius quod magni eum aestimaret, hoc elogio sub illud tempus prosequebatur.

DVplicia Hesperii rupistis vincla Tyranni
Mattiaci, atque armis adseritis patriam;
Adseritisque fidem; patriam sed turbat Iberus
Ecce iterum, ecce fidem turbat hic ardelio.
Verum alii patriam; sed tu Feugraee tueri
Perge fidem, & fidei qui faciunt tenebras,
Scriptis illucere tuis: sunt vera ministri haec
Munia, & ingenio digna tuo & genio.

IVSTVS LIPSIVS.

IOANNES DRVSIVS.

NAtus Aldenardae, anno clɔ lɔ l. die Iunii xxviii. iactis primis literarum fundamentis Gandavi, exactoque triennio, mox Lovanium abducitur, & Philosophia imbuitur, in Collegio, cui Castro nomen datum. Ibi, dum adsiduam operam navat Cornelio Valerio, & Ioanni Stadio, clarissimis ea tempestate viris, pater, ob Religionem reformatam proscribitur, bonisque exsuitur; atque profugus in Angliam, filium quoque istuc abducendum curat. Quum Londinum adpulisset, sub id tempus eodem advenit Antonius Cevalerius, Professor Cadomensis, linguae Ebraicae peritissimus; quem quum publice, ac privatim, Grammaticam docentem, aliquamdiu audivisset, Cantabrigiam discedentem, ad Professionem illic obeundam, est sequutus: ubi gnaviter studia tractans, in Graeca lingua se potissimum exercuit. Postea vero, revocato in Galliam Cevalerio, eum comitatus, ad Ebraeam summa cum contentione animum advertens, privatim quoque adolescentes duos Anglos docere coepit. Inde Londinum reversus, quum recurrere eo omnino statuisset, laniena Parisiensis nuntiatur. Qua de causa mutato consilio, quum sub illud ipsum tempus Cantabrigiam, & Oxonium vocaretur, praelato Oxonio, totum illic quadriennium, linguas Ebraeam, Chaldaeam, & Syriacam, maxima cum laude docuit. Hinc quum patriam repetiisset, & Lovanium, Iuris studio se daturus, rursum per turbas eiectus, Londinum rediit. Inde, pace Gandavensi constituta, denuo in Flandriam profectus, quum in Zelandiam traiecisset, & commendatitias quoque ibi literas ad Ordines Hollandiae accepisset, ab iisdem in nova sua Lugdunensi Academia, Professione honestatur linguarum Ebraeae, Chaldaeaeque, & Syriacae, anno clɔ lɔ lxxvii. Hic dum agit, uxorem ducit, e familia nobili natam, Mariam Varentiam, anno clɔ lɔ lxxx. Mox, quum anno clclɔ lxxxv. novam in Frisia provinciae Ordines in Franequerana urbe Academiam instituissent, etsi Illustrissimo Principe Arausionensi retinere perhoneste cupiente, & vocantibus sub id tempus etiam Anglis, isthuc transiit. Exactisque ibi annis xxxi. in continuis studiorum lucubrationibus, diem obiit anno clɔ lɔ c xvi. aetatis suae lxvi. Scripsit plurima, e quibus.

Edita.

FRagmenta veterum Interpretum in Psalmos Davidis.

Com-

Digitized by Google

Commentarius in voces Ebraicas Novi Teſtamenti.
Quaeſtionum, ac Reſponſorum, libri III.
Animadverſionum libri II.
Adnotationes in Eſdram.
Commentarius in Ruth.
Miſcellaneorum Centuriae II.
Alphabetum Ebraicum.
Parallela ſacra.
Proverbia ſacra.
Quaeſita per Epiſtolam.
Commentarius in Minores Prophetas.
Commentarius in Eccleſiaſticum.
Proverbia Ben-Syrae, & Adagiorum Ebraicorum decuriae aliquot.
Lectiones in Hoſeam.
Quaeſtionum Ebraicarum libri III.
Lectiones in Amos.
Liber Haſmonaeorum, cum Notis.
Tabulae in Grammaticam Chaldaicam.
De nomine Dei Elohim, reſponſio.
De nomine Dei proprio, quod Tetragrammaton vocant.
De tribus Iudaeorum ſectis, Reſponſio ad Serrarium.
Minerval ad Serrarii reſponſum.
Sulpitius Severus cum Commentario.
Opuſcula Grammatica.
Grammatica linguae ſanctae.
Apophthegmata Ebraeorum, & Arabum.
Adnotationum in N. Teſtamentum libri X.
Henoch.
Ad voces Ebraicas novi Teſtamenti Commentarii II.
Adnotationum in Novum Teſtamentum pars altera.

Nondum edita.

Adnotationes in Geneſin.
Adnotationes in Exodum.
Adnotationes in Leviticum.
Adnotationes in Numerorum capita priora XVIII.
Commentarius ad loca difficiliora Pentateuchi. Ioſuae, Iudicum, & Samuelis.
Iobi nova verſio, cum ſcholiis.
Adnotationes in Eccleſiaſten Salomonis.
Commentarius in Lamentationes Ieremia.
Fragmenta veterum Interpretum Graecorum in plurimos Veteris Teſtamenti libros, cum Notis.
Scholia in Hieronymi verſionem quinquaginta quinque priorum Pſalmorum.
Proverbiorum Salomonis ex Ebraeo tranſlatio nova, cum ſcholiis.
Sententiae Solomonis iuxta ordinem alphabeti per locos communes digeſtae, Ebraice, & Latine, cum explicatione.
Targum Caeci in Proverbia Salomonis, ex Chaldaeo in Latinum ſermonem verſum.
Commentarius in Proverbia Salomonis.
Notae variae in Pſalmos.
Lectiones in Micheam, Aggaeum, Zachariam, & Malachiam.
Orthographia ſacra; ſive, De antiqua conſuetudine ſcribendi Ebraice, Graece, & Latine, nomina ſacris literis contenta.
Nomenclator linguarum Orientalium.
Interpretatio nominum de Geneſi, iuxta numerum literarum.
Caſtigationes in librum De nominibus Ebraicis
Lexicon Syriacum, Syriacis literis deſcriptum
De Dialectis ſacris.
Cadmus; ſive, De vocibus ex Oriente in Occidentem traductis.
Nomenclator Eliae Levitae, cum Cenſura.
Additamenta & Apophthegmata Arabum.

HVBERTVS STVRMIVS.

HVnc Eiſtia protulit; quanquam tempus, quo aut natus, aut denatus, ignoremus. Ad Theologiae ſtudium quum applicuiſſet animum, Heidelbergam ſe recepit; ubi praeceptores habuit viros nominis celeberrimi, Hieronymum Zanchium, Zachariam Vrſinum, Petrum Boquinum, & Emanuelem Tremellium: qui tunc ibi Theologiam profitebantur. Quumque famam eruditionis aliquam comparaſſet, ad Profeſſionem eiuſdem in hanc noſtram Academiam evocatus, eo munere aliquandiu cum honore eſt perfunctus. Hinc quum in Palatinatum iterum ſe contuliſſet, ut ingenii, quod ibidem adoleſcens excoluerat, fructus redderet, tandem illic diem obiit. Edita ab ipſo iſta;

Scholae duae, ad duos priores verſus ſecundi capitis primae Epiſtolae ad Corinthios.
Diatribe, de aeterna praedeſtinatione.

CORNELIVS NEOSTADIVS.

Sevenhovae, & Capellae Dominus.

NAtus eſt Brilae, anno clɔlɔ XLIX. Studiorum cauſſa, quum adoleviſſet, Duacum ablegatus fuit; ibique exacto aliquo tempore, fructum diligentiae ſuae non exiguum referens, in patriam rediit; & novam Academiam, in qua primus Doctor Iuris renuntiatus, mox Profeſſor etiam fuit. Hinc Senator Curiae factus, quum integritate ſumma munus iſtud aliquandiu exercuiſſet, diem obiit Hagae Comitis, anno clɔlɔ CVI. aetatis LVII. Scripſit, ediditque;

DE Feudis Hollandicis.
De Pactis antenuptialibus.

Nondum edita.

De Iure Aeſdomico.
De Re Romana.

HADRIANVS ZARAVIA.

HADRIANVS ZARAVIA, Theologus eximius, ſimulque in linguis plurimis egregie verſatus, propter nominis celebritatem, & quia putabatur Academiae Leidenſi utilem admodum navare operam poſſe, a Nobiliſſimis DD. Curatoribus & Conſulibus Urbis, ad Academiam eorum vocatus, Theologiam ibidem profiteri coepit, anno clɔlɔ LXXXII. atque quum ſub illud ipſum tempus plurimi ex Arteſia, Hannonia Leodienſi, Namurcenſi agro, atque etiam aliunde Galli exu-

Digitized by Google

exules, ingruentibus bellis, ac perſequutionibus, deſertis ſuis finibus, religionis ergo Lugdunum Batavorum habitatum concederent; ibidemque coetum utcunque magnum conſtituerent, Eccleſiae Gallorum illorum exſulum paſcendae a Magiſtratu Leidenſi praefectus eſt, inque hoc utroque munere annos aliquot cum fructu magno conſumſit. Sed anno LXXXVII. quoniam negotiis Leycestrianis ſeſe imprudentius innexuiſſet, ſubito hinc diſcedens, fixis poſtmodum in Anglia ſedibus, ibidem reliquae vitae ſuae tempus in functione Eccleſiaſtica exegit, plurima interea temporis non contemnendae eruditionis Theologica ſcripta divulgavit. Fuerunt vero haec primum quidem ſeorſim edita, ſed anno CIↃIↃCXI. undecumque collecta, atque conquiſita uno omnia ſimul volumine edidit Societas Stationariorum Londinenſis, ſuntque haec.

De diverſis gradibus Miniſtrorum Evangelii. De Honore Praeſulibus & Presbyteris debito.
De Sacrilegis, & Sacrilegorum poenis.
Defenſio tractatus De diverſorum Miniſtrorum gradibus ad Theodor. Bezam.
Reſponſio ad convitia quaedam Gretzeri, in quibus Hadriani Zaraviae nomine abutitur.
N. fratri & amico.
Examen Tractatus D. Bezae De triplici Epiſcoporum genere.
De imperandi auctoritate & Chriſtiana obedientia, libri quatuor.

CAROLVS GALLVS.

NAtus Arnhemiae primario Geldriae oppido, ex patricia familia, anno Chriſti CIↃIↃXXX. die XVI. Auguſti. Hic fundamentis liberalium artium, & cognitione Latinae & Graecae linguae mediocriter excultus, Coloniam Agrippinam ablegatus, ibi initio iuri operam dedit. Eius vero mediocri cognitione tinctus, mutato ſtudio, verae & orthodoxae religionis zelo ductus, Genevam conceſſit, ſtudiumque Theologiae adripuit ſub praeceptoribus, magni nominis viris, Ioanne Calvinio, & Theodoro Beza, ac ſumma ſua vigilantia, & morum humanitate obtinuit, ut praeſtantiſſimo cuique, ac eruditiſſimo gratus acceptuſque fuerit. Peragrata deinde reliqua Gallia, in Germaniam ſeſe tranſtulit. Redux in patriam quantos labores, quae pericula exceperit, & ſubſtinuerit, vix quiſquam dixerit; verae enim pietatis luce inſtructo, erat tunc temporis periculoſum eam profiteri. Deinde Daventriam evocatus, ibi fidelem, piumque verbi divini praeconem egit, & in vera, orthodoxa, reformataque religione Eccleſiam, ſibi commiſſam, pie, feliciterque inſtituit, & gubernavit. Adhaec turbata ibi propter Pontificiorum perſequutiones Eccleſia, ab Illuſtriſſimo Principe Wilhelmo, Duce Clivenſium, Hanuonam, Marchiae opidum, eſt evocatus; ibique per XVI. annos paſtoris fideliſſimi munere in Eccleſia defunctus eſt. Inde furoribus & turbis Anabaptiſtarum iectus, tandem Lugdunum Batavorum, ad Profeſſionem Theologicam, ab Ampliſſimis DD. Curatoribus eſt arceſſitus, anno CIↃIↃLXXXVII. In qua vocatione ſeptennium cum honore & fructu auditorum non exiguo verſatus, poſt ſopitos in patria militares tumultus, longaeque a patria abſentiae pertaeſus, patriam quaſi poſtliminio repetiit; ubi etiam deceſſit, in agro Neapaludano, ad diem XXVIII. Ianuarii, anno CIↃIↃCXVI. quum aetatis ſuae ageret LXXXVI.

Edidit publice in lucem, librum Germanice conſcriptum, contra errores Anabaptiſtarum. Praeterea edidit Latine brevem & perſpicuum Commentarium in Apocalypſin Divi Ioannis: qui inſcribitur, *Clavis Prophetica, Nova, Apocalypſeos Ioannis Apoſtoli & Evangeliographi.*

PETRVS PAAW.

HOc egregium patriae ornamentum Amſtelodamum nobis dedit, urbs Hollandiae, magnitudine & opibus prima, ac commerciorum fama illuſtris. Natus eſt anno CIↃIↃLXIV. patre cognomine, matre vero Gertrude Spiegels, utraque patritia illic familia. Puerum admodum, deprehenſa ingenii indole, ſtudiis pater mancipavit. Ac prima ſane rudimenta eorum Amersfortiae ſub Geſſelio poſuit, quae mox ſub Alardo Friſio, Amſtelodamenſis Scholae Rectore, poſtea in Friſia ad maiorem dignitatem translato, continuavit. Et tantos in Latina pariter ac Graeca lingua progreſſus fecit, ut aequalium multos antecelleret, ſuperiorem vero neminem haberet. Inde, adulta mox aetate, ad graviora Medicinae ſtudia animum adplicare placuit. Itaque Lugdunum Batavorum venit anno CIↃIↃLXXX. ubi praeceptoribus uſus eſt Gerardo Bontio, Ioanne Heurnio, ac Remberto Dodonaeo, quibus familiaris fuit, ut & Lipſio. Peregre profectus, anno CIↃIↃLXXXIV. Lutetiae primum Pariſiorum aliquandiu egit, ibique in Medicina ſe exercuit ſub Ludovico & Ioanne Duretis. Et Anatomicis operam quoque ibidem dedit, Ioanne Fabro praeceptore uſus. Hinc Aurelia quum ſe recepiſſet, claris fama Iureconſultis, Gulielmo Furnerio, & Ioanni Roberto innotuit: ſed nullo illic Medicinae pretio. Exortis vero per id tempus tumultibus Gallicis, inde iectus, comitatus Rumoldo Hogerbetio, & Gellio ab Hillama, illo Bataviae, iſto Friſiae poſtea Conſiliario, ſecundo Ligeri Nannetum profectus, conſcenſa ibi navi, in Daniam abiit. Vnde quum ſe Roſtochium contuliſſet, ibi aliquantiſper ſubſtitit, invitatus a V. CL. Henrico Bruceo, primario ibidem Medicinae Profeſſore. Sub quo, quum ſe aliquamdiu, in Anotomicis potiſſimum, exercuiſſet, tandem publice ſummum in Medicina Doctoris gradum eſt adeptus, anno CIↃIↃLXXXVII. Simul etiam Medicinam profiteri in Academia illa coepit, & Anatomica propoſuit; tum Galenum quoque, *De Cibis boni & mali ſucci:* quem & cum Notis ibidem edidit. Itidem alios quoque tractatus, *De Exercitiis,*

Digitized by Google

Lacticiniis, & Bellariis. Postea relicto Rostochio Italiam petiit; qua vix per trimestre inspecta; quum in familiaritatem Aquapendentis Anatomici, & Cortusi Botanici, se insinuasset, morbo parentis subito revocatus, in patriam rediit. In eius vero Academia Professionem Medicam accepit, anno clɔ lɔ lxxxix. mandata ipsi Provincia gemina, ut aestate Botanica, hieme Anatomica tractaret. Vtrumque hactenus cum fide pariter ac laude sua maxima praestitit, instructo etiam Horto Publico, cuius praefecturam substinuit, & examinatis subiectis humanis plurimis, quorum sceletis etiamnum ornatum visitur Theatrum Anatomicum. Vxorem duxit in hac ipsa Vrbe Mariam Hautenam, Iani Hauteni, Vrbi a Secretis, filiam, anno clɔ lɔ xciii, qua erepta anno clɔ lɔ cxii ipse postea decessit, Kal. Augusti anno clɔ lɔ cxvii. aetatis suae liii. In Academia ter Recturae munus gessit.

Edita ab eo.

Galenus, De cibis boni & mali succi, cum Notis.
Tractatus, De Exercitiis, Lacticiniis, & Bellariis.
Anatomicus succenturiatus.
De Ossibus.
De vulneribus capitis.
Delineatio Horti Academici.

Multa inedita reliquit, quae servantur apud heredes.

Est in eius obitum istud Carmen.

Καὶ σὺ, φίλος μακαρῖτα, τὸν ἄγριον ὕπνον ἰαύεις,
Κηρὶ μὲν ἐγκύρσας πᾶσιν ὀφειλομένῃ.
Κεῖσαι δ', οἵ μοι ἀναίσθητος, ... πανόμοιος:
Τοῖς ὑπό σευ τὸ πάλαι τῇδ' ἀνατιμνομένοις.
Καὶ βοτάναι σαὶ πᾶσαι, ἰὴ ἄνθεα, τὰ πρὶν ὄλωλε,
Δεύτερον αὖ ζώει κ᾽ φύει ἐξοπίσω.
Αὐτὰρ ταῖς βοτάναισιν ἰὴ ἄνθεσι πᾶσιν ἐφεξῆς,
Κεῖσαι ἀπενθηκὼς ἠδὲ μαραινόμενος.

DANIEL HEINSIVS,

Idem Istud.

Ergone Parcarum non exoranda voluntas
PAVI *defunctis addidit ingenium!*
PAVI, *quem stupuit toties studiosa Iuventus,*
Pendula facundo semper ab ore viri.
Quem toties Iuvenum stupuit flos, sive doceret
Scripta tua Hippocrates, sive, Galene, tua.
Sive hominem docto dissinderet amphitheatro,
Sive horti pulcras dideret areolas.
Solvitur in lessum, funusque Academia luget;
Et mittit tristes inferias tumulo.
Coelum etiam tangit dolor, & pia numina moerent;
Moerent dii Medicae stat quibus artis honos.

IOANNES MEVRSIVS.

GERARDVS IOANNES VOSSIVS.

GERARDI nomen a parentibus accepit in memoriam proavi sui Gerardi Vossii Ruremondani, viri in urbe patria ante hos annos centum genere, virtute, fortunisque spectatissimi: qui ex uxore, Gertrudae Verhagens, Barptolemaei filia, reliquit filium Antonium Vossium. Huic uxor fuit Iuditha Calenia, soror unica viri clarissimi Christophori Calenii, Ruremondani in Crucigerorum monasterio antistitis, (quo in munere iam septuagenarius anno obiit clɔ lɔ c viii.) filia vero Ioannis Calenii, in publicis muniis quinquaginta pene annos cum honore versati, & Catharinae Budeliae, Reinerii Budelii experientissimi Medici filiae: amitae autem amplissimi viri Reinerii Budelii, Iurisconsulti, cuius de re monetaria uberes, atque utiles commentarii, ante annos xxx. Coloniae prodierunt. Ex Calenia hac Antonio Vossio liberi fuere, Ioannes, Gerardi huius pater; Arentius, qui solus est superstes, sed ἄπαις; & Isabella, quae ex marito Dionysio Bylmacero, filiam unicam, Iuditham, reliquit, nuptam amplissimo viro Petro Bosmanno, superioris Ducatus Geldrici ordini equestri, ac Ruremondanae item civitati a secretis. Natus est Ioannes anno clɔ lɔ xlix. Vix quinquennis erat, quum famigeratum illud incendium anni clɔ lɔ liv. quod vix Ruremondae parti decimae pepercit, etiam parentum eius, & avi utriusque aedes, absumeret. Multum illud & rei, & spei parentum incommodavit. Sic tamen etiam fortunis ferentibus, urbe quotidie e favillis pulcrius exsurgente, filium Latinis Graecisque literis, ac philosophiae studio, in schola patria excolendum curavere. Postea etsi, tumultu belli Belgici, paullum amor studiorum refrixisset; mox tamen ardor prior rediit; etiam Italicam, Gallicam, & linguas alias superaddidit: occasioneque captae ab Auriaco Principe Ruremundae, concionumque ibi habitarum nova luce accensus, in Academiam profectus est Heidelbergensem; summosque audivit Theologos, ante omnes Hieronymum Zanchium, & Zachariam Vrsinum. Ibidem frequentabat disertas Casparis Oleviani conciones, feliciterque ipse exprimebat. Quumque magistris tantis praeclaras animi dotes auxisset, nec leve iam sibi parasset nomen, anno clɔ lɔ lxxiii. adlectus est in eorum numerum, qui Ecclesiam Dei in dioecesi pascerent Heidelbergensi. Quo ipso anno, bona cum venia Electoris Palatini, Frederici Pii, Wassemburgum, Iuliaci urbem, ubi libertas religioni reformatae erat, profectus fuit; ac genere, pietate, prudentiaque, praestantissimi viri, Matthaei a Biele, Ruremondani, qui Albani ducis, ac Lindani episcopi, metu, eo se receperat, filiam Corneliam, lectissimam virginem, uxorem duxit; cuius ille ut mores castissimos multis ante annis perspexerat, ita propinquos omnes norat, quaestoria, senatoria, ac consulari dignitate Ruremondae, inque vicinis opidis insignes. Reversus ad Ecclesiam

suam

Digitized by Google

ſuam, quadrienni proximo quaternis augetur liberis. Eorum ſolus ſupereſt, Gerardus hic, natu omnium minimus, qui in lucem editus ineunte vere anni clɔlɔ LXXVII. ſemeſtri circiter poſt obitum Friderici Pii. Eopſe anno, Ludovico Electore Palatino, in locum paſtorum priorum ſubrogante alios, qui Lutheri de S. Coena ſententiam amplecterentur, parens cum uxore, & filiolo Gerardo vix ſenum menſium e Palatinatu in Bataviam commigravit: novaeque Academiae, & magnorum inibi virorum deſiderio, doctiſſimus ipſe, pellectus, Lugduni potiſſimum domicilium elegit; atque a Rectore Petro Tiara v. Maii anni clɔlɔ LXXVIII. inter Academiae membra adſcriptus eſt hoc nomine, *Ioannes Alopecius Ruremondanus*. Nam ex more eorum temporum, & Graecanicae linguae amore, Graeca magis adpellatione gaudebat: quam & filius Gerardus ad annum uſque aetatis XII. retinuit, auctoreque tum praeceptore ſuo Rekenario mutavit; qui adpellatione vulgo haut intellecta honeſtatem familiae obſcurari dictitabat. Lugduno dum parens degit, ad Leiemudenſem Eccleſiam, quae in Rhinlandico eſt Leidenſium territorio, vocatur. Vnde mox, attamen aegre admodum, Gerardo adhuc tum vix bimulo, avellitur. Sed in iſtis Belgicae motibus, ingens eorum in Flandria penuria erat, qui non prudentia atque eruditione minus, quam zelo pollerent. Itaque optimi quique auctores fuere, ut a nobilitate Flandrica, quae perhonorificam miſerat legationem, perſuaderi ſibi pateretur, ut Eccleſiae curam ſubſciperet Furnae, oppido, ut fertilitate ſoli, & martyrum ſanguine, ita natalibus clariſſimi Paulli Leopardi, inclito: Anno clɔlɔ LXXXIII. quum & illud, & alia Flandriae opida, in poteſtatem rediiſſent Hiſpaniarum regis, Gerardus iam ſexennis in Bataviam reducitur. Parens Dordrechti, primaria Batavorum urbe, Eccleſiae praefectus fuit. Hic anno proximo Gerardus dulciſſimam matrem amittit. Pater anno clɔlɔ LXXXV. alteris nuptiis uxorem ducit Annam Wittiam, Franciſci filiam, ſororem ampliſſimorum virorum, Cornelii, & Iacobi Wittiorum, quorum ille conſulari, hic quaeſtoria apud Dordrechtanos, uterque ſenatoria dignitate inter delegatos Hollandiae ac Weſtfriſiae Ordinum conſpicuus fuit. Tertio ab eo coniugio menſe etiam patre vix octennis orbatur. Vtroque parente deſtitutus, ſtudia nihilominus literarum excolebat, condiſcipulo inter alios uſus Erycio Puteano, Hiſtoriarum, poſt Iuſtum Lipſium in Lovanienſi Academia Profeſſore, viro ſcriptis non intermorituris toto orbe clariſſimo Inferiores claſſes permenſus a Cornelio quidem Rekenario potiſſimum inſtruebatur in elegantia Latini ſermonis, Philologia univerſa, Oratoria item ac Poeſi: at oratores & poetas Graecos enarrabat Franciſcus Nanſius, Franconatium prius in Flandria decurio perpetuus, tum Graecae ea in ſchola linguae Profeſſor. Ac nunc Graecum carmen pangendo, nunc Graece declamando, item in omni pene philoſophia, exercebat Hadrianus Marcellus. Anno clɔlɔXCV. menſe Septembri, Lugdunum Batavorum mittitur; inque literis Graecis porro audit Bonaventuram Vulcanium; in matheſi Rodolphum Snellium; in Philoſophia Peripatetica, cum Petrum Bertium, tum Petrum Molinaeum; a quo &, quum univerſalem Philoſophiae ἀκροτηριασμὸν publice defendiſſet, ex auctoritate Rectoris Magnifici, ac Senatus Academici, liberalium artium Magiſter, ac philoſophiae Doctor creatus fuit. Quod anno contigit clɔlɔXCVIII. XIII. Martii. Exinde in Ebraeis audivit incomparabilem virum Franciſcum Iunium; in Theologia, tum eundem Iunium, tum Lucam Trelcatium ſeniorem, & Franciſcum Gomarum, viros praecellentis doctrinae. Nec minus lectionibus privatis, ac diſputando exercebatur a Ioanne Kuchlino, Theologici Illuſtrium Ordinum Collegii praeſide: ſub quo de ſummo bono, iterum de adgnitione miſeriae, hinc de Symbolo, rurſum de Trinitate, denique de Praedeſtinatione eas theſes defendit, quae cum Voſſii nomine in lucem prodierunt. Interim & occaſione Bibliothecae a patre ſibi relictae, ac ab antiquis etiam Theologis inſtructiſſimae, Patrum lectioni, & Hiſtoriae Eccleſiaſticae ſedulo vacabat: quod ſtudium deinceps, quantum muneris ratio permitteret, cum ceteris ſtudiis ſemper coniunxit. Anno clɔlɔXCIX. praecipiti autumno, ac deinceps aliquot menſibus, clariſſimo viro Ælio Everardo Vorſtio (qui Petro Molinaeo in Phyſices profeſſione ante annum ſucceſſerat) inter Medicinae Profeſſores cooptato, publice cum laude ſumma in Academia explicuit Ariſtotelis lib. v. φυσικῆς ἀκροάσεως, item eiuſdem librum de memoria, & reminiſcentia. Actumque a nobiliſſimis Academiae Curatoribus fuit, de eo in profeſſorum Philoſophiae numerum legendo. Sed dum in eo ſunt toti, fato ſuo fungitur Dordrechti vir doctiſſimus, Iſaacus Corputius, Eccleſiaſtes, ac cui in praeceptorum collegio proximus ab Rectore locus eſſet. Paucis poſt menſibus etiam obiit Rector ipſe Hadrianus Marcellus. Eaque occaſione ſumma gubernatio ſcholae commiſſa eſt Gerardo Voſſio: deſinente tum & profeſſionem ſuam Ioanne Polyandro, doctiſſimo Theologo, qui Logices, & Ethices in illuſtri eo gymnaſio fuerat Profeſſor. Anno clɔlɔCII. XII. Febr. uxorem duxit caſtiſſimam virginem, Eliſabetham Corputiam, V. Cl. Henrici a Corput, primarii apud Dordrechtanos Eccleſiaſtae ex coniuge Hadriana a Brecht filiam, neptem Ioannis Corputii, Actuarii, ac Conſulis Bredani, ex uxore Antonina Montenia; cuius parentes fuerant, Henricus Montenius Senator, & quaeſtor generalis Baronatus Bredani, & Ioanna Rooveria, Gulielmi Roverii, Senatoris Bredani, filia. Ex uxore hac ſubſcepit liberos ternos; quorum unus Ioannes, natu minimus, ſupereſt. Anno clɔlɔCVII. VI. Febrar. uxorem amiſit. Eopſe anno in lucem dedit Oratoriarum Inſtitutionum libros VI. quos triennio poſt auctiores, & emendatiores emiſit. Eo opere primam ſibi nominis claritatem peperit: dum magno adplauſo exciperetur, etiam

Digitized by Google

etiam ab ipsis eruditionis principibus, Iosepho Scaligero, & Isaaco Casaubono; quorum ille quum avide sane perlegisset, profitebatur (verba eius retinemus) se infinita ex eo didicisse: nec e veteribus quidem esse qui palmam praeripiat summo viro. Casauboni vero apud V. Cl. Hugonem Grotium, alioslque multos, iudicium tale fuit, nihil Rhetoricis eius esse elegantius, nitidiusque, nihil κριτικώτερον; elucere ubique iudicium, & πολυαναγνωσίαν. Simillima etiam aliorum iudicia erant, quae Vossio ad ea, ceteraque studia, porro excolenda, non mediocriter animum addebant. Anno vero clɔ lɔ vii. xviii. Augusti, alteris nuptiis uxorem duxit virginem honestissimam Elisabetham Iuniam, prognatam nobili, & viro, & Theologo, Franciseo Iunio, & Elisabetha Corputia, Ioannis Corputii, Consulis Bredani filia. Ex hoc coniugio superstites Vossio sunt filii quinque, ac filiae binae. Anno clɔ lɔ cxiv. & proximo, ad professionem S. Theologiae in illustri schola Steinfurtensi vocatus est a generosis Comitibus Benthemensibus. Sed quum eodem tempore a Nobilibus Academiae Lugdunensis Curatoribus perhonorifice vocaretur ad regimen Collegii Theologici, quod illustres Hollandiae, ac Westfrisiae Ordines Lugduni statuerant: hanc vocationem, urgentibus amicis, praetulit; etsi magis, quam dicere posset, terreretur oneris difficultate; praesertim in maximo illo Ecclesiae schismate, iuventutem etiam contraria in studia scindente, non exiguo sane pietatis ac modestiae dispendio. Quamdiu tamen id munus gessit [id per quadriennium & amplius fuit] fortiter ea in tempestate clavum tenuit. Nunc, ut lassus, sic levatus, regundae adolescentiae molestia [quae annos duraverat viginti, optimamque aetatis partem sibi vindicarat] in Academia Lugdunensi Eloquentiae, ac simul Chronologiae Professor est ordinarius: stipendioque publico extra ordinem invitatus, quae ad veteris Ecclesiae controversias atque historiam pertinent, fideliter consignat. Longe plurima scripsit: sed quae publici quidem iuris fecerit, haec sunt;

Oratio panegyrica de felici expeditione exercitus foederatae Belgicae, novem oppidis trimestri captis, ductu Illust. Principis Mauritii, Comitis Nassoviae, &c. clɔ lɔ xcvii.

Oratoriarum Institutionum libri sex clɔ lɔ cvi. *& iterum* clɔ lɔ c ix.

In fragmenta veterum Tragicorum castigationes ac notae. clɔ lɔ cxx.

De Rhetoricae natura ac constitutione, & antiquis Rhetoribus, Sophistis, ac Oratoribus, liber. clɔ lɔ c xxi.

Rhetorices contractae, sive portionum oratoriarum libri quinque. clɔ lɔ c xxi.

De Arte Historica, sive de historiae & historices natura, historiaeque scribendae praeceptis commentatio. clɔ lɔ cxxiii.

De Historicis Graecis lib. iv. clɔ lɔ cxxiii.

Oratio funebris in obitum Thomae Erpenii Orientalium linguarum in Academia Leidensi Professoris. clɔ lɔ c xxv.

De Latinis Historicis libri iam excuduntur.

Eos proxime consequentur Commentarii Linguae Latinae, opus bipartitum; cuius pars prior censuram continet in artis scriptores: posterior vocum origines exquirit.

Cetera, quae edidit, partim ad Theologiam, partim ad Ecclesiae veteris historiam, pertinent.

Nempe ista.

Disputationes de mundi creatione, de peccato primo Adami, de bonis operibus, eorumque meritis, de statu animae separatae, de orationibus, & oblationibus pro defunctis, de Sanctorum invocatione, de carnis resurrectione, de iudicio extremo, de fine mundi, de Sacramentis universe, de Baptismo, de Coena, de decalogi divisione, anno clɔ lɔ cxv. *ac quatuor sequentibus: quae propediem excudentur uberius, atque explicatius.*

De satisfactione Iesu Christi responsio, pro libro eius argumenti adversus Socinum scripto ab Hugone Grotio. clɔ lɔ c xviii.

Historiae de Controversiis, quas Pelagius, & eius reliquiae, moverunt, libri septem. clɔ. lɔ cxviii.

Responsio ad consilium Michaelis Lonigi: item ad Aphorismos de statu Ecclesiae instaurando. clɔ lɔ c xxiii.

Est in eum istud Carmen.

O Cui debemus, quem nunc praestamus, amorem
Pieridum sacris, Principibusque fidem:
In cuius genio posuit Sapientia sedem,
Et iunxit comites ex Helicone deas:
Qui, quicquid veteres quicquid docuere minores,
Compositum sancto pectore solus habes:
Accedit probitas; &, nescia fallere, virtus:
Et mores, quales secula rura ferunt:
Accipe devincti facilis rude carmen amici,
Hic qui se totum devovet ipse tibi.
Non ullas grates tibi, non praeconia, dicam;
Haec meritis scimus esse minora tuis.
Sed, prudens qualis pictor velavit amictu,
Id quod non poterat dextra colore sequi;
Sic, quas carminibus nequeo comprendere laudes,
Has saltem tacita religione colam.

IOANNES RVTGERSIVS praeceptori incomparabili P.

OTTHO HEVRNIVS.

ANno clɔ lɔ lxxvii. Septembris viii. stilo antiquo, Ioannes Heurnius (postea primarius in Academia Leydensi Medicinae Professor) primogenitum hunc filium subscepit Vltraiecti, in patria sua, ex uxore Christina Bayers. Inde quadrimus anno clɔ lɔ lxxxi. Octobris xxxi. cum parentibus Leydam advectus est: primaque ibi studiorum fundamenta posuit sub Nicolao Stochio, viro gravi, ac prudenti, & in puerorum ingeniis excolendis ingenio singulari. Petri deinde Molinaei, celeberrimi hodie Theologi; tum in humaniore literatura, tum in Phi-

Digitized by Google

Philoſophia, inſtitutione uſus eſt. Magiſter autem Artium in Academia Leydenſi promotus, anno clɔ lɔ xcix. Auguſti xxiv. Anno ſequenti clɔlɔc. Maii viii. ad Philoſophiae profeſſionem a Nobiliſſimis & Ampliſſimis Curatoribus & Coſs. evectus eſt. Anno clɔ lɔ c i. Iulii vii. ibidem Medicinae Doctor renuntiatur. Quumque eodem anno Auguſti xi. pater ipſius mortalitatem expleviſſet, ad Medicinae profeſſionem menſis Novembris ſequentis die viii. ab iiſdem Curatoribus & Coſs. promotuseſt: quo in ſtadio hodie etiamnum perſeverat.

Edidit,

De Barbarica Philoſophia libros duos.

In eius effigiem.

MEntem. Heurnl corpuſque ſimul Parca improba nobis
Subſtulit, hinc morbis libera facta via eſt;
Mentem Heurnl, vultumque ſimul, nomenque parentis
Exprimit, & terris filius ipſe dedit.
Hinc alios picta ſpectas in imagine tantum,
Hurniadem viva cernis in effigie.

DANIEL HEINSIVS.

Aliud.

HIc Ottho, hic alter viva eſt in imagine, lector,
Heurniades, docti docta patris ſuboles.
Parce modo, Lacheſis, ſpes ſurget & altera Leidae;
Non minor hic, certe a patre ſecundus erit.

STEPHANVS HELSDINGIVS.

GERARDVS TVNINGIVS.

GERARDVM TVNINGIVM, acris iudicii & ingenii virum, Lugdunum Batavorum, anno clɔ lɔ LXVI. edidit. Puer, inter prima literarum rudimenta, Gallicum ſermonem & Logiſticen, in Vrbe patria percepit. Quibus, innata iam tum diſcendi lubidine, Hiſpanicum ſimul, & Italicum adiunxit: raro tum in vulgus exemplo, & paucis in hac gente uſitato; quae, ſimplicitatis tenaciſſima, morum exterorum odio, tranſmarinas quoque linguas parcius colebat. Anno ſupra decimum octavo, quum Enchuſae quoque, in municipali iure, deſcribendis adſidue formulis, in foro uſitatis, ut eſt captus adoleſcentium, nonnihil profeciſſet, in Hiſpaniam ablegatur; uti Vlixbonae, celeberrimo Luſitanorum oppido, negociationibus inſtitoria cura praeficeretur. Evenit interea, ut poſt dies aliquot, quam navem conſcenderat, tempeſtas ſubito conorta, adeo infeſtaret mare, ut cum maxima iactura, neque ſine vitae diſcrimine, nautae verterent, & in portum redirent. Obnunciantibus videlicet fatis abitu praeclari, & ad alia in terra ſua profuturi aliquando, viri. Neque dubium eſt, quin ad nobilioris vitae genus iam a coelo vocaretur. Domum reverſus, paullo poſt tanquam inſtinctu divino, literarum ſtudia maxima contentione animi coepit capeſſere. Tanto ardore quidem, ut, non ſecus quam in ſtadio, nuſquam prius reſpiraret, quam ad metam veniſſet. Literas Latinas, Graecas, Matheſin, ipſam divini, ac humani iuris ſcientiam, illas praeceptore viro excellenti Rudolpho Snellio, hanc autem maximo Iuriſprudentium Hugone Donello, ſolo quadriennio, vix integro, abſolvit. Contendente cum ingenii benignitate memoria, quam voraginis inſtar capaciſſimam habebat. Anno admodum viceſimo ſecundo, publice, cum omnium adplauſu, doctrinae inſignibus a Donello ornatus eſt; non peregre, ſed in ea urbe, in qua natus erat. Quippe foedum, & infauſtum tum proficientis primum Academiae auſpiciis ducebat, ſi urbem, quae ſe peperiſſet, ea gloria immunem haberet. Inde Hagam ſe contulit; ubi in conſpectu, & in luce hominum, cauſas agere, reis adeſſe, Mercurio denique, non illi cui conſecratus olim fuerat, ſed forenſi, & facundiae antiſtiti, totum ſe dare coepit. Ita biennio exacto, quum videret, nihil ſupereſſe ſibi, vel ad magni animi experimentum, vel ad laudem, cuius, ut praeclarae mentes ſolent, adpetens in primis erat, denuo Lugdunum rediit. Vbi tranquillum, ac praeclarum vitae genus, Ius ex cathedra docendi, Lipſio ac Douſa auctoribus, amplexus eſt. Quam provinciam ſummo ingenio, incredibili facundia, ac promtitudine ornavit. Si quid eſſet publice dicendum coram multis, in quo ingenii periclitandae eſſent vires, nemo accuratius, nemo diſtinctius, nemo ornatius, dicebat. Tanta autem gravitate cathedram implebat, ut quum loqueretur, ipſam Academiam, non hominem in ea natum, loqui crederes. Eloquentiae erat facilis, & expeditae, comti ſermonis, & Latini; cui honeſtum vocis accedebat lenocinium; iudicio in primis acri; non in literis modo, ſed & in communi vita, moribus integris, & ad hilaritatem factis; animo vegeto, & (ut ille ait) ſemper defaecato. Ante omnia nulli invidere mortalium; adverſariorum raro, aut nunquam, meminiſſe; amicorum res, ut ſuas, curae habere; pro iis apud proceres, apud principes contendere; quos non, ut umbratici ſolent, ſed cum fiducia conveniebat. Natus ad Rempublicam, niſi beatus, quam ambitioſus eſſe maluiſſet. Eo tamen feliciſſimus, quod malevolis quoque, prono in calumnias ſaeculo, nihil, cui detraherent, praeter comitatem reliquit. Amicos habuit, prae ceteris, Douzas patrem & filium, Ioannem Grotium, Ioannem Melandrum, Iuſtum Lipſium, Otthonem Heurnium, Gerardum & Reinerum Bontium, Danielem Heinſium, Petrum Scriverium; alios in Academia, & in aula, non paucos. Inprimis autem, Ioſephum Scaligerum; quem, felicitate fatali, in Galliam miſſus, ab Henrico Magno, eius nominis Quarto, impetravit. Qua legatione ita functus eſt,

Digitized by Google

est, ut auspiciis & liberalitate Ordinum, non prius huc rediret, quam rem confeciſſet; & deſertae Lipſii diſceſſu Academiae, cuius & alumnus, & civis erat, virum talem redderet, qualem ea tempeſtate orbis non habebat. Quam in rem plurimae adhuc literae, a magnatibus ad illum ſcriptae, ſervantur; quas Ioannes Tuningius nunc poſſidet, Principi Henrico ab arcanis, vir ad ſumma natus, & qui ſolus nunc fratris deſiderium, pari indole, ac moribus, ſolatur. Vitam caelebs finivit anno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum decimo, Auguſti decimo & nono, Bruxellis, quo occaſione feriarum aeſtivarum animi cauſa ſe contulerat, quum vixiſſet annos XLIV.

Scripſit, ediditque,

Apophthegmata.
Commentarium in libros Inſtitutionum, poſt mortem eius edidit Arnoldus Vinnius.

GVLIELMVS CODDAEVS.

GVLIELMVS CODDAEVS, honeſtiſsimis parentibus oriundus, natus eſt Lugduni Batavorum, anno clo lo LXXV. quarto aut paullo amplius menſe poſt ſolutam eiuſdem Vrbis duriſsimam obſidionem, ob quam bono publico ſtrenuiſsime toleratam, eodem illo ipſo anno ad octavum Februarii publica Academia βραβεῖα loco donata, & cohoneſtata fuit. Ac quidem ingruente obſidione parentes eius Rheniburgo in urbem habitatum conceſſerant. Sed pater, Delphos inde profectus, atque per interiecta mox caſtra reditu in urbem prohibitus, durante obſidione, ibidem deinde commorari debuit; quum gravidam interea matrem luctuoſiſsimae illius obſidionis taedia, cum maxima inedia, & ſummo animi angore, devorare oporteret. Ingenii non poenitendi in ipſo ſtatim aetatis exordio ſpem faciens, ad ſtudia deſtinatus eſt. Ac quidem prima ſtudiorum ſuorum tyrocinia ſub Nicolao Stochio, Viro pientiſsimo, & iuventutis inſtitutore feliciſsimo, emenſus, & ab eo rude donatus, ad Academiam ulterius mox ſe contulit; inque ea deinde totos continuos decem, & quod excurrit, annos exegit; humanioribus literis operamnavans, itemque Graecae & Ebraeae Linguis tamen in primis, manuductoribus ad eam rem uſus (praeter Iudaeos, quorum aliquot privatim adhibuit,) duobus Franciſcis; Raphelengio videlicet & Iunio: viris quaquaverſum celeberrimis, & nonniſi cum praefatione nominandis. Sed multo maxime tamen in S. Theologiae ſtudiis, partem lectiones frequentando, partim publice iuxta ac privatim multoties diſputando, ſeſe ſemper exercuit; L. Trelcatii ſenioris, F. Gomari, ſed maxime tamen Franciſci Iunii, per annos novem auditor, uſque adeo aſſiduus, ut toto illo tempore vix decem illius lectiones intermiſerit; cuius proinde quam plurima penes ſe non minimi pretii dictata habet. Ac quidem quum propter obitum Franciſci Raphelengii, Nobiliſs. atque Ampliſs. DD. Curatoribus ad linguae ſanctae profeſſionem (quam per proviſionem, ut loquuntur, una cum profeſſione Theologica ſubſtinuerat aliquandiu ſupra nominatus D. Franciſcus Iunius) conſultum videretur vocare aliquem, quem conſentiens omnium fama, & ſpecimina aliquot publica, in hac lingua non infeliciter verſatum eſſe, fidem facerent; ſolenniter ab illis ad eam ordinarie ſubeundam vocatus, atque anno clo lo ci die octavo Septembris, cum bono Deo feliciter auſpicatus eſt.

Edidit,

Notas ad Grammaticam Ebraeam Martinii Navarri Morentini.
Orationem in laudem celeberrimi Mathematici D. Rudolphi Snelli funebrem.
Declarationem D. Iacobi Arminii, qua coram Potentiſſimis Hollandiae, & Weſt-Friſiae Ordinibus ſententiam ſuam explicuit de Praedeſtinatione, Providentia Dei, & id genus aliis doctrinae capitibus, in linguam latinam a ſe converſam. Aliaque minoris momenti quaedam.
Adnotationes in Commentarios trium Rabbinorum, Salomonis Iarchi, Aben-Ezrae, & Davidis Kimchi.
Syllogen vocum, verſuumque, proverbialium.
Fragmenta Comoediarum Ariſtophanis.

Habet prae manibus,

Catalogum librorum omnium Arabicorum, Chaldaicorum, Syriacorum, & Ebraicorum, qui aut adlegantur, aut tam inediti, quam editi, adhuc exſtant.
Adlegationes textuum è Novo Teſtamento Graecorum, idque ex Patribus & Auctoribus aliis Graecis; quatenus aut ab editis vulgatorum codicum textibus, & variis circa eos lectionibus, adhuc diſcrepant; aut diverſitates lectionum, quae conſtant, firmant, & fulciunt.

PETRVS CVNAEVS.

NAtus eſt anno clo lo LXXXVI. Patriam habet Zelandiam, in qua a patre mercatore, ſpectatae honeſtatis & exiſtimationis viro, educatus Middelburgi, anno aetatis duodecimo, Latinae linguae rudimenta addiſcere coepit, inſtitutione familiari, ac domeſtica, optimi doctiſſimique ſenis, Hugonis Favolii. Deinde poſt paucos menſes in Bataviam miſſus, apud Ioannem Matthiſium, Harlemenſis Eccleſiae miniſtrum, eruditione, ac rerum uſu, inſignem virum, vixit, ac domi ab eo privatim literis imbutus eſt. Ex huius diſciplina ad Academiam Leidenſem tranſiit, anno aetatis decimo & quarto: ubi ductu, & conſiliis, Ambroſii Regemorteri, cognati ſui, iuvenis literatiſſimi, regebatur; a quo linguam Ebraeam, & Graecam, in ipſis ſtudiorum primordiis, didicit, Illo comite, quum in magna Britannia eſſet anno clo lo

Digitized by Google

cim. una aestate Homerum integrum, ac plerosque Graecos poetas, ingenti studio perlustravit: ac socio itineris ibidem relicto, quem Londinenses ad sacrum Belgicae Ecclesiae ministerium vocaverant, Leidam reversus, per diversas disciplinas se circumegit, & modo ad Theologiam, modo ad Iurisprudentiam, plurimum vero ad humaniores literas animum applicuit, autore in primis, atque impulsore, avunculo suo, Petro Regemortero, Equestris dignitatis viro; cui eruditio varia, & iterum civilium scientia, famam, atque existimationem apud primarios saeculi homines pepererant. Accendebatur insuper magnis exemplis eorum virorum, apud quos literarum regnum stabat, Illustrissimi Iosephi Scaligeri, Bonaventurae Vulcanii, nobilissimi Danielis Heinsii, aliorumque, quorum consuetudine, atque familiaritate, frui, pulchrum sibi, atque honorificum duxit. Cum Bonaventura Vulcanio per triennium eadem mensa vixit: quum ante id tempus, per annos haud pauciores, pependisset ex ore duorum praestantissimorum hominum, cum quibus una habitabat, Caroli Clusii; quem ob nominis claritudinem inter honorarios Professores Academia habuit; & Sylvestri A Campen, qui Goesanae civitatis quondam syndicus ac mox inter consiliarios foederatorum Ordinum delegatus, taedio reipublicae, ad privatam vitam se redegerat, ut inter eruditos Leidae viveret, vir singulari doctrina, & prudentia praeditus, ac rerum publicarum ita gnarus, ut, qui adessent, omnes omnia eius dicta, veluti oracula, exciperent. Etiam per menses aliquot Franequeram Frisiorum secessit, ut ope, consilioque Cl. V. Ianii Drusii, ad interiora Ebraismi sacraria accederet. Hoc magistro Chaldaica, ac Syriaca, & Rabbinorum commentarios, adortus est. Ad quam rem mirifice eum inflammabat Iosephus Scaliger per literas, quas divinus senex ad eum dabat. Ibidem operam dedit Marco Lycklemae A Nyeholt, nobili Iurisconsulto, & Timaeo Fabro, qui tunc recens Iuris professionem orsus erat. Ex Frisia Leidam reversus, non destitit Drusium pene quotidie per epistolas de gravissimis quaestionibus consulere, eumque sui amantissimum semper expertus est, ac filium eiusdem, quo solo studiorum socio patrem, Rabbinica scripta interpretantem, audiverat, fratris loco habuit, ac mox absentem absens inter aequales suos dilexit tenerrime, exstinctumque crudeli funere ita doluit, ut nunquam ullius mortem tulerit impatientius. Anno cIↃ IↃ cxi. mandata ei est in Academia Leidensi Latinae linguae primum, ac deinde *Politica* Professio: interpretatusque est Iuvenalem, Senecam philosophum, Suetonium, Tacitum, alioque id genus Scriptores. Inter haec, quum Iurisprudentiae addictior esset, titulum nomenque eius rei adsumendum sibi duxit: ac Doctor Iuris creatus est a clarissimo Iurisconsulto, Cornelio Swaneburgio, Academiae per id tempus Rectore Magnifico. Quum autem causas in foro audire, atque in usum Iuris uberiorem percipere cuperet, voluntate Nobilis. Academiae Curatorum, & Vrbis Leidensis Consulum, Hagam Comitum, intermissis lectionum muniis, commigravit: ubi illum vir amplissimus Apollonius Scottus, supremae Curiae iuridicae Senator, honorifice, & peramanter, aedibus suis excepit, pro ea humanitate, & benevolentia, qua eruditos literatosque omnes, ipse doctrinae omnis, ac ingenii facile Princeps, prosequitur. Postquam illic maiorem anni partem exegisset, ac Leidam reversus esset, decretum est ab iisdem Academiae Curatoribus, ac Vrbis Consulibus, anno cIↃ IↃ cxv. ut, praeter Politica, Ius civile interpretaretur, ac Digestorum professionem sustineret. Quod minus statim suscepit. Sequenti anno uxorem duxit, Nicolai Zeystii, Leidensium Syndici, filiam; Ioannis Banchennii, Praesidis supremae Curiae, & Academiae Curatoris, neptem ex filia. Rector Academiae bis fuit, anno cIↃ IↃ c xxiii. atque iterum anno cIↃ IↃ c xxiv.

Edidit.

Animadversionum librum in Nonni Dionysiacæ Sardos Venales, seu Satyram Menippeam.
Iuliani Caesares, a se ex Graeco versos.
Libros tres De Republica Ebraeorum.
Scripsit & *Commentarium, De causis iuris, & facti, earumque differentiis*, quem nondum vulgavit.
Parat etiam *Commentarios in Flavium Iosephum.*

Ex orationibus, quas publice recitavit, quaedam editae sunt; ceterae, uno volumine prodibunt, cum aliis opusculis literariis.

PHILIPPVS CLVVERIVS.

NAtus est Dantisci, patre praefecto monetario, familia in Bremensi agro antiqua, & nobili, anno cIↃ IↃ Lxxx. Imbutus iis artibus, quarum capax prima aetas esse solet, in Poloniam a patre missus est; ubi inter aulicos cum mores gentis celeberrimae, tum linguam addisceret. Inde reversus, in Germaniam profectus est; atque ex ea in Bataviam, Lugdunum Batavorum, venit, Iuris studio, de parentis voluntate, se daturus. Sed, quum id minus placeret, animoque ad Geographica propenderet, & Iosephi quoque Scaligeri, viri summi, exhortatio etiam magis impelleret, ad haec studia totum sese applicavit. Hinc, ut, quem describere constituerat, orbem oculis prius lustraret, in Brabantiam iter capit; hanc visurus, & in ea Iustum Lipsium, virum celeberrimi nominis: quum hunc frustra, ipso absente, quaesivisset, & in via a praedonibus misere spoliatus esset, Lugdunum Batavorum rediit. Quumque interea, ob desertum Iuris studium, & impensam largiorem, patris gratia excidisset, in Bohemiam, ac mox etiam Hungariam sese contulit. In qua quum biennium totum militasset, in Bohemiam est reversus. Vbi ea tempestate Baro Popelius, iussu Caesaris

Digitized by Google

saris aliquandiu in vinculis habitus, cotam eo causam dicere, quum nequicquam postularet, scripta demum Apologia, hanc Cluverio, ut in linguam Latinam is transferret, tradidit. Quod quum ipse, ut receperat, praestitisset, moxque etiam, Lugdunum Batavorum reversus, edidisset, in gratiam Caesaris, qui iam istud per legatum impetraverat, in carcerem coniectus, vix, pro libertate sua, ac amici, adnitentibus studiosis, tandem evasit. Itaque liber, orbem inspicere diligentius, & metiri apud animum suum statuit; eaque de causa Scotiam, Britanniam, Galliam, Germaniam, atque Italiam, aliquoties peragravit. In Italia inter ipsos etiam Cardinales, admiratores sui invenit, quique retinere admodum munifice cuperent; erant enim, quae non parum virum istum commendarent, rerum Geographicarum exacta peritia, & linguarum, Graecae, Latinae, Belgicae, Germanicae, Gallicae, & Italicae, Bohemicae, Hungaricae, Polonicae, Britannicae: sed Bataviam, quam studiis suis sedem legerat, ut desereret, permoveri minime potuit. Ibi ei stipendium annuum, ad tractanda libere studia, sine ullo Professionis publicae onere, Curatores Academiae constituerant. Redux vero, non diu adeo, laboribus atque curis fractus, supervixit; decessitque anno clɔ lɔc xxiiii. aetatis suae xliii.

Scripsit, ediditque;

De tribus Rheni alveis.
Germaniam antiquam.
Siciliam antiquam.
Italiam antiquam.

Denique post mortem eius etiam prodiit, edente Iosepho Vorstio,

Introductio in universam Geographiam, tam veterem, quam novam.

GILBERTVS IACCHAEVS.

HOc praeclarum sane ingenium Abraedonia nobis dedit, non incelebre Britanniae septentrionalis emporium, ac salmonum piscatu nobile. Patre amisso mater vidua Thomae Cargillo erudiendum tradidit, admirando iuventutis instruendae artifici. Ac prima illa eruditionis rudimenta adeo avide est amplexus, ut in ipsis illis principiis praeclari fructus minime incertam spem praeberet; quippe aequales, quotquot essent, praetergressus, summo ingenii vigore praeditus, intervallo non exiguo post se reliquit. Iactis utriusque linguae fundamentis, ad Academiam ablegatus, Philosophiae operam diligentem navavit, praeceptore usus Roberto Hovaeo, viro multo praestantissimo, quique nunc in Academia Andracana Theologiae professionem summa cum nominis sui existimatione tuetur. Ex eius consilio in Germaniam mox profectus in Academiam Iuliam se recepit, ibique viros praestantissimos, Ioannem Caselium, Theodorum Adamium, Duncanum Liddelium, & Cornelium Martini etiam, cum summa diligentia audivit. Inde Herbornam quum abiisset, Matthiam Martinium virum non minus ingeniosum, quam doctum, & probum, praeceptorem inprimis habuit. Ibi quum per aliquod tempus substitisset, celebritate Academiae huius pellectus, quia illustriorem aliam nullam, aut viris praeclaris instructiorem existimabat, in eam se contulit; nec diu commoratus fuit, quin, perspecta eius doctrina, & ingenii promptitudine, Curatores Professionem Philosophicam ei demandandam putarint: quam nunc anni sunt complures quod cum laude summa tractat. Sed, quum tam praeclarum ingenium Philosophia sola occupare totum non posset, ad Medicinam illud adplicuit; summumque in ea Doctoris gradum est adeptus, anno clɔ lɔcxi.

Edidit,

Institutiones Physicae.
Institutiones Metaphysicae.
Institutiones Medicinae.

WILLEBRORDVS SNELLIVS.

NAtus patre, doctissimo, & clarissimo viro, Rodolpho Snellio, matre, lectissima foemina, Machteles Cornelia, Lugduni in Batavis in lucem est editus. Literis a prima pueritia a patre destinatus. & imbutus est. Et quum iam in Graecis Latinisque literis, ac philosophicis tantum profeciset, ut praelectiones publicas audire cum fructu posset, parentis hortatu Iuri aliquantisper operam dedit; sed quum ipse animi impetum sequi mallet, & aegre ita arctis limitibus circumscribi se pateretur, impensius mathematum studio delectatus, istis aliquantisper adhaesit. Inde anno clɔlɔc extraordinariis diebus Ptolemaei μεγάλης συντάξεως tres primos libros publice interpretatus est, parenti, cui refragari non audebat, in eo obsequutus. Quum vero iam id agi sentiret, ut hac ratione astricto nusquam e patria pedem efferre, aut quoquam peregre discedere liceret, aetatem causatus, [vix enim decimum nonum aetatis annum expleverat,] a parentibus missionem impetravit. Itaque in Germaniam peregrinatione subscepta multis, & claris viris ibi tum innotuit, & carus vixit, cum quibus etiam absens postmodum arctam amicitiam coluit. Herbipoli enim viro incomparabili Hadriano Romano; Pragae Tychoni Brahaeo, non tantum genere nobili, sed observationum accurata diligentia, instrumentorum Astronomicorum copia, restauratae Astronomiae celebritate nobilissimo, familiarissime innotuit. Hoc per Romanum unice agebat, (nam & is ab Imperatore Rodolpho II. evocatus, istic una aderat,) ut observationibus & reliquo exercitio astronomico operam suam addiceret: id enim quoque ante plusculos annos, dum adhuc in Dania viveret, permutationem filii sui apud parentem eius frustra tentaverat. Pragae porro dum esset, cum celeberrimis viris, Ioanne Keplero, Otthone Valentino, aliisque, amicitiam

Digitized by Google

tiam contraxit: Altorfii cum integerrimo sene Ioanne Praetorio, qui doctrina, & rerum Mathematicarum scientia, ac sedulitate nulli esset secundus: Tubingae cum Mestlino: atque alibi aliis. Inde vero sub initium veris domum reversus, post, anno exacto, in Gallias est profectus, ut ibi Iuris studio in eo secessu totum se daret; sed paullo post parente suo per otium feriarum canicularium in Germaniam profecto, eodem per literas ab ipso evocatus, relictis Parisiis [multum renitentibus ibi amicis, & claris viris, & Professoribus Regiis, quique eum postea per literas saepe revocare conati sunt] iterum in Germaniam abiit. Et quum non satis in tempore parenti suo occurrisset, qui iam Francofurto domum versus iter inflexerat, ipse Renum sequutus per Helvetiam ad Alpium radices penetravit; inde retro in patriam ad suos regressus, apud parentes, quibus solus erat superstes, fratre Iacobo e vivis sublato, aetatem transegit. Et parenti suo, ob aetatem & morbum, & quod iam de Academia Lugduno-Batava bene esset meritus, rude & titulo honorarii Professoris donato, successit anno clɔ Iɔ c xii. Febr. die viii. Idem tamen iam ante per integrum quadriennium de voluntate D. Curatorum, & Amplis. Senatus Academici consensu, varios auctores publice interpretatus erat. Scripta autem ab eo edita, haec fere sunt:

Apollonii Pergaei Opuscula varia.
De re nummaria.
Eratosthenes Batavus.
Typhis Batavus.
De Cometa, qui exarsit sub finem Novembris anni clɔ Iɔ c xviii.
Coeli, & siderum Observationes Hassiacae.
Cyclometricus.
Latina fecit, Belgice prius ab aliis scripta, cum alia quaedam, tum inprimis, *Hypomnemata Mathematica Illustrissimi Principis Mauritii a Nassou, Principis Arausionensis.*

Habet complura, olim a patre, Rudolpho Snellio, inchoata quidem, sed ad finem non perducta: tum non pauca item sua, aliquando, si vita subpetet, absolvenda, & edenda.

Est in eum hoc Epigramma, cum *Apollonii Pergaei de sectione determinata* opus ederet:

CLara Mathematici fax luminis, ortus ad illa
Litora, Pamphyli quae ferit ira sali,
Evocor in lucem, tenebris excitus ab imis,
Dum me SNELLIACI *luminis aura fovet.*
Vita fuit brevior, mihi quam, mea Perga, dedisti;
Aeterna est, quam nunc SNELLIVS *ipse dedit.*

IOSEPHVS SCALIGER, Iul. Caes. F.

THOMAS ERPENIVS.

GOrcomi in Batavia, anno clɔ Iɔ lxxxiv. iii. Id. Septembr. honestissimis natus parentibus fuit, Gerardo Ioannis ab Erpe, & Beatrice de Bie, Silvaducensibus. Incunabula studiorum praecipue debet triviali Lugduni Batavorum scholae. In eiusdem Vrbis Academiam receptus est annos natus xviii. Ibidem anno aetatis xxv. summam Philosophiae lauream adeptus est, conferente ei honorem hunc ex Senatus Academici decreto V. Cl. Rodolpho Snellio. Sed iam ante & Theologiae operam dare coeperat; & literis Orientalibus, quod studium auspicatus erat auctore potissimum Iosepho Scaligero, qui, quantum aliquando virum daturus esset, facile iam tum perspiciebat. Hinc Angliam, Galliam, Italiam, & Germaniam, lustravit: eaque peregrinatione non eruditionem modo, sed etiam prudentiam mire auxit. Lutetiae arctissimam coluit amicitiam cum Isaaco Casaubono. Ibidem, & Samurii, Arabicis maximè literis operam dedit. In quibus tantum profecit, ut Casaubono ipsi, atque iis, quibus magistris usus erat, summae admirationi iam tum esset. Venetiis vero ex eruditis Iudaeis, Turcis, aliis, didicit Turcice, Persice, Aethiopice. Iamque in Italia ipsa tanti fiebat, ut ducati ei offerrentur annui quingenti, quo Codicibus Arabicis vertendis operam suam addiceret. Post quadriennii peregrinationem, ut eruditione clarus, ita Orientalibus libris Lutetiae emtis, & aliunde acquisitis, instructus, demum feliciter revenit anno clɔ Iɔ cxii. Cogitatumque tum est de vocando eo in Angliam stipendio honestissimo. Sed anno proximo iv. Id. Febr. Arabicae, aliarumque linguarum Orientalium, Professor Lugduni Batavorum creatus fuit. Mox etiam grandibus impensis Typographiam instituit earundem linguarum: multaque & sua, & veterum monumenta, divulgavit. Ita & docendo, & excudendo, per orbem terrarum instaurabat Orientis literas. Anno clɔ Iɔ c xvi. prid. Non. Octobr. uxorem duxit lectissimam virginem, Iacobam Buyesiam, filiam amplissimi viri Ioannis Buyesii, Senatoris in Curia Hollandica prudentissimi, atque integerrimi. Ex qua terni liberi superstites sunt. Anno clɔ Iɔ c xix. etiam Ebraicae linguae commissa ei professio est. Quique tam multa subsisteret, tamen praeclare adeo singula exsequebatur, quasi uni rei totus vacaret. Anno clɔ Iɔ cxx. cum literis potentium Hollandiae Ordinum, & illustris Arausionensium Principis, ab Nobilissimis Academiae Curatoribus missus est in Gallias, ut tentaret animum Clarissimorum virorum Petri Molinaei, & Andreae Riveti; quorum alterum ad Theologiae professionem vocare decrerunt. Quum eo anno negotium id confici non posset, altero eumdem misere, ut & Riveti animum moveret, & Gallicanae Ecclesiae, quae dimittere velle negabat. Difficile dictu est, quam prudenter se eo in negotio gesserit. Nec exitus fefellit. Atque ab eo tempore magni eum fecere plerique Galliae Principes, religioni reformatae addicti. Nec intra eos honos iste stetit: sed quum undique ei in Orientis linguis principatus deferretur, etiam aversi ab ea religione virtutes eius laudesque adgnoscebant.

Digitized by Google

Ipſe Archiepiſcopus Hiſpalenſis, imo & Hiſpaniarum Rex per literas hoc egere, invidendis etiam promiſſis onerantes, ut in Hiſpanias veniret ad interpretanda monumenta quaedam vetera, quae mortalium nemo intelligere hactenus potuiſſet. Rex quoque Marocenſis, qui titulo gaudet Imperatoris Africae, uſque adeo admirabatur puritatem Arabicae dictionis in epiſtolis eius relucentem, ut literas iſtas proceribus, & doctiſſimis regni viris, velut miraculum quoddam oſtenderet. Nec, qui ab exteris tanti fieret, domi ignorabatur. Nam magno in pretio erat apud Illuſtres Hollandiae Ordines, & Principem Arauſionenſem, qui & opera eius diu uſi ſunt in vertendis literis, quas Africae & Aſiae principes Arabica, vel alia Orientis lingua, miſiſſent. Sed dum eo in opere opera eius utuntur, in ipſo illuſtrium Ordinum conſeſſu languorem maximum perſentiens, domumque perlatus, intra triduum contagionis paſſim graſſantis lue abſumtus fuit. Quod contigit XII. Novembr. anno CIↃIↃCXXIV. Defunctum ex Senatus Academici poſtulato oratione funebri proſequutus collega eius, qui cum coniunctiſſime vixerat, Gerardus Ioannes Voſſius. Ex cuius oratione [exſtat enim] cetera, quae ad virtutes laudeſque eius pertinent, petere licebit. In lucem, quae Erpenius edidit, ſunt iſta:

Grammatica Arabica. CIↃIↃCXIII.
Proverbia Arabica. CIↃIↃCXIV.
Fabulae Locmanni. CIↃIↃCXV.
Grammatica Garumia, & Libellus, De centum vocibus regentibus. CIↃIↃCXVII.
Hiſtoria Ioſephi Patriarchae, Arabice. CIↃIↃCXVII.
Canones, De literarum EVI apud Arabes natura, & permutatione. CIↃIↃCXVIII.
Rudimenta linguae Arabicae; item Praxis Grammatica: & conſilium, De ſtudio Arabico feliciter inſtituendo. CIↃIↃCXX.
Grammatica Ebraea generalis. CIↃIↃCXXI.
Orationes tres, De linguarum Ebraeae, atque Arabicae dignitate. CIↃIↃCXXI.
Quinque Libri Moſis Arabice. CIↃIↃCXXII.
Hiſtoria Saracenica, Arabice, & Latine. CIↃIↃCXXIV.
Pſalmi Davidis, Syriace. CIↃIↃCXXV.

Eſt in eius obitum iſtud Carmen.

OMnia dum Leidae Phoebus concedit, habebat
Quas habuit Graius, quaſque Latinus, opes.
Intulit Erpenius Muſas Oriente petitas,
Haec deerat Batavis gloria ſola meis.
Sublato Domino, patrias rediere ſub oras;
Et fugit Batavos gloria tanta meos.
O, Lugdunenſis data cui tutela Minervae eſt,
Et vates vatum diceris eſſe pater,
Heſperias ſaltem, Phoebe, o defende Camenas;
Iam victi ſpolium Mors Orientis habet.

IOANNES RVTGERSIVS.

Item Iſtud.

QVi primum e tenebris orientem adducere ſolem
Coepiſti in Batavos, o decus omne tuis,
Tene etiam ſuprema dies fatalibus umbris
Addidit? & mores nil potuere tui?
Nil niveus candor, nil ſancta modeſtia, nil mens,
Qui coeli in terris incola ſemper eras?
Tot iam annos, menſeſque tuo pendemus ab ore;
Seu totum hoc ratio, ſeu fuit acer amor;
Acer, & inſolitus, qui me tibi iunxerat uni,
Saepe etiam paſſus vix meminiſſe mei eſt.
Tu Graiorum adytis immerſum, & inertibus umbris,
Iuſſiſti ad portus flectere vela tuos;
Et nunc in medio luctantem gurgite pinum
Deſeris. Heu fati lex inimica mei!
At ſaltem preſſiſſem oculos, in morte natantes;
Hauſiſſemque anima deficiente tuam!
Tot ſaltem excelſas fixiſſem pectore voces,
Quot fruſtra effundit iam moriturus olor!
Quin etiam nomenque meum morientis in ore
Perſtitit, & totus tum quoque noſter eras.
Vita aliis, erepta ſua eſt; nos odimus omnem:
Et pulcrum eſt, Phoebo non oriente, mori.

DANIEL HEINSIVS.

Sunt & plura variorum amicorum, inprimis Petri Scriverii; quae videre eſt ad calcem Orationis Voſſianae.

FESTVS HOMNIVS.

NAtus eſt *Hielſemi*, amoeniſſimo Friſiae loco, in territorio *Leoverdienſi*, anno pace Gandavenſi celebri, CIↃIↃLXXVI. IV. Eidus Februarias; parentibus honeſtiſſimis, patre *Homero Homminga*, *Sixti* F. humanioribus literis haud leviter tincto, & matre *Anna Feſti* F. ex familia *Schierhuſia*, cui magnus quoque *Viglius Zuichemus* ortum ſuum debet. Habebat Hielſemum eo tempore viros nobilitate, dignitatibus, & doctrina, praecellentes, *Kemponem Harinxma a Donia* territorii Leoverdienſis Praeſidem, & in Illuſtriſſimo Ordinum Generalium Concilio Adſeſſorem, *Fecchonem a Rala*, in ſuprema Friſiorum Curia Senatorem, & *Econem Isbrandium*. Ordinibus Friſiae a ſecretioribus conſiliis, parenti amiciſſimos; qui pueri, quem pater domi primis Latinae literaturae rudimentis imbuebat, indole delectati, certatim hortabantur, ut eum ſtudiis humanioribus manciparet. Horum ſequutus conſilium, filium, iam novennem, doctiſſimis tradidit praeceptoribus, primo quidem *Vibrando Revio*, *Hallemio*, & poſt huius obitum *Ioanni Iungero*, cognato ſuo, Gymnaſii Leoverdienſis Rectoribus praeſtantiſſimis: ſub quorum fideli inſtitutione trivialium ſtudiorum curſu haud infeliciter peracto, a patre ad Academiam *Franekeranam*, uberioris cultus conſequendi gratia, anno CIↃIↃXCIII. deductus fuit. Vbi a clariſſimo Theologo *Sibrando Lubberto* in convictum do-

Digitized by Google

domesticum receptus Philosophiae Aristote- A
licae & S. Theologiae praeceptis, publice privatimque diligenter institutus fuit, uti quoque a *Ioanne Drusio* in Ebraicis, a *Ioanne Arcerio* in Graecis, & *Ioanne Roggio* in Mathematicis disciplinis. Biennio ibidem peracto, quum excitati in Academia illa ingentes tumultus studiorum progressum remorarentur, ex parentum amicorumque consilio in Gallias profectus est, ut mores hominum urbesque videret, & linguam eius gentis, cuius cognitio in functione publica in Belgio B
versantibus pene necessaria est, simul addisceret, *Rupellae* ob studiorum commoditatem, & in vicinis Pictoniae locis, aliquandiu commoratus, & linguae Gallicae usu auctus, ad celeberrimam & florentissimam eo tempore Academiam *Leydensem* se contulit, anno clɔ lɔ xcvi. Toto triennio in eadem clarissimis viris *Petro Molinaeo* in Philosophicis, *Bonaventurae Vulcanio* in Graecis, *Francisco Raphelengio* in Ebraicis, (cui etiam oratione funebri publice parentavit,) *Paullo Merulae* C
in Philologicis & Historicis, *Rudolpho Snellio* in Mathematicis, atque inprimis *Francisco Iunio*, *Lucae Trelcatio* seniori, & *Francisco Gomaro*, in Theologicis studiis adsiduam operam dedit. Vsus ibidem quoque fuit familiari consuetudine clarissimi Theologi *Ioannis Kuchlini*, Collegii Theologici in eadem Academia Regentis, cui se ita probavit, ut ei postmodum filiam *Ioannam Kuchliniam* collocaverit. Excitata ibidem crebris disputationibus, orationibus, concionibus, aliisque D
publicis exercitiis, aliqua de se exspectatione, ac fama, Ecclesia *Doccomiensis* [quae urbs caede S. *Bonifacii*, natalibus *Gemmae Frisii* celeberrimi Mathematici, portu commodissimo, & Curia Senatus rebus maritimis praefecti in Frisia celebris est] ad sudplendum alterius defuncti Pastoris locum ex Academia vocavit. Ecclesiae isti cum fide & industria praefuit fere triennium: ibique in usum Belgicarum Ecclesiarum accuratas *Zachariae Vrsini* explicationes Catecheticas E
Belgice perspicua phrasi transtulit. Anno clɔ lɔ cɪɔ missus fuit ab Ecclesiis Frisicis, ad quas vices eae redierant, ut exercitui Foederatorum Ordinum concionibus castrensibus inserviret; interfuitque celebri Foederatorum expeditioni in *Brabantiam* eo anno susceptae, & urbis *Graviae* obsidioni atque expugnationi. Reversum e castris *Leydenses* in locum *Lucae Trelcatii* iunioris, qui patri in ministerio Ecclesiae Gallicae succesF
serat, ad Belgicae Ecclesiae ministerium vocant. In hoc ministerio qua fide, industria, vigilantia, prudentia, constantia, moderatione, & mansuetudine, quam ingentibus laboribus, gravibusque molestiis, certaminibus, ac periculis, difficillimis praesertim Remonstrantium temporibus, iam per annos viginti & tres versatus sit, Ecclesiis Reformatis iam dudum innotuit. Publica negotiorum Ecclesiasticorum cura multoties ei a Synodis fuit concredita, fidemq; suam ac diligentiam in eo munere semper Ecclesiis probavit. Quum *Iacobus Arminius* S. Theologiae in Academ. Leydensi Professor, novorum dogmatum introductione Academiae & Ecclesiarum pacem turbaret, huic eius conatui, cum Gomaro, Trelcatio iuniore, & Kuchlino se quoque pro muneris sui ratione obposuit. In Collatione, quae hac de causa in conventu Ordinum Hollandiae inter Gomarum, & Arminium, anno clɔ lɔ cɪx. instituta fuit, Gomaro adstitit. Defuncto Arminio, quum Pastores aliquot, eius discipuli, novos quosdam Articulos Illustr. Hollandiae, & West-Frisiae Ordinibus insciis Ecclesiis, per Remonstrantiam, uti vocant, [unde *Remonstrantes* deinceps sunt vocati,] anno clɔ lɔ cx obtulissent, simulque adlaborarent, ut iidem Ecclesiis publica auctoritate obtruderentur, huic quoque istorum conatui se cum aliis Ecclesiarum Deputatis cordate obposuit. Quumque Illustr. Ordines statuissent anno clɔ lɔ cxi. ut de iisdem articulis *Hagae*, in ipsorum conventu, publica inter Remonstrantes, & Pastores ceteros haberetur Collatio, ad eandem ab Ecclesiis Hollandicis cum quinque aliis Pastoribus eligitur; in qua quum ipsi a Collegis colloquutoris partes essent impositae, receptam Ecclesiarum Reformatarum de *Praedestinatione & Gratia divina* doctrinam, adversus *Hadrianum Borrium*, *Nicolaum Grevinchovium*, *Ioannem Arnoldi Corvinum*, & *Simonem Episcopium*, qui a Remonstrantibus per vices ipsi obponebantur, ita tutatus est, ut plurimi ex proceribus causae Remonstrantium iam faventiores, de hac doctrina deinceps rectius benigniusque sentirent; statutumque ab Ordinibus fuerit, Articulos istos Synodi, eum in finem convocandae, iudicio esse subiiciendos. Hoc iudicium quum Remonstrantes omnibus modis subterfugerent, adniti pro virili non destitit publice privatimque, ut, convocata Synodo, paci Ecclesiarum, & doctrinae sinceritati consuleretur. In Arminii locum, Remonstrantium suasu, vocatus erat ab Academiae Leydensis Curatoribus *Conradus Vorstius*, de Socinianismo dudum subspectus; cui vocationi quum praeter Ecclesias, & civitates Hollandiae primarias, sapientissimus quoque *Magnae Britanniae Rex Iacobus* I interveniret, atque Illustr. Ordines Vorstium audiendum esse iudicarent, rogatus ab Ecclesiarum Deputatis, in pleno Ordinum conventu, praesentibus Curatoribus, multisque Pastoribus, cum Vorstio, super notatis erroribus, eorumdemque ipsius excusationibus, Collationem instituit; qua effectum fuit, ut Vorstius a professione abstinere, *Leyda* discedere, & *Goudae* se continere, Ordinum mandato iuberetur. Remonstrantes, ad invidiam declinandam, vulgo, atque inprimis patriae proceribus, persuadebant, se, praeter quinque dictos Articulos, nihil a recepta doctrina diversum sentire; quem fucum ut manifestaret, ex consilio Illustrissimi Comitis *Guilhelmi Ludovici Nassovii*, Frisiae Gubernatoris, auctor fuit, ut nova cum ipsis institueretur Collatio, in urbe *Delfensi*, anno clɔ lɔ cxiii. in qua ipsorum de *Satisfactione Christi*, *de Iustificatione*, *de Fide salvifica*, *de Pecca-*

Originali, de Perfectione hominis in hac vita, & de certitudine fidelium, ἐτεροδιδασκαλίαν singulari prudentia detexit. Studiosos S. Theologiae in Academia Leydensi, quum Professorum opera destituerentur, in Catecheticis, in Disputationibus Theologicis, & in formandis Concionibus per annos aliquot continuos privatim exercuit; & non semel ab Ecclesiis postulatum fuit, ut Professio Theologica ipsi demandaretur. Quum tandem Potentissimi Ordines Generales, ad tollendas ex Ecclesiis Belgicis controversias, ac turbas, Synodum longe celeberrimam *Dordrechti* convocassent, ab Ecclesiis Suyd-Hollandicis ad eandem deputatus quoque fuit; a qua omnium suffragiis demandatum ei fuit munus *Synodi Acta* consignandi: simulque ad novam Bibliorum versionem Belgicam adornandam inter alios fuit designatus. Finita hac Synodo, praefuit Synodo *Leydensi* particulari: in qua omnem dedit operam, ut Remonstrantes decretis Synodi Dordracenae acquiescerent, atque ita Ecclesiae communione retinerentur: sed, quum plerique praefracte id ipsum recusarent, quam plurimos a docendi munere removeri necesse fuit. Postquam Synodi Dordracenae Acta typis excusa essent, placuit Ordinibus Generalibus, per ipsum eadem mittere ad Serenissimum Magnae Britanniae Regem *Iacobum* I. qui consiliis, & hortationibus suis, negotium hoc Synodicum plurimum promoverat. Exceptus a Rege fuit summa cum benevolentiae, & favoris significatione: uti quoque a Celsissimo Walliae Principe *Carolo*, a Reverendissimo Cantuariensi Archiepiscopo *Georgio Abboto*, aliisque regni eius Praesulibus, Proceribus, & viris eruditis. Quum utramque ibi Academiam, *Cantabrigensem*, & *Oxoniensem*, perlustraret, ex voluntate Illustrissimi Comitis *Pembrochii*, Academiae Oxoniensis Cancellarii, & Clarissimi viri *Ioannis Prideauxii*; eiusdem Vice-Cancellarii, totiusque Academiae votis, in numerum S. Theologiae Doctorum (in quorum ordinem ab Academia Leydensi antea lectus fuerat) eius quoque Academiae solemni ritu cooptatus fuit. Illustr. Hollandiae & West-Frisiae Ordines, anno clɔ lɔ cxix. Academiae Leydensi reformandae intenti, quum *Collegium*, quod ibi habent, *Theologicum*, Ecclesiarum Hollandicarum seminarium, in quo res cum doctrinae tum morum pessime erant collapsae, inprimis instaurandum iudicarent, nemini tutius, quam huic Praefecturam huius Collegii committi posse existimarunt. A quo munere laboriosissimo, molestissimoque, etsi merito abhorreret, tot laboribus, molestiisque iam diu fatigatus, noluit tamen operam suam patriae, atque Ecclesiae denegare, quam diu par esset laboribus ferendis. In hoc munere, ac simul in ministerio Ecclesiae Leydensis, quae opera ipsius carere se non posse testabatur, etiamnum versatur, ea fide, vigilantia, auctoritate, & diligentia, quam hactenus Illustr. Ordinibus, & Ecclesiis abunde probavit.

Scripsit,

Belgice,

DE bello, libros III. in usum militum, quum esset in expeditione Brabantica.
Tabulas Exegeticas in Catechesin Ecclesiarum Palatinarum & Belgicarum.
Responsionem ad argumenta Remonstrantium in Collatione Hagiensi proposita.
Considerationem super vocatione Conradi Vorstii.
Declarationem Collationis Delfensis.
Responsionem ad Remonstrantium secundum, quam vocant, Remonstrantiam.

Latine,

Disputationes LXX. *adversus Pontificios, seu Collegium Anti-Bellarminianum.*
Specimen Controversiarum Belgicarum.
Narrationem Historicam ortus & progressus Controversiarum Belgicarum,
Disputationum Theologicarum adversus Pontificios Decadem I. de S. Scriptura.

In effigiem Reverendi Viri D. Festi Hommi.

ECclesiarum sacra pax quum rumpitur,
Parare promtum est pluribus victoriam,
Sed temperare cuilibet non est datum.
Est mentis altae id, proximaeque numini,
Bonisque natae civium. Has dotes ego
Ambas in ore maximi Festi *colo.*

PETRVS CVNAEVS I C.

IMperio tutam facile est defendere causam.
Ausus es esse bonus tempore, Feste, malo,
Nempe sub Arminio *gemeret quum Belgicus orbis,*
Haud rapuit navem tanta procella tuam.

Tibi veritatis fortis adsertor Dei,
Κράτιστε Φῆστε, scripsit haec lubens tuus
THOMAS GOADVS, Anglus, in Synodo comes.

FEste infeste malis, sed grate Deoque, *piisque,*
Quum pro coelesti vero sis fortis Athleta,
Et me aliquo numero sinceros inter amicos
Esse velis, fidei unius quos copula iungit,
Sic tibi, Feste, diu redeat lux festa quotannis;

RODVLPHVS GOCLENIVS, Senior.

ANDREAS RIVETVS.

NAtus est apud Pictavos, in urbe, cui a Fano Maxentii nomen est, Anno Domini clɔ lɔ lxxii. viii. Kalend. Sextil. Pater ei fuit Ioannes Rivetus; mater, Catharina Cardela: uterque ex honestis, & ibi notissimis familiis. Qui quum religioni reformatae, etsi tunc temporis persequutionum procellis agitatissimae, essent addictissimi, filium, natu maiorem, studiis Theologicis destinarunt. Itaque postquam in patria Schola posuisset puerilia rudimenta, anno aetatis suae undecimo ineunte, missus ab iis fuit ad Fanum Gelasii, ubi reverendus & doctus vir, Ludovicus Blacherius Niortensis Ecclesiae Pastor

Digitized by Google

ſtor, ludum literarium aperuerat; in quo, aliquot Nobilium, & vicinarum etiam civitatum honeſtorum civium liberis erudiendis laudabilem operam dabat. A quo poſtquam cum pietatis lacte, bonarum literarum initia deguſtaſſet, eundem, anno clɔlɔ LXXXV. exulantem ob pietatem, tempore coniurationis Henoticae, Rupellam comitatus eſt, & eius contubernio uſus, aliquot annos ſub diſciplina Petri Fabri Arverni, viri doctiſs. & Ioannis Roſae Scoti, qui tum in Gymnaſio Rupellenſi ſumma cum laude publice profitebantur, humaniorum literarum ſtudiis ſe addixit; ſimulque a Philippo Birganno Bignoneo Ebraeae linguae elementa, & a Petro Martinio Navarro, viro clariſſimo, Philoſophiae principia hauſit. Inde, anno clɔ lɔ xc. miſſus in Academiam Bearnenſem, tum florentiſſimam, Philoſophiae curſu, quem vocant, peracto, biennio poſt, ipſis Kalendis Auguſti, promotore Alexandro Blairio Scoto, Philoſophiae tum Profeſſore, & pro tempore Academiae Rectore, Magiſterii in liberalibus artibus laurea fuit inſignitus. Paulo poſt ad Theologiae ſtudium animum applicuit, praeceptore uſus clariſſimo & celeberrimo viro, Lamberto Danaeo, SS. Theologiae Profeſſore, in eadem Academia Bearnenſi. Ex qua quum Rupellam rediiſſet, publice profitentem audivit Ioannem Baptiſtam Rotanum Italum, doctiſs. & eloquentiſſimum Theologiae Doctorem, qui Scholam Theologicam aperuerat; in qua, cum aliquot aliis ſtudioſis iuvenibus, biennium integrum, tam ſub eo, quam ſub Reverendis Eccleſiae Rupellenſis, qui tum erant, Paſtoribus, exercitiis Theologicis, privatis, & publicis, impendit. Quo exacto, petente Illuſtriſſimo Thoarſii Duce, a Synodo Pictavienſium Eccleſiarum Niorti convocata, in Paſtorem Eccleſiae Thoarſenſis deſignatus, in ea paulo poſt publice fuit ordinatus XXIV. Martii, anni clɔlɔxcv. Exinde per annos XXV. continuos, Miniſterio ſacro functus eſt; tam in Eccleſia, quam in familia Illuſtriſſimi Ducis, a quo, dum viveret, magni momenti negotiis admotus, & adhibitus, eundem toto illo octiduo, quo ex morbo, qui illi extremus fuit, decubuit, verbi divini gratiſſimis conſolationibus ſubinde repetitis, confirmando, poſtrema eius, pie in Domino obdormientis, verba excepit. Eundem locum poſt eius obitum, apud illuſtriſſimam viduam, & potentiſſimum paternarum, ut ditionum, ſic pietatis, & (quod ſperandum) virtutum heredem filium retinuit, & gratiſſimam ſemper eis operam navavit. Sub cuius initiis, alioqui difficilibus inexperto iuveni, non mediocriter adiutus fuit, ſuavi conſuetudine, & ſapientibus conſiliis, Reverendi, docti, & multarum rerum uſu prudentiſſimi viri, D. Franciſci Oyſei Trevigarii, qui Nannetis, ubi per annos XXX. miniſterio functus fuerat, ab Henotica factione pulſus, a Paſtoribus, qui Rupellam profugerant, anno clɔ lɔ LXXXVI. delectus fuit, ut Sereniſſimo Regi Navarrae in Caſtris, a ſacris concionibus eſſet. Quo munere in Regis exercitu functus eſt ſumma cum eruditionis, diligentiae, & prudentiae laude, donec, Illuſtriſſimo Claudio Tremolio Thoarſii Duce, a Papiſmo ad Religionem reformatam converſo, Sereniſſimi Regis iuſſu, ei adhaeſit, eumque in variis expeditionibus comitatus, Thoarſii, cum familiae diſſectae reliquiis, larem fixit; tantiſper dum Armorica Provincia Regi reconciliaretur. In hoc temporis intervallo, anno clɔ lɔ XCVI. quem collegam & fautorem habuerat, & cuius prudentia & ductu in multis confirmatus fuerat, ſibi ſocerum ambivit; quo adnuente, duxit uxorem piam & honeſtiſſimam virginem, Suſannam Oyleam, paterni exilii comitem, cum qua annos quatuor & viginti coniunctiſſime vixit, ſubſceptis ex ea ſeptem liberis: ex quibus maſculi quatuor, matri ſuperſtites, Avum nuper, XXV. Februar. anni clɔlɔ CXXV. deſiderarunt; ad annum uſque aetatis LXXXV. perductum, quo, finito, piam animam Deo reddidit, ad extremum uſque halitum iudicio firmo. Nannetenſi tandem Vrbe a Mercuriano Duce Regi dedita, ſocero ad Armoricarum Eccleſiarum, (quae illum inſtauratorem ſuum agnoſcunt & praedicant) colligendas reliquias revocato, Eccleſiae Thoarſenſis, & eius quae in illuſtriſſimi Ducis familia colligebatur, ſoli ei incubuit adminiſtratio: in qua dum verſatur, nomine Pictavienſium Eccleſiarum octo legationibus functus eſt. Duabus, ad Politicos Eccleſiarum Galliae conventus Regis permiſſu, habitos, ad Caſtrum Heraldi anno clɔ lɔ CV. & Salmurii anno clɔ lɔ CXI. Quum paulo ante, anno clɔ lɔ CX. poſt Henrici Magni, glorioſae memoriae Principis, deteſtandam caedem, duobus nobilibus viris Beſſaeo & Albineo comes additus, Lutetiae Pariſiorum, ad Regem & Reginae matrem miſſus, iis, oratione in conſilio Galliae procerum habita, earundem Eccleſiarum fidem, & obſequium confirmaſſet. Quinquies ad Synodos Nationales delegatus, Gergavienſem IX. Maii clɔlɔ C I. Rupellenſem I. Martii clɔ lɔ CVII. Sammaxentinam XXV. Maii clɔlɔ CIX. Tonnienſem ad Garumnam II. Maii clɔ lɔ CXIV. & Vitriacenſem in Armoricis XVIII. Maii clɔ lɔ CXVII. trium Actuarius, & poſtremae praeſes electus fuit: In qua etiam cum Reverendis, & Doctiſs. viris, Daniele Chamiero, Petro Molinaeo, & Ioanne Calvo, deſignatus fuerat, ut nomine Eccleſiarum Galliae, a Synodo Cevennatum in Septimania, cui has partes Nationalis demandaverat, ad eam, quam Illuſtriſſimi Ordines foederati Belgii erant indicturi, mitteretur. Ad quam profectionem, quum poſt acceptas dimiſſionis literas, cum collegis ſuis, ſe accingeret, nonnullorum artibus, gravi & ſevero interdicto, Regis nomine, impeditus fuit, quominus ſuſceptum iter perageret, & delegatum munus obiret. In Vitriacenſi autem, quae commemorata eſt, Synodo, delatam profeſſionem Theologicam in Academia Salmurienſi, ab Illuſtri Philippo Mornayo Pleſſaeo, antea ſaepe oblatam non potuit adduci ut ſubſciperet: intercedente etiam, quominus id fieret, Illuſtriſſima

He-

Digitized by Google

Heroina, vidua Tremoliana, quae rationibus suis, & praesertim filiorum educationi, & confirmationi in pietatis studio, eius operam, non tam utilem, quam necessariam adhuc esse, Synodo, quae in eius aedibus habebatur, ipsa praesens exposuit. Tandem, anno clɔlɔcxx. qui anno praeterito, infecta re, quam tentaverat, ad suos redierat, iterum missus fuit ab Amplissimis Academiae Lugduno Batavae Curatoribus, clarissimus vir Thomas Erpenius, linguarum Orientalium Professor celeberrimus, qui redditis Illustrissimorum Ordinum, & Illustriss. Principis Auriaci literis, iis a quibus res illa pendebat, tam proceribus, quam Ecclesiasticis conventibus, aegre tandem & difficulter obtinuit, ut Academiae operam suam ad biennium tantum locaret. In quam vocationem non gravate consentiebat; animum praesertim addente, clarissimo fratre Gulielmo Riveto, Ecclesiae Taliburgensis Pastore, qui diu in ea Academia vixerat: nisi quod difficultatem iniiciebat, uxoris adversa valetudo, quae, diutissime & variis vicibus cum acerbissimis torminibus colicis conflictata, ad migrationem tunc temporis apta non erat: Quae etsi promitteret, praeeuntem, se, quum melius haberet, sequuturam: sollicitum nihilominus eum tenebat, nec immerito; quippe quae post aliquot menses, ad alias, & meliores sedes vocata, nunquam postea ab eo visa, ad beatos translata fuit: dum ille, in novo vitae genere, extra patriae fines, cogitur insuper domesticae rei curam subscipere, & insueta sollicitudine pene oppressus, de consorte sibi, & liberis apta matre, deligenda cogitare. Quum itaque intellexisset, lectissimam matronam, Mariam Molinaeam, Reverendi viri Ioachimi Molinaei [qui in aliis Ecclesiis, & demum in Aurelianensi, annos octo & quinquaginta, sacro Ministerio fideliter & pie functus fuerat] filiam, clariss. & Doctiss. viri Petri Molinaei sororem, ab annis quatuor & viginti, in ipso iuventutis flore, a strenuo militum Duce Antonio des Guyors (qui in obsidione Ambiensi Regi Christianiss. militans, post multa, cum alibi, tum ibi fortiter, & foeliciter gesta, occubuerat) relictam viduam, maxima cum pietatis, castimoniae, & prudentiae fama vixisse, & tum perterritam novis Gallicas Ecclesias agitantibus procellis, in comitatu fidelissimi & eloquentissimi Ecclesiae Rhotomagensis Pastoris Ioannis Maximiliani l'Anglaei, neptis mariti, Londinum confugisse; statuit, post tentatum literis eius animum, in Angliam iter instituere, assumpto comite clariss. viro, amico suo intimo, Thoma Erpenio; quo paranympho usus, duxit eam uxorem, Londini, sub finem Augusti, mensis, anno clɔlɔcxxi. Ibi amicitiam confirmavit cum nonnullis nobilibus Anglis, & Scotis, quos in Gallia noverat, quorum etiam indicatione aliis multis innotuit, praesertim in Academia Oxoniensi: ubi, quum nactus esset doctissimum & humanissimum virum Andream Russum, instructissimae Bibliothecae Bodleianae ibidem praefectum, qui eius contubernio Thoarsii ad aliquot menses usus fuerat; non prius ab Academicis fuit dimissus, quam solemni ritu, convocatis Doctoribus, & Magistris, a Doctore Piers Vicecancellario, procurante & promovente D. Ioanne Prideaux S. Theologiae professore Regio, publice adlectus fuisset inter eiusdem Academiae Doctores, ut in ea, eodem loco haberetur, quo in Academia Leydensi, in qua gradum subsceperat. Quo facto, salutatis Vindesori Sereniss. Rege, & Illustrissimo Walliae Principe, sub initium Octobris, Lugdunum Batavorum revertus est. Anno sequente, quum impetrata licentia ad suos in Galliam rediisset, ut rei familiari suae consuleret, stitit se Nationali Synodo, habitae Carentoni ad Matronam iuxta Lutetiam, in qua, cum, id petentibus per literas Amplissimis Academiae Curatoribus, redeundi potestas ipsi facta fuisset, paulo post Lugdunum repetiit, ubi in professionis suae munere docendo, & scribendo, etiamnum versatur. Scripsit hactenus, & edidit,

Anno clɔlɔc. *Responsionem ad quaesita Ioannis Christii Sorbonici, Nannetensis Canonici Ecclesiastae: sub titulo Excitoris Ministrorum.*

Anno clɔlɔcm. *Specimen praecipuorum Paradoxorum Papismi, ex praecipuorum Pontificiorum Doctorum scriptis exhibitum.*

Anno clɔlɔcv. *Defensionem libertatis Christianae in sobrio usu ciborum, contra Georgium l'Apostre Apostatam.*

Anno clɔlɔcvm. *Responsionem ad Declarationem Oliverii Enguerrandi Apostatae.*

Anno clɔlɔcviii. *Summam controversiarum, inter Orthodoxos & Pontificios, contra Catechismum Controversiarum, a Gulielmo Bailio Iesuita, iussu Archiepiscopi Burdegalensis, editum.*

Eodem anno Meditationes in Psalmum cxix.

Anno clɔlɔcx. *Triumphum veritatis, adversus eundem Bailium Iesuitam, qui, emisso Prodromo, minatus erat se replicaturum.*

Anno clɔlɔcxii. *Defensionem duarum Epistolarum & Praefationis libri D. Philippi Mornayi Plessaei, cui titulum fecerat,* Mysterium Iniquitatis, seu Historia Papatus. *Adversus Cavillationes Pelleterii Apostatae, & Brayi Sorbonistae.*

Eodem anno, Specimen Critici sacri, in scripta veterum Doctorum sex priorum seculorum, cum tractatu de Patrum auctoritate, &c.

Anno clɔlɔcxvii. *Summam Controversiarum recognovit, tertia parte auxit, & auctorum locos Latine in margine expressit.*

Eodem anno, edidit Defensionem Historiae Papatus seu Mysterii iniquitatis, Illustris Plessaei, contra Responsionem Nicolai Cuffetelli Dominicani, titularis Dardaniae Episcopi.

Anno clɔlɔcxx. *Orationem inauguralem de bono Pacis, & concordiae in Ecclesia.*

Anno clɔlɔcxxii. *Meditationes seu Homilias* xii. *in selecta aliquot Scripturae loca.*

Anno clɔlɔcxxv. *undecim Disputationes de variis materiis Theologicis, quae exstant in* Synopsi purioris Theologiae *nuper edita a Pro-*

Digitized by Google

a Professoribus Theologicis in Academia Leydensi.

Eodem anno Commentarium in Hoseam Prophetam.

Adfectam habet & paratam, *Decadis Psalmorum Evangelicorum interpretationem Theologicam & Scholasticam*:

Isagogen generalem ad Scripturas sacras, & alia nonnulla, suo tempore, σὺν θεῷ edenda.

In effigiem Reverendi viri & Collegae D. Andreae Riveti.

EFfigiem, Rivete, tuam iam conspicit orbis,
Iam celebrat: mentis terminus ille tuae est.
Vt totum, quacumque patet, sibi vindicet orbis,
Iam celebrat: mentis terminus ille tuae est.
Vt totum, quacumque patet, sibi vindicet orbis,
Sic etiam terris conspiciendus eras.

DANIEL HEINSIVS.

In Reverendi & Clariss. viri, D. Andreae Riveti, amici primarii, & SS. Theol. Professoris eximii, effigiem, aeri scitissime inciſam.

POst quinas decies divinae frugis aristas,
En quam vernus adhuc ora serenat honos.
En quam servat adhuc primaevum testa nitorem,
Cui Deus aeternas tradidit intus opes,
Cultior hospitio ne deforet hospes amoeno.
Dissona nec tantus tecta teneret herus;
Quam bene mens animo certat, manus aemula voci,
Vitaque calligraphum praevolat alta manum?
Enthea nec virtus, pietasque, & rara supellex
Doctrinae, eloquii flexanimusque vigor,
Delegisse larem poterant, ubi suavius alma
Concinit ingenitus cum gravitate lepos;
Sola erat excelso tantorum culmine laudum
Clara prius tali Sole Thoarsa, minor,
Ergo tuos merito nunc Leida intermicat ignes,
Haec nova laurigeri palma decusque chori:
Lucis inocciduae toto iubar orbe futura.
Debuit haud alio stella micare polo.

Robertus Bodius a Trochoregia, L. M. pangebat.

ANTONIVS WALAEVS.

NAtus Gandavi, anno Domini clo lo LXXIII. die tertio octobris, stilo veteri, Patre Iacobo de Wale, ex Flandria Imperiali oriundo, & in familia Comitis Egmondani, cui avunculus eius erat Confessarius, usque ad ipsius incarcerationem, educato, a quo tempore, vitae aulicae pertaesus, Gandavum concessit, & diversa honesta munera ibidem gessit, & Matre Margareta Wagenaers, Gandavensi, ex honestissima familia, & in eadem urbe sat nota. Quum annum aetatis decimum attigisset, a parentibus, ingenium eius ad studia literarum proclive conspicatis, in disciplinam domesticam traditus est D. Francisco Lansbergio, tum in eadem urbe Ecclesiae Pastori, a quo prius Latinae linguae rudimentis imbutus est. Sed, quum urbs ea ad finem sequentis anni clo lo LXXXIV. in potestatem Principis Parmensis dederetur, cum Parentibus suis Middelburgum, Zelandiae metropolin, religionis causa, secessit; & reliquum vitae tempus cum iisdem in eadem urbe transegit. Quoniam vero parentes eius, per temporum eorum & patriae calamitatem, fortunis suis magnam partem essent exuti, ad aliud vitae genus, sequentibus aliquot annis, transitum paravit; sed Deo optimo maximo aliter de eo statuere visum fuit: itaque, ex parentum voto, ac sua voluntate, circa annum aetatis XVI. ad literarum studia quasi postliminio rediit, idque sub disciplina doctissimi viri, D. Iacobi Gruteri, Rectoris Scholae Middelburgensis, literarum Graecaeque linguae peritissimi; cui circa idem tempus adiunctus est, propter Philosophiae peritiam, D. Ioannes Murdisonus, Scotus, postea in Academia Leydensi Philosophiae Professor, sub quibus eos in literis, linguis, ac Philosophia, progressus fecit, ut initio anni clo lo XCVI. sumptuum partem offerente Amplissimo Magistratu Middelburgensi, in Academiam Leydensem transmissus fuerit. Atque ibi in Ebraea lingua D. Franciscum Raphelengium, & postea clarissimum virum D. Franciscum Iunium, publice docentes audivit; in Theologia vero tres celeberrimos viros, nempe eundem Franciscum Iunium, item Lucam Trelcatium patrem, & Franciscum Gomarum, (cuius postremi contubernio per tres annos quoque est usus,) praeceptores habuit; ac diversis lectionum, disputationum, ac propositionum (ut vocant) exercitiis sese ad verbi ministerium paravit. Quum autem peregrinarum Ecclesiarum, ac regionum visendarum, desiderio teneretur, parentibus, & moecenatibus, sumtus liberaliter subgerentibus, anno clo lo XCIX. ex Zelandia in Galliam discessit; atque ea, una cum Amplissimo viro D. Apollonio Schotio in suprema Hollandiae ac Zelandiae curia iam Consiliario, peragrata, Ecclesiisque aliquot perlustratis, Genevam concessit; ubi integrum ferme annum commoratus est, hospitio usus Reverendi viri, D. Caroli Perotti, Pastoris, & una cum D. Antonio Faio in eadem schola Genevensi tum professoris; Bezamque in extrema, sed vegeta, senecta nonnumquam invisit; & eundem, adhuc concionantem, licet a publicis lectionibus iam abstinentem, audivit. Hinc Lausannam, ac mox Bernam profectus, ad duos menses ibi haesit, & cum illustris illius Scholae Professoribus familiaritatem contraxit; inde demum Basileam adiit, & septem praeterpropter menses in ea mansit, ac venerabilem tum senem D. Iacobum Grinaeum, & generum eius, D. Amandum Polanum, cuius convictu etiam fruebatur, tam privatim quam publice coluit, clarissimum virum, D. Buxtorfium, minores prophetas, cum Rabbinorum commentariis, interpretantem audivit; & sicuti eius Academiae consue-

Digitized by Google

ſuetudo fert, a Doctore Grinaeo, & Polano, ut diſputationibus Theologicis alumnorum non tantum intereſſet, ſed etiam ipſorum profeſſorum vice praeeſſet, ſeaepe fuit rogatus. Inde, anno clɔlɔcɪ, quum iam biennium in peregrinatione abſolviſſet, per Germaniam, ſalutata Academia Heidelbergenſi, & Schola Bremenſi, domum reverſus, aliquanto poſt ad verbi miniſterium vocatus eſt, in pagum Middelburgo vicinum, cui a Lauchis eſt nomen; atque inde, biennio exacto, in ipſam urbem Middelburgum; ubi & uxorem duxit, virginem honeſtiſſimam Paſchaſiam ab Thenhoudt, ex patritia eiuſdem urbis familia; cum qua iam, per Dei gratiam, annos ferme xxii. in coniugio grato vixit, & ex ea novem liberos ſubſcepit; quorum ſeptem adhuc habet ſuperſtites, tres nempe mares, & quatuor filias. Triennio poſt, quum Middelburgum eſſet vocatus, defuncto iam doctiſſimo illo Rectore, D. Iacobo Grutero, & Schola illa celebri in alium paullo ordinem redacta, a Magiſtratu urbis rogatus eſt, ut in Philoſophia, & Graeca potiſſimum lingua, lectiones honorarias haberet; quod & ab illo annos circiter xii. eſt factum, nulla miniſterii interim parte neglecta. Anno autem clɔlɔcxvii. exeunte, ab Illuſtriſſimo Principe Mauritio, & Eccleſia Hagienſi, ferventibus iam Remonſtrantium per totam fere Hollandiam diſſidiis, Hagam Comitis extra ordinem evocatus eſt, ut in illa diviſione ibidem ad tempus miniſterio fungeretur; in qua ad quatuor fere menſes, cum venia Magiſtratus, atque Eccleſiae Middelburgenſis, moratus eſt; a Principe frequenter, una cum aliis quibuſdam Eccleſiarum Paſtoribus, ad horum diſſidiorum compoſitionem in conſilium adhibitus. Sed, quum malum ita in dies ingraveſceret, ut nullam medicinam leviorem amplius pateretur, & ab adverſa parte nulla ſaniora conſilia admitterentur, cum venia Principis, rurſum ad ſtationem rediit; atque anno ſequente ab Ordinibus generalibus ad Synodum celeberrimam Dordracenam inter Profeſſores Belgas eſt evocatus; in qua eas partes obiit, quae in actis publicis eiuſdem Synodi inter alias quoque ſunt expoſitae. Quum vero circa finem Synodi Advocatus quondam Hollandiae Barneveltius Remonſtrantium caput, Hagae tum captus, a delectis Iudicibus perduellionis condemnatus eſſet, placuit eidem quoque Principi, cum delectis illis Iudicibus, eundem Walaeum ex Synodo Hagam arceſsere, ad poſtremum hoc miniſterium Advocato iam condemnato praeſtandum, ut ei circa vitae finem adeſſet, ut adverſus mortem imminentem confirmaret; quod ab ipſo una cum duobus aliis Hagienſibus Paſtoribus eſt factum, Advocato eum libenter audiente, & in eadem cum Eccleſia noſtra fide ſe moriturum teſtante. Poſtquam autem Illuſtribus Hollandiae & Weſt-Friſiae Ordinibus, atque Illuſtriſſimo Principi Mauritio, tanquam Academiae Leydenſis protectori, ac protectori, certum eſſet Academiam Leidenſem, propter interna diſſidia graviter adfectam, inſtaurare, & inprimis facultatem Theologicam, quae in ſolo Cl. viro D. Ioanne Polyandro tum conſiſtebat, in antiquum ſtatum, & tranquillitatem reſtituere, viſum eſt ipſis, primum eundem Antonium Walaeum a Magiſtratu, atque Eccleſia Middelburgenſi repetere; & licet ipſe aegre ab Eccleſia illa, in qua & educatus, & quindecim ferme annos, cum octo cariſſimis collegis, munere Paſtoris pacato functus erat, avelleretur, atque aegrius a Magiſtratu, atque Eccleſia illa, dimitteretur, obtinuit tamen auctoritas Principis, per literas id petentis, & duorum ampliſſimorum virorum, D. Rochi Vandenhonart, Academiae Curatoris, & D. Petri Deimanni, Conſulis Leydenſis, ad id in Zelandiam miſſorum, ſeria flagitatio, ut vocationi publicae Ampliſſimorum Curatorum Academiae, & Conſulum Leydenſium pareret; fraterque ipſius minor natu Iacobus Walaeus, tum temporis Eccleſiae Domburganae Paſtor, in locum eius ab eodem Magiſtratu, & Eccleſia Middelburgenſi vocatus eſt. Anno igitur clɔlɔ cxix die xxv. Septembris, cum familia ſua ex Zelandia in Academiam hanc Leydenſem tranſivit, & in ea iam ſextum annum agit, cum Collegis reverendis, ac doctiſſimis, D. Ioanne Polyandro, a quo Doctoris titulum accepit, & eis poſtea adiunctis, D. Andrea Riveto, & D. Antonio Thyſio; illo novi Teſtamenti; his veteris Teſtamenti Profeſſoribus: ipſi vero Locorum Communium praelectio in eadem facultate eſt demandata, quorum curſum iam ſemel abſolvit.

Edidit, antequam in Academiam vocaretur, praeter aliquot carmina, ab amicis extorta, librum *De Auctoritate Magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis*, obpoſitum libro Ioannis Vtenbogardi de eadem materia, vernacula lingua, propter haec interna diſſidia, conſcriptum, & paullo poſt in linguam Gallicam a Reverendo viro D. Ioanne Crucio, Gallo-belgicae apud Harlemenſes Eccleſiae Paſtore, in Gallicam linguam verſum.

Edidit poſtea in Academia Leydenſi, Theologiae Studioſorum rogatu, *Orationem ſuam inauguralem, De recta inſtitutione ſtudii Theologici*, & paullo poſt, *Compendium Ethicae Ariſtotelicae ad normam veritatis Chriſtianae revocatum*; quod antea in illuſtri Schola Middelburgenſi diſcipulis propoſuerat, & iam ſecundo excuſum eſt.

Edidit item *quatuordecim Diſputationes de variis materiis Theologicis*, quae exſtant in *Synopſi purioris Theologiae* nuper edita a Profeſſoribus Theologiae in Academia Leydenſi.

Habet & nonnulla alia adfecta, nonnulla perfecta, quae, Deo volente, brevi lucem videbunt. Inter quae praelo iam commiſſa eſt *prima pars Reſponſionis ad Cenſuram Ioannis Arnoldi Corvini in Cl. viri D. Petri Molinaei anatomen Arminianiſmi*, continens materias controverſas, quae quinque famoſos Remonſtrantium articulos antecedunt, & excedunt, nempe de Providentia Dei, de Voluntate Dei, de lapſu Adami, de peccato originali, de lege naturae, & his connexis.

AN-

Digitized by Google

ANTONIVS THYSIVS.

ANtonius Thyſius, natione Brabantus, patria Antuerpienſis, natus eſt anno Domini clo lo LXV. nona die Auguſti, patre Chriſtophoro Thyſio Mechlinienſi, Nicolai, Vrbis eiuſdem Praetoris, filio; mercatore inter Antuerpienſes honeſto, quique eius urbis dignitatibus, utpote Decani tribuum, & Vicipraefecti, quem Vicimagiſtrum vulgo adpellant, aliiſque, defunctus eſt: matre vero Martha Aegidia; Franciſci Aegidii, & Antoniae Arſens filia, ex honorata Aegidiorum in Brabantia familia: cui patruus Petrus Aegidius ab actis Curiae Antuerpienſis, vir iuxta doctiſſimus & optimus, quem tantopere Eraſmus Roterodamus ſibi amicum, & familiarem habuit, ut illum potiorem ſui partem, & Pyladem ſuum nuncuparit, & Thomas Morus in Vtopia, ſeu de Optimo Reipublicae ſtatu, quam & ipſi inſcripſit, & loquentem introducit, & ipſe quoque Gulielmus Budaeus vehementer, ut iuratiſſimum Eraſmi amicum, & omnibus modis praeſtantem virum celebrant. Huius aemulus a puero Thyſius, in literas humaniores propenſus, primum Latinae linguae rudimenta Lyrae, oppido Brabantiae, indeque, quod urbs ea ab Hiſpano praeſidio inſideretur, Teneramundae addidicit: inde Antuerpiae ſub Clariſſimo viro D. Bonaventura Vulcanio, ex Secretario nobiliſſimi viri Philippi Marnixii Aldegundis Domini, Scholae publicae Antuerpiae primum inſtitutae Rectore, uberiorem in literis cultum accepit: quem Lugdunum Batavorum ad Graecae linguae profeſſionem evocatum, ipſe anno Domini clo lo LXXX. aetatis XV. ſubſequutus eſt. Vbi Philologiae, & Philoſophiae ſub Clariſs. doctiſſimiſque viris, (quibus in omni literarum genere Academia illa abundabat) Iuſto Lipſio, Vulcanio Snellio, Druſio, operam dedit; eximii inſuper Theologi Lamberti Danaei, quantum tulit aetas & profectus, auditor fuit. Quo Gandavum ad ſacrae Theologiae profeſſionem devocato, illoque eo concedente, ac Theologiae ſtudio, in quod ipſe non ſine divino numine totus ſuo quodam genio ferebatur, illius abitu Leydae tum langueſcente, auctoribus & conſultoribus doctiſſimis viris Ioanne Bollio cognato & Ieremia Baſtingio, Theologiae Doctoribus, & Eccleſiarum adminiſtris, in Germaniam, Neoſtadium ſcilicet, (in quod oppidum tota Heidelbergenſis Academia ob diverſitatem Religionis Frederici filio ſucceſſore conturbata, non ita pridem tranſierat) a parente mittitur; ſed peſte illic ſaeviente Frankendaliae apud ſuos nonnihil commoratus, Genevam nobilem & illuſtrem ſcholam adiit, & venit V. die Octobr. Vbi praeceptores habuit in literis quidem, Graecis, Iſaacum Caſaubonum; Ebraeis, Bonaventuram Cornelium Bertramum; in Philoſophia vero, Iulium Pacium, I. C. & Philoſophiae Profeſſorem, Petrum item Galeſium Hiſpanum, virum inſigniter & doctum & pium, (qui ante Romae ob ſincerioris Religionis ſenſum quaeſtioni ſubmiſſus, oculum alterum amiſerat, & poſtea obſidione Vrbis Genevenſis inde ſecedens in Aquitaniam, ſcholae Rectorem egit, motibuſque Gallicis, & cuiuſdam invidia oppreſſus, contendens in Belgium a Ligiſtis, ut vulgo vocantur, interceptus, & Hiſpanis traditus, ob conſtantem in Religione confeſſionem ab Hiſpanica Inquiſitione flammis concrematus eſt.) In Theologicis autem eximium Theologum & Reverendum ſenem Theodorum Bezam, & Antonium Fayum. Atque ibidem, poſtquam tum docendo, tum diſputando privatim publiceque ſeſe identidem exercuiſſet, & profectus ſui ſpecimina edidiſſet, triennio ibidem exacto, anno ſcilicet Chriſti clo lo LXXXV. teſtimoniis, ac commendationibus honeſtis a Rectore & facultate Theologica ornatus, Geneva diſceſſit: ac peragrata, & perluſtrata Helvetia, & in ea Academiis ſcholiſque illuſtrioribus, ac viris in iis celebrioribus ſalutatis, & conſultis (qui praecipuus eſt peregrinationis finis, & uſus) utpote Lauſannae Nicolao Colladone, ſacrarum literarum ibidem Profeſſore, Aemilio Porto, Franciſci Cretenſis filio; Bernae, Abrahamo Muſculo Wolfangi filio; Tiguri, Reverendo ſene Rodolpho Gwaltero tum paralytico, Lavatero, Ioanne Stuckio polyhiſtore, ac Wolfio, Theologis; Baſileae, Grynaeo; Argentinae, Pappo; Heydelbergam conceſſit. Vbi totum quadriennium ſacra ſtudia, ſtudiorum ſocio Franciſco Gomaro, continuavit, ſedulus auditor Grynaei, (qui eo a Sereniſſimo Principe Caſimiro evocatus erat, ad rem Religionis interturbatam ante, iterum inſtaurandam,) Iunii, Sohnii, Toſſani, &c. Atque ſtudiorum curriculo, ſtadioque decurſo, anno clo lo LXXXIX. in Angliam abiit, ac primum Cantabrigae Witakerum, inde Oxonii Raynoldum, duo lumina, & columina Angliae, quorum uterque diſſimili tamen inſtituto, in Bellarmini Controverſiarum voluminibus refutandis verſabatur, docentes audivit. Ex Anglia demum anno Domini clo lo CX. XII. Auguſti in Belgium redux, Lugdunum Batavorum regreſſus, atque ibidem nonnihil commoratus, ab Eccleſia Harlemenſi, ad ſacri Miniſterii functionem evocatur; ſed trimeſtri fere ſpacio tanti muneris initia faciens, morte patris Francofurtum (ubi patrem funerarunt, & humarunt filii, ſicuti matrem Wormatiae, ut qui Antuerpia Principi Parmenſi dedita religionis & patriae amantes ſolum verterant) abire coactus fuit. Vnde peregrinandum ſibi inſuper in Septemtrionem putavit, ac vidit quicquid obtenditur mari Balthico, & in Boruſſiam, Poloniam, Sermatiamque penetravit, viſis undique Academiis, & ſalutatis in iis viris doctis; in primis Roſtochii Davide Chytreo, & Dantiſci Iacobo Fabricio; atque ita per Saxoniam Vrbemque & Academiam Lipſenſem [ubi omnia morte Principis Chriſtiani erant perturbatiſſima] & Helmſtadium, Academiam Iuliam, inviſens, Stadae apud Clariſſimum virum & Theologum, Ioannem Bollium, mi-

niſtrum Belgicae, & Walonicae Eccleſiae, cognatum ſuum, pluſquam annum conſtitit, ad factum miniſterium efformandus: Inde Emdam diſcedit, ac biennio fere conſuetudine doctiſſima, & dulciſſima fruitur Menſonis Altingii, ſervi Chriſti eximii, & I. Polyandri Patris, viri eruditi & zelo inſignis, admiſſuſque eſt ad Hebdomadarios, qui ibi habentur, Paſtorum conventus. Quumque Altingius, urbe Gruninga Principi Mauritio, & Ordinibus Generalibus dedita, a Gubernatore Comite Guilielmo Naſſovio ad Eccleſiae, & agri reformationem adhiberetur, illum ſibi comitem ad illud inſtitutum, tanquam Timotheum aliquem, delegit, & adſcivit. Interea & in Friſicam, quae Franekerae eſt, Academiam excurrit, ac moram traxit, renovaturus amicitiam veterem cum DD. Sibrando, Lydio, & Druſio. Emda porro anno Dom. cIↃIↃ XCIV. ab Amſterodamenſi Eccleſia per Reverendum virum & nunquam ſatis laudatum illius Eccleſiae Paſtorem, Petrum Plancium, & Seniorem Franciſcum de Raet, conſeſſus illius nomine vocatur ad Eccleſiae illius curam, quam acceptavit hactenus, ut ipſe ſui, quid humeri ferrent, quidve recuſarent, & illi ipſius periculum prius facerent. Sed filii Prophetae munere ultra annum e publico defunctus, quum non tam aliis, quam ſibi ſatisfacere nequiret, dimiſſione qualicunque, ſed aegre, impetrata, in animum induxit inviſere Galliam, Gallicaſque Eccleſias. Neque ibidem ignavus, otioſuſque degit, ſed, fervente tum diſputatione cum Ebroicenſi Epiſcopo, Pleſſiaco ſuam operam in Eccleſiaſticae Antiquitatis diſquiſitione impendit: cum D. Ranchino in Monſpelienſi Schola Anteceſſore, & in ſuprema Curia Occitana Fiſci Advocato, (quo cum familiariter eodem contubernio vixit,) tum operato in Concilii Tridentini Reviſione, ut vocant, operam contulit. Neque magnis illis animis D. Auguſto Thuano Curiae praeſidi, Petavio Conſiliario, Gilotio, Pytheo, aliiſque, inprimis Servino Regis Advocato, non ingratus hoſpes fuit, ad quorum colloquia identidem admiſſus eſt. Dehinc autem e Gallia, & quidem Pariſiis in Belgium, a clariſſimo viro Franciſco Iunio, in ſpem profeſſionis linguae Ebraeae (quam ille tenebat ad tempus dum ei proſpiceretur) procurandae, accitus, eo venit; ſed ſpe irrita. At quum peregrinationis ſatietas eum cepiſſet, in Batavia, & fere Lugd. pedem & ſedem fixit, familiaritatis uſum cum Profeſſoribus eruditiſſimis & clariſſimis viris repetens, maxime cum Iunio, Trelcatio, Gomaro, Raphelengio, ac celſa illa anima Scaligero, donec auctore & impulſore Cl. viro Franciſco Gomaro, amico vetere & integerrimo, ad profeſſionem Theologicam in Gymnaſio Geldro-Velavico, quod eſt Herdervici, tum primum inſtituto, traductus eſt, quam ſubſcepit anno Domini cIↃIↃc V. XVI. die Auguſti, ſequente anno uxore & compare vitae Ioanna, honeſtiſſimi viri Franciſci de Raet & Franciſcae Bolliae, honeſtiſſima filia, ſibi ducta. Ac eam functionem totos octodecim annos ſubſtinuit, cum Collegis & Eccleſiae Paſtoribus, inprimis praeſtantibus Chriſti ſervis, deque Eccleſiae meritiſſimis, Ioanne Fontano, Ellardo Menio, Baudartio, Damanno, firmam ſtabilemque amicitiam coluit; eaque fide, & diligentia in ea functione verſatus eſt, ut Eccleſiam Geldricam multis bonis fidiſque Miniſtris auxerit. Quin in nuperis Eccleſiae perturbationibus pluribus conſultationibus, conventibus, Synodiſque interfuit, ad turbatas Eccleſias tranquillandas; libros etiam quoſdam ei fini edidit, quibus & Belgicarum inter ſe & cum aliis Reformatis Eccleſiis in doctrina conſenſum, maxime de libera, gratioſa, & conſtanti Dei electione propoſuit. In Conventu a Magiſtratu Amſterodamenſi indicto, in quo conſultabatur de modo ſedandorum motuum in Eccleſia Dei, ipſe quoque quamvis ex aliena Republ. evocatus, ingenue & bona fide iuxta reliquos ſententiam dixit; videlicet malum illud univerſale, nonniſi univerſali Synodo curari, emendarique poſſe. In Synodi illius ratione tum concepta, ab Illuſtriſſimo Principe Auriaco rogatus, numquid requireret, maxime de extraneis Theologis arceſſendis, libere planeque expoſuit: Neque id inſuper fuit habitum. Atque demum ab illuſtribus, & praepotentibus Ordinibus Generalibus ad celeberrimam Synodum Dordracenam, ut in Illuſtri Geldrico Gymnaſio Theologiae Profeſſor convocatus cum reliquis Theologiae Profeſſoribus, in ὀρθοδοξίας, ab iis, qui res novas in Eccleſia moliebantur, adſertione, integra conſcientia, ut coram Deo, cui & obſtrictam cum illis ipſis iuramento mentem habebat, bona conſcientia & integre verſatus eſt. Vbi & recognitionis verſionis Veteris Teſtamenti adornandae cura ei cum aliis demandata fuit; & interpretis, ſi forte ex deſignatis aliquem ad Dominum demigrare contingeret. Poſtremum Synodorum Hollandiae petitione, Illuſtrium Ordinum Hollandiae atque Weſt-Friſiae, Principiſque Auriaci auctoritate, Ampliſſimorum Curatorum & Conſulum poteſtate, per Hadrianum Pavium Equitem & Reipubl. Amſtelodamenſis Penſionarium, D. Amelium Hogervenium Conſulem Vrbis Leydenſis, ad profeſſionem ordinariam Theologiae in Academia Leydenſi ſolenniter depoſcitur, anno Domini cIↃIↃcXIX. XX. die Octobr. cuius dimiſſio a Geldro-Velavicae Tetrarchiae Deputatis, poſcente id Auriaco Principe, tandem impetrata eſt. Quam vero omnium ordinum hominibus in Geldria carus acceptuſque fuerit, vel ipſa teſtimonia & aegra dimiſſio luculenter teſtatum faciunt. Atque demum ex decreto, & auctoritate Magnifici Domini Rectoris D. Bontii, & Senatus univerſi, una cum Clariſſimo, & Reverendo viro D. Feſto Hommio Collegii Ordinum Regenti, a Clariſſimo viro D.D. Ioanne Polyandro, Theologiae Doctor renunciatus X. Decembr. die, praeſentibus Dominis Curatoribus, & Senatu frequenti Auditorio inauguralem Orationem habuit, atque auguſtum hoc munus cum Deo adgreſſus, & iam quin-

Digitized by Google

quinquennium tutatus est. Deus faxit ut labores eius cedant in publicum rei Christianae, & Academiae bonum. Amen.

Scripta ab eo edita.

ANglicana scripta de Praedestinatione, simul edidit libris duobus, anno clɔlɔ cxiii.
Corpus doctrinae Ecclesiarum Belgicarum; Belgice anno clɔlɔ xv.
Ad responsionem in Remonstrantium Remonstrantiam, ut vocant, secundam operam & symbolam contulit, excusam anno clɔlɔ xvii.
Paraenesim seu Orationem de Theologia, eiusque studio capessendo, edidit anno clɔlɔ cxix.
In Synopsi sinceriores doctrinae a Theolog. Profess. Lug. Bat. edita, conscripsit Disput. xiii. *anno* clɔlɔ cxxv.

FRANCO BVRGERSDICIVS.

NAtus est anno clɔlɔ xc. v. Non. Maias, Lyrae; qui pagus est in agro Delfensi, duobus milliaribus ab urbe distans. Patrem habuit Petrum, non doctum quidem, sed tamen linguae Latinae non penitus ignarum: matrem Catharinam, filiam sororis Cl. viri Hugonis Blotii, Rudolphi II. Imper. Bibliothecarii. Annum aetatis decimum quintum ingressus, a patre, hortatu reverendi, doctissimique viri, Arnoldi Cornelii, verbi divini in Ecclesia Delfensi Ministri fidelissimi, cognati, qui ingenium filii, & indolem iudicabat literis aptissimam, Amersfortiam mittitur, ut ibi disciplinam literarum hauriret a Ioanne Gesselio, celebri tum temporis gymnasiarcha. Hic biennio discit linguae Latinae, & Graecae Grammatica praecepta, & rudimenta Dialectices, atque Rhetorices. Biennio exacto migrat ad gymnasium Delphense, ibique primum a Iacobo Lassonio, deinde a Daniele Plancio; doctissimis & docendae iuventutis peritissimis viris, linguam Latinam & Graecam, artesque organicas exactius edocetur. In his omnibus ita proficit, ac praesertim in Logica, ut quadriennio sub hisce praeceptoribus expleto, postquam paucos menses publicas Professorum praelectiones in Academia Lugduno-Batava frequentasset, aliis coeperit Logicam interpretari, disputationes, aliaque exercitia Philosophica privatim instituere. Et quanquam se, studiaque sua SS. Theologiae devoverat; ita tamen Philosophia capiebatur; eosque iam in ea fecerat progressus, ut a doctissimis viris dignus censeretur, cui titulus Magistri Artium, & Philosophiae Doctoris conferretur. Neque ab hac dignitate alienus fuisset, si votum suum probare potuisset iis, in quorum erat potestate. In Philosophia praecipue audivit Gilbertum Iachaeum, in Graecis, Danielem Heinsium; in Historia Romana, Dominicum Baudium, & Petrum Cunaeum; in Theologia, Ioannem Polyandrum; viros sane praeclaros, & in professione sua plane eximios. Academia patria post quadriennium relicta, Galliam petit, per Germaniam rediturus; ut peregrinas Academias inviseret, & non tantum utriusque gentis linguam disceret, sed etiam eruditionis incrementum, & civilem prudentiam ex ista peregrinatione sibi compararet. Salmurii primum figenti pedem, ibique nomen inter Theologiae studiosos professo, sexto peregrinationis suae mense, professio Philosophiae, quae tum forte vacabat, defertur, ab illustri viro Philippo Mornaeo, Plessiaci Marliani Domino, & Amplissimo Academiae Salmurienſis Senatu. Quinquennium hic Philosophiam docet: atque interea studium Theologiae non intermittit; sed Franciſci Gomari, & post illius discessum, Ioannis Cameronis, collegarum suorum, Theologicas praelectiones, adsidue audit. Quum in sextum etiam annum Academiae obstrictus esset, hortatu amicorum impulsus, a Domino Plessaeo, & Academiae Senatu petit reliqui anni sibi gratiam fieri, ut in patriam eo tempore reverti posset, quo illius opera in docenda Philosophia uti poterat Academia patria, quae tum temporis duos illius facultatis Professores amiserat. Plessaeus, Academiaeque Senatus resistunt primum, & discedere volentem conantur Academiae suae, proposita spe honestissimae conditionis, in perpetuum conciliare. Vbi vident omnia frustra fieri, nec retineri eum uno anno diutius, ne pro iure quidem suo, posse; petitioni illius adnuunt, eumque cum honesto de vita, deque eruditione, & professione fideliter obita, testimonio dimittunt: atque ea conditione quidem, ut intra annum liceat, si velit, Salmurium redire, & pristinam Professionem, & locum recipere. In patriam reverso, Logicae primum, deinde etiam Ethicae professio a Curatoribus Academiae iniungitur.

Scripsit.

IDeam Philosophiae Naturalis.
Ideam Philosophiae Moralis.

Propediem dabit Institutiones Logicas, & Metaphysicas, aliaque, si vita subpetat, ad Philosophiam pertinentia.

EPIGRAMMA.

HIc est, en, Logicam facundo qui docet ore,
Quique boni leges praecipit, atque mali.
Hunc Lyra parva dedit Musis: hoc cive superba
Se iactat Graios vincere, & Ausonios.

LVDOLPHVS A CEVLEN.

LVdolphus a Ceulen natus est Hildesheimi in Saxonia, quod oppidum tribus miliaribus a Brunsvico distat, anno clɔlɔ xxxix. patre Gerardo a Ceulen mercatore, matre Hestera de Roode, honesta ibi familia oriundis. Parente iam vita defuncto in Lyslandiam concessit, & familiae Ducissae eius loci adscribi se passus est. Inde ad fratrem suum Gerardum a Ceulen Antuerpiam se contulit. Hinc Delphos in Hollandiam con-

Digitized by Google

ceſſit, & Geometriae, & Arithmeticae ſedulo incubuit, quas ibi privatim docuit, & uxorem indidem oriundam duxit, qua defuncta, ſecundam ibidem duxit, & ex utraque coniuge duodecim liberos ſubſcepit. Hinc Lugdunum Batavorum commigravit, & eaſdem artes, quas ante Delphis, hic privatim quoque magno cum fructu docuit. Inde quum utile viſum eſſet eas artes, quae ad Hercotectonicen, ſeu propugnaculorum ſtructuram, & delineationem pertinent, publice doceri, ipſe ad eam profeſſionem a DD. Curatoribus, & D. Conſulibus anno clɔ lɔ xcix. vocatus eſt, tamquam primarius, eidemque collega addictus vir honeſtus Simon Franciſci a Merwen; quam functionem ſtudioſe, & cum laude integros undecim annos obivit. Et tandem anno clɔ lɔ cx. ultima Decembris, poſtquam diu quum chronico, & lento morbo eſſet conflictatus, vita defunctus eſt. Scripta autem ab eo lingua vernacula Belgice, ab ipſo publicata, aut poſtuma, haec ſunt.

DE circulo, & adſcriptis liber, in quo rationem diametri ad peripheriam Archimedis viam ſequutus vaſtiſſimis numeris exhibet, & multarum ſubtenſarum quantitatem, uſum canonum triangularium in planis.

Liber de uſuris, & data ratione ſortis ad ſuam uſuram.

Geometricae aliquot propoſitiones ex Euclidis στοιχειώσει ſelectae.

Problematum variorum libri 4. & alia quaedam inſuper minutiora.

HACTENVS, *quae ad deſcriptionem* Athenarum Batavarum, *id eſt, Illuſtris Reipublicae, & celeberrimae Academiae Leidenſis faciebant, ita expreſſimus, ut harum rerum cupido lectori abunde ſatisfactum fuiſſe exiſtimemus. Ne quid tamen ſuperſit, quod in eo quiſquam deſideret, hoc corollarium ſub finem adiicere nobis viſum fuit, in quo nomina exhibemus, I. Eorum, qui ad Reipub. clavum hoc tempore ſedent. II. Profeſſorum, qui in omnibus facultatibus in Academia docent. III. Paſtorum, qui in Eccleſiis linguarum Belgicae, Gallicae, & Anglicae in Civitate Leidenſi collectis inſerviunt. Praeterea, quum fuerint etiam doctiſſimi Profeſſores, qui Academiae bonam operam navarunt, & in ſuo munere verſantes diem ultimum clauſerunt, quorum in hiſtorico opere nulla mentio facta eſt, quia vel ipſis non licuit, aut non libuit, quae meditati erant, & forte adfecta habebant, in publicum edere: alii etiam, qui ad alia munia poſtea vocati, honorifice dimiſſi, nonnulli alias ob cauſas loco moti fuerunt, ne plane indicti habeantur, eorum quoque nomina ſubiecimus.*

Qui Magiſtratum hoc tempore conſtituunt hi ſunt.

PRAETOR.

Gulielmus Bontius. I. C.

CONSVLES.

Iacobus Gulielmi Verboom.
Chriſtophorus Theodori a Nieuvvenhoven.
Cornelius Hadriani a Warmont.
Ioannes Rippardi a Groenendyck.

SCABINI.

Daniel Simonis ab Alphen.
Ioannes Ioannis Orlers.
Gulielmus Moerbergen, Med. Doct.
Hermannus Everardi.
Gulielmus Patius, I. C.
Robertus a Roſſum.
Theodorus Giisberti Schaeck.
Carolus Gallus, I. C.

SYNDICVS, & CONSILIARIVS.

Ioannes a Wevlichoven, I. C. & DD. Curatorum a Secretis.

SECRETARIVS.

Simon a Baerſdorp, I. C.

SENATORES.

Henricus Egberti vander Hal.
Andreas Caſpari a Veſanevelt.
Franciſcus Theodori a Leeuvven.
Petrus Arnoldi Deyman.
Clemens Baerſdorp, I. C.
Jacobus Brouchovius, I. C.
Gulielmus Nicolai VVarmont, Quaeſtor.
Hugo Petri Codijck.
Gerardus Leonardi.

Ge-

Digitized by Google

Cerardus a Lanſchot, Med Doct:
Simon Gulielmi a Kerchem.
Petrus Cornelii de Haes.
Cornelius Joannis Valckenburch.
Hugo a Neſs.
Sebaſtianus Ioannis.
Hadrianus Petri a Polanen.
Ioannes Matthias van Tol.
Gerardus Everardi Roos.
Matthias Gerardi Tollenarius.
Arnoldus Gulielmi van Boſch.
Hadrianus Ioannis a Staveren.
Iacobus Ioannis Tetrodius.
Zacharias Clotius.
Cornelius a Dorp.
Theodorus Lucae a VValbeeck.
Antonius Quirini a Buyteveſt.
Andreas Clouquius Henrici F.
Hadrianus Hadriani a Leeuvven.

GRAPHIARIVS.

Ioannes a Banchem, I. C.

SECRETARII VICARIVS.

Albertus ab Hogeveen, I. C.

Nomina Curatorum ab anno 1575. uſque in praeſentem annum 1625.

Ianus Douſa Nordovici Dominus, &c.
Gerardus ab Hogeveen, I. C. & Syndicus urbis Leidenſis.
Cornelius de Coninck, I. C.
Paulus Buſius, I. C. & Holland. & VVeſt-Friſiae Advocatus.
Abrahamus ab Almonde.
Ioannes Banchemius, I. C.
Ioannes Grotius I. C.
Cornelius Neoſtadius, I. C. Dominus in Sevenhoven, &c.
Hadrianus Matheneſius, Matheneſii Dominus, &c.
Cornelius van der Myle, Dominus in Myle, &c.
Hadrianus Paavv, I. C. Eques.
Rochus van den Honaert, I. C.
Ioannes a Duvenvorde Dominus a Duvenvorde, & Vorſchoten, &c.
Hadrianus van Svviete, Dominus in Svvieten, &c.
Franciſcus ab Aerſſens, Dominus in Sommelſdyck, &c.

Academiae Profeſſores.

THEOLOGI.

D. Ioannes Polyander.
D. Andreas Rivetus, p. t. facultatis Decanus.
D. Antonius VValleus, p. t. Rector Magnificus.
D. Antonius Thyſius.

Regentes Collegiorum Theologicorum.

D. Feſtus Hommius, Regens Collegii Theologici Illuſtr. Ordinum Hollandiae, & VVeſt-Friſiae.
Daniel Colonius, Regens Collegii Theologici Eccleſiarum Gallo-Belgicarum.

IVRISCONSVLTI.

D. Everardus Bronchorſtius, emeritus, facultatis Decanus perpetuus.
D. Cornelius Svvanenburgius.
D. Ioannes Linderhauſen.
D. Petrus Cunaeus.
D. Nicolaus Daedelius.

MEDICI.

D. Otho Heurnius.
D. Evvaldus Schrevelius, nuper in locum D. Aelii Everardi Vorſtii adcitus.
D. Adolfus Vorſtius.
Chirurgiam praeterea extra ordinem diebus feriatis profitetur
D. Hadrianus Falcoburgius.

Philologiae, Linguarum, & Artium Profeſſores.

Daniel Heinſius Hiſtoriarum Profeſſor, Academiae Bibliothecarius, & Secretarius.
D. Gilbertus Iacchaeus Phyſices Profeſſor.
M. Willebrordus Snellius Mathematices.
M. Franco Burgeſdyckius Logices, & Ethices.
M. Gerardus Ioann. Voſſius, Eloquentiae, & Chronologiae univerſalis Profeſſor, qui etiam extra ordinem, pro tempore, Graecam linguam profitetur, donec aliquis in locum I. Meurſii ſubſtituatur.
Iacobus Golius Arabicae linguae Profeſſor.
Vacat Profeſſio Linguae Sanctae, brevi σὺν Θεῷ replenda.
Franciſcus a Schoten, Mathematices practicae lingua vernacula Profeſſor.
Daniel Sinapius Illuſt. Ord. Colleg. Theolog. Sub-Regens.

Paſtores Eccleſiae Belgicae.

Feſtus Hommius.
Daniel Colonius.
Ioannes Derramoutius.
Ludovicus de Dieu.
Henricus Fabritius.
Sextus nuper obiit.
Hermannus Kuchlinus.

Paſtores Eccleſiae linguae Gallicae.

D. Ioannes Polyander. } qui diebus Dominicis alternis conciones habent.
D. Andreas Rivetus. }

Arnoldus Lannoy. } Paſtores ordinarii.
Eſaias du Prè. }

In

Digitized by Google

In Eccleſia linguae Anglicae Paſtor eſt.

Hugo Goodierus.

Qui in Academia Profeſſores fuerunt ordinarii, & extraordinarii, quorum nomina in hiſtoria non habentur.

Iuris Profeſſores.

D. Cornelius Grotius.
D. Thomas Soſius.
D. Iulius Beyma.
D. Cornelius Pynakerus.
D. Gulielmus Bontius.
D. Iacobus Lettingius.
D. Cornelius Silvius.

Medicinae Profeſſores.

D. Gerardus Bontius.
D. Reinerus Bontius.

Philoſophiae, & Eloquentiae Profeſſores.

Antonius Trutius.
Hadrianus Dammannus.
Henricus Bredius.
Iacobus Ramſeius, I. C.
Ioannes Murdiſonus.
Caſparus Barlaeus, Med. Doct.

Et haec quidem huc uſque fuerunt initia, & progreſſus Reipub. & Academiae Lugdunenſis Batavae, hic ſtatus earundem ad hoc uſque tempus, qui per Dei gratiam, in eam celebritatem excrevit, quae ſub initiis vix ſperari potuiſſet. Faxit Deus Opt. Max. ut qua benedictione Rempublicam, Eccleſiam, in Republica Academiam, utriuſque & aliarum Rerumpub. & Eccleſiarum foecundum ſeminarium, ſervavit, & ad hunc uſque diem auxit, eadem in ſecula multa fruantur, ad ſummi largitoris omnium bonorum perpetuam GLORIAM, AMEN. (1)

(1) Multa ſunt in hac Academiae Lugduno-Batavae hiſtoria, quae pias Orthodoxorum hominum aures offendant; ſed reminiſcendum paſſim eſt, ea eſſe heterodoxi hominis dicta, dicteria, ſententias pravas, & erraticas, quas Lector Catholicus averſabitur ſemper & exhorrebit. Hoc ipſum alibi etiam monuimus.

IOAN-

Digitized by Google

IOANNIS MEVRSI
POEMATA

IN QVIBVS

Iamborum Moralium Libri III. Elegiarum Liber I.
Epiſtolae Heroidum VI. Epigramm. Lib. I.
Variorum Farrago.

Digitized by Google

NOBILISSIMO AMPLISSIMO VIRO

REGINALDO BREDERODIO

Domino in Veenhuyſen, Spanbrouck, & Spierdiick, Supremi in Hollandiâ Senatus Praeſidi.

IOANNES MEVRSIVS S. D.

OETICEN, Vir N. & A. a puero poene ſummopere & amavi, & admiratus fui: itaque etiam, quantum aetatis tum atque ingenii adhuc imbecilli ratio patiebatur, ſtrenue, vetere verbo, poetabar; & quidem ita, quantum memoria repeto, ut praeceptoribus tum meis abunde ſatisfacerem, & inter aequales eminerem etiam cum invidia. Poſtea totum illud ſtudium abieci, non faſtidio meo, ſed diſſuaſu aliorum, quorum auctoritas, ut in ſtudiis proſequendis valere apud me plurimum debebat, ita in omnia impellere poterat. Abieci vero non aliter, quam, ut abiici ipſe potius, & divelli viderer. Noſti autem quod ſit hominum quorumdam ſupercilium, quae querela, qui quo pervenire ipſi deſperent, eo contendere alios non patiuntur, morbumque animi in convitia egerentes, ᾠδὴν πρὸς τὰ ἄλφιτα *clamitant. Quorum ſane iudicium, ſi ita dicendum illud tamen eſt, miror non dicam quo pacto cuiquam, ſed illis ipſis contemtoribus, probari poſſit. Scilicet novi Platones eiicere e Rep. Poetas volunt. Sed frontem feriant; equidem, dum in incude adhuc ſtudia mea erunt, non remittam: & cur? obſecro. Certe viri multi praeſtantiſſimi, deque Rep. praeclariſſime meriti, aut eſſe tales ipſi quoque voluerunt, aut eos, qui eſſent, ſummo & amore & honore ſunt proſequuti. Quippe ut incredibili gloriae amore flagrabant, qui in maximis quibuſque animis ſedem fixit, & ſciebant immortalitatem ab his rebus ſuis geſtis poſſe praeſtari, & captabant etiam: neque quicquam hac in re vel turpitudinis, vel probri eſſe poſitum exiſtimabant. Nolebant ſiquidem homines generoſiſſimi, quum in ſummis vitae periculis, laboribuſque Reip. maxime arduis, ad extremum ſpatium nullum unquam ſpiritum tranquillum atque otioſum duxiſſent, tot ſuas curas, vigilias, labores, merita, morte obliterari, paremque cum ignaviſſimo quoque ſortem poſt fata experiri. Et profecto ſic oportebat, quum ad poſteros quoque illa omnia pertinerent. Sed excurro: ut ad me revertar. Matureſcente cum aetate iudicio, quo magis Poetices dignitatem divinitatemque inſpicio, eo libentius non parere diſſuaſoribus iſtis nunc volo, & liberius quoque audeo: ac ſupra illorum auctoritatem mea mihi admiratio eſt, quam animo concepi. Divina, iterum dico, divina res Poetice eſt; & quia natura ipſa valentes mentis viribus excitati, quaſi divino quodam ſpiritu adflentur, ſanctos adpellavit Poetas Ennius, Poeta quidem ipſe, ſed encomii tamen eius plurimos, eoſque viros maximos, laudatores habuit. Quaecunque igitur a munere meo, quod incumbere mihi ſcis, reliquiſque ſtudiis, quae pariter cognita habes temporis fragmenta ſuperſunt, libenter hic impendo. Quicquid vero proximis his quinque ſex menſibus in eo elaboravi, tibi dedicandum nunc id omne ratus fui. Tibi, inquam; & hoc quidem tempore. Tibi, quia pretium huic generi iuſtum ponis: quia, ſi quis alius cui probari me meaque velim, tu is es cum paucis: quia de-*

ni-

Digitized by Google

nique, ſi quis benivolentia me aliqua complectitur, tu is es, inter primos, poene dixeram primus. Hoc tempore, quo nimirum ad civilis dignitatis faſtigium evectus es, cum publica bonorum omnium gratulatione, dignum virtutibus tuis praemium obtigiſſe fatentium. Etenim in publica laetitia, & gratulatione honoris tui, vocem continere, extremae eſſe malignitatis & invidiae duxi. Atque abſque eo certe foret, immaturum hunc ingenii foetum in conſpectum & cenſuram omnium proferre nec voluiſſem, nec auſus fuiſſem. Sed vicerunt, & officium meum; & gratulandi tibi deſiderium; & vel famae iacere aleam malui, quam parum officioſus videri, quae ingratitudinis luculentiſſima ſpecies eſt. Gratulor, gratulor V. A. tibi munus tuum, te muneri; quod etſi ſplendidum valde ac illuſtre eſt, quin non parum tamen per te illi ſplendoris acceſſurum ſit, confido. Atque hoc ipſius quoque Patriae fuiſſe iudicium cenſendum eſt, quae ſupremum te Iuſtitiae ſuae Praeſidem, etiamnum fere tricenarium, quod, puto, ante te apud nos (& uſpiamne?) accidit nemini, prudentiſſimo conſilio delegit, tibi cauſſas omnes, tibi reos mandavit, te innocentiae adſertorem, te ſceleris iniuſtitiaeque vindicem conſtituit. Vellem prolixior eſſe in laudibus tuis, ſed longiore agere ſubſellio debeam, & nimis prolixae illae ſunt: neque ſi velim, finem oratione adſequi facile poſsim, neque ſi poſsim maxime, apud te tamen debeam, ne & modeſtiſsimis tuis auribus abutar, & in adulationis me ſubſpicionem induam, a qua abeſſe me quam longiſsime norunt illi, qui te. Ita ſilentium mihi imponere de te praeter te nemo poteſt, cui libenter quoque & decore hic obſequar. Quod vero reliquum eſt, & animus tibi tuus ipſe ſatis ſubgeret, & tacitae bonorum omnium voces pro me dicent. Rogo te etiam atque etiam, ut, quod meritis erga me tuis officium provocaſti, gratum habeas, una cum animo, quem tibi aetatem do, dico, conſecro. Vale Nobiliſs. Ampliſsimeque Vir, & me, quod facis, amare perge. XIV. *Kal. Maias,* CIↃ. IↃ. C. II.

LECTOR CANDIDE S.

POemata haec habe tibi, mi lector, non quam multa ſperaveram, nec quam bona optaveram, nec quo tempore deſtinaveram. Non tam multa quidem, nec hoc tempore, quia gratulari viro magno volui, quae res differri nolebat: non tam bona, quia inexercitatus, & rudis in hoc genere ego; & ab ingenio potius ac natura eſt, quicquid hic vides, quam induſtria, aut exercitatione: quae utraque, ut in omnibus ſtudiis, ita hic quoque plurimum ſibi vindicant, quam maxime alii dicant naſci Poetas, non fieri, Natura Poetam fortaſſe det, ſed uſus elegantem & perfectum. Olim puer militavi ſedulo in his caſtris, ſub his ſignis Phoebi, & Muſarum; ſed elapſi iam toti novem decem anni, quo omni tempore, vere dicam, vix quadringenti mihi aut quingenti verſus ſunt ſcripti. Et neglexi quidem, non contemſi: qui autem poſſim, tantus antea amator, & aeſtimator? & quis poſſit, rem plane divinam? Poeta iſte inquit:

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo:
Spiritus aethereis ſedibus iſte venit.

Et vere profecto; nemo enim carmen bonum ſcribit, & aeternitate dignum, niſi Deo plenus. Sic cenſeo; non eſt cuiuſvis adire hanc Corinthum. Nemo hic excellet, niſi qui ingenio; & aliquid habeat ſupra hominem. Ego quidem tenuitatem meam, probe conſcius, & ingenue & perlibenter profiteor. Et hac ſanguinem facile invidiae miſero; quam neque magnopere extimeſcam tamen, ſi merear: atque utinam merear. Sin autem, excuſabit me quod officio ſatisfacere maluerim, quam famam quaerere. Si tamen & illa hinc veniet, erit quod acceptum referam ἀγαθῷ δαίμονι. Πάρεργα haec ſunt, non ἔργα: illud autem cogito maxime, hoc ſtudium meum eſt, ut non bonum tantum aliquando patriae civem praeſtem, ſed & utilem; & praeſtabo, quoque: vota mihi Deus det, quae concepi. Vale, mi Lector, me ama, &, quiſquis es,

AETERNITATEM COGITA.

Digitized by Google

IN IOANNIS MEVRSI

Viri Clarissimi.

Poëmata.

DVm teretes MEVRSI *doctosque admiror* Iambos,
Cedito huic, aio, Gnomologi veteres.
Dum tersos Elegos, *subit haec sententia mentem:*
Gloria iam minor est, culte Tibulle, tua.
Dum mihi me adripiunt Heroides; *hoc mihi fas sit*
Dicere: Naso sibi coepit habere parem.
Et dubitem an veteres Epigrammate
MEVRSIVS *aequet,*
Cui lepor & pleno gratia fonte fluit?

Ad Zoilum.

Ne lenta te tabe coquat nova gloria MEVRSI,
Vtile consilium, Zoile, habeto, Crepa.

BONAVENTVRA VVLCANIVS.

Ad Clariss. & Doctiss. Iuvenem

IOANNEM MEVRSIVM

Poemata sua edentem.

LAETIOR *ut tollit se Palladis arbor in auras*
Adversus pondus luxuriante comâ.
Sic rerum in molem tibi mens, fiducia surgit
In numerum, & contra nititur acris onus.
Qui prorsis versa interponis, Graeca Latinis,
Atque profana sacris; atque vetusta novis.
Nec tamen est post tot tibi mens effoeta labores:
Ingenii ecce novum luxuriantis opus.
Carmina quae capsâ sint digna, & imagine macrâ;
Carmina quae fidibus iungere Phoebus amet.
Sive iuvent numeri grandes, epicique sonores,
Sive gravis iambus, sive leves elegi.
Exsudare bonos prolixa per otia versus
Magnum erat, & nisu exsculpere difficili.
Iam doctae illudis victura Poemata chartae,
Tot res tot curas inter, agens aliud.

IACOBVS GRVTERVS.

IN IANI MEVRSI

Critici iam olim eximii,
Nunc & Poetae.

Carmina omnia; Poene & singula

HVGONIS GROTII I. C. Elegidion.

HACTENVS *illa vacans alienis cura libellis,*
Et persanato vulnere nota manus,
Desinit antiquis horas donare papyris,
Et cupit a versu nomen habere suo:
Nuper & in vulgum sapientibus edita chartis
Hoc sibi, qua pergat, Gloria *fecit iter.*
Praeses *ab* Arnulpho *dium genus, accipe* Meursi
Carmina, natali Carmina digna Domo.
Accipe Veenhusi, *quantum Maioribus Arma,*
Civiles tantum cui tribuêre Togae,
Battiadae *nemus, &* Nasonis *sacra renati,*
Quo Dominum donat munere Verna liber.
Ipse movet celeres vitae formator Iambus
Ad tranquilla sui Iudicis ora pedes.
Spirat adhuc priscos Iani *nova charta labores,*
Et veteris meriti Pagina testis adest.
Quum Trimetros *miror Tragica gravitate, videtur*
Ipse mihi Lycophron, *sed sine nube, loqui.*
Nec Plauti lepor ille deest, nec digna Catone
Scita, nec a Siculo *quae* Sene *Musa venit.*
Nec sacra Arnobii *cum Maiestate venustas,*
Nec quidquid Macrobi *docta papyrus habet.*
O Elegia, *meo nil concessura* Tibullo!
O, quibus aequatur Bilbilis *ipsa*, loci!
O Graiae veteris saecli decus Heroinae!
Quis se, quis vobis postulet esse parem!
Quod legeret Ceyx, *si iam supereset, haberet;*
Mittitur Alcyones *littera scripta manu.*
Gnossis *ad* Aegidem *pelago iubet ire querelam,*
Littoreas inter sola relicta feras.
Nec numeros Nasonis *amat, nec verba* Catulli;
Iane, *tuo posthac eligit ore loqui.*
Procris *adulterio nimium tentata mariti*
Mittit ab Actaeis scripta legenda iugis.
Mileti *soboles incestum signat amorem*
Germano plusquam debet amica soror.
Myrrha *parens fratris, patris uxor, succuba matris,*
Post tantum potuit crimen habere preces.
Proderet ut patrii Niseis *fata capilli*
Hostilis miseram praecipitavit amor.
Cetera quae toto fulgent miracula Libro
Quid repetam? praesens omnia Numen habent.
Scilicet in Versu Phoebus *micat, ipsaque,* Meursi,
Gaudet in amplexus Musa *venire tuos.*
Quemq; canis Crater, *erat hic Aganippidos undae,*
Quaeq; Arbor *meruit carmina,* Laurus *erat.*

Ad Criticum, & Poetam incomparabilem

IOANNEM MEVRSIVM

Quum suos Poematum libellos edi curabat.

Πάντα ὁ πυ λυετὴς λέγεται χρόνος ἠρέμα φθείρειν,
Γήραος ἀκμαῖον πᾶν παραμειβόμενος:
Τῦτ' ἴσως μιαρὸν συνέβη σύμπτωμα τρόποισι,
Οἷσι τὸ ἀρχαῖον ὐκ ἐτ' ἔνες' ἀφελές.
Ἀλλ' ὐκ εὐφυιῶν γε ὁμῶς ἡδ' ἐςὶ μάρανσις,
Πᾶσα σχεδὸν τέχνη πρὸς κλέος ἀρτ' ἐπέδω.
Οἷα γε σφόδρα τὸ νῦν ἀσκεῖται τὰ ἔργα ἄρηος;
Τὸν πάλαι αἰσχύνει νῦν ὁ ἄρηα ἄρης.
Γ'μμε δὲ, οὓς ἔραμαι σφόδρα, ἀλλήλυς φιλέοντε,
Εἴνσιε, Μευρσιάδη, Γρώτιε μυσόπολοι,
Οὐ νέμεσις τοίυσδε ἕκαςος πήγνυτε ὕμνυς,
Ω'ς' ἐξισῦσθαι τοῖς πάλαι ὑμνοπόλοις.
Τῶν ἄλλων ἀλλ' ὅτι μέλει μοι Μεύρσιε νυνὶ,
Σῦ πέρι μῦνον ἐμοὶ πᾶς ὅδ' ἔγεντο λόγος.
Πολλάγε ἡδόμενος τόδε συ ποίημα ἀνέγνων·
Πολλὴ σοῖς ὕμνοις ἐνθάδ' ἔνεςι χάρις.
Οὐ χρὴ τῦτο λέγειν, ὅτι οἱ νῦν εἰσὶν ἀοιδοὶ,
Εἰσὶν τῶν τὸ πάλαι κρείσσονες ὑμνοπόλων.
Γ'ςερον ἀλλὰ ταχέως τόδε Μεύρσιε πείσεθ' ἅπασι
Ω'ς οἱ νῦν χείρυς ὐ πολὺ τῶν τὸ πάλαι.

GVLIELMVS CODDAEVS.

IOAN-

Digitized by Google

IOANNIS MEVRSII

IAMBORVM LIBER I.

Peccata ſtatim corrigenda. I.

VIRTVTIS *eſt peccata non committere;*
Sapientiae, commiſſa mox reprehendere:
Nemo alterum facit, alterum nemo fere.

Vindica contemnendo. II.

Non vindicare quicquam oportet; ſi tamen;
Habendus eſt modus tibi.
Vis vindicare maxime? ſperne. Optima eſt
Vindicta contemtus rei.

Iniuria nemini fit, niſi a ſemetipſo. III.

Inſane homuncio, quid tot actionibus
Iniuriarum ius fatigas, & forum?
Iniuriam ſi quis facit tibi, feras:
Recte ferentem nullus unquam laeſerit.
Interpres in culpa animus eſt. Iniuriam
Non alteri quiſquam facit, cuncti ſibi.

Non eſt miſeria, quae putatur. IV.

Vtrum miſer quis, eſſe quem vulgus putat,
Obpreſſus aerumna gravi?
Non eſt profecto, ſed beatus; quomodo?
Inſiſtit ad coelos viam.

Verae divitiae. V.

Vis eſſe dives? vive contentus tuis.
Non divitem Fortuna, verum Animus facit.

Vita non eſt Vita. VI.

Vitam eſſe credis, quam tenes? nihil minus.
Vix umbra vitae eſt, aut quod umbra tenuius.
Mortem dies, & hora, momentumque habet
Quodcumque; nullum tempus eſt quin occupet.
Moreris ſimul vitam auſpicaris, & trahit
Origo finem copula firmiſſima.
Igitur quid eſt Natura cur dedit tibi?
Aeternitatis ad coronam ut pergeres.
Aeterna quae non eſſe ſcis, nec unius
Putabis aſſis; quod petis, ſit quidpiam.
In coelo habebis, terra rerum nil dabit,
Inanis ipſa maxime; fucus, dolus,
Vbique, fraudes; nil ſua facie vides.
Quod eſt, videri non cupit; quod non, cupit.
Indigna res! perſona totus mundus eſt.

Reſiſte pravis cupiditatibus. VII.

Qui conſecraſti tempus omne Numini,
Et arduam Virtutis ingredi viam
Animo imperaſti, prima fortis comprime
Elementa, ſemper illa maxime nocent:
Et alterum alter lapſus ad ſe pellicit.
Quae veniam habent, fere invenire gratiam
Cito ſolent, & diſplicere deſinunt;

A *Virtuſque fit quod vitium erat, perdit notam*
Cave, cave ergo; ſaepe peccat, qui ſemel.

Dolorem mitiga. VIII.

Quid aeſtuantem exercet impotens dolor,
Statuque mentem deiicit? ponas modum,
Animumque ſume maſculum, vinces cito.
Inſultat ignavo, at timet fortem dolor.

Neceſſitatem ne metue. IX.

B *Neceſſitatis eſt tyrannis maxima,*
Nec ius habet, legemve: quod libet, licet.
Tu liber in tanta eſſe vis tyrannide?
Nihil time: quin, quod neceſſe ſcis, velis.
Nihil timere liberum quemvis facit.
Nihil timet, qui ferre didicit quidlibet.

Libidinem fuge. X.

Studio caveto maximo libidinem,
C *Quiſquis ſapis; necare ſi quid eſt boni*
Gaudet, ſoletque; peſtis eſt certiſſima
Rationis, atque roboris; fuge ocius.
Puerum iuventa deprehendet te, ſenem
Virilis aetas, & ſenecta mortuum.
O turpe monſtrum, vir ſenex, iuvenis puer,
Senex cadaver! contumelia o Dei!

Aliena ne cura. XI.

Aterne, an albus quiſpiam ſit, ne velis
D *Male curioſus ſcire: te cura magis.*
Aliena nam delicta quaerere invidum eſt,
Cum plenus ipſe, & obrutus iaceas tuis.
Illum petis? temet petis; tu ſimilis es.
Neſcire quid ſit aliter, & non quaerere,
Sapientia proba eſt, & pia ignorantia.

Pauper divite non inferior. XII.

Quid dives inſultas bono, ſed pauperi?
Praeſtare nempe te putas; o falleris!
E *Fortuna non pretium tibi, at Virtus facit;*
Et moribus, non opibus, aeſtimaberis.
Vis eſſe magnus omnibus? ſias bonus.

Victoriam honeſtam quaere. XIII.

Virtute ſemper vincere hoſtem, non dolo
Magnanimus optat: & niſi hoc, vinci volet.
Non ſortis illum poenitet, victoriae
Pudet; minor pudore poenitentia eſt.

Temeritatem cave. XIV.

Quocumque rerum te in ſtatu deprenderit
Fortuna, ſemper eſſe prudentem decet.
Sunt temeritatis damna ubique maxima;
Nec ſubficit Felicitas, quamvis iuvet

 Quan-

Digitized by Google

Quandoque, & irritata ſubito deſerit.
Quod Ratio non ſubſtentat, ocius ruit.
Non robur ullum fulcit, impetus rapit,
Principia qui poſt ipſa languet, & cadit.
Durare ſi vis quod facis, fac provide.

Res adverſae proſperae. XV.

Adverſa ſi Fortuna tempus aſperet,
Cave doloris immodeſti opprobrium.
Monere fata te volunt, non perdere.
Humana mens in proſperis neſcit Deum,
Nec curat illum quum decebat maxime.
Offenſus inde mittit aerumnas graves,
Nec vult tamen punire, ſed beare vult.
O grande certe munus! o bonitas Dei!
Adverſitas o quam pio voto petas!

Mortem nec opta, nec time. XVI.

Odiſſe vitam, optare ſupremum diem,
Fortes haberi qui volunt minime decet.
Non nolle mortem, & velle vitam convenit.
Haud ſegniter viam ire fati ſubficit.

Querela abſtine. XVII.

Quid mollibus temet querelis maceras?
Deſiſte; amicum lacrimae non impetrant,
Et fit querela grandior ſpreta dolor.
Debet tibi ille? ſaepe feciſti bene?
Adverſa mentem non habent memorem boni,
Debere nec ſe calamitoſo gratiam
Vllus putat: fortuna corrumpit fidem.
Quid conſilii? ſolaminis quid? unicum hoc.
Si miſeriam celabis, optime feres.

Magnus parvos ne contemſeris. XVIII.

Suprema rerum qui tenes faſtigia,
Et edito cuncta arbitraris culmine,
Ne parva magnus efferox contemſeris;
Habent & illa quo nocere, ſi velint,
Poſſint profecto, nec queas avertere.
En quam puſillus eſt crabro, laedit tamen
Iratus, atque vulnus infligit grave.
Tutam tibi haud puta eſſe magnitudinem.
Infirma tantae cauſſa confidentiae.
Immenſa caelum quae ferit cacumine
Arbor, ſuperba cogitur proſternere
Parva bipenni colla: tam magnum decus,
Et anxie tot comparatum ſeculis,
Convellit hora: faſtui iſte finis eſt.
Leone quid truculentius? culex necat
Nihilominus; quid firmius ferro pote,
Necemque quod metuat minus? depaſcitur
Tamen rubigo, & dente mandit invido.
Ne parva crede quae nocere maximis
Superbe cernis; & time; parvum eſt nihil.

Divitiae inutiles. XIX.

Non ſunt opes, quae poſſidentem nil iuvant,
Pacata queis humana mens non redditur,
Sed fluctuat magis, magiſque accenditur.
Non eſt cibus qui cum ederis famem ciet;
Nec potus eſt bibentibus ſitim ciens
Habere miſerum eſt, & carere quod habeas.
Hoc unicum quod ſufficit ditem facit.

A

Perſuade, potius quam cogas. XX.

Suadere princeps mavolet, quam cogere:
Iſthoc amorem gignit; hoc odium grave.
Recte, qui amat, parebit; & qui odit, male.
Amore cogat, ſi coacto opus putet;
Eſt in iubendo fortis ille, & efficax.
Vis imperare non ſolet feliciter.
Vis imperandi maxima eſt, nil cogere.

Innocentia tutiſſima. XXI.

B

Securus eſſe qui cupit princeps, bonum
Se ſubditis, mitemque, praebeat ſuis,
Poenaeque parcum, liberalem praemii.
Nihil timebit, ſi timendus nemini;
Securitaſque maxima innocentia eſt.

Negotia impigre exſequere. XXII.

Cum te premet negotiorum vis, decet
Alacriter, neceſſe quicquid, exſequi.
C *In rebus otium arduis vigor facit;*
Segnes onus fatigat inclementius.

Rubor pudoris ſignum. XXIII.

Rubore vultus imbui multo placet:
In ore quantum ſanguinis, pudoris eſt.

Amor liber eſt. XXIV.

Non imperari ſubditis amor poteſt,
D *Vt ceterae res; liber iſte adfectus eſt,*
Erectus, acer, nec ferens tyrannidem.
Vis imperare illum tamen? tu ſubditos
Ama quoque, & te cuncti amare intelligant.
Quod alteri dat, id cupit, poſcens vicem.

Proſperis ne efferaris. XXV.

Si proſperae te res beant, ne turgeas;
Et anxie Fortunam habe, ac preſſa manu:
Conſilia quippe callide celat ſua.
E *Quum demereri velle maxime putes,*
Fugam parabit, & repente deſeret
Vectum ad alta; quae datura eſt munera
Fallax acervat, deinde praecipit tuas
Habere res tibi, & facit divortium.

Sorti par eſto. XXVI.

Honore quanto ceteris ſublimior
Habeberis, Virtute item ſis amplior;
Animumque ſorti convenire fac tuae:
F *Fortuna ſemper muneri quaerit parem.*

Conſcientia carnifex. XXVII.

Quae feceris ſint recta ſemper, carnifex
Nam conſcientia omnibus graviſſimus
Torquet nocentem ſaevius Buſiride.
Quocumque vertes vindicem circumferes
Scelerum tuorum, ſemper infeſta manu
Intra ipſa graviter ſaevientem viſcera.
Mens aeſtuat ceu triſte poenarum mare,
Et imbecillam fluctibus iactat ratem.
Eſt portus animi pura conſcientia.

Verax

Digitized by Google

Verax eſto. XXVIII.

Ne dixeris quae vera non ſunt improbus,
Servile enim vitium eſt nimis mendacium.
Solio ſedet regina celſo Veritas,
Et iura dictat ceteris virtutibus.

Poſteritatem cogita. XXIX.

Suaſura quicquid eſt voluntas, poſteros
Timere diſcat, & tribunal ſeculi
Venientis acre: odio hoc nihil, nil gratiae
Remittet unquam, nil timori, nil ſpei.
Non velle quicquid turpius vis, aut probrum!
Non cogitare vis? nepotes cogita.

Inferiorem ne deſpexeris. XXX.

Vis magnitudine eſſe magnus in tua?
Humiles potens excelle, ſed ne deſpice.

Principem cole. XXXI.

Tranquillus eſſe mentis in vita cupis,
Humilis potentem nec timere? ſubſpice.
Negat timere cultus, & ſecurus eſt.

Deſiderium mitiga. XXXII.

Finem rei deſideras, nec fers moram?
Cave impotenter quidpiam deſideres.
Nimis volenti nemo feſtinat ſatis,
Finiſque voto tardior ſero venit.

Honora, & puni. XXXIII.

Vis recta cuncta? pone rectis praemia,
Supplicia pravis; ilicet quivis bonus
Volet eſſe, vel debebit; o rem maximam!
Negligere poenas, invidere praemia,
Evertit omnem publicae ſtatum rei:
Fit lenta virtus, & malum robur capit.

Efficax exemplum princeps. XXXIV.

Si recta princeps imperat, faciat quoque;
Vitaeque ſpecimen ſubditis reddat ſuis.
Male imperat qui non facit quod imperat.
Quacumque ducet, principem facilis ſuum
Populus ſequetur: tanta vis virtutis eſt!
Non iuſſa, verum exempla morum, poſtulat.
Iubet potenter, quiſquis exemplo iubet;
Severaque eſt cenſura vita principis.

Infortunium inevitabile. XXXV.

Non arte quiſquam providus ſaepiſſime
Malum cavebit: praevalent prudentiae
Iniqua fata, vimque frangunt conſili.
Immotus excipe attamen; vitaveris.

Praeterita requirimus, praeſentis faſtidimus. XXXVI.

Praeſentia animo ſemper infeſto odimus,
Laudisque, quae non priſca ſunt, habent nihil.
Antiquus iſte morbus eſt, maioribus
Nobis ab ipſis traditus per tot manus.

A *Damnata amamus, atque amanda poſteris*
Damnamus improbi nimis. Sic ſeculum
Culpatur, & probatur omne; non bonum
Vllum, malumve; non nota, aut praeconio
Dignum videtur; ſcilicet confunditur
Vbique quicquid: fit novum mundus chaos.

Subita ne conſternent. XXXVII.

Ictu repente ſi ferit non providum
Fortuna, mentem nil minus fortem gere.
B *Invicta virtus temnit omne periculum.*

Mali non ſunt homines. XXXVIII.

Hominem cave putare quem noris malum;
Humana turpem forma belluam tegit.
Non vultus hominem rectus, at virtus facit.

Nunquam vindica. XXXIX.

Si quiſpiam miſero tibi inſultaverit
C *Protervus, & Fors poſtea vertat rotam,*
Opemque egenus ille depoſcat tuam,
Non aſperata mente vindicaveris:
Deus facit, dum ſupplicem ſternit tibi.

Ignorantiam profitere ingenue. XL.

Neſcire turpe ſcire quod te oporteat.
Non velle ſcire neſcias quod, turpius.
Neſcire nolle quod haud ſcias, turpiſſimum.

D

Princeps bellum ne laceſſe. XLI.

Si dignus excelſo imperii vis culmine,
Fortuna quo te poſuit, aeſtimarier:
Amans quietis, & cruoris civici
Parcus, ſalutem redde tutam ſubditis.
Non ipſe bello occurre, ſed bellum tibi,
Ad aleam coronae amore laureae
Vitam Vocare civium, dementis eſt.

E

Ne feſtina. XLII.

Feſtinus eſſe ne velis: recte nihil
Curabis unquam; fit cito, quicquid bene.

Iniqua cenſura. XLIII.

Iudex iniquus vulgus eſt; aliis nihil
Strictus remittit, largus at ſibi omnia:
Hominemque rerum invidia, non caſum premit.
Fortuna culpam ſcilicet nec poenam habet.

F

Exempla mala reprime. XLIV.

Exempla rigidus prima ſemper criminum
Compeſce vindex, & ſtatim in primordiis.
Punire quod ſi negligis, iam promoves.
Volvuntur ultra, nec queunt conſiſtere:
Serpuntque late, & evagantur tramite
Recepta tenui, nec ſciunt finem, aut modum.
Et multitudine nacta mox potentiam,
Non equuleum tortoris aut uncum timent:
Virtutibuſque nomina extorquent ſua,
Sibique capiunt, atque laudes poſtulant,
Habentque; poena quippe facinus quod caret,
Virtus putatur omnibus, probrum exſuit.

Om-

Digitized by Google

Omnia mutantur. XLV.

Imperia, gentes, maximae reſpublicae,
Vrbeſque dominae civium, quin ſinguli
Mortalium, & quaecumque Iupiter videt
Oculo irretorto, ſubſtinent varias vices;
Surguntque, florentque, & ſeneſcunt, occidunt:
Regnumque Fortunae univerſus orbis eſt.

Conſilia ab eventu cenſentur. XLVI.

Conſilia nulla quicquam habent prudentiae,
Nec recta ſunt, male ſi cadant, rectiſſima.
Nec prava ſunt, bene ſi cadant, praviſſima.
Fortuna ſola damnat omnia, & probat.

Fronti ne crede. XLVII.

Fallare ſuada fronte pellectus cave,
Mox credidiſſe poenitebit improbae.
Perſona fraudis, & latebra ſceleris eſt.

Perſuadeas. XLVIII.

Contendere in republica tantum licet,
Probare quantum civibus poſſis tuis.
Et vim parenti adferre turpe, & patriae.
Cogenda ſi quae, Suada coget optime.

Sententiam aude mutare. XLIX.

Non uſquequaque pertinax ſententiae
Animum obſtinato, namque rerum temperat
Fortuna habenas, cui nefas luctarier:
Habenda rerum ratio ſumma, & temporum.
Prudens carinae rector, omni induſtria
Dum fluctibus dat obſecundantem ratem,
Veſanientis impetum frangit ſali,
Portumque tutus prendit invito mari.
Stultum profecto eſt cum periculo gravi
Tenere curſum, cum negotio ſine
Voto potiri, mente mutata, queas.
Irritat infortunium qui obnititur;
Quicumque mentem provide mutat, tenet.

Quod exemplo fit, ius putatur. L.

Impune quicquid provocavit exemplum
Fieri putatur iure maximo multis.
Hoc turpitudo pallio tegit ſeſe,
Poenamque Iudicis, & tribunal eludit.

Promiſſa cito da. LI.

Quicquid daturum dixeris, dato ocius;
Spes immo amici promtus antevertere
Semper parato; liberalitas, pede
Quae tardiore claudit, eſt ingratior.
Feſtina dona gratiae multum ferunt,
Cunctanter autem implere promiſſi fidem
Animis honeſtis eſt genus mendacii.

Praeſtantiam tuam noſce. LII.

Homo, parentis cura ſummi, induſtria,
Proles Dei, ſpecimen Dei,
Mundique, quos tua refers imagine,
Quid degener mentem ſolo
A *Defigis? aude maximas ſpirare res:*
Praeſtare te dignum Deo.
Exſurge ſublime efferens caeno caput,
Caelumque, & alta cogita.

Quae victima grata Deo. LIII.

Quid hem, quid iras ſanguine altare imbuens,
Pacare tentas numinis?
Odit profecto, reſpuitque munera
Profana mentis impiae.
B *Quin ſpiritumque, &, quicquid eſt tuum, Deo*
Impende: ſerviat Deo.
Converte vota quo decet; quicquid decet,
Votum perenne ſit tibi.
Mactare temet convenit: tu met Deo
Procumbe ad aram victima.
Non aliter iras deprecari caelites
Datur, nec aſtra ſcandere.

Honeſta impera. LIV.

C *Obſequia dominus prona ſervorum cupis?*
Honeſta quae ſint imperare convenit.
Parere, quiſquis recta non iubet, vetat.

Solve Deo. LV.

Habere quicquid te vides; quicquid facis;
Quod cogitas; quicquid cupis; debes Deo.
Ne feceris; ne cogites; aut ne velis;
Ingrata tanto creditori quae ſcies.
Adgnoſce nomen, teque liberes vide.
D *Severus ille, quicquid id ſit, exigit.*

Invidia ipſa ſibi graviſſimum ſupplicium. LVI.

Poenae quid Invido preceris? ſcilicet,
Vt invidere pergat? hoc ſaeviſſimum.
Invidia nempe poena maxima eſt ſibi,
Et ipſa carcer, ipſa tortor eſt ſibi,
Et Furia, ſemet angue feriens impio.
Invidia ſuperat quicquid imprecaberis.

E

Leges exerce. LVII.

Licentiam Rex ſubditorum comprime,
Legeſque nomen eſſe vanum ne ſine.
Punire quiſquis non cupis ſcelus iubes:
Et criminum neglecta poena praemium eſt.

Fata ne time. LVIII.

Numquam time, vitare quod numquam queas,
F *Quin fortiter ſponte obvius caſum excipe,*
Et irritas Fortuna ſic perdet minas.
Miſerrimus certo eſt timor, qui ſpe caret.

Virtus nobilitat. LIX.

Ignave toties ſtemma quid iactas tuum,
Imagineſque mille ſine virtutibus?
Virtus avitis maior eſt honoribus:
Virtus avitis mater eſt honoribus:
Tibique tradet ſola, quod poſſis tuum
Iactare; avita ne putes unquam tua.
Quid multitudo imaginum? nimirum avos
Probat fuiſſe nobiles, non te facit.

Pe-

Digitized by Google

Periculum ne quaere. LX.

Periculum amens ne quod irrites cave;
Non tuta semper temeritas poenam effugit.
Offensa quippe, nec ferens lasciviam,
Fortuna tandem saepe neglectum ferit.

Malorum patiens esto. LXI.

Adsidua coelo vota quisquis destinas,
Deumque anhelas, cuncta perpessu aspera
Feras oportet, purus, animique integer.
Mundus palaestra est, vita certamen piis:
Praeivit ipse Christus, & docuit pati.
Difficilis est ad astra quae ducit via,
Magnoque constat vel suo coelo frui.

Reges ne lacesse. LXII.

Quid obstinatus regis iram provocas?
Consideratae rectius prudentiae
Iter tenebis, atque contumaciae
Inter superbae & turpis obsequii notam
Tranquilla condet vita supremum diem.
Timere disce, disce cedere, & cave:
Terrestris ille est Iupiter, fulmen iacit.
Flecti negat quodcumque, certo frangitur.

Subficiant tibi tua. LXIII.

Quis nil habet? qui cuncta avarus expetit.
Quis cuncta? cui sunt pauca quantumvis satis.
Transcendit ille vota quisquis nil cupit.

Contra Fortunam adsurge. LXIV.

Quicunque magno devolutus culmine,
Expersque honorum splendidam non amplius
Vitam tenebris abditus caecis trahis,
Ne commovere: quippe habent etiam suum
Lumen, coruscа totque nox dat sidera.
Sublime pectus proferas: forti viro
Fortuna sortem mutat, animum non potest.
Lapsum iacere, velle nec resurgere,
Hoc est manus in vincla Fortunae dare:
At quamlibet celso excidentem de statu
Certum tamen defigere in plano solum,
Rectumque ferre quicquid incumbat mali,
Hoc est triumphum facere Fortunam suum.
Hic est triumphus omnium pulcerrimus.
En alta rupes arduo surgens iugo,
Aequorque spectans omne subiecti maris,
Ridet furentis Nerei proterviam,
Nec occupata deserit vestigia.
Et tu resurge, sperne temporum vices,
Ostende cunctis pectus invictum malis:
Cecidisse nescit quisquis erectum videt.

Amplissimum imperium sui. LXV.

Censere nemo regna debet maxima
Diffusa late, & poene nescia termini,
Quorumque finis vix regentem sentiat.
Quin ipsa ligno sceptra quae tenui vides
Deducta, quaeque regium premit caput
Corona, certum est confiteri angustiam.
Natura signa rebus apta dat suis.
Quod ergo, quod tu amplissimum ducas? sui.

A *Latissime ille iura dat, quisquis sibi.*
O regna, & o beata regum nomina!
Non haec solet Fortuna, sed Virtus, dare.

Seditionis capita tollenda. LXVI.

Turbante motu publicae statum rei,
Prudens magister civium in solos duces
Supplicia merita vertit, & legum minas.
Non multitudo facilis ad poenam venit,
Stupidumque cladem vulgus haud sentit suam,
B *Multo bipennis madeat etsi sanguine.*
Deinde, qui sic punit, irritat scelus;
Hebesque poena muneri non subficit.
Duces ferire supplici compendium est.

Perversum de Fortuna iudicium. LXVII.

Rerum imperitus arbiter mortalium
Vulgus malignam fronte damnat improba
Sortem, timetque, & vota contra subscipit.
Natura mater hisce regnat legibus:
C *Venire cuncta iussit alterno pede,*
Et ire rursum; hic ordo versat omnia.
Lumen, tenebrae, turboque, & serenitas,
Bellum, atque pax, mors, vita, confundunt vices.
Et auget haec vicissitudo gratiam:
Sic triste bellum pacis almae tempora
Longe reducit gratiora civibus.
Fulget sereno gratior Phoebus polo,
Cum turbinis praecesserit saevi furor.
A nocte lux, a luce nox acceptior.
Principium amamus usque, finis displicet.
D *Quin optime isto fata iusserunt modo.*
Nisi tenebris atra nox condat diem,
Phoebusque lassus axe descendat suo,
Occidat herbas, seque consumat miser,
Exardeatque; luna noctem non regat,
Mundusque rursum ad triste damnetur chaos.
Si nulla pacem bella castigent, cito
Confringat orbem luxus, atque ignavia:
Fatoque tanta praecoci moles ruat.
Nec destinata condat unquam secula:
Si nulla laetam acerba vitam temperent,
E *Constansque euntem ventus impellat ratem,*
Non ferre sortis impetum possis tuae,
Praecepsque summo fluctus involvat salo.
Fortuna blanda damna, quum ridet, parat:
Vbi nocere velle censebis, iuvat.
O mentis error! coeca vis desiderî!
Quod horret optat, & timet quae sunt bona.
Ad fatua sese vota componit tamen
Subinde diva, & vulnus infligit grave,
Nec illud ullus sentit, & munus putat.
Sapiens severae dona, non blandae volet.
F

Homo athleta. LXVIII.

Mundus palaestra, vita lucta, athleta homo,
Athlotheta Christus, antagonista est sibi
Ipse homo, corona magna coeli machina.
Se vincat ergo, tradat & victum Deo,
Victoriae ille praemium coelum dabit.
Crudelis hostis, & improbus luctae est labor:
At praemii quicunque spectabit decus,
Hosti superbum subruet facile pedem,
Finisque cogitatio victoria est.

Amori

Digitized by Google

Amori prompta obedientia est. LXIX.

Vis obsequentes subditos princeps tuos,
Et recta diae studia Virtutis cupis?
Augusta facili sceptra tractans dextera
Studeas amari, & mitis adfectum exprime;
Obsequio solus ille cuncta possidet.
Malus magister semper est recti metus.

Fortunam vince. LXX.

Maligna rigida si manu versat tuam
Fortuna sortem, gravibus aerumnis premens,
Animo memento cuncta non aequo feras
Dumtaxat, ast alacri: id, id victoris est;
Illud ferentis, sed laborantis tamen.
Cum dura gemitus imperabit flebiles,
Aude procacem tu cachinnum tollere,
Vt ipsa vinci docta succumbat tibi,
Et saeva ponat arma. Fortunam trucem
Multum quidem est perferre, sed plus vincere.

Ignaviam fuge. LXXI.

Ignave, terrae pondus, umbra, non homo,
Quid tot bona sine fruge consumis dies?
Prudens honesti censor, & rerum parens,
Natura, opus cuique divisit suum,
Ne quicquam inerti in otio torpesceret.
En ille vitae spiritus ductor tuae
Pigrae quietis nescius motus amat,
Suoque segni munus exemplo ingerit.
Et semper indefessa sidereum rotat
Vertigo coelum: nulla Titan otia
Equisve captat, aut sibi; surgens cadit,
Cadensque surgit, & tenebras discutit.
Vitreusque pontus, limbus ingentis soli,
Aestu reciproco inquietos advehit,
Revehitque fluctus, ipse sibi iugis labos.
Quin & suo laborat in coelo Deus,
Gnavis verendus auctor actionibus.
Vel ille persuadere debebat tibi.
Capesse monitus, quippe turpe ignavia
Vitae sepulcrum est, atque gurges temporis.

Pie, ac sapienter. LXXII.

Et grata pietas sit tibi, & sapientia:
Haec pulcritudo est animi, at illa sanitas.

Sermo animi figura est. LXXIII.

Non ulla temere lingua verba proferat,
Animi character sermo censetur tui,
Et qui volet te nosse, praecipiet loqui.

Sine pietate non est virtus. LXXIV.

Haud nuda vitae sanctimonia subficit,
Et quae videtur esse virtus omnibus,
Inane tantum nomen, immo crimen est.
Coelum petentes adferant cultum Dei.

Conscientia Deo placemus. LXXV.

Vt hominis homini forma, sic animae Deo
Semper probatur, & placet cum praemio.
Polluta nullo mens tibi sit crimine,
Est vultus animae namque conscientia.

Luxuria sumtuose perit. LXXVI.

Vicina coelo tecta quid tollis miser,
Aurumque perdis, totque crustas marmoris?
Licebat ipso rectius coelo tegi.
Quo delicata prandiorum fercula,
Peregrinus ales, exteri piscis maris,
Et ipsa tanto mensa sub luxu gemens?
Puer falerna frangit aestiva nive
Indomita, & hiemis innatant vino rosae,
Positas superbus aestimat sumtus dapes,
Non, ut solebat antea, simplex sapor.
Exigua certe mensa ieiunam famem
Purique recte concha solatur salis.
Luxuria tempus vertit, & mundum simul.
Tanti perire scilicet constat malo!

Superbiae crimen foedissimum. LXXVII.

Superbia non crimen ullum tetrius;
Maledicta cuncta meretur, & complectitur.
Quicunque sit, quodcunque patrarit scelus,
Dicas superbum, & subficit convicium.

Principiis obsta. LXXVIII.

Ne parva temere sperne, quae graviter queunt
Nocere, damno occurre crescenti citus.
Sumunt ab ipsa robur invictum mora
Neglecta, mox securitatem vindicant.
Scintilla sic fit ignis, & saepissime
Venere minimis summa principiis mala.

Irascere prudenter. LXXIX.

Parvis quid iras improbus caussis capis,
Levisque poenas saevus offensae graves?
Iniusta rebus ira quae maior suis.
Quicumque supra dignitatem irascitur,
Discrimina ille nulla culparum facit.

Iustitia ipsa sibi pretium est. LXXX.

Sceleste donis iura quid tentas tuis?
Iustitia sibimet ipsa pretium amplissimum
Ad obferentis erubescit munera.
Scin' quid tribunal eius expugnet tamen:
Vel sola caussae hoc aequitas faciet tuae.
Haec dona superat omnia, & violentiam.

Velis quae possis. LXXXI.

Maiora nemo viribus tentet suis.
Submittet humerum si quis audacem, cito
Succumbet oneri lassus, & discet gemens
Poenam superbae ferre confidentiae.
Quae namque velle debeat quisquam, dedit
Natura posse; o quanta liberalitas!
Et hac decebat esse contentum; tamen
Delira vota, visque consilio carens,
Etiam inviam ultra terminos spectat viam,
Ibique nunquam constiturum audet pedem
Statuere: quumque stare possit commode,
Vltro in ruinam caeca festinat suam.
Quae debeat quis velle, si velit, potest
Is cuncta, summo comparandus numini.
Nam posse, cupias quicquid, omnipotentiae est.
En; iusta velle ut proximum reddit Deo!

He-

Digitized by Google

Honores mutant mores. LXXXII.

Raro ſuperbis impeditus honoribus
Certum ſuo in veſtigio tenuit pedem.
Saevo procaces impetu feriunt latus
Vndae imbecillum, &, ne queat conſiſtere,
Vis ſeſe in unum tota convolvit ſali.
Succumbit animus, inque magnitudine
Decreſcit iſta: quique Fortunae iugum
Perferre valuit, non capit faſtigium.
Violenta mores nempe dedocet bonos,
Et ſaepe ſummum extorquet invito nefas.
Scit ſe ſecus debere, nec poteſt tamen,
Sors parva grande robur eſt ſapientiae.

Parce victis. LXXXIII.

Memento victor ſemper hoſti parcere,
Victique placida mulceas ſortem manu.
Fortaſſe ſimilis imminet caſus tibi,
Quaeritque tempus: quaeque victorem dies
Hodierna cernit inſolescentem nimis,
Victum in triumpho te videbit craſtina.
Timere diſce, nulla Fortunae fides.
Pars maxima eſt victoriae clementia.

Conandum eſt. LXXXIV.

Non oſcitanti vota contingent tibi,
Nec eſt inerti ab otio quicquam ſpei.
Oſtende velle ſedulus, ſi quid cupis:
Intende nervos, ſpes laborantem iuvat.
Ignava finem vota non tangunt ſuum,
Et herae potentis vera ſunt ludibria.
Ingrata nulli munera obtrudens amat
Fortuna curam, ſeque conanti parat.

Parce lauda. LXXXV.

Aliena ſemper parcior laudaveris,
Ne forte laudes damnet adfectus tuas,
Vel temeritas. Vtrumque corrumpit fidem.
Modeſta quippe verba laudantem decent,
Laudatum honeſtant, atque habent pretium ſui,
Placetne quiſquam? rem dato, & facias bene:
Sermo favoris pignus infidum ac leve eſt.

Noſce teipſum. LXXXVI.

Quid curioſus caeca Naturae petis
Secreta matris? ipſe, quod quaeras habes:
Et es. Profecto nemo ſe noſcit bene.
Te diſce, id omni maius eſt ſcientia.

Virtuti incumbe. LXXXVII.

Quicunque bonorum tendis ad faſtigia,
Nunquam malignis artibus quaeſiveris
Aliena ſtudia, turpiter prenſans manus.
Quicquid favoris uſpiam eſt Virtus habet.

Nil caelari poteſt. LXXXVIII.

Cave latere poſſe quid ſemper putes:
Neu ſolitudo mentis evertens ſtatum
Impellat auſus, aut tenebrarum nigror.
Nuſquam ſcelus latere ſecurum poteſt.
Nam cuncta Tempus, pervigil Rhamnuſiae
Oculus, manuſque, cernit, & poenas capit.

Fama iniuria eſt. LXXXIX.

Benigna nimium Fama laudes amplians
Extollit abſens cuncta, nec ſervat modum,
Perditque ſemper gratiam praeſentium.
Sic vanitatis crimen incurrit ſimul,
Iniuriaeque; dum quid extollit nimis,
Ipſaque mox infeſta magnitudine
Iactata pridem deterit praeconia.
Iniuſta laus opprobrio diſtat nihil.
Quae parca laudat Fama, laudat maxime.

Tempus amicum oſtendit. XC.

Non nemo blanda fronte, lingua perfida,
Fallax amici poſcet integri fidem.
Sed ſaevus alto Iupiter coelo tonet
Semel, & coruſca terreat mundum face,
Tuumque dextra feriat irata larem,
Iam terga vertet, atque munus deſerens
Rebus negabit ferre in extremis opem.
Sic ſcilicet probare amicum, perdere eſt.

Hoſtis maxime noxius. XCI.

Hoſtis nocere maxime ſemper ſolet,
Qui fronte mendax odia compoſita tegit.
Sanctumque amici nomen uſurpat ſibi.
Levius nocebit, quiſquis oſtendens minas,
Aperta ubique damna promittet tibi.
Queas cavere hunc, alterum non audeas;
Ne forte Philii numen irrites Iovis.
Sed quis periclum franget, ac tollet metum?
Fortuna ſaeva verberans miſerum manu.
O fauſta, non infeſta diva, quae iuvas
Vbi timeris! o timenda parcius,
Quae munus adfers grande cum vulnus paras!
O diva nomen Liberatoris Dei
Habere digna, ſive males Vindicis.
O Soſpita, o Aurunca, tanti ſcilicet
Fuerit iacere ſub tua preſſum rota.

Prudentia ſpem conſummat. XCII.

Qui dubia ſortis, ſpemque fallacem cavens,
Vbique certum rebus eventum petis,
Solers futuri cenſor expendas vide
Momenta quaevis: ſic potes non decipi,
Se quippe ſiſtet finis abſentem tibi.
Quicumque caſum exſpectat, incertus timet;
Prudente finem at quiſquis animo praecipit,
In vota cogit ille Fortunam ſua.

Semper benefeceris. XCIII.

Feciſſe pigeat alteri numquam bene:
Quin ipſe ſponte tempus invadens tua
Prehende punctum quodlibet; ſic, ſic decet.
Facit ſibi bene, alteri quiſquis facit.
Neſcit perire, ſeque in auctorem ſuum
Beneficium refundit uſque, & undique.
Nec eſt volenti deeſſe quod poſſit bene.
Quod uſque poſſis, uſque faciendum puta:
Natura poſſe cum dedit, iuſſit tibi.

Te digna dona. XCIV.

Donare quae decreveris, te digna ſint:

Digitized by Google

Et esse dignos quos beabis noveris.
Nam liberalitatis infringes tuae
Speratum honorem; quippe consilio carens,
Virtutis aut subsessor alienae vafer,
Severiori iudici censeberis.

Resipisce. XCV.

Si quando forte crimen admissum tibi,
Natura ut imbecilla fert mortalium,
Atque a decori incertus erraris via,
Subsiste, & intra semitam rediens tuam
Errasse pudeat, ac dein prudentior
Erroneum subinde castiges pedem.
Ingenuus omne opprobrium delet pudor,
Et poenitentia proxima innocentiae est.

Benigne da, & cito. XCVI.

Facie benigna semper, & promta manu
Dones memento, gratiam si postulas;
Aut ornat utraque munus, aut contaminat:
Beneficiumque perdit, is qui gratiam.

Laudem merere. XCVII.

Virtutis ergo quando laudaris tuae,
A *Ne fronte demens improba superbior*
Meruisse temet censeas, verum puta
Sermone blando muneris monitum tui.
Hoc est mereri, & esse dignum laudibus.

Libens benefeceris. XCVIII.

Benefac libenter, proxime sic verticem
Tolles Olympo, benefacit promte Deus.

Beneficium recte colloca. XCIX.

B
Beneficium prudenter expensum feras,
Non prodiga quidem manu, larga tamen.
Hoc ultimum donare, primum perdere est.
Iniurioso sparsa calcantur pede
Frumenta; si quae severis, frugem ferunt;
Et grata dominum spica proventu beat.
Beneficium conferre, recte ponere est.

Iusta opta. C.

C
Spes impetrare vis tuas? iustum pete,
Donare solum rector hoc coeli potest.
Iniusta si quis improbe speraverit,
Aut non iuvari quaerit, & tentat Deum;
Aut invocati poscit iram numinis.

IOANNIS MEVRSI
IAMBORVM LIBER II.

Ne procrastinaveris. I.

PRAESENTE *semper tempore utendum puta,*
Quicumque rebus gnavus eventum tuis
Desiderabis impigrum & certum simul.
Fortasse praesens hora quod fert, non feret
In crastinum reiecta si fuerit diem.
Occasionis synciput calvum vides,
Et fronte prehendi quam capillata velit.
Procrastinabit quisquis, eludi cupit.

In Deo laetare. II.

Si quando fessum quaeris animum tristibus
Levare curis, blanda captans gaudia,
Tranquilla coeli, & posce rectorem Deum:
Thesaurus ille gaudiorum est maximus,
Et fons perenni flumen eructans aqua.
Gaudere vere si volet quis, hinc petet:
Gaudere vere non volet, qui non petet.

Luxum fuge. III.

Quo sumtuosis mensa deliciis tumens,
Opprobrio constructa Naturae gravi?
Beatiorem facere frugalis potest
Tripes profecto sorte contentum sua.
Ibi delicatis ferculis inedia
Adiuta crescit, hic cito consumitur.
Amens edendo est quisquis arcessit famem,
Et cum cupit, levare non cupit tamen,
Sic luxus est conviva damnosissimus.

D
Abstine. IV.

Pudenda, lingua, venter, infestissimi
Mortalium hostes omne profligant decus;
Servare si quis poscit illaesum sibi,
Rigidum subactis victor imponat iugum.
Non ulla clades maior, aut victoria:
Sed illa facilis, haec laboris maximi.

Adfectus rege. V.

Motum severus semper animi comprime,
Imperia ne Rationis unquam deserat.
E *Hoc facere diae nervus est sapientiae.*

Deum nihil latet. VI.

Ne longa credens spatia disiunctum solo
Prohibere coelum criminibus indulseris:
Vbique magnus ille terrarum pater
Humana praesens fata disponit Deus,
Et acta cernit, & profunda mentium:
Nec quid suum latere censorem potest
Mox iudicandum. Disce peccato modum,
F *Et stricta pravae frena naturae dare.*
Vbicumque summum numen est coelum puta.

Incerta ne dixeris. VII.

Proferre cautus quicquid incertum fuge,
Hoc namque turpi proximum mendacio est.

Con-

Digitized by Google

Conſulto fac. VIII.

Conſilia rebus ſana praemittens tuis
Securior tentare Fortunam potes;
Benigna diva nam favet prudentiae.
Quod experiri ſi tamen caſum libet,
Neglexeriſque, ſenties incommodum,
Nec parva tanti damna contemptus feres.
Conſilia mundum provida, & coelum regunt.

Deus ubique eſt. IX.

Inane toto mater in mundo nihil
Natura cernit. Implet immenſum Deus.

Vulgi levitas. X.

Auctoritatem conſequutus maximam,
Non ulla temere plauſibus populi levis
Perſuaſus aude: vana te illudet fides.
Non eſt tua illa turba, Fortunae tuae eſt.

Solis exeundum e vita eſt. XI.

Intrare ſolis contigit mundi domum;
Ah, cur viciſſim exire non ſolis licet?
Nunc vis euntes magna peccati premens
Pari univerſos uſque ſubſequitur gradu.
Quod ni benignus arbiter mortalium
Veſtigiis comitem improbam expellat ſuis,
Nos certa mortis damna perpetuae manent.
Intrare coelum non niſi ſolis datur.

Vera libertas. XII.

Qui ſervitutis nomen exhorrens grave
Erecta duro colla detrectas iugo,
Peccata vites audiens legis ſacrae,
Animumque coelo pronus inclines tuum.
Vera eſt ſuo parere libertas Deo.

Felicitas momentanea. XIII.

Fortuna vultu blanda ſi ridet tibi,
Prehende ſortem cautus: inſiſtit rotae,
Nuſquam locorum certa defigens pedem,
Solaque conſtans eſt in inconſtantia.
Ludit proterva quique neſcit luditur.

Taciturnitas optima. XIV.

Quicumque linguae fraena luctanti dabit
Prudens magiſter, aequiore arbitrio
Momenta pendens cuncta rerum & temporum,
Tranquillus omnem finiet vitae diem.
Firmae quietis, ac beatitudinis
Fons, & ſcatebra iugis eſt ſilentium,
Et aſtra ſcindens invehit coelo Deum.
Sigalion ſic municeps magni Iovis,
Mortalis olim, aeterna ducit pocula,
Et tela lethi ſpernit, & caecam Styga,
Et nigra quicquid Iuno poenarum videt.
Tacere diſce, & tu Sigalion eris.

Virtute, & prudentia. XV.

Mortalium ſors: totaque annorum via;
Vitaeque ſpatium, regna Virtutis pati.

A *Prudentieque ſubiacere ductibus*
Debet profecto: ſic parens iuſſit Deus.
Beata demum hoc vita decurrit modo,
Nec ſaeva quiſquam fata ſecurus timet.
Virtutis illud, hoc opus Prudentiae eſt:
Nihil ſine altero alterum plene poteſt.
Vtrumque ſi quis non tenet, neutrum iuvat.

Alius peccat, alius plectitur. XVI.

Aliena ſaepe ſcelera non meritus luit,
B *Miſerque ſorte non ſua preſſus gemit.*
Cur? Poena Furia eſt, nec videt recte furor,
Et in tenebris ſaevit inferna Stygis.
Dein univerſus crimen unum mundus eſt,
Hinc caeca duras iniicit cuivis manus,
Quemcumque ferit certa tangi maximum.

Contemnere contemnique. XVII.

Animi quietem ſedulus quaeris tui;
Aevumque placida conditum velles die?
C *Veſanientis ſi cerne faſtum ſeculi,*
Iniuriamque, & cuncta rerum opprobria.
Nam magnus ille eſt, & beatus maxime,
Qui ferre contemtum, & poteſt contemnere.

Audi vitia, & dic. XVIII.

Audire vitia diſce pacatus tua,
Et dicere aude in proximo quicquid notas:
Fortiſque amicus, virque iudicaberis
Ingenuus eſſe. Laudis hoc faſtigium eſt.
D

Divitiae ſtabiles. XIX.

Opes habere qui diuturnas volet,
Fas eſt honeſtas eſſe quas poſſederit,
Item modeſtas. Neſcit immodeſtia
Statum tenere, turpitudo non capit:
Et haec ruinam aedificat, illa perficit.

Beneficium non exprobres. XX.

E *Beneficium ſi gratiam perdat ſuam,*
Non ſaeva cogat bilis ad convicium.
Corrumpit omne turpis exprobratio,
Sed ferre contumeliam novum dare eſt.
Nunquam tuae pigere virtutis decet.

Loquere pauca. XXI.

Ne ſis loquendi prodigus ſemper cave,
Moleſtus aeri, & moleſtus auribus.
Effuſa lingua opprobrium quaerit ſibi,
F *Sermonis & iactura ſapienti eſt gravis.*

Obtrectator ne ſis. XXII.

Nullius unquam invideris virtutibus,
Impreſſeriſve dentis infeſti notam.
Non ille ſeſe, at ipſe te fies minor.

Ne iactaveris. XXIII.

Seu dotibus Natura te ornarit ſuis,
Seu laude digna maxima perfoceris,
Include gaudia finibus modeſtiae, &

Digitized by Google

Felicitate fruere contentus tua:
Iactare noli; si facis, perdis decus.
Vis praemium constare virtutis tibi!
Te laudet alter, nam probrum laus est sua.

Dives ne insolesce. XXIV.

Quicumque stabiles possidere opes cupis,
Vsu modesto poteris illud consequi.
Hic vota fundus substinebit maxime.
Fortuna fallax insolentem cum facit
Divortio inflat, & suae libidini
Intenta culpam callida inducit tuam.

Lucrum maximum. XXV.

Mercator avidus omne percurrens fretum,
Terrae fatigans conditos longe sinus,
Impunis orbis praedo totius, vagas
Dum quaerit amens, & suas saepissime,
Quas habuit ante, perdit infelix opes.
Sic per pericla mille, tot curas graves,
In damna pallens vota propellit sua.
Beatus ille, qui potest parvo bene
Contentus esse, nec petit quae non habet.
Quicumque recte avita patrimonia
Servare didicit, lucrum habet certissimum,
Iustissimumque: & hoc petat, quisquis petit.

Laus honesta. XXVI.

Si pulcra quaeres nominis praeconia,
Aestuque honesto pectus accensum geres,
Lacesse laudem vividis virtutibus.
Sed non ubique, nescias quod consequi
Vbique, quaeras. Non habet fructum labor.
Laus in bonorum se omnis ore condidit:
Nullum potest laudare, quem nullus potest.

Conscientiae securitas. XXVII.

Quicumque felix moribus culpam suis
Transcendit omnem, vivit exsutus metu,
Magnanima virtus ridet obiectum sibi
Secura crimen, freta conscientiae
Integritate, seque vel silentio
Plerumque tacita vindicans spernit notam.
Non iudicis vim, non timet legum minas;
Non fulgurantis horret offensam Iovis,
Non ipse si axis in suum totus caput
Coelumque, & omnes fractus evertat Deos,
Et fulminumque quicquid, & tonitruum.
Conscire nulla robur animi maximum est.

Sapientem, nec magnanimum poenitet. XXVIII.

Non ulla rerum poenitudo torserit
Sapientis animum, quippe committit nihil,
Vitaeque custos acer observat vias.
Magnanimus etiam infecta, quae fecit semel,
Optare nescit, acta condemnans sua.
Illum dolere cura virtutis vetat,
Hunc robur animi, visque frangi nescia.

Curas vita. XXIX.

Pacata quisquis spatia labentis tibi
Sperabis aevi, triste curarum genus
A *Vitans profundo merge perdendum salo.*
Tranquillitatis saeva tempestas tuae est
Vitae sepulcrum, dirus animi carnifex.

Virtus Fortunae dominatur. XXX.

Si quis procacis regna Fortunae timet,
Pronus verendae sceptra Virtutis colat,
Eiusque sanctis aptet annos legibus.
Servile nescit sub iugo collum pati,
Sed ipsa rerum domina dominantem premit.
B

Nullum aut time, aut laede. XXXI.

Amicus esse cuilibet quantum potes
Studebis usque, sedulo offensam cavens:
Sic odia nullis excitabis mentibus,
Feruscve dentem livor intendet suum,
Aut non timebis: quippe nulla iniuria
Movetur animus certus insontem peti.
Gaudere amicis, invidos contemnere.
Est radius aevi qui serenat tempora.
C

Amicum iuvare debes. XXXII.

Iuvare amicum, quandocumque res feret,
Debes libenter; muneris totum tui est.
Tuamne nullis rebus obstrinxit fidem,
Negasque meritum? parce contumeliae.
Amicitia sola meritorum maximum est.

Divitiae bonae. XXXIII.

D *Audesne, quae solicitus acquiris, bona*
Putare? solus usus ut sint efficit;
Nil quippe sine Virtute Fortunae licet.

Ne vituperes. XXXIV.

Ne quem malignus dente scindas tetrico;
Animi impotentis signa cuncti dixerint,
Quam merita scurrae putidi praeconia.
Quod si minorem laude censebis tua,
Item putare oportet indignum nota.
E *Non ulla vituperia sapientem decent.*
Non ulla vituperia sapientem iuvant.

Tandem mendacium detegitur. XXXV.

Persaepe dudum falsa sub cauta latent
Occulta fraude, sed venator maximus
Tempus, citato secla pervadens gradu,
Orbemque lustrans, si quid in latibulis
Recondat ullis abditum nigro specu,
Deprensa tradit Veritati crimina.
F

Fraudem cave, & fuge. XXXVI.

Quisquis pudendae fraudis opprobrium cavens
Intaminatis quaerit animi laudibus
Aevum emetiri, perque tot discrimina,
Vitaeque saxa nave non fracta salum
Superare tutus, haec studebit maxime:
Hunc nemo fallat, ipse fallat neminem.

Preces ab animo. XXXVII.

Cur vix supremis conditas labris preces
Obferre caelis & probare postulas?

Lin-

Digitized by Google

Linguamne demens corde propiorem aetheri
Maiore credis vota reddere cum fide?
Venire ab alto ad alta venturas iubet
Sortis verendus rector humanae Deus.

Preces decorae. XXXVIII.

Quid ſpe benignas impudenti numinis
Aures fatigas ſupplicator improbus;
Vt ſtemma claram obveniat; ut grandes opes,
Vt ſemper uno rideat, quod non poteſt.
Fortuna vultu: diſce quid deceat peti,
Si conſequi vis. Poſce ſincerum Dei
Cultum: profecto haec ſumma votorum omnium eſt.

Divitiae modicae neceſſariae. XXXIX.

Poſſis ut apte ſubſtinere incommoda
Quae multa rapidis advehit Phoebus rotis,
Opes honeſtas cura ſit conquirere.
Excuſſa fixis ſaepius veſtigiis
Egena Virtus deſerit recti viam.

Mors vita melior. XL.

Inſane duram quid times lethi manum?
Tractare cunctos mollius vita ſolet.
Haec inſtat uſque carnifex ſaeviſſima,
Summiſque miſerum ludit in doloribus:
At illa contra ad terminum aerumnas vocat.
Mors nulla laedit, ſi timorem evaſeris.

Mundi morbus. XLI.

Mirare magnam in homine morborum ſtruem?
En ipſa mundi tam ſuperba machina
Compage tantam ſubſtinens molem ſuam
Firmata ſolida fato eidem ſubiacet;
Hominiſque medicus eſt homo, mundi Deus.
Caſura reprimit, fracta coniungit, legit
Diſperſa, decorat ſi quid ornatu caret,
Fugitiva prendit, tarda propellit citus,
Caſtigat alta, ſubrigit iacentia,
Nunc rudia format, moxque formam interficit,
Dieque noctem, nocte permutat diem,
Finemque rebus ponit ignaris pati
Vel terminorum ſepta, vel certum modum,
At ipſe morbos mundus ignorat ſuos,
Et quiſquis illum calcat impreſſo pede.
Omneſque ſolus novit, & curat Deus.

Dilatio poenae poenitentiae commonefacit. XLII.

Peccata mundi quiſquis accuſas pius,
Nimiſque lentum quereris in poenas Deum,
Parcas licebit; nonne cenſendum eſt ſatis,
Quod mente laeva miſeriam ignorat ſuam?
Sed haec tamen ſupplicia poenitentiam
Dilata ſuadent, dum ſuas clemens pater
Detrectat iras, & recuſat iudicem.

Fraus in auctorem graſſatur. XLIII.

Nulli ſceleſtus artifex animum malum
Intende fraudi, turpe captans gaudium.
Relicta repetit ſpatia ceu calcem ſuum,
Iuſſumque in ipſo auctore conſummat ſcelus

A *Sic nempe probri ducta poenitentia,*
Meritamque turpitudinis fugiens notam,
Se condere illic quaerit unde venerit,
Noxamque deprecatur & poenam gravem.

Rerum viciſſitudo. XLIV.

Cave protervus nemini mortalium
Sortis ſuae exprobraveris tyrannidem.
Nec immodeſte rebus uſus proſperis
Suſpectam habere diſce Fortunae fidem.
B *Nam cupida regni terminos producere*
Quacumque regnum eſt, & timeri ubilibet;
Levis pererrans cuncta terrarum ſola,
Nunc bos prehendit, moxque rurſum deſerit
Feſtina prehenſos, laedit omnes, & iuvat:
Vbique praeſens ſemper, & nuſquam tamen.

Ne iudices. XLV.

Si quando coelo poena peccantem ferit,
Nemo merentem aut noxium pronuntiet,
C *Neu caſui malignus adſignet ſcelus:*
Hoc eſt ſuum ſubripere iudicium Deo.

Ne iuraveris. XLVI.

Sermone vero cum minus perſuaſeris,
Iurare fugies; nempe perſonam cupit
Iurare facilis, additam mendacio;
Fictaque fraudem ſanctimonia tegit.
Negatam ab aliis ipſamet teſtis ſibi
Contenta ſeſe Veritas adfert fidem.
D

Laus honeſta excitat. XLVII.

Virtute quamvis recta conſcientia
Sua triumphet ſat ſuperque, poſſidens
Omnes triumphos ipſa, ſemper omnibus
Maior triumphis, praemium & calcar ſibi:
Ornatum honeſtae laudis admittit tamen,
Sinuque condens intimo ſtimulum facit.

Honos ſit Virtuti. XLVIII.

E *Quicumque recti ſedulam mortalibus*
Curam imperabit, hic honorem habeat bonis,
Monſtretque Honeſtum, difficillime poteſt
Virtus putari praemio quicquid caret.

Oderis mundum. XLIX.

Quicumque mente pronus in coelum pia,
Et alta cupiens, terminum auguſtae capit
Aeternitatis, ſed carentem termino,
F *Suumque totus concipit animo Deum,*
Spirans beati maxima aevi gaudia,
Mundi peroſus vanitatem ludicri
Evitet agmen impii conſortii,
Suo vacare liber ut poſſit Deo.
Odiſſe mundum proxima ad coelum via eſt:

Vita ſatis longa. L.

Plerumque vulgus defatigat impiis
Coelum querelis, ceu nimis ſit terminus
Anguſtus aevi, & invidus votis ſuis,
Natura longum quum tamen dederit ſatis.

Sed

Digitized by Google

Sed otioſos, prodigus vitae, dies
Dum tractat, omnem perdit annorum moram,
Sic lenta quamvis tranſeunt citiſſime;
Et tempori ipſe, non ei tempus deeſt.

Labora. LI.

Natura larga porrigit quotquot manu
Aetatis annos, moneo ne contempſeris.
Dieſque quaeque quos labores adferet,
Non ſegnis illis ultimam imponas manum.
Contemnit annos, quiſquis ignavos habet:
Miſerrimuſque transfuga eſt factus ſui.

Opes decorae. LII.

Quam magna pars mortalium non utiles,
Nil maximis laboribus parcens, opes
Anhela quaerit, moxque partas poſſidet,
Non poſſidere ut dixeris recte tamen.
Hic prodigus conſumit omnes, impius
At rurſus arcis ille ſubfocat ſuis.
Quicunque partas convenire vult opes,
Oportet opibus ille conveniat ſuis.

Opes contemne. LIII.

Quamcumque rerum domina conceſſit tibi
Fortuna ſortem, ſat beatus, ſi ſapis,
Contentus eſto, nec quid ultra terminum
Avarus inſtes, aut egenus aucupes.
Irata ſaepe quae petis donat quidem,
Donata ſed mox improba recipit manu,
Pro gaudiiſque iam dolores imperat,
Indomita poena vota caſtigans gravi.
Minus dolebis ſorte contentus tua;
Nam perdere ille, non habere qui poteſt.

Beneficiorum ratio. LIV.

Officia toti praeſtita reipublicae
Tam grata non ſunt civium quam ſingulis
Quae contuliſti; ſcilicet praepoſtere
De rebus uſque iudicat populus levis,
Quod omnium ſit ſemper alienum putat.

Vis religionis. LV.

Religio nullis imperari armis poteſt,
Nam conſcientia robur invictum gerit,
Summoque coelo ſancta deſcendit fides.
Vis imperare? ſupplica coeli Deo.

Suffragia ut auferas. LVI.

Si convenire vis tuis ſuffragia
Aliena, fac commune promittas decus,
Lucrumque: nempe poſſident hae res fidem.

Occaſio adripienda. LVII.

Occaſionem, qui ſapis, non ſpreveris:
Redire ſpreta neſcit, aut tarde redit.
Fortuna vota arbitrio differt ſuo,
Moraſque nectit, ipſa differri negat.

Noli minari. LVIII.

Si nulla bili pronta vindicta eſt tuae,
A *Prudenter illam & tutius celaveris.*
Nihil mineris quo nihil profeceris.
Nam ſi cui potentiori feceris,
Exaſperato vulnus irritas novum:
Quod ſi minori, iam cavere praecipis.
Stolida minarum impenſa ſic ſemper perit.

Iniuriae memoria firmior. LIX.

Beneficia facile mente delentes mala,
Iniuriarum cur diu memores ſumus,
B *Amamus iras, odimuſque gratias?*
His nempe certo noſtra cognoſci poteſt
Natura ſignis, tota peccati lue
Imbuta, vitiorum officina turpium.

Iniurias obliviſcere, gratus eſto. LX.

Benefacienti gratiam conaberis
Referre promtus, merita quin vincas licet.
Beneficia vetat, gratiam quiſquis negat.
Iniuriarum at eſſe non memorem decet,
C *Nec aſperata ſaepe vindictas graves*
Celare mente: turpis ira maxime eſt,
Quae cum ſua non pariter offenſa perit.

Liberalitatis fructus. LXI.

Fortuna magnas ſi cui tribuit opes,
Et eſſe charus civibus quaeret ſuis,
Praeclarum honeſti nominis ſpectans decus,
Illiberalis fugiat hic animi notam.
Quae namque egenos larga ſolatur manus.
D *Viſcum favoris, gloriae theſaurus eſt.*

Virtus ſimulari nequit diu. LXII.

Celare neſcit ſumta Virtutis diu
Perſona ſcurram, utrumque diſſimulabitur.
Et eſſe fucus illa non poteſt, neque
Perferre vitium didicit impoſitam ſibi.
Mendaciumque, quod iuvet potiſſimum.
Aptare neſcit, ſeque per ſe deſtruit.

E

Liberos ne opta. LXIII.

Pro liberorum ſaepe ſoliciti nimis
Suſceptione vota concipiunt patres:
Quos quum dederit tamen Deus, contraria
Subinde faciunt plurimi, & iam paenitet
Optaſſe, fatuas inde damnantes preces,
In liberos ſunt impii, ingrati Deo.
Quum ſaepe & illos turpiter rectiſſimam
Neglexerint docere Virtutis viam,
Aut vitia amore neſcientes improbo
F *Stultiſſime ipſi ſpes ſuas corruperint.*
Aetatis alii ad florem ubi perduxerint,
Et magna ſperant ex adultis gaudia,
Adhuc in ipſis excidunt primordiis,
Ac ſi dati eſſent mox coactis reddere,
Vt nutriiſſe damna videantur ſua.
Amore ſobolem proſequi cunctos decet,
Deſiderare parcius licet tamen:
Carere namque proſperum infortunium eſt,

Attende. LXIV.

Quod forte prima fronte ſibi velocitas,

Sub-

Digitized by Google

Subtilis aut acumen ingenii negat,
Attenta facile mens potest cognoscere.
Studiosa nostri, munerumque prodiga,
Natura sic supplere defectum dedit.

Humanus esto. LXV.

Operam benignus da tuam poscentibus,
Et fronte placida contuere supplices,
Ne tristiores deserant vultum gravem.
Quem supplicare iniqua sors cogit tibi,
Augere saevos huic dolores, impium est.
Iuvesque quamvis, nubilo frontis tamen
Beneficiorum gratiam infuscaveris.
Ille ipse fata temperans rerum Deus,
Supra omnium qui dignitatum culmina
Evectus orbem calcat, & coeli polos,
Prona benignus aure, vultu candido,
Tristet querelas gentis adflictae capit.
Humanitas ut proxime accedit Deum.

Animum cole. LXVI.

Res una certe est, nemo mirari satis
Quam possit unquam, dedecus mortalium.
Pernicitatem cursor accurat pedum,
Et valida pugiles brachia acquirunt sibi,
Athleta robur colligit ceromate,
Qui curet animum nullus, aut nullus fere est.
Aequata coelo proferunt fastigia,
Et invidentes urbibus villas struunt,
Ornantque structas orbis ad miraculum,
At dominus impensam ipse corrumpit suam,
Incultus, horridus, imperitus, improbus,
Qui Tantali instar, inter immensas opes
Egenus, almae destitutus fructibus
Beatitatis, ore fugitivas aquas
Arente captat, nec sitim exstinguit tamen.
Alieni cuncta possidet, nihil est suum,
Et cuncta qui se possidere existimat
Beatus, unum ne quidem se possidet,
A quo labores auspicari debuit,
Opumque vota: fundus ingestas super
Fulcire solus ille ruituras potest.
Animus colendus, animus est: animus supra
Cacumen omne surgit, & liber petit
Natale coelum diaque incunabula.
Animus colendus, animus est, inquam, tibi:
Est cultus eius hominis immortalitas.

Tempus ne neglexeris. LXVII.

Momenta quaevis temporum observes vide.
Attentus aevo; vita transit ocius
Ad instar umbrae, vel volucris somnii,
Et belluo ipse aetatis ignavus suae est.

Superbiam cave. LXVIII.

Ad alta bonorum quando Fortunae rota
Surgente vectus, ceteris sublimior
Despicere poteris sub tuo pressos solo,
Elatiorem nemo cognoscat cave.
Fortuna caeca te omnium evectum semel
Observat oculis, cumque non dignum videt,
Praecipite ad ima rursus effundit rota.
Animus cuique sortis est clavus suae.
Nubesque fastus gloriae infuscat iubar.

Ignominiam fuge. LXIX.

Probro cavebis ulla ne contamines
Momenta vitae, regnat imperterritus
In corpore animus criminis non conscio.
Flagitia Lemures censet, & solio suo
Iam metuit ipse tristis, adflictus, miser,
Ne sceptra vinclis mutet, accipiat iugum,
Non servitus illius est opprobrium,
Vitaeque mors infamis ignominia.

Noli vindicare. LXX.

Si te quis unquam crimine ullo laeserit,
Iratior sperare vindictam cave,
Hoc nempe damno est quaerere accepto probrum.
Precare potius mitis ignoscat Deus;
Benedictionis ille thesaurus tuae est.

Amicitiae hereditas. LXXI.

Qui diligens illaesa patrimonia
Avita servas, non amicos negliges,
Multo parentes quos ab usu cognitos
Sibi pararunt: scilicet pars haec tibi
Totius est hereditatis maxima,
Parentum imago, vita post funus data.

Virtutem quaere. LXXII.

Beatus ille, cura Virtutis cui
Suprema semper omnium rerum fuit.
Corona vitae est, vitaque animae, corporis
Ornatus ingens, mentis aculeus bonae
Sortis levamen asperae, speculum aureae
Felicitatis, & boni compendium,
Regina mundi maxima, annosae parens
Aeternitatis, umbra & effigies Dei.

A crapula abstine. LXXIII.

Recte valere, & munia exsequi omnia
Vis expeditus? nec cibo, nec potui
Superfluenti deditus, quod subsicit
Sumas memento; nempe temperantia
Animi voluptas, spesque Naturae omnis est,
Desideriumque sanitatis ancora.
Sed cruda quicquid crapula offendit boni,
Hominisque totum mergit in ventrem decus,
Laudis Charybdis, & sepulcrum est ingeni.
O prava studia, & o nimis mortalium
Consilia fatua, damna qui tam magno emunt!

Quod optas quaere. LXXIV.

Quid stulte multa animum fatigans improbe
Ignavus optas, nec tamen vertis manum?
Spei videto ut ipse ne desis tuae:
Summo iuvari vota conatu volunt,
Optare quicquam, nec quid adniti tamen,
Hoc est precari mente non flexa Deum.

Invidiam ne time. LXXV.

Quid impotenter tenera detrectantium
Formidat auris flagraque, & calumnias?
Latere speres, aut velis evadere?
At nemo possit; degener quamvis humi

In-

Digitized by Google

Invidia ſerpat, livido ſuperat tamen
Quodcumque dente culmen, & depaſcitur,
Virtutis hedera. Sed timere deſine,
Optanda quae ſit, & vocanda perpetim.
Virtuti is hoſtis, quiſquis Invidiam fugit.

Iniurius ne ſis, LXXVI.

Nulli doloris cauſſa ſis iuſti cave,
Tranquilla turbans otia per iniuriam.
Opprobrium ſt moeror alienus tuum.
Nocere nulli culmen id Virtutis eſt.

Senectus non optanda. LXXVII.

Quam magna pars mortalium longiſſimae
Amore vitae Neſtoris poſcit Deum
Vivacitatem: o caeca vis deſideri!
Optare ſenium quiſquis imprudens poteſt,
Praeque ille brumae frigus aeſtati feret.

Infamis nobilitas. LXXVIII.

Quicumque claris editus natalibus
In magna creſcit, fataque improbus ſua,
Et avita laudum deſerens praeconia,
Aviſque pariter & nepotibus reus
Totum putendiis mergit in vitiis genus,
Impendis infamiam magnis emit,
Tabes bonoris, carcinoma gloriae.

Calumnias contemne. LXXIX.

Tranquillitatem ſtulte quid mentis tuae
Levi ſuſurro tetricae calumniae
Evertis, ipſe cum tibi pravi nihil
Scis perpetratum? conſulas recte tibi.
Vbi culpa non ſit, eſſe nec debet timor.
Sed nullius qui conſcius ſceleris timet,
Suam ipſe vecors damnat innocentiam.
Dum te ſagittis improbus petit ſuis
Calumniator, ipſemet ſeſe ferit;
Et propria narrat, vitia dum cupit tua.

Prudens ſimplicitas. LXXX.

Fraudem peroſus cupidus innocentiae,
Duxiſſe vitam quiſquis integram cupis,
Ad aſtra certo ſumma contendis pede.
Sed & cavere cuncta prudenter decet,
Ne cuius unquam fraudibus pateat latus.
Animi quietem ſancta ſimplicitas tibi,
Vitae quietem cauta dat prudentia.
Sapientiae haec nata, illa Veritatis eſt;
Vtrinque magnum ſtemma contingit Deum.

Timor Domini. LXXXI.

Varia benignus dona dat mortalibus:
Se det timere Dominus, omnia dederit.

Convitiis ne certa. LXXXII.

Convitio contenderis cum nemine.
Certamen illud aleae pleniſſimum eſt,
Et ſi quod aliud, omninm turpiſſimum,
Nihil triumphi percipit, laudis nihil,
Hoſtique victor ipſe ſuccumbit ſuo.

A

Comis eſto. LXXXIII.

Quocumque te fers comitatem praeferas,
Sol ille vultus eſt tui clariſſimus.

In patria nihil probri. LXXXIV.

Seu quis remotis natus Indorum plagis,
Obſcurave inter Africae mapalia,
Aut vaga Scytharum plauſtra, & incertas domos,
Aut ruſticanae ignobili in tecto caſae,
B *Natale nulli ſtultus obiicias ſolum.*
Regina Virtus dia deſcendens polo,
Terras ſereno implevit omnes lumine,
Viros deditque ubilibet naſci bonos.
Iline probro patria eſt? tu patriae.

In dictis factiſque gratia ſit. LXXXV.

Cupis placere ſemper, & cuilibet?
Iucunda loquere, & effice utiliſſima:
Quam lingua captat gratiam, manus capit.

C

Emenda, non obiurga. LXXXVI.

Aliena quae quis vitia durus increpat,
Emendet ipſe potius; ira nil iuvat;
Et parcat animo. Scilicet ſapientiae eſt
Conſulere nil iam profuturis vocibus.
Perire poſt rem verba non debent tua.

Detractorem neglige. LXXXVII.

D *Non facile mentem ſermo turbet lividus*
Hominis maligni, ſervulique adfectuum.
Quod ſi movere, iam fateris noxiam:
Aut ipſe qui ſis proderis turpiſſime
Neſcire: ſic, quod ille vult, tumet facis.

Falſus teſtis ne ſis. LXXXVIII.

Non ulla rerum falſa teſtimonia
Proferre debes, non amici gratia,
Reive, nulla aut temporum violentia.
E *Quicumque parvi fecerit teſtis fidem,*
Oppreſſor innocentiae ſaeviſſimus,
Et perduellis veritatis maximus,
Latroque fidei, & exſecratio Dei eſt.

Verba tua aeſtima. LXXXIX.

Si pretia verbis iuſta ponis, iam ſapis:
Si perdere audes, illa, te perdent quoque:
Solicita honoris lingua cuſtos eſt tui.

F

Concordia. CX.

Tractare paribus cuncta fas ſententiis:
Eſt ille rerum nervus, & prudentiae.

Nulli fidas. XCI.

Habere nulli peſſimum longe eſt fidem,
Sed hoc tamen perfidia fecit optimum.
En cauſſa ſceleris nos ſumus, rurſum ſcelus
Virtutis eſt. O qualis haec mutatio!

For-

Digitized by Google

Fortuna & Virtus. XCII.

Felicitatem temperare fas tibi
Decore morum, si diuturnam cupis.
Virtutis expers namque si Fortuna sit,
Aridula flos est colla deflectens humi,
Annusque solis luce viduatus sui.

Coniugium. XCIII.

Connubiorum plurimas molestias
Consideranti displicere non tamen
Hinc illa debent, gaudiis est & locus,
Animique honestis recreationibus.
Sic nempe amoenos solis aestivi dies
Subinde ventus perflat inclementior.

Poenitentia. XCIV.

Debere factis turpe poenitentiam,
Praestare pulcrum est: illud infestus nimis
Tyrannus hominis cogit imbecillitas,
Hoc ratio iubet. O quam vices praeposterae!
O iubeat illa potius, haec cogat sequi.

Luxus vestium. XCV.

Quo vestium ille luxus, & sumtus tibi?
Vt praeda vitiis maior incedas tuis.

Pauperis sapientia. XCVI.

Cur esse verbis divitum maius solet
Pondus, fidesque? scilicet radio iubar
Rutilantis auri cuncta perstringit suo,
A *Fidemque fulvus omnium nummus regit.*
Sapientia inopum gemma stercore obruta est.

Simultates ne redintegraveris. XCVII.

Discipulus almae pacis, & prudentiae,
Composita nullus odia suscitaverit.
Hoc est sepulta provocare incendia,
Et quando medici docta curarit manus,
Aperire vulnus restituto corpori.

Pellacia muliebris. XCVIII.

B

Nunquam muliebris fucus imponat tibi,
Solus virilis laqueus hic sapientiae est.
Praestabit hosti subiugari cuilibet,
Quam turpiter trahi in triumphum feminae.
Ibi vis iniqua sortis excusat probrum,
Hic te facit stultitia ridendum tua.

Lascivia divitis. XCIX.

C *Opes modeste, quisquis possides, tene:*
Lascivia tua pauperi luctum facit,
Convitiumque sortis est illi suae.

Sapientia ante aetatem. C.

Sapientiae conveniat aetati decus,
Quin etiam ut annis maius existat tuis
Potes benignum orare naturae Deum.
Inferior annis quae sit, aetatis probrum est:
Quae superet, o quam grande donum numinis!
D *Aurora rosea terstioris lucis est.*

IOANNIS MEVRSI IAMBORVM MORALIVM LIBER III.

Mors honesta. I.

SVVM *cuique terminum rerum parens*
Natura certum fixit; & leti diem:
Quo multa onustum pervenire laurea,
Vitaeque habentem clara testimonia,
Non tenue summi munus aestimes Dei.
Inglorii mors cuncta sepelit tempora,
Aevique domino quicquid in terris fuit.
At glorioso, cincta tot virtutibus,
Corona vitae, vix solo dominum eripit.
Honesta mors est altera immortalitas.

Praeproperum iudicium. II.

Nil temere iudicaveris non cognitum,
Iustaque quod non lance perpensum tibi;
Praepropera nam iudicia quisquis proferet,
Oppressor innocentiae, legum probrum,
Suaeque scopulus ipsemet famae sibi est.

Res aptas sectare. III.

Nec res leves sectare, nec magnas nimis:

E *Degeneris illud hominis, hoc temerarii est.*
Distincta certo cuncta nascuntur modo,
Iudicia rebus semper aptabis suis.
Quod negligentem si te in hoc deprenderit
Fortuna casu, prooemium hic nullum dabit,
Ibique votis aspere illudet tuis.
Iudicia fructus sequitur & fugit suus.

Exempli solamen. IV.

Si fata rebus asperent aevum tibi
F *Iniquiora tristibus, gratissimum*
Ratione dante acceperis solatium.
Ignava sed qui pectora in vulgo geris,
Ratione vidua, spectet alios: scilicet
Onus malignae rectius sortis feret.
Exempla fatuum, non Ratio, populum regunt.

Mors semper eadem. V.

Suam cuique fata cum praescripserint
Divina mortem, tristis hic pontum timet
Mergendus undis, & sua poscit prece

Digitized by Google

Nigrae obrui telluris intra viscera;
Exhorret ille pallidus terrae sinum,
Optatque clari solis in cubilibus
Efflare vitam, caerulae Salaciae,
Glauciscque Nymphis additus, quae flammeo
Paria gubernat regna Neptunus polo.
Timoris ille degener servus sui,
Animique parvi, per cruenta quae venit
Accita tela, & vulnerum vestigia,
Formidat horam; cupidus in molli toro
Fractum senecta spiritum profundere.
Honesta dum sit vita quam praemiseris,
Nihil labores; nempe nigrantis Dei
Ad limen undecumque tantumdem viae est.

Amicus non verus. VI.

Quicunque amici nomen indixit sibi,
Conditio rerum laeta quum ridet tibi:
Amicus ille non tuus, sed temporis,
Et tu cavebis. Vmbra Fortunae levis,
Opprobrium hominis, larva sanctimoniae est.

Fortunae varietas prodest. VII.

Optata quamvis omnibus constantia.
Sortis beatae, plus tamen laetum facit
Distincta quae momenta servat temporum,
Vegetatque mentem; nempe gratiora sunt
Saevos dolores quae sequuntur gaudia.
Semper serenis animus in rebus stupet,
Sequе ipse nescit, & suae sortis modum.

Avaritiam fuge. VIII.

Aliena si quis sequitur, infortunium
Suum ipse captat, nominisque infamiam,
Quae cuncta rapido damna praecurrit pede.
Quemcumque avarum & hunc scelestum dixeris.

Amici selecti. IX.

Prudens amicum e compito non adripe,
Sed longa tradat cura quaesitum tibi;
Semelque lectum temere non dimittito:
Iudicia stultus ipse damnabis tua.

Amici pauci. X.

Nec nullum amicum sumseris, nec quemlibet:
Non hominis illud, hoc minus sapientis est.
Si nullum habebis, iam cares solatio,
Sortique pressus forte succumbes tuae:
In universis non erit semper fides,
Nec spes in illis conditas inveneris.
Omnes amicos si cupis, paucos lege.

Regum familiaritas. XI

Beata regum ne putes consortia,
Aut temere ne quid appropinques videris:
Huius salutem lingua circumfert tuam,
Cum voce quam mox perdit eiectam semel.
Propinqua nimium flamma comburit, parum
Remotus adites, commode foveberis.

Eloquentiae impune flagitium. XII.

Quum sancta nulli libera in republica
A *Patere fraudi debeant suffragia,*
Et arte nulla fas sit intervertere:
Miramur illud, sine cur uno tamen
Postquam triumphent, poena sit pecuniae,
Feratque laudem callida eloquentia,
Nocere multo quae solet potentius.
Namque istud animi robur, oblatas opes
Quod sprevit, ecce labefactatum cito
Magno impetu torrentis impulsum ruit.
Quicumque laxat frena verborum dolis,
Nummoque legem figit, & poenae minas,
B *Suffragiorum perdit innocentiam,*
Servare quam se velle dicat maxime.

Ebriosi senes sunt. XIII.

Bacchi clientes, dira vinorum lues,
Suaeque stulte sanitatis prodigi,
Cur non senescunt? scilicet iam sunt senes.

Mortis memoria. XIV.

C *Peccata vitae quisquis odisti malae,*
Summaque vis cavere providentia,
Quantum imbecillae sortis admittit status,
Semper supremum cogita aetatis diem,
Reddenda vitae ratio quum fuerit tuae:
Memoria mortis norma sanctitatis est.

Miseria vitae. XV.

Haec vita res est omnium miserrima,
Quam tot fatigant quae undique invadunt mala:
D *Spes inde vana, parte ab hac vanus timor,*
Edaciumque insomna curarum manus,
Iraeque rabidae, saeva morborum cohors,
Invidia tristis, impiae calumniae,
Iniuriaeque, spiritusque carnifex;
Sic una mundus est miseriarum domus.

Vitae cupiditas. XVI.

Tam magna cur cupido vivendi tibi est,
Coelumque precibus improbus lassas tuis?
E *Vtaris aevo: perditur, dum poscitur.*

Vindictae cupiditas. XVII.

Quid impotenter aestuans animo truci,
Dira nocendi saucius cupidine,
Distringis iram, & tela vindictae quatis,
Poenaeque nimium rigidus exactor tuae es?
Ignoscere aequum est, atque multo dignius.
Debet tibi ille, tuque debes alteri:
Si vota veniae sunt tibi, fas est dare.
F *Exigere poenas, hoc sibi praescribere est.*

Hostis non contemnendus. XVIII.

Non hostilicum agmen imperator providus
Contemnet unquam; scilicet saepissime
Fortuna paucis caeca dat victoriam.
Timere quisquis non cupit; vinci cupit;
Praeludiumque clavis est securitas,

Nil temere crede. XIX.

Non quicquid audis protinus credi decet,

Nam

Digitized by Google

Nam multa ſaepe Fama rumorum nimis
Maligna nutrix ſpargit, & tentat fidem.
Qui facile credit, facile deludi ſolet.

Poena reſtricta. XX.

Inhibere ſemper criminum licentiam
Princeps ſeverus legibus debet ſuis:
Punire vero non item ſemper decet,
Qua nempe non nocetur exempli malo.
Sic aequitatis regulae faciet ſatis,
Clementiaeque nomen acquiret ſibi.
Et ſaepe poenarum eſt genus tutiſſimum,
Differre poenas, legibuſque parcere.

Turpia nec loquere. XXI.

Quaecumque honeſta non erunt factu, neque
Dictu putabis. Scita Naturae haec ſcies.

Vultus ſit compoſitus. XXII.

Torvo cavebis intueri lumine,
Sed grata vultu luceat ſeveritas:
Prudentiae hoc eſt, illud inſolentiae.

Modeſtia. XXIII.

Audaxque ſermo, & riſus effuſus nimis,
Scylla & Charybdis audiunt modeſtiae.
Dementiae hic eſt, alierumque inſaniae.

Conſcius tibi ne ſis. XXIV.

Ne quid pudendum turpiter commiſeris,
Veſana quod mens neſciendum dictitet,
Tutum tenebris atque ſolitudine.
Nullus ne ſcit mortalium? tu ſcis tamen.

Nimia familiaritas. XXV.

Ne ſaepe quemquam, non item ſermonibus
Adfare multis: nempe conſuetudinis
Sic univerſa ratio conſtabit tuae.
Quicunque non hic temperaverit ſibi,
Non aeſtimarit ſemet, aut alium, ſatis;
Neglectiorque incurrerit faſtidium.
Non vilis aliis eſſe vult? ne ſit ſibi.

Honorum ſatietas ſit. XXVI.

Cum te ſupremo prehendit in faſtigio
Vis ſaeva fati, truxque Parcarum manus,
Caelum querelis impie incuſas tuis
Iniuriarum. At o gravem dementiam!
Decreta caeli neſcit, & culpat tamen,
Inſanus ardor. Nempe ſic, te neſcio,
Tuae benignus conſulit famae Deus.
Non ſemper annos ſequitur, & creſcit ſimul,
Illuſtre nomen: ſaepe tranſverſis rapit
Nubes tenebris, nec poteſt emergere.
Non aliter axem Phoebus evolvens ſuum,
Poſtquam citatis culmen aſcendit rotis,
Reſtare magnum & dum ſibi putat decus,
Spem praeter ecce rapitur, & perdit diem.
Quicumque honorum plenus eſt, ſit & ſatur.

Metus ſpe melior. XXVII.

Si quando dubius pendet eventus rei,
Sunt iuſtiore ponderanda examine
Momenta rerum: ſcilicet prudentia
Spem cauta vanam tollet, aut metum tibi.
Si difficultas, aut tua imbecillitas
Diiudicare cuncta non permiſerit,
Timere quam ſperare conveniet magis:
Sic laetiorem cernes, aut triſtem minus,
Quicumque tandem te exitus deprehenderit.
Excidere ſatius eſt metu, quam ſpe ſua.

Animi continentia. XXVIII.

His imperare maxime rebus decet,
Animum quibus ſervire ſit turpiſſimum;
Qualis voluptas, iraque, & lucrum, & dolor,
Hoc conſequetur qui voluptati ſuae
Servire pravae grande cenſebit probrum,
Cum iura ſervis dictet, & poſſit necem.
Lucrumque, quicquid gloriae eſt, exiſtimet:
Et ipſe ſervis donet iratus ſuis,
Quod laeſa propriis iura peccatis velit.
Adflictus alios ſpectet, & ſortem ferens
Homo eſſe cogitet & ſtatera miſeriae.

Offenſo ne fidas. XXIX.

Sermone quem tu cumque vel re laeſeris,
Cave favere rebus ut credas tuis.
Quin nutrit iram, ſeque vindictae parat,
Quam ſors dabit, tuaeque ſimplicitas fidei.
Offenſa quamvis ſit levis, tu ne putes:
Nam nemo parvam iniuriam cenſet ſuam.

Regum ira. XXX.

Intra potentis quiſquis aulae limina
Tranquillus optat terminum contingere
Currentis aevi, regis animum maximo
Cavere ſtudio debet, & cauſſam mali.
Namque illa ſemper tanta maieſtas, ſui
Vix ipſa compos, digniorem ceteris,
Quantoque maiorem eſſe perſuadet ſibi,
Plus in minores triſtis offenſae capit,
Errore vel ſi quiſpiam irritet levi.
Attollitur que, cumque magnitudine
Adſurgit ipſa, & occupat faſtigium,
Celſaque ſaeva ab arce torquet fulmina.

Animi libertas. XXXI.

Si quando ſummam civibus cladem tuis
Parabit hoſtis, & cruento patriam
Tondebit enſe, triſte mißurus malae
Ingenua colla ſervitutis ſub iugum,
Animum memento liberum ſerves tamen,
Mille hic ſolutus regnat intra vincula.

Convivia ſobria. XXXII.

Tam ſumtuoſa quo ſtruis convivia,
Menſaeque faſtum? gratiamne impenſae habent?
Si das amicis, quidlibet fuerit ſatis,
Si non amicis, quidlibet iam plus ſatis:
Sed non amicis, at tibi; & debet miſer
Tuam perire numus in libidinem.

Vis clarus aliis optime dici tuas
Parare coenas? esse frugalis velis.

Dediſce vitia. XXXIII.

Diſcenda multi multa proponunt ſibi,
Et hic fatigant ſtudia non ſegnes ſua.
Scis diſciplina quae omnium ſit maxima,
Suprave quodvis laudis aſcendat decus?
Dediſce temet, vitia deponens tua.

Decorum ſerva. XXXIV.

Patrabis unquam quicquid, accedat decor:
Sal actionis ille ſervat gratiam.

Principis munus. XXXV.

Cuicumque mundi culmen, & rerum dedit
Fortuna habenas, publicae potiſſima
Tibi quietis & ſalutis cura ſit.
Hic eſſe finis imperii debet tui:
Hoc eſſe firmum robur imperii ſolet.

Obedientia ſubditorum. XXXVI.

Imperia populus principis laetus ſui
Faciat neceſſe eſt abſque contumacia.
Bonum ſibi ſi cupiet, & bonum ſuum.
Hoc univerſa ſtudia conſiſtunt loco,
Reique ſumma publicae felicitas.

Iudicis officium. XXXVII.

Oblata primum nemo Iudex crimina
Damnabit unquam, quin perito examine
Cauſſae tenebras cautus excutiet ſuae.
Nam, ſi negare ſufficit, nemo eſt nocens.
Si ſufficit deferre, nemo eſt innocens.

Crudelis misericordia. XXXVIII.

Quid molliore mitior ſententia
Iudex remittit facinus admiſſum reo;
Nempe ut remittat ipſe nequitiam ſuam?
Inhaeret imis triſte viſceribus malum,
Raroque quiſquam vitia declinat ſua.
Sic, dum veteribus parcit, invitat nova.
Ah ſaeva nimium eſt iſta miſericordia,
Benigna quae putatur, & laedit magis.

Rerum ſtatus. XXXIX.

Nonnnulla fieri non niſi cito queunt;
Nonnulla rurſum non cito fieri queunt;
Nonnulla, ſemper cum queant, numquam volunt.

Impunita adoleſcentia. XL.

Prolis pater delicta diſſimulans ſuae,
Indulget aevo lenis, & parcit minis,
Poenaeque verum neſcit imprudens ali,
Impune tenerae quicquid aetati datur.
Natura vitiis perdita adludit ſuis;
Quae ni ſevera Ratio caſtigat manu,
Annis adhaerent, & ſequuntur iam viros.
Sic nempe ſerpens, qui prius lentum trahens
Negligitur agmen, mox timetur regulus.

A

Falſa inconſtantiae nota. XLI.

Quam facile populus, arbiter rerum malus,
Adſingit aliis crimen inconſtantiae,
Nec quaelibet momenta diſcernit ſatis.
Si quis tyranni preſſus imperio gravi
Neceſſitatis ſemet aptet legibus,
Non ecce levior ille cenſendus tibi.
Quicumque facere poſſit hoc, magnanimus eſt.

Luxus virilis intolerandus. XLII.

B

Si feminarum luxui ignoſci poteſt,
Quas mentis omnes imbecillitas, vetans
Ad ſtudia curas adplicare ſeria,
Incurioſum tradidit cultum ſui:
Quis o virorum ſubſtinet cauſſam color,
Sanctaeque diverticula continentiae?
Illos monere debuit Virtus ſua.

Mortis non cauſſae. XLIII.

C

Perſaepe triſtis cauſſa leti credita eſt,
Quae non mereri poterat invidiam rei,
Titulumque fati multa non recte occupant,
In tempus illa rectius mortis putes
Incidere forte, quum maligne arceſſere.
Subinde cauſſis nempe ſecretis venit
Extremus aevi terminus mortalibus.

Odia ne alas. XLIV.

D

Quid odia vecors mente non ſana geris,
Violenta quae ſcis abſque tormento tuo
Nunquam eſſe poſſe? nam dolorem, quem male
Inferre cupiunt alteri, ferunt prius,
Sollicitas qui ſpes ultionis impleant.
Non illa cum Virtute debebant tuam
Dividere vitam, tuque ut admittas cave.

Tyranni ultio. XLV.

Ad iuſſa ſtulte quid tyrannorum tremis,
Animique vivis non ſatis compos tui?
E *Vindicta certe maxima in nobis ſita eſt.*
Cogunt timere? odiſſe rurſum poſſumus.
Iuſta odia ſuperant omne vindictae genus.

Amicum caſtiga. XLVI.

Peccare amicum ſi quid adgnoſces, mone:
Hic eſſe fructus illi amicitiae tuae
Debet profecto, quem libenter ſolveris.
Reprehenſa facile vitia compeſcas ſemel;
Silentio tranſire, robur addere eſt.

F

Errori ignoſce. XLVII.

Qui fortuitae plus ſat offenſae tenax
Negare amico debitam veniam potes?
Non ſponte peccat error adductus mala,
Culpaeque ſemper implicatur non ſuae.

Moderatus uſus. XLVIII.

Stabilia quidnam dona Fortunae facit?
Moderatus uſus, quique conſiſtat tibi
Deſideri intra & ſatietatis terminos.

Sta-

Digitized by Google

Status mutatio. XLIX.

Ne, quem tu ab imo ad ſumma provectum vides,
Iniurioſus audeas contemnere,
Priſcaeque properes ſortis ad convitium.
Fortuna cui noverca damnarat prius,
Deinde virtus ſancta correxit ſtatum.

Avarus, & pauper. L.

Aequalis eſt profecto avarus pauperi:
Eſt alteri nil, alteri, quod eſt, deeſt.
Hunc ſors, at illum culpa corrupit ſua.

Severitas temperata. LI.

Severitatis numen in republica
Sanctum & verendum eſt, maximum legum decus,
Auctoritatis grande propugnaculum.
Sed frena rector animus imponat tamen,
Ne forte dirae, tramite excedens ſuo,
Crudelitatis vergat ad confinia.
Corrigere debet poena, ſed non ludere.

Dicteriis abſtine. LII.

Linguae impotentis abſtine dicteriis
Mordere quemquam, tutiora quae facit
Aliena virtus, providentia quam ſua.
Laudem ingeni fers? & feres animi notam.

Poenitenti ignoſce. LIII.

Quem tu odia noris mente truculenta diu
In te tuliſſe, moxque ſatiatum ſemel
Abiicere cernis, promtus ignoſcas decet.
Non viliorem debet adfectum tibi
Ingenua certe facere poenitentia.
Quem venia amicum fecit, ille eſt acrior
Cuſtos amoris, atque pertinacior.

In Deo ſperandum. LIV.

Quid caeca tenebris corda mergis, & ſolo
Hominique ſic ſpes ſtultus adfigis tuas?
Numen petendum, numen eſt: illinc venit,
Implere miſero vota quod poſſit tibi.

Aude uti tempore. LV.

Ad actiones otii quod ſubpetet
Impende gnavus; nempe ſic facillime
Cum laude finem rebus adduces tuis.
Feſtina recte non facit quicquam manus,
Invidia certe temporis miſerrima eſt.

Benigne iuva. LVI.

Iuvare ſi te forſan adflictos dedit
Vis dia poſſe, quod potes perfeceris
Vultu ſereno ſemper, & promta manu,
Nec ſupplicum ſpes differ in libidinem.
Plus miſera de te turba promittat ſibi,
Quam ſors timere cogat, & rerum minae.

Liberalitatis gratia. LVII.

Audire quiſquis liberalis poſtulat,
Et dona prudens atque donandos legat,
Aptumque donis tempus, & rerum ſtatum,
Animique honeſtam benevolentiam adferat,
Contemnet horum quidpiam? totum perit.

Amicus miſeri. LVIII.

Si vis amici gloriam ſancti tibi,
Apprehende durum tempus, & fati minas:
Felicitatis namque ridentis modo
Fortuna cultum blanda ſubſpectum facit.
Sors ipſa ſeſe laeta ſubſtentans ſatis,
Vt non requirit, ſic nec adgnoſcit fidem:
Sed fracta demum ſtudia poſcit, & manum,
Operamque recte ſic iuvantis aeſtimat.
Non eſſe amicus praeter adflicto poteſt.

Summa Virtutis ſpecta. LIX.

Spectare ſummum fas tibi faſtigium
Virtutis almae, quamlibet neget pedem
Protendere illuc hominis imbecillitas.
Vel media ſaltem conſequere facilius.

Paupertas exaucta. LX.

Avare cur non ſubficit cenſus tibi,
Et impia te voce quereris pauperem?
Tibi imputato, parce Fortunae tuae.
Vis ampliorem? maior eſt animo tuo.
Iniurioſa pauperemne te nimis
Fortuna fecit? ipſe te miſerum facis.
Dives quoque eſſe ſine pecunia potes.

Dona tenuiorum accipe. LXI.

Nunquam tu honeſtae tenue reiicias caſae
Munus, benigna mente quod ſcies dari.
Dat ille munus, quiſquis illius capit.

Moderata potentia. LXII.

Benigna magnam ſi tibi potentiam
Fortuna tribuit, ſaepe viribus tuis
Parcas neceſſe eſt, frenaque imponas tibi.
Si multa vis diu poſſe, multa non velis.

Aude aliquid eximium. LXIII.

Quamquam tenebrae diſtinent natalium,
Sordeſque generis, magna ſublimi potes
Spirare mente; namque quodvis poſſidet
Virtus cacumen, atque ſcandenti parat.
Si te in reducta valle Fortunae manus
Non aequa poſuit, ipſe te extollas licet.
Adſurgere aude, & forte ſis maior tua:
Magnanimus omnis ipſe Fortuna eſt ſibi,

Virtute ambias. LXIV.

Excelſa honorum quiſquis ambit culmina,
Virtute ſemper ambiat fretus ſua.
Nihil repulſae diſtat alienus favor.

Mors pro patria. LXV.

Animam ſaluti impende fortis publicae:
Quem ſic perire cernis, hunc naſci putes.

Nul-

Digitized by Google

Nullius conſilium ſpreveris. LXVI.

Nullius unquam ſpreveris prudentiam,
Seu ſervus ille, ſive ſit ſervo minor,
Attrita amictus ſive mendicus toga.
Non gemma namque lumen amittit ſuum,
Quamvis coruſco inſerta non ſit annulo.
Conſilia non ſunt ſortis, at ſapientiae.

Sta promiſſis. LXVII.

Quod dicere audes, & velis perſolvere;
Verbiſque ſemper facta ſuccedant vide.
Quod dixeris praeſtare nolle, infamia eſt
Linguae, atque fidei turpe naufragium tuae.

Vita. LXVIII.

Quid vita multis! nomen expers corporis:
Pleramque nigro ſomnus involvit ſinu,
Populator aevi, mortis effigies ſuae;
Quod reſtat otium omne corrumpit malum,
Teredo temporis, & Charybdis gloriae.
Virtutis eſt nil, omne debebat tamen.

Amici vitia. LXIX.

Peccantem amicum non ſtatim reieceris
Satis decore; vitia potius obprimens
Diſtinguat animus, atque poenas exigat.
Homo eſt dolendus, & iuvandus maxime,
Carnificis hoſpes ipſe miſerandus ſui.
Odiſſe propter vitia vitium maximum eſt.

Favor promovet. LXX.

Vbi publicarum caeca rerum poſſidet
Ambitio habenas, nulli Virtuti ſuper
Relicta ſedes; cuncta cedunt gratiae,
Locuſque merito nullus inſigni vacat.
Sis quod Cethegus, Sergius, quod Spartacus,
Caedemque dirus patriae ſpires tuae,
Tamen ſupremum tollet ad faſtigium,
Qui cardo honores unicus vertit, favor.

Vitae ratio. LXXI.

Conſtare cunctis ratio tranſactae tibi
Aetatis uſque debet: hoc Virtus iubet,
Et ſancta Honeſtas poſita ſublimi throno.
Imperia ſpernis, & recuſas obſequi?
Reddenda nulli eſt, ſi queas cuilibet.

Solve benemerenti. LXXII.

Cur debitam praeſtare gratitudinem
Segnis merenti nectis annorum moras?
Hoc eſt ſatorem meſſe fruſtrari ſua,
Beneficia prohibet, quiſquis ingratus capit.

Adoleſcentiam rege. LXXIII.

Inſtantis aevi dum tenes primordia,
Et ſpatia tenero prima decurris pede,
Aures habenis ſubde Virtutis tuas
Et frena ſequere; meta ſic vitae poteſt
Suprema tangi cum beatitudine.
Qui regere nec vult, nec poteſt, certo ruit.

Felicitas inſtabilis. LXXIV.

Quemcunque laeta ad culmen evexit manu
Fortuna ſummum, iamque mortales ſuper
Elatus omnes cuncta deſpectas ferox,
Ruas neceſſe eſt: utque vix molimine
Tuum occupaſti maximo faſtigium,
Sic te celer ruina praecipitem trahet,
Et hora totum parva corrumpet decus.
Sic nempe ſaeva torta ludentis manu,
Laſciva dum ſe tollit, & tentat polum,
Lapſu repente feſſa deſcendit pila.
Nec eſt ſtupendum: quippe Fortunae vehit
Quem dextra ſupra robur & fulcrum ſuum,
Volubilique leviter imponit rotae,
Non occupato ſcit loco conſiſtere,
Sublimitate tremulus & nutans ſua.
Quodcumque culmen & ruinae limen eſt.

Iacentem ne calca, LXXV.

Inſana vulgi turba, recti negligens,
Iniurioſo ſemper adflictum premit
Superba calce, ſerva Fortunae ſuae,
Terrae Megaera, Cerberus viventium:
Nec eſſe miſero ſubficit miſerum ſemel.
At o cavebis, quiſquis in terris tuum
Speras beatus terminum contingere.
Saevum iacenti quiſquis impingit pedem,
Plus ille laeſo ſumit irarum Deo,
Suaeque damnat improbus clementiae.

Tyranni iuſtitia. LXXVI.

Sua Tyrannus impotens potentia,
Virtutis omnis genitor & latro ſimul,
Saturnus olim qualis in prolem fuit:
Quo rege tempus aureum fluxit polo;
Suo ipſe figit omne ius arbitrio,
Et mox refigit: mens ei Aſtraeae eſt domus,
Peccatque numquam crimine in graviſſimo.
Sunt iuſta nempe cuncta, cui iuſtum eſt nihil.

Fides impolluta. LXXVII.

Non turpe quicquam feceris, non dixeris;
Aut ſponte prava, aut opibus adductus malis:
Servire nummo ſancta non debet fides,
Et maximus theſaurus innocentia eſt.

Invitus non innoxius. LXXVIII.

Delicta ſemper cuncta conſtanti neges
Animo neceſſe eſt, ſaevus intentet tibi
Licet tyrannus mille cruciatus, neces.
Quod te coactum poſtea dicas, nihil
Cauſſam iuvabit, nullus excuſet color,
Nullumque poenae cenſet invitum furor.
Cogine poſſit ille, qui poſſit mori?

Mens conſtet. LXXIX.

Quamcumque tandem perfida imponet tibi
Fortuna ſortem, mente ſis conſtans vide;
Conſilia caſus neu quis evertat tua.
Sapere in malis malorum id eſt remedium.

Prin-

Digitized by Google

Princeps ſol. LXXX.

Si forte rerum poſuit in faſtigio
Sors laeta ſummo, ſparge Virtutis iubar,
Orbique late oſtende radiatum caput:
Quod Phoebus aſtris, ſubditis rex eſt ſuis.
Nec criminum te nubibus condens decus
Illuſtre perde: ſorte ſis dignus tua.
Licere cuncta cui dedit Fors, nil licet.

Infortunii oblivio. LXXXI.

Oblivioſa laetus exſtinguas mala
Praeterita mente, facta ceu nunquam forent,
Ne quid recurrens gaudium turbet dolor.
Interque riſus, laetaque inter tempora,
Meminiſſe quondam ſortis, & fati aſperi,
Convitium ſit facere Fortunae ſuae.

Morbus medicina eſt. LXXXII.

Quam mira res eſt; optimi infirmi ſumus,
Quum membra languor frangit, & ſaeva manu
Imbelle molli corpus affligit thoro.
Non tunc avara profuturo iam nihil
Spes inhiat auro: nulla deiecto nimis
Libido mentem furiat inſana face;
Invidia nulla, liber, evectus ſupra
Cacumen omne, ſeque maior, deſuper
Oculo impotentem deſpicit factum gravi;
Damnatque honores, vota iam pridem ſua:
Caelum requirit totus, & caeli Deum.
Sic nemo recte praeter aegrotum valet,
Morbuſque vitae ſanitas certiſſima eſt.

Aegre crede quod maxime deſideraveris. LXXXIII.

Dum caeca nullo termino mortalium
Cupido mentem verſat, atque inanium
Late procaci diſticit rerum ſalo;
Fortuna ludens ſaepe promtam porrigit,
Similis daturae, moxque ſuſpendit manum;
Et facile credit, qui nimis deſiderat.
Vix crede votis, tutior fuerit fides.

Potentes ne laceſſe. LXXXIV.

Vt nauta vaſto dirigens ponto ratem,
Vitat procellas cautus, & ſcopulum dolos,
Periculorum ut ſalvus evadat minas:
Sic qui beatus, mente compoſita, ſibi
Tranquillitatis aureae optans tempora,
Gravem potentum triſtis offenſam timet,
Nulli moleſtus ſtimulet iracundiam.
Quod dare cavebit ipſe, nullus ſumpſerit;
Nec ille demum, qui nec irritat, timet.

Parce tempori. LXXXV.

Quid ſegnis anno perdis, & nummi tenax
Profundis aevum; prodigus parcus ſimul,
Monſtrum biforme, quale Theſſalicis iugis,
Vel Daedaleo priſca clauſum carcere
Videre ſecla. Quaeſo, corrige calculum,
Et vera diſce pretia rebus ponere.
Hoc unum honeſtum eſt, eſſe avarum temporis.

Mores perſuadent. LXXXVI.

Suadere quiſquis civibus cupiet ſuis.
Virtutis ipſe nomen & cultum ferat:
Nil ille certe cuipiam perſuaſerit,
Orationis vita ſi perdat fidem.
In moribus ſuadela, non lingua ſedet.

Eſſe velis, non dici. LXXXVII.

Quicumque diae grande Virtutis cupis
Audire nomen, & probus dici omnibus;
Hoc ſis, quod optes nominari. Scilicet
Nonnemo famam callidus fallit ſuam.
Iudicia debent ſubſequi, non ducere.

Delibera. LXXXVIII.

Conſideratam ſemper actionibus
Intende mentem, quicquid inſtitues rei,
Momenta rerum cuncta perpendens ſatis:
Si vota nunquam caſus eludet tua.
Deliberatio temporis perdit nihil,
Moraque in iſta celeritas tutiſſima eſt.

Sortis varietas. LXXXIX.

Si te bearit blanda fallaci manu
Fortuna, tu ſpem tempera fraudis metu.
Nuſquam fugacem ambigua deſigit pedem,
Nunquam fatigata impetu fertur ſuo.
Non venit ad te certa ſedem ponere,
Aliunde profuga at obvitum invenit ſibi;
Currit que ſemper atque permutat viros.

Irata potentia. XC.

Vitanda ſemper ira cuivis, maxime
Queis poſſe multum publica in re contigit.
Auctoritate namque ſi munita ſit,
Acerba multo ſaevit impotentius.
In ſorte tenui grande detrimentum habet.

Adulationem vita. XCI.

Blanditur animo turpis adſentatio,
Nec invenit, quem quaerit, in nobis modum,
Cum ſpatia demus termino carentia.
En ſine pudore ſaepe rem falſiſſimam
Audimus omnes, cumque nos longiſſime
Abeſſe facto. ſcimus, accipimus tamen,
Et verſipelles nomen induimus bonum.
Claudamus aureis, atque diſcamus ſemel
Verbis negare blandientibus fidem.
Attende fraudem, deque perſonam trahe;
Vultus videbis tela ridentis tibi:
Populatur animum, vimque conſcientiae
Facit. Tyrannis, omnium iſta maxima eſt.

Contemne iraſci. XCII.

Aut ira digna naribus ne ſit tuis,
Aut neminem ira cenſeas dignum tua,
Sola haec ſuperbia adfert laudem tibi.

Omnia caduca. XCIII.

Quaecumque mundus continet, Phoebus videt,
Con-

Digitized by Google

Conſumet aetas: eſſe nil tutum poteſt.
Et ipſe mundus iſte, cunctarum ſinus
Hoſpeſque rerum, ſubiacet fato pari.
Quin aſtra ſcandet, & ſuo Phoebum polo
Deripiet audax; cardine excuſſus ſuo
Aether ruina praecipite terras premet.
Hoc univerſum nempe ſpolium eſt temporis.

Nec laudes cito, nec damnes. XCIV.

Non facile primis credulus rumoribus,
In facta pronus ullius laudem feras,
Iniquiorve dentis infligas notam:
Differre namque quiſquis adfectum poteſt,
Iudicia ſemper profert certiſſima.

Diſſimula delictum. XCV.

Punire quamquam forte delictum queas,
Tamen ſubinde praeſtet ut conniveas.
Si ſcire te alter norit, id poenae eſt ſatis.
Neſcire velle quid ſit admiſſum rei,
Peccantis animo venia iucundiſſima eſt.

Libenter moriamur. XCVI.

Vitae ſupremus quum dies illuxerit,
Et dona magnus repetet a nobis Deus,
Animus querelae parcat, & reddat libens,
Quod commodato noverit ſolum datum.
Diſpenſat annos arbiter doni ſui,
Quum vult repoſcens, omnibus iuſtus tamen.
Conceſſa prompteque & libenter reddere,
Eſt gratiarum non leviſſimum genus.

Tibi ne ſervias. XCVII.

Quicumque rapido ad ſumma feſtinans pede,
Felicitatis culmen in ſceptro putas,
Erras profecto eſt aliquid auguſtum magis,
Omnique regno maius. Adfectus rege;
Sublime reges efferes ſupra caput.
Adfectibus quicumque ſuccumbit ſuis,
Late patentem terreat mundum licet,
Dici ille quovis iam minor ſervo poteſt.
Servire ſibimet ſervitus turpiſſima eſt.

Pravitas humana. XCVIII.

Quid vitia pravus ſemper excuſat ſua,
Animique vires queritur imbelles nimis?
Naturae iuſtum cuilibet robur dedit;
Vtatur illo, ſeque defendat, poteſt:
Nam nemo vitiis, quiſque ſuccumbit ſibi,
Quod ipſe nolit, poſſe ſe mendax negat.

Occaſionem adripe. XCIX.

Ad res agendas, ſi paratus, tempore
Vtare primo. Neſcit hoc libidini
Parere noſtrae, ſeque votis reddere.
Procurrit ultra ſemper, & pergit viam,
Semelque preſſa deſerit veſtigia.
Tantum imparatus temporis perdit nihil.

Adverſa patere. C.

Si dura ſaeva vulnus infligat manu
Fortuna, variiſque aſperet ſortem modis,
In te remedium eſt, ipſe medicus ſis tibi.
Non quidpiam durum eſſe niſi molli poteſt.

De Miſeria temporum Iambi.

In D. HEINSII gratiam conſcripti; quum Auriacum ſuam ederet.

SOL, ocule caeli, temporis cani pater,
Orbem citato flammeum curſu vehens,
Inane vaſtum per micantis aetheris,
Necdumne abhorrens tot videre triſtia
Stas irretortus, os & adverſum tenes?
Non aureum te, at ferreum mortalibus
Putare fas; miſerrimis mortalibus.
Natura mollia dedit auro pectora,
Non vim proterviamve ſubſtinentia
Vllius unquam: vim pati, ac proterviam,
Et non moveri, convenit ferro truci,
Quod Mulciber, quod triſte Cyclopum genus,
In officinis uſque mulcet Laemniis.
Ergo ille mundi rector & ſpecimen ſui,
Proles Tonantis atque imago maximi,
Cui cuncta prono ſerviunt faſtigio,
Et uſque & uſque preſſus aerumna gravi,
Acerba ſemper experitur munia
Inſontis aevi? Phoebe fers haec, & vides?
Ah dure Phoebe, Phoebe dure, quamdiu?
Averte vultus, nubibus denſis caput
Atratus infer, & dolori lacrimas
Teſtes doloris funde perpetes tuo.
Et tu triformis Luna, fraternos age
Imitare luctus, regna Noctis abiice.
Peritura ſemper quid reſumis cornua,
Et damna toties te fatigas in nova?
Quin pone curas, & quieſce, taedeat
Aliquando tandem vivere in mortem tuam.
Ducem requirat orba ſtellarum cohors
Errans tenebris inviis, & ſemita
Coeca viarum, non ſuum tenens iter.
Obductus aether igneas condens faces,
Quarum benigno ſuevit orbem lumine
Luſtrare laetus, ſaeculorum millia
Fleat, pluatque triſtis ipſe gurgite
Dominator alti, ab infimo Nereus feret
Opem, ſuoque humorem ſtentem nutriet,
Ne ſit dolore luctus improbo minor.
Confundat & ſe, quicquid uſpiam latet,
Hominiſque doleat fata, fata triſtia,
Indigna fata ſorte tanti principis.
Quem Parca magnae deſtinarat arbitrum
Telluris huius, quem profundi, & mox poli.
Deiectus ergo ſede regia iacet,
Ille ille princeps, iura rebus antea
Dictare natus omnibus miſer iacet.
Tenent habenas quae tenere neſciae,
Curae, labores, lacrimae, aerumnae, doli,
Ambitio, viſque iniuriae, periuria,
Vindicta trux, invidia, & irae plumbeae,
Scelus, nefaſque, & quicquid atram trans Styga
Peperere Furiae prolis infeſtae, malae.
Moderamine iſto talibuſque legibus,
Regnatur orbis; hiſce dominis ſubditus
Subſpirat alte, & optat antiquum chaos,
Geſtit perire, fataque incuſat ſuis

Ignava

Digitized by Google

Ignava votis, ſeculum momenta ſunt.
Ad prima tantae machinae incunabula
Imperia reges gentibus dabant ſuis
Honeſta, mitia: nulla vis, iniuria,
Non ambientum faſtus, aut ſuperbia
Populos premebat, & ſacrum cunctis erat
Nomen tyranni neſciis tyrannidis.
Non legibus quiſquam teneri, principum
Arbitria leges promtius parentibus:
Rex pro parente ſubditi pro liberis,
Regnum familia, regium in regno nihil.
Auguſta ligno ſceptra fiebant rudi,
Armenta queis nunc terreat paſtor ſua.
Corona non auro gravis, nec iaſpide,
Sed lana mollis ambiebat verticem.
Integritas o ſancta, & o ſimplex fides?
O terror iſte qui timendus nemini,
Et faſtus, in quo diceres, faſtus nihil.
Suum cuique erat ſatis: non patrios
Proferre cura, non cupido terminos.
Quod quis teneret hoc putare ampliſſimum.

A *Non quaerere ultra quidpiam, nec ſanguine*
Contaminare iuſta patrimonia.
Speciem univerſi cuncta complexu ſuo
Habere, & omnem parva mundum patria.
Beata ſecla, ter, quater? ſecla aurea!
Sed haec fuere, ab, ah, fuere. Nunc miſer
Rotatur orbis, ſiſtiturque in verticem,
Pendetque praeceps, atque in ima Tartara
Metuit ruinam, molis haud ultra potens.
Et ille preſſis caelifer veſtigiis
B *Excuſſus Atlas, dente terrarum ſola*
Iam provolutus mordet, & caſum gemit;
Coelumque, quamvis fornice adſtrictum ſuo,
Vix ſuſtinens ſe mox premet tibicinem,
Hoc ergo rerum, Heinſi, atque temporum ſtatu
Apte cothurnum pedibus imponis tuis,
Belgique turbas ore ſublimi canis.
Quin laxiore Muſa ducat tramite
Poſthac euntem, ſume quicquid obvium.
Habebis iſto ubique dignum Carmine.
Tragoedia *aetas omnis, omnis orbis eſt.*

IOANNIS MEVRSII
ELEGIARVM LIBER I.

Ad Phoebum.

ELEG. I.

PHoebe pater, ſeu tu gaudebis Apollo vocari;
Dic, agito, inſuetum quis novus aeſtus agit?
Neſcio quiſnã animũ grandis mihi ſpiritus implet,
Labitur aut ſubitus caeca per oſſa calor.
Ille ego qui ſtudiis olim gaudere ſeveris
Nunc tua neſcio qui miles in arma feror.
Nunc iuvat ire ubi mens, alto contermina coelo,
Libera ſubiectam ſpernere poſſit humum.
Ire iuvat nunc qua Parnaſſus in aethera ſurgit,
Aſtraque ubi biſido vertice celſa ferit.
Conſpicere & Muſas hilares agitare choreas,
Atque patri laetas ducere feſta Iovi.
Feſta ad quae totus deſcendit Olympus, & inter
Virgineos fallit tempora lenta choros.
Hic iuvet, hic annos optem inter gaudia divum
Segni devolvat ſtamine Parca meos.
Aut ego virginibus permiſtus fata laterem
Aeternis, neque mors hoc ſciat atra caput.
Neve Deos inter crudeli poſcerer Orco,
Inveniamque inter numina numen ego.
Sic Maro grandiloquus coelo, Flaccuſq; lyrae rex
Sic potuit vatum tot pia turba frui.
Phoebe pater monſtra quae me via ducat euntem,
Quaeve ſacrum ad montem ſemita tollat iter,
Ne vager incerta dubius regione viarum,
Votaque cogantur fine carere ſuo.
Sic mihi divinam contingat mandere laurum,
Sic mihi cum magnis vivere coelitibus.
Scilicet eſt aliquid vitam non tradere morti,
Eſt aliquid menſis accubuiſſe Deum.
Et fama ſuperare polum, & mortalia cuncta
Linquentem a ſera poſteritate coli.
Paſcitur his animus, ſpondetque haec gaudia nobis:
Illudit vatem mens niſi falſa ſuum.

C *Sed non illudit, neque enim praeſagia certe*
Vlla ſolent vates fallere, Phoebe, tuos.
Phoebe velis operi coepto adſpirare ſecundus;
Phoebe fave precor, & da mea vota mihi.

Ad Nobiliſs. Ampliſſimumq; Virum

PAVLLVM CHOARTVM

Buſanvalium Chriſtianiſs. Gall. Regis apud Ill. Ordd. Confoed. Provinc. Legatum abeuntem.

D

ELEG. II.

ERgo vocant magni te, Paulle, negotia Regis,
Galliaquet, haud noſtro nunc adeunda pede!
Gallia te voca? ah, crudelis Gallia. Certe
Debuit officiis mitior eſſe tuis.
Paulle decus Gallorum, invicti gloria Regis,
Paulle o Bataviae ſidus honoſque meae.
E *Paulle decus Muſarum, & Phoebi numine digne,*
Aonias quando deſeret ille deas.
Sic iubet a nobis diſcedere ſumma voluntas,
Nec tibi fas tanti ſpernere iuſſa Dei?
Vellem utinam morbo poſſes deiectus oborto,
(Condona adfectus impia verba pii.)
Et revocare pedem, nec iuſſa ad regna venire,
Languida ſic noſtro reddere membra ſolo.
Tu mihi calcar eras, ſtudiis tu maxima noſtris
Fax, a Phoebea lampade lumen habens.
Tu pretium ſtudiis, irritamenta laboris
Ingenui, laudes ponere doctus eras.
In ſtudio mihi tu Muſarum accendere curſum,
Nullaque meta nimis te duce longa fuit.
Currebam, plenoque gradu ſpatia ampla tenebam;
Nec pes, nec poterat ſpiritus eſſe piger.

Digitized by Google

Ah, misero segnis nunc pes, nunc spiritus haeret,
Atque aegre tardo nunc libet ire gradu.
Parva tamē mea damna, animo & meliore ferenda.
Patria perpetitur sed graviora magis.
Consilio cui solerti prodesse solebas,
Solamen duris & dare temporibus.
Auxilii largus cui commoda tanta dedisti,
Solicitus Regis flectere corda tui.
Maesta tibi passis en crinibus obvia fertur,
Et tentat profugum sistere blanda pedem.
Paulle mane, quid Paulle fugis? vestigia retro
Collige, & in Batavis Paulle manere iuvet.
Adspicis obducto ut stet Phoebus in aethere vultu:
Et coelum triste est, & sua damna gemit.
Si tamen is, nec te retinent aut vota, precesve;
Det facilem salvo Iupiter usque viam.
Aeolus & ventum dimittat carcere, puppi
Et sternat Nereus aequora prona tuae.

Hymnus in Craterem.

ELEG. III.

ADsis laetitiae Bacchus dator Evius, audi
Carmina Crateri quae sacra fundo tuo.
Bacche fave, Cratera cano, tua gaudia Bacche,
Gaudia solicita quae premis usque manu.
Nec tua sola tamen; sunt cetera numina caelo,
Esse quibus certe maxima cura solet.
Iupiter inprimis hominum pater atque deorum
Diligit, & quovis tempore Sospes adest.
Sic soror & coniux Iuno regina Tonantis,
Sic Horae, Genius, Cypria, sic Charites.
Alma Ceres flava frontem redimita corona
Eius ab augusto nomine nomen habet.
Et iuvat impositi Crateris sarcina divam,
Decrepitos patres ut pia portat avis.
Illum etiam fessos prono temone iugales
Oceani mergens gurgite Phoebus amat.
Cumque illo degens tenebrosae tempora noctis;
Currum iterum nolit ducere, nolit equos.
Saepius incusans Auroram, amplexibus istis
Invida de gremio quae ad sua lora vocet.
Non in amore minor tanto Cyllenius ales;
Nomen ei certe dividit ille suum.
Mercurii & dîos cum nomine donat honores,
Atque novi patitur libera regna Dei,
Semineciſque probat moderantem frena quietis,
Laeta homini placida somnia nocte dare.
Et forti Alcidae comes indivulsus adhaeret,
Advexit postquam littus, Ibere, tuum.
Omnibus in pretio est, & amatur ab omnibus idem.
Deque suo largi numine dona ferunt.
Hinc tanta augusto vis, & reverentia vultu,
Ebrietas illi binc tam grave crimen habet.
Et nimium saevae metuendus fulmine dextrae,
Supplicio sontes territat usque truci.
Sed sontes tantum: humanis nam coetibus inter
Errat, & in meritos mitia corda gerit.
Blanda illi facies, numen sine nomine credas:
Sic posito nullus fulmine terror inest.
Gaudet temporibus laetas inducere frondes,
Et capiti pendet grata corona sacro.
Et toties teneris offert se ad basia Nymphis,
Inque vicem toties basia mille capit;
Nec metuit virgo lasciva per oscula culpam,
Absque metu casto dividit ora Deo.

Et placet, & multum laudatur moribus istis:
Tutaque simplicitas, & sine labe nitet,
Nec sola hoc virgo, sexus facit omnis, & ordo:
Haec sequitur certo gratia ubique pede.
Diis etiam gratus coelestibus utitur aulis,
Atque Deum in mensis fercula lauta secat.
Ille diis tenui nectar diffundere labro,
Et coelo lethum sic prohibere solet.
Ille vetat solus ne numina tangere summa
Audeat, atque ipsum Parca necare Iovem.
Pro quibus officiis, Consente probante senatu,
Sedibus invexit Iuppiter aethereis.
Nunc septem vasto iactat, se in fornice stellis,
Atque inter magnum sidera numen habet.
Et medius cancrum inter, magnanimumq. leonem,
Accendit claro lumine Noctis iter.
Temporibus priscis rigido simulacra dicabat
E cornu pia, sed rustica, simplicitas.
Verum tunc pretio censeri cornua magno,
Divitibusque boves mos numerare fuit.
Posteritas locuples, auroque, & iaspide fulva:
Vtraque sic tanto numine digna dedit.
Quin nulla ut possit divini debita cultus
Eiicere ignara mente proterva dies.
Visum est natorum monumenta relinquere natis,
Et placuit multis figere signa locis.
Atque cavo quicquid se diduxisset hiatu,
Illius est iussum nomen habere sibi.
Illyricum ante omnes terras, cum coniuge dulci
Cadmus Agenorides qua tumulatur humo.
Mille sonant linguae Craterem, iubila mille:
Et celso fugiens aethere clamor abit,
Et penetrant coelos, & laudant iubila coeli;
Ista hominum gaudent & pietate dii.
Crater te veneror, divorum maxime Crater:
O curas animi docte necare graves.
Da mihi securo constanti gaudia dextra,
Da mihi felici stamine vita fluat.

Querela Phoebi.

ELEG. IV.

NOx erat, atque inter fulgentia sidera Phoebe
Currebat solito tramite noctis iter.
Et iam Luciferi clarus Nocturnus honore,
Divae mutato praevius ibat equo.
Atque Aurora polo niveis invecta quadrigis,
Immani lucis voce citabat herum.
Ille arctis fuscae Noctis complexibus haeret,
Vix ipsum sese, vix sua regna memor.
Nescit ubi curru pridem descenderit aureo,
Nescit quo celeres gramine poscat equos.
Vnde vocet nescit, vel quo clamore sequantur,
Exciderunt animo nomina nota suo.
Illa tamen voci nil, aut clamoribus ullis
Parcit, equos etiam ad prisca lupata vocat.
Aethonaque, Pyroenta sonat, rapidumq; Phlegonta,
Et melius Phoebo nomina cuncta tenet.
Hi fata incusant pertaesi sortis iniquae,
Improbus exagitet quod sine fine labor,
Damnant aeternum coeli per inania cursum,
Immensam toties & piget ire viam.
Et vellent duro subducere colla capistro,
Nullaque ductoris flagra timere sui.
Ipse etiam invitus tam grata cubilia linquens
Phoebus, ait, quo me, quo mala fata trahunt?
Ergone

Digitized by Google

Ergone praecipitem ſemper volvenda per axem
Incumbunt orbi tempora lenta meo?
Ergone ſublimes per coeli auriga receſſus
Impellam trepidos ſaevior uſque feros?
Iuppiter immiti poteras me ſolvere cura,
Ferre alium temo poſſet & iſte pedem.
Adverſum quandiu ſcandet mihi currus Olympum,
Et pelagi vitreas pronus aduret aquas?
Siſyphus Aeolides recidivi grandia ſaxi
Pondera defeſſa verſat agitque manu.
Non mea ſuppliciis iſtis leviora putanda;
Torqueor infelix ſed meliore loco.
Me miſerum coelum, nigra illum Tartara vexant,
Sed levior coelo non mihi poena venit.
Orbem ego perpetuo cogor, ſaxum ille rotare:
Aeque difficilis laſſat utrumque labor.
Dii mihi dent ſaxum, tibi dent conſcendere currum,
Aeolides ego, tu, Siſyphe, Phoebus eris.
Ah, quoties alto deſpectans culmine terras,
Et timeo, & vellem non tetigiſſe rotas.
Quin etiam Tethys, pronas agitare quadrigas
Quum videt, in praeceps ne ferar ipſa timet.
Volvitur adſidua rapidum vertigine coelum,
Sidera praecipitique agmine celſa trahit.
Nitor in adverſum, & celeri contrarius orbi
Evehor: ah, quantum res habet illa metus!
Adde quod inſidias inter, triſteſque ferarum
Formas, horrendum perſequor actus iter.
Iamque per immanis proficiſcor cornua Tauri,
Aemoniique arcus tela tremenda mihi.
Hic Leo terribilis rictum diducit, & ungue
Saevus in adverſos ire minatur equos,
Circuitu curvat longo ſua brachia Cancer,
Scorpius oſtentat quo metuendus erit,
Laetior Admeti ducebam armenta; gregeſque,
Illa mihi coelo paſcua grata magis,
Agricolas inter fallebam tempora tauros,
Taedia nulla mihi ruſtica vita dabat.
Saepe teres noſtros & canna ſonabat amores,
Grata meis gregibus ſibila, grata mihi.
Capripedes inter Faunos, & Naiadas inter,
Ludebam agreſtes inter Hamadryadas.
Parſque ſodalitii vivebam maxima tanti,
Hiſque ego numinibus numinis inſtar eram.
Quin adeo ſpecies mihi paupertate ſub iſta
Regni erat, & brutis iura ſevera dabam.
Inq; vicem ſceptri, quod cuncta armenta timerent,
Formidata pedi dextra tenebat onus,
Iupiter: excelſo terres tua numina coelo:
Meque ſuum timuit frondea ſilva Iovem.
At quid commiſi, vel quo te crimine laeſi
Iupiter, eriperes ut mea regna mihi?
Meque ex immitis dominae pendere iubberes
Nutibus, immeritum ſaevaque regna pati?
Illa vigil, nimium grandaevi exoſa cubile
Coniugis, exoriens me citat ore gravi.
Et rauco ingeminans poſcit clamore quadrigas,
Et vocat horrentes ad ſua frena feros.
Quod ſi me imperio fas eſt ſervire ſuperbo,
Et famulo Aurorae me pede terga ſequi.
Hoc ſolum miſero votum concede roganti;
Iuppiter exaudi, non ego magna precor.
Segnior ut fugiat thalamos Aurora maritos,
Priſtina decrepito tempora redde ſeni.
Aut rege ſubiectas hiberno ſidere terras,
Et noctis longas det mihi bruma moras.
Laetior aethereo poſthac in fornice curram,
Et minus imperiis ſaeviet illa ſuis.

In Auguſtiſſimum Opus

INSCRIPTIONVM ANTIQVARVM,

Id eſt, Romam redivivam, auſpiciis Ioſephi Scaligeri, & Marci Velſeri, opera Iani Gruteri.

ELEG. V.

LAetior immenſum Titan percurrit Olympum,
Accenditque ſuo clarior igne diem.
Nulla tegit nubes, patet undiq; & undiq, coelum,
Lunaque inoffenſo lumine nocte micat.
Inſolitamque aether lucem miratur in axe,
Et facie cerni liberiore iuvat.
Et ſtupet, & neſcit quae ſortis cauſa benignae;
Vnde ſibi veniant gaudia tanta latet.
Sed novit Phoebus, neque enim res fallere certe
Vlla poteſt coeli numina, cuncta vident.
Adſpicit excelſae rurſum poſt ſecula Romae
Magna per artificem ſurgere tecta manum.
Et totum priſcis regnatum legibus orbem
Auſoniae domino ſubdere colla iugo.
Scilicet id gaudet, perque aethera vectus apertum
Gratatur Romae priſtina regna ſuae.
Iupiter aeternam Veneri promiſerat Vrbem,
Caeperat ille tamen poene carere fide.
Nam miſere collapſa, ſuaque ſepulta ruina
Poſſe caput nunquam tollere viſa fuit.
Quaeque tot adtulerant extremam gentibus horam,
Fata timebantur conteritura ſemel.
Et merito; ſi non aut enthea Scaligeri vis
Labentem promta ſubſtinuiſſet ope.
Aut tua per ſeros pietas memoranda nepotes,
Maxima Vindelici gloria, Marce, ſoli.
Aut etiam flagrans ſolertis cura Gruteri,
Quem tenero eduxit Calliopea ſinu.
Nunc erit auguſtos iterum cognoſcere faſces;
Nota iterum trabea, & ſella curulis erit.
Sanctaque diſcentur venerandi iura Senatus,
Roſtraque linguarum nobilitabit opus.
Cernentur currus cum tot victoribus alti
Ardua Tarpeii ſcandere templa Iovis.
Rurſus ad antiquas deſcendent numina ſedes,
Ac coelum in ſeptem montibus eſſe putes,
Quaecumque & domina miramur in Vrbe fuiſſe,
Nunc iterum ſeſe conſpicienda dabunt.
Felices animae quorum virtutibus iſta
Praemia nobilibus fata dedere pia;
Debeat ut veſtrae pietati Roma ſalutem,
Et veſtrum teneat manus in imperio.
Suetaque quae dominos antehac adgnoſcere nullos,
Sit dominos poſthac vos habitura ſuos.

Hymnus in Arborem.

ELEG. VI.

ARboreas verſu laudes, & commoda dicam,
Quae ſolet exanimis vivaque mille dare.
Huc Dryades, & vos ſilveſtria numina laetum
Ferte pedem Satyri, veſtra ego regna canam.
In veſtra iuſſit tutela creſceret arbor
Iuppiter; haec veſtro pectore cura ſedet
Veſtra hic aula patet, coelo regnatis in iſto:
Laedere non pater hic audeat ipſe Deum.

Digitized by Google

Grandia ſolicito voſmet date verba Poetae,
Vt digno veniat carmine tantus honos.
Imperium ut diſcat, maieſtatemque verendam,
Mortali teritur qua pia terra pede.
Crebrior ad ſacras ſic hoſtia concidet aras,
Pluribus ardebunt maſcula tura focis,
Illa quidem varios forma pellexit amores,
Et ſummis etiam vivit amata diis.
Iuppiter in quercum celſo ſubſpirat Olympo,
Aeſculus at tantum huic invidet atra procum,
Iactat amatorem quoque populus infera Sancum,
Palladi grata olea eſt, vitis, Iacche, tibi.
Laurus Apollineo divina ſuperbit amore.
Horrida Gradivo fraxinus apta patri.
Et pia cupreſſus flens funere maeſta potentum
Atria tergeminae lurida cepit herae.
Ipſaque non etiam tenerorum mater Amorum
Tuta Venus, divae pectora myrtus habet.
Grandius hoc: grato degit Nympha hoſpita libro;
Viva vivit in hac, & moriente cadit.
Intrepida & coelo profert ſublime cacumen,
Imaque radicem Tartara fixa timent.
Et pluvias aeſtumque vetans mitiſſima frangit
Saevitiam Phoebi, ſevitiamque Iovis.
Hanc petit exanimis medio ſub ſole viator,
Membraque deficiens languida curat humi.
Huc avium coetus, huc bruta animantia tendunt;
Omnia ſunt huius vindice tuta manu.
Et patula tellus latet occultata ſub umbra,
Servans ſolicitis gramina laeta feris.
Iuſtaque ſuppliciis ſontes caſtigat acerbis,
Et rigida poenas fronte ſevera capit.
Iuſtitiaeque tenax eius reſpublica nomen
Diligit, & cultu ſimplice proſequitur.
Bella videt, perque hanc populo victoria fertur;
Grataque ab hac laetus praemia victor habet.
Bellaque mox damnans tranquillae nuntia pacis,
Sanguineis finem caedibus eſſe iubet.
Fidaque Caeſaribus coeleſtia limina ſervat,
Tutaque cuſtode hac ianua Pontificum eſt.
Et patrum, tenui debent qui nomina filo,
Et cubat in foribus Curia ſancta tuis.
Pallidus huic animi ſubſpiria credit amator,
Et dominae in tenero cortice nomen amat.
Illa ſecuturo faciles promittit amores
Tempore, ſic miſero triſtia corda levans.
Quum chaos antiquum fugiens emergeret orbis,
Phoebus & ignota diſceret ire via.
Nutriit adſiduo mortalia ſecula fructu,
Functa piae matris munere, functa patris.
Candida ſimplicitas nullius conſcia fraudis
Tunc homines inter numen habere ſuum.
Nec placuit quicquam niſi quod ſuaderet honeſtas,
Et rectum ſemper velle cuique fuit.
Non poſitae nullo pollutis crimine leges,
Nullaque peccati poena timenda viris.
Proxima diis Virtus in terris regna tenebat,
Aurea tunc inter ſecula mundus erat.
Poſt ubi flaventes Ceres edidit aemula ſpicas,
Et novus antiquo gratior iſte cibus:
Simplice non ultra ſatiabant fercula menſa,
Deliciae humanum corripuere genus.
Omnia peiorem coeperunt ſumere formam:
Vix Natura ſuum daedala novit opus.
Omnia veſanas intrarunt crimina terras,
Regnarunt nigrae de Stygis amne deae.
Victaque ſub ſceleris Virtus abitura triumphum,
Vincula non aequa conditione tulit.

Atque exoſa hominum ſedes Aſtraea ſceleſtas,
Ad coeli fugiens ſidera vertit iter.
Tunc primum ſaevas nutrix illa alma ſecures,
Tunc primum cuneos illa coacta pati.
Ardua quae ſtabat, triſti deiecta ruina eſt:
Cum gemitu ſenſit terra cadentis onus.
Sed neque ſic priſcum cum vita effudit amorem,
Manibus iniuſtae nec ſedet ira necis.
Quin placida pergit ſua munera reddere mente,
Ac veluti nullo crimine laeſa foret.
Et ſimul aeſtivas Capricornus contrahit horas,
Et languet rigido Phoebus in axe gelu;
Anxia proventu quod nutriit ubere quondam,
Impoſito humanum nunc fovet igne genus.
Temporaque aeſtatis ſolers fugitiva reducit,
Annum ſeminecem cum gravis urit hiems.
Aptat laſcivas ad fercula Perſica menſas,
Neu noceant mulcet cruda tepente foco,
Prandiaque in varios orbes diſſecta miniſtrat,
Atque avida ad faciles porrigit ora cibos.
Strata fatigati confectos excipit artus,
Et prohibet gelida membra ſedentis humo.
Vtque necet curas, & durae taedia vitae,
Nocte fovet ſomno triſtia corda levi.
Et dolet, & praefert ingentem in funere luctum,
Cuſtos atratis addita liminibus.
Elatum & Stygias comitatur maeſta ſub umbras,
Oſſaque ne caries exedat ulla vetat.
Eſt aliquid maius, quod fata benigna dedere;
Hoc ſummum certe ſit reticere nefas.
Hac ſine deſertus, moles & ſtaret inanis
Mundus; nulla domus, maenia nulla forent.
Neptuni rabiem, tempeſtateſque ſonoras,
Temnens ſecurum per mare carpit iter.
Et fera bella gerens hoſtilia littora vaſtat.
Et premit impoſito colla ſuperba iugo.
Et dominis totum ſubmittit legibus orbem,
Frena docet populos arctaque ferre ſuos.
Diva fave, pius en veneror tua numina vates:
Diva fave, precor, & vota benigna iuva.
Lucifer in noſtro teque Heſperus audiet ore;
Vnica perpetuum tu mihi carmen eris.

De amore Muſae, ſive Doctrinae.

ELEG. VII.

EXagitant variae mortalia pectora curae,
Vnaque vix ulli vota dedere dii.
Hic male ſub patrio contentus vivere coelo,
Diverſo fatuus ſidere mutat humum.
Errat per mare, per terras, ultroneus exſul:
Quaerit & Attalicas ſemper egenus opes.
Horridus hic ſequitur duri fera praelia Martis,
Atque tuba ſua ſub ſigna vocante venit.
Brumalique gelu, aeſtiv ſque caloribus, uſtus
Captat ab infeſta vulnera ſaeva manu.
Illum delectant faſces, ſellaeque curules,
Et quicquid cupidis tale miniſtrat honos.
Me non divitiae capiunt, non claſſica rauca,
Non ebur, aut trabeas ambitioſus amo.
Non alio terras quaero ſub ſole calentes.
Improbus audaci nec rate marmor aro.
Sed tranquilla placet ſecura per otia vita,
Et iuvat anguſto ſobria menſa lare.
Scilicet haec ſuperis longe gratiſſima divis,
Et nullum minime noxia crimen habet.

Saepius

Digitized by Google

Saepius e coelo deſcendit Iuppiter alto,
Intulit & facilem ſub pia tecta pedem.
Quaque tonat dextra toties, & fulmina torquet,
Et terris magnum ſe probat eſſe Deum.
Sumere de tenui non ſprevit fercula menſa,
Oraque porrecto ſicca rigare luto.
Sic caſa in exigua coelum compingitur ingens,
Illud enim ſemper rex ubicumque deum eſt.
Terribiliſque rubros iaculatur fulminis ignes,
Verbaque cum tuguri ſuavia mutat hero.
Haec mihi vita placet, vos o concedite divi:
Hoc poſcit flammis quae calet ara meis.
Gemmas longinquis quaerat mercator ab Indis,
Atque auri qua ſe vena recondat humo,
Praecipitemq; alius quaerat per vulnera mortem,
Horridaque intrepidus miles in arma ruat.
Stultus ego certe, ſi, quum mea poſſit haberi
Muſa, velim praedas, aut fera bella, ſequi.
Laudis veſano non aeſtuo percitus oeſtro,
Dicar cum Muſa ſegnis inerſque mea.
Haec tantum roſeo pendentem laudet ab ore,
Omnia ceu tulerim puncta beatus ero.
Adfectet magnos, cupiet quicunque, triumphos;
Captivaſque acies in ſua vincla trahat.
In Muſa eſt quicquid deſidero; Muſa triumphos,
Muſa coronatos ire iubebit equos.
Vertitur in Muſa votorum ſumma meorum:
Quicquid habet mundus, hoc mihi Muſa dabit.
Qui volet in coelo, aut ſublimi regnet in aula;
Et gerat horrenda fulmina, ſceptra, manu.
Muſa mihi mea ſceptra dabit, mihi fulmina Muſa,
Me metuet regem, me caſa parva Deum.
Quo mihi Chalcidicis erecta palatia tectis?
Quo, veniam mihi da Iupiter, ipſe polus?
Quo mihi gemmata fulgens teſtudine lectus,
Si Muſam invideant aſpera fata mihi?
Muſa meis nunquam complexibus eripienda,
Te vivus teneam, te teneam moriens.
Tu claudas moeſta morientia lumina dextra,
Et facias cineri triſtia iuſta meo.
Non mea Barbarico mors culta ſuperbiat oſtro,
Quiſquam magnificum nec mihi ſternat ebur.
Parva decent humiles, ſectentur grandia magni;
Conveniunt ſorti non bene tanta meae.
Non tuba mendacem cogatur fingere luctum,
Longaque ne feretri pompa ſequatur onus.
Sola mihi lacrymas oculo diffunde rubenti,
Triſtis ad exſequias tu mihi ſola veni.
Praefica tu mihi ſis, tu funera, tu mihi pompa;
Tu triſtem querula da mihi voce tubam.
Omnia eras, felix dum ſalvo vita manebat,
Omnia defuncti manibus eſſe decet.
Sola exſangue velis componere rite cadaver,
Et pia pallidulis oſcula ferre labris.
Sola velis miſeri feralia munera buſto,
Humida de lacrimis & dare ſerta tuis,
Et tenui moeſtum lana redimire ſepulcrum,
Optare & terram ſentiat umbra levem,

Ad Venerem, & Cupidinem.

ELEG. VIII.

ALma Venus quaſnã tibi nunc ſacrabimus aras,
Aut quae, ſancte, tibi dona feremus, Amor?
Nunc mihi fas animo triſtes depellere curas,
Iuſtaque laetitiae promere ſigna meae.

A *Intima neſcio quae pertentat corda voluptas,*
Gaudia nec ferme mens ſua noſtra capit.
Ergone me vultu adſpiciens Fortuna benigno
Pallida propenſa dat mihi vota manu?
Et poſt tot gemitus, poſt tot ſubſpiria tandem,
Candida fulgentis venit ab axe dies?
Ah ubi tam lentis haeſiſti, Phoebe, quadrigis,
Impediit rapidum quae mora ſegnis iter?
Effuſis potius Pyroenta impellere habenis,
Debeeaſque cita Phoebe venire rota.
Non mihi tam duri potuiſſent currere ſoles,
B *Aſpera nec tantum vita fuiſſet onus.*
Non ego conſpectus perrepere templa fuiſſem.
Oſcula ſacratis liminibuſque dare.
Non ego tot lacrimis humentes ordine ceras
Anxius in genibus adpoſuiſſe Deum.
Non caput immeritum venerando frangere poſſe,
Saevaque nequicquam vulnera mille pati.
Sed iuvat, & volupe eſt, vel iam mea vota tenere;
Gaudia praeterito grata dolore magis;
Saepe moras nectens ignavum amat otia tempus;
Exſpectata diu gratior hora venit.
C *Sperata Titan iam fulget luce ſerenus:*
O deſiderii lux mihi ſumma mei.
Lux mea te teneo, mea te lux uſque tenebo.
Vita ſimul tecum te pereunte cadet.
Lux mea te teneo? mea te lux uſque tenebo?
An fallunt mentem ſomnia nulla meam?
Num verum dico, aut ſimulacro ludor inani?
Lux mea, num vere, lux mea, te teneo!
Maxima ſolicito donarunt gaudia divi:
Ardua difficilem res habet ecce fidem.
Lux mea, num teneo? teneo. Teque uſque tenebo,
D *Nec peragar nimia credulitate reus.*
Muſaque iam facilis parili reſpondet amore,
Et dignata meo blanda venire toro eſt.
Iuravit caſtae per numina magna Dianae,
Velle ſimul mecum vivere, velle mori.
Participemque omnes in caſus velle venire;
Omnia communi conditione pati.
Lingua fave memor infauſti non amplius aevi;
Atque oblita, veni; da bona verba mihi.
Iam mihi felices natalis porrigit horas;
Sacra dies Genio vertitur iſta meo.
E *Nam cur non hodie primordia ſumere vitae*
Me rear, accipiet quum mea Muſa ſuum?
Quum mihi pollicita eſt illuſtria ſecula Muſa;
Quum mihi poſt noſtros nomina clara rogos?
Hactenus infelix curis ſubmerſus acerbis
Non vixi, vivum at membra cadaver erant.
In vita nuſquam non lurida mortis imago;
Illa mihi feretrum, ſarcophaguſque, fuit.
Nunc primum naſcor, vitaeque dat ordia Muſa,
Spiritus a Muſae primus amore venit.
Lingua fave, laeta tollantur gaudia voce:
F *Atque humeros circum candida veſtis eat.*
Araque gramineo de ceſpite fumida ſurgat.
Implicet & laeto flore corona focum.
Iniice tura puer, Cerealia porrige liba,
Puraque odorato vina ſub igne crepent.
O lux grata nimis natalis, ſera recedens
Regna petas tardo triſtia noctis equo.
O mihi ſi centum Phoebus, ſi mille reducat!
O mihi ſi quoties eripit ora mari!
Me nemo in terris vivat felicior uno,
Invideam ſummo nec ſua regna Iovi.

Ad

Digitized by Google

Ad Musam.

ELEG. IX.

NVnc redeunt festi ad solemnia tempora ludi,
Romaque Saturno gaudia dante capit.
Regna tenet positis iterum nunc libera vinclis,
Illaque laetitiae stat bona causa Deo.
Captivum res est indigna tenere parentem
Visa Iovi, sceleris poenituitque sui.
Famaque Romanis ea venit nuntia tectis,
Hinc surgunt laetis iubila mille sonis.
Aurea devota sperantur secula mente,
Et quales illo rege fuere dies.
Clamat, Io Saturne, senum, clamatque virorum
Turba, nec est quae non femina clamet Io,
Clamatur tota Saturnus ab omnibus Vrbe,
Quodque nequit coelum condere, reddit Io.
Mutua conveniunt passim ad convivia cives,
Caenaque septenos conterit una dies.
Mutatur iterum facies, nova gaudia coelum,
Et nova cum coelo gaudia terra capit.
Exsilit abiecta Saturnus compede liber,
Qualis depositis anguis ab exsuviis.
Datque rerum superis olim quae iura solebat,
Et parent regi numina prona suo.
Non iam sceptra tenet, non fulmina Iuppiter ulla:
Sed domini famulus nutibus obsequitur.
Hinc etiam domini servorum nomina sumunt,
Et domini colitur servus honore sui.
Te quoque Musa mihi domino parere necesse est;
Nam certe dominam te mihi fecit Amor.
Musa veni, vocat ille tuus te servus amator,
In quem ius vitae, Musa, necisque tenes.
Musa veni, mea Musa veni, quid Musa moraris?
Musa veni missa Bellerophontis aqua.
Audis me rauco toties clamore vocantem.
Musa veni, lentas eia age rumpe moras.
Vixq; potest aliud quicquam mihi promere lingua;
Quicquid conatur dicere, Musa veni, est.
Musa veni, os implet, Io Saturne, volenti:
Et mea lascivus iubila turbat Amor.
Quin igitur propera, ut populi de more voceris,
Mutato dominae nomine, serva mihi.
Quid fugis, ah, quid Musa times, an serva vocari?
Desine, sed dominae ius tamen usque dabo.
Ergone poeniteat priscae me sortis, & optem
Amens excusso liber abire iugo?
Non si fulgenti imponat Saturnus Olympo,
Meque deum faciat, non ego Musa velim.
Non si sceptra quidem, non si sua fulmina donet,
Atque meo iubeat numine fata regi.
Tu venias, Saturnus ero, & miser ille morantem
Invitus referet in sua vincla pedem.

A Ergo ades, & veluti mos poscit festa celebrans,
Vivere communi conditione velis.
Tu mihi sterne torum, & gemmata fercula mensa
Ingere, Saturni sunt bona festa die.
Mensaque ponatur monstrans redimita corollis
Ordine Mentorea pocula facta manu.
Instrue mi longam, sed non sine sanguine coenam,
Quae me, quae tanto digna futura Deo,
Et mihi da vestem quae nec vadimonia novit,
Nec fora: sit solea planta soluta sua.
Polluat impuro neu quid mala dextera tactu,
B Fercula qua laver ad quaeque tenebis aquam:
Musa veni, summa iussit Saturnus ab arce,
Quod mihi non cupias da mea Musa Deo.
Servitium ne turpe putes, praestatur Olympo.
Libertas divum est maxima iussa sequi.
Musa veni, iam tempus adest, quid Musa vocantem
Non audis tantae ab invida laetitiae?
Quanta ego vesana mihi spondeo gaudia mente,
Dura nimis misero gaudia quanta necas?
Miscebis tenera spumantia pocula dextra,
Pocula delitiis anteferenda Deum.
C Quumque dabis, teretes digitos praebentis adorans,
Mutabo blandis singula basiolis.
Totq; bibam tua quot tu elementis nomina scribis,
Et dabo mille bibens basia, mille feram,
Ah, cur non centum scribuntur millibus? aut cur
Nomina non centum millia, Musa, tenes?
Musa breve est nimium, neq; nostris lusibus aptum;
Et vix ad numerum littera quarta venit.
Basia mille mihi donavit, & altera mille,
Aurea frondoso Cypris in Idalio.
Basia mille Cupido dedit, dedit altera mille,
D Matris Acidaliae pendulus e gremio.
Et mea vix ultra capiunt sua basia labra;
Solaque cui dentur digna videre mihi,
Musa veni, cape quae tradam tibi basia Musa,
Basia summorum munera coelicolum.
Musa veni, misce nivea mihi pocula dextra,
Vt mea tu capias basia, Musa veni.
Quumq; bibã, bene me, bene Musam, ad singula dicã;
Et mihi mille tuae vota salutis erunt.
Elidensque solo superantia caecuba quaeram
Si quae forte tui signa favoris habent.
E Saepe licet fallas poscentem, & pocula nolens,
Oscula da; poena huic non erit ulla dolo.
Proque labris cyathi tua porrige. Non minus illic
Inveniam sicco quod tamen ore bibam.
Ora mihi cyathi tua sint, quique halitus exit,
Panchaiae spirans cinnama, vina dabit.
Gaudia sic nulli carpam tangenda deorum,
Vina traham, simul & basia mille feram.

Digitized by Google

IOANNIS MEVRSII
EPISTOLARVM HEROIDVM
LIBER I.

ARGVMENTVM.

CEyx Luciferi filius, prodigiis agitatus, Miletum ad oraculum Apollinis contendit, coniugique Alcyone Aeoli filiae, profectionem diſsuadenti, intra duos menſes rediturum promiſit, quod praeſtare non potuit, quia nave tempeſtate fracta perierit: Illa vero quum deſiderio viri graviſſime adficeretur, ille autem praefinito tempore exacto non reverteretur, has ad eum literas ſcripſit.

ALCYONE CEYCI.

HAnc nimium abſenti coniux deſerta ſalutem
Mittit Ceyci, qua caret ipſa, ſuo.
Adgnoſcis quo mens mihi ſit turbata furore,
Mittere quae ſimulem quo caream ipſa tamen.
Hoc eſt: quod mitto nihil eſt, nihil accipe: ſic te
Ludit in officio mens male ſana ſuo.
Hoc quodcumq; tamen nihil eſt, trahit omnia ſecum,
Dum non vana mei ſigna laboris habet.
Nil metuo cunctis dicar furiata carere
Mente mea, opprobrium qua licet aequa feram.
Dum tibi coniunctam conſtet tamen omnibus eſſe,
Et deſiderio ſit data cauſſa tui.
Mens diſcedentem te quondam noſtra ſecuta eſt,
Amentem fidus me tibi fecit amor.
Redde tuos vultus, Ceyx, redde oſcula, Ceyx;
Ceyx, redde mihi quicquid amantis habes:
Reddideris mentem. Ceyx, quid reddere ceſſas?
Reddere feſtina te mihi, meque tibi.
Quum fragili timidus nolles me credere claſſi?
Atque tuus pelago me prohiberet amor:
Haec comes adſcendit, quodvis iurata periclum
Spernere, ſat cari numine tuta viri.
Haec rapidos potuit fluctus, ſaevaſque procellas,
Haec potuit glauci temnere ſceptra Dei.
Proque ſua domina, quum nulla pericla timeret,
Haec ſubiit: comes eſt haec tibi facta viae.
Huc Ceyx, propera Ceyx, tua vela retorque,
Cura tibi Alcyones ſi manet ulla tuae.
Ah, quae te noſtris rapuit complexibus hora
Reſtituat, Ceyx: numquid abeſſe iuvat?
Nunc equidem infelix timeo, ah, ignoſce timenti:
Iuſta mihi tanti cauſſa timoris amor.
Ah, timeo ne tu peregrinis ignibus ardens,
Illicito dederis colla premenda iugo.
Quaeque mihi debes infamis adultera ſumat,
Et mea poſſideat gaudia turpis amor.
Brachia quaque nefas cervice haerentia fingo,
Fixaque in alterius vultibus ora puto.
Aemula dein etiam iuſta bene percita bile,
Parce meum, clamo, ſumere, parce dare.
Mox memet reprimens ipſi mihi iurgia dicto,
Iamque nimis tenera poenitet eſſe fide.
Sum tamen; atque utinam non eſſet cauſſa reperta,
Sin tua, vel ſexus attamen illa tui.

A *Sic Ariadna ſui queritur periuria Theſei,*
Colchis Iaſonia de levitate gemit.
Dii melius. Non haec ſpondent quae verba dediſti,
Quum dilecta tuo poſcerer una toro.
Te quaero, Ceyx, te unum deſidero: nulla
Nox mihi abit ſine te, te ſine nulla dies.
Et quamquam ſpatiis Nereus excludat iniquis,
Et noſtris duriis lumina veſtra neget;
Nil minus adſpicio, viſaque in imagine laetor,
Et facies ſpeculi fungitur illa vice.
Trans mare velivolum ad complexus brachia mitto,
B *Eſtque mihi Ceyx ſemper in ore meus.*
Mane novo, genitor quoties tuus extulit ignes,
Lunaque fraternos pallida vitat equos.
Egredior tectis, greſſumque ad littora tendo,
Hei deſiderii littora certa mei.
Quoque loco vidi fugientem ſolvere claſſem,
Hoc, inquam, Ceyx excipiendus erit.
Vltima marenti hic diſcedens oſcula fixit.
Et reduci fas eſt hic quoque prima dare.
Obſervo toto venientes aequore naves,
Velaque quot video tot reor eſſe tua.
C *Ecce, meus, Ceyx, clamo, mea gaudia Ceyx,*
Ille meus votis mille petitus adeſt.
Et timeo, & ſuperis facio pallentia vota,
Illaeſam portus poſſit habere ratem.
Iamq; paro amplexus, iamq; oſcula: dextera geſtit
Tam dudum intactam tangere poſſe manum.
Ah fruſtra, ſiquidem ſemper mea gaudia fallis
Improbe, ſpemque ulla non ſinis eſſe fide.
Tunc libet infido convitia dicere ponto,
Et, mea quae voluit ludere vota, rati.
Tunc tempeſtates Neptuniaque ira timentur,
D *Quaeque iucent vaſto ſparſa pericla mari.*
Et ſubeunt animo merſae tot in aequore puppes,
Et vereor ſimilis te quoque caſus agat.
Nec mihi, quod noſtros poterat lenire dolores,
Demitur Hippotade pallida cura patre.
Qui, ſimul egreſſi laxata repagula venti,
Non iterum facile hos ad ſua clauſtra vocat,
Caerula confundunt, fluctuſque ad ſidera tollant,
Concutiuntque ipſum poene fragore polum.
Vix feſſi ſolito tandem ſe carcere condunt,
Non illis pater, at dat ſua frena labor.
Inde mihi, o utinam falſa ſub imagine! fingo
Devictae toties membra periſſe ratis.

Clamo

Digitized by Google

Clamo, meus caeco raptatur vortice Ceyx,
Atque necaturas pallidus haurit aquas.
Nec prohibet lethum socer Aeolus, aut pater ipse
Lucifer, ab, tardo quam male vectus equo.
Quaque suo quondam populo metuenda tenebat
Sceptra manu, lacerae fragmina navis habet.
Et natat, & sua nequicquam modo brachia lassat:
Quodque nequit, mortis vult didicisse metu.
Quod superat vitae supremo in limine mentis,
Occupat Alcyone nomen inane tibi.
Quamq; vocas, gaudens longe tamen esse remotam,
In sortem nolles ipse venire tuam.
Alcyone tua cura tibi est, ea sola fatigat
Vota tua, & facilem non sinit esse necem.
Alcyone tibi in ore iacet, cumque aequoris undis
Pugnat, &, heu, diro turbine victa cadit.
Alcyonen aestus rapit, & quas spiritus aeger
Coniugis ingreditur non rediturus aquas.
Quaeque semel perii vestris immortua labris,
Post mea nunc etiam fata superstes ago.
Ah, cur non licuit communi membra sepulcro
Condere? cur non est sors mea iuncta tuae!
Nos tamen hoc unum semper speravimus ambo,
Optantes faciles in pia vota Deos.
Ah, cur non licuit tecum mea vita perire?
Scilicet ut possem te semel orba mori.
Vita mihi tecum potuisset tangere finem,
Non posset finem tangere vita suum.
Quam vellem immenso tecum fluere obruta ponto,
Quam vellem aequoreis piscibus esse cibus.
Hei taedet vitae, certaque occumbere morte
Non dubitem: vita, ah, tum mihi grata foret.
In poenae mihi vita loco est, quique exit ab ore
Spiritus, Elysios optat adire locos.
Ostendas Neptune pater quo gurgite Ceyx
Ille meus periit, protinus ibo comes.
Caerula conscendam, & laeta ferar obvia puppe,
Vitreaque intrepido regna subibo pede.
Atque erepta mei quaeram mihi coniugis ossa,
Si videam in medio forte natare salo.
Forsitan inveniam, & tumulo claudemur eodem,
Et fructum pietas est habitura suum.
Quique sua piscis Ceycem condidit alvo,
Difficilis precibus non erit ille meis.
Accipiet comitem, & caeco me viscere merget,
Quodque videbuntur fata negasse, dabit.
Sic egomet memet, vel tu, vel terret uterque;
Tu qui absis, ego quae non patienter amem.
Anxia sic maestos soleo componere soles,
Et tremula magnos voce fatigo Deos.
Crudelis Ceyx quamdiu fugis? improbe, quae nunc
Immemorem Alcyones te nimis ora tenet?
Iam bis, ter, quater implevit sua cornua Phoebe.
Nulla tamen reditus spes mihi facta tui.
Attamen (& memini, neque tu meminisse negabis:
Teque fides, memorem me bene fecit amor.)
Per patrios, vastum queis coelum illuminat, ignes
Binis iurabas mensibus esse redux.
At vero quintus lunae iam volvitur orbis,
Cumque suo vereor tempore abisse fidem.
Quae mea culpa tuam potuit subvertere mentem?
Ceyx, quo tam diu crimine laesus abes?
Ecquid habes meritae quae opprobria dicere possis?
Num custos thalami sat tibi fida fui?
Aut nunquid digno complexa videbar amore,
Quo mihi plus certe nemo adamatus erat?
At non haec abitum coniux miseranda paranti,
Queis poteras tuto credere, signa dabam.

A Cum stupui haud aliter quam qui Iovis igne corusco
Ictus agit vitae nescius ipse suae.
Diriguit gelidus circum praecordia sanguis,
Buxeus exanimi pallor in ore stetit.
Ter conata loqui fletu prohibente tacebam,
Nec patuit voci qua graderetur iter.
Amplexusque tuos inter collapsa, supremum
Semianimis potui vix iterare Vale.
Mox oculis longe fugientia vela sequuta,
Mittebam adspectum qua via nulla pedi,
Et quia non posses attendere verba loquentis,
B Mille dedi mota tristia signa manu.
Ecquid adhuc nostri, Ceyx, potes immemor esse?
Ceyx, pars animae dimidiata meae.
Ah, utinam nostro cessisses littore nunquam,
Aut peregrinantis pars aliquanta forem.
Quid vetuit tecum sacras accedere sortes?
Sarcina eram tantae parva futura rati.
Non nunc solicitis cogar tabescere curis,
Non magis invisa tristia morte feram.
Vivo quidem, nec vivo tamen, foedumque cadaver
Ambulo, vel caris saepe timenda meis,
C Evigilo quoties, crudelibus occubo fatis.
Ah, unum toties posse perire caput?
Nec possim reduci priscos ostendere vultus,
Et mutata nimis noscere forma vetet.
Atque haec Alcyone non est, non est mea, dicas:
Maior in Alcyones est decor ore meae.
Sic etiam optato vivam viduata marito,
Ac mihi tantundem non rediisse foret.
At tu mutasti, tu formae damna dedisti:
Si qua mihi veniat culpa luenda, tua est.
Sed mirum certe est, nec quisquam credere possit,
D Auctor ut ipse suae nesciat artis opus.
Redde meos vultus, si me vis noscere, Ceyx.
Cura tibi nostri si sedet ulla tori.
Reddideris, Ceyx; si te modo. Reddere, Ceyx.
Forma mihi sine te posse redire negat.
O redeas, Ceyx, redeas precor. Ecquid amantis
Verba dabis rapidis diripienda Notis?
O redeas. Ecquid crudelis mente sub ima
Aspera non motae semina cautis habes?
Dinumero noctes, quaeque ultima saepe putatur,
Hei, quam me numero decipit illa suo?
E Hac mihi nunc, dico, merendum est nocte suprema.
Sic, ah, sic demens blandior ipsa mihi.
Quamque puto frustra toties venisse, recedit,
Cumque meo nimium coniuge lenta venit.
Ah, quoties coelo marcentia lumina tollens,
Tergeminaeq; videns aurea regna Deae.
O Dea, cui, dixi, nocturnus militat aether,
Totaque non domito quae micat igne cohors.
O placeat celeri cursum transmittere gyro,
Cras mihi nam Ceyx excipiendus erit.
Sic nulli veniant unquam tibi dia labores,
Subpeditetque aeris non manus ulla sonum.
Ah, quoties dixi, felicia currite coelo
F Sidera, cras Ceyx excipiendus erit.
Ille meus Ceyx, Ceyx, mea gaudia Ceyx,
Ille meus Ceyx excipiendus erit.
Ah, quoties oculo circum spatia aurea lustrans,
Sedula quaesivi quo socer iret equo.
Inventoque, pater, dixi, mitissime rerum,
Redde diem, pater o, te rogo, redde diem.
Ille tuus, meus ille venit, tuus ille propinquat:
Ille meus Ceyx, o bone, redde diem.
Sic soleo, eludorque tamen, summoque ab Olympo
Rident ipsi etiam gaudia vana dii.

O re-

Digitized by Google

O redeas, quaeſo Ceyx, dulciſſime Ceyx.
Quod debes, Ceyx, poſtulo. Quando venis?
Iam dudum, ne qua non gnava ex parte viderer,
Laena iacet reduci deproperata tibi.
Et magis ut properes, ſi quid ſegnem eſſe vetabit,
Triſtia praeteritae ſomnia noctis habe.
Somnia non veros utinam narrantia caſus,
Et quae non unquam viſa fuiſſe velim,
Tempus erat, quo nox exacti conſcia regni
Cedere flammanti iuſſerat aſtra polo.
Inſtabatque equiti genitor rorante flagello
Lucifer, Oceano nuntius ire diem.
Cum tua conſpecta eſt miſerae triſtiſſima imago,
Nullaque, quae tegeret, corpore veſtis erat,
Barba madens, madidus crinis cervice fluebat,
Plurimus inque oculis ſed ſuus humor erat.
Vixque trahens inter tenuem ſubſpiria vocem.
Forma, ais, Alcyone, quid tibi nota mea eſt?
Quam cernis miſeranda tui Ceycis imago eſt,
Extinctum ſaevi quem tenet unda maris.
Secure Aegaeo properantem gurgite navem
Horridus inſanis obruit Auſter aquis.
Nil ſocer Hippotades, genitor nil Lucifer, aut nil,
Hei, pietas miſero profuit ulla viro.

Non ars nautarum, tumidique peritia ponti;
Omnia fortunae ſuccubuere meae.
Nec dubio ſperes mentem phantaſmate ludi,
Fata tibi coniux naufragus ipſe refert.
Quod ſuperest, vacuo ſacrabis nomina buſto,
Et legar in tumulo quo tamen exſul ero.
Atque in diverſas extendens brachia terras,
Ter mea clamabis nomina ſancta tibi.
Scilicet eſt aliquid, clamataque nomina tantum
Subficit ad tumulos voce ciere ſuos.
Ocius his dictis tenues diſcedis in auras,
Et tecum ſomnus. Sic mihi cuncta rapis.
Quid me tunc animi, Ceyx, habuiſſe putabis?
Poene mihi dura pectora fracta manu.
Anxia mens vellet diris non credere viſis,
Spes tamen ambiguas nil minus ipſa timet.
Vtque reus rigidae trepidans ſub fulmine legis
Vivus adhuc etiam triſte cadaver habet,
Sic ego, ſic ſomno cecidi fugiente ſupina;
Sic iacui lecto ſemiſepulta meo.
Care, tuae Alcyones potes amplius immemor eſſe?
Si poſthac illi iam licet eſſe tuae.
Sed licet, & fuerit ſemper tua; vel tua certe
Si iam non fuerit, non erit ulla. VALE.

ARGVMENTVM.

Theſeus devicto ope Ariadnae Minotauro, cum ea Creta diſcedens, in Naxum inſulam eſt delatus, ubi & ſomno altiſſimo obpreſsam deſeruit. Ariadna vero poſtea expergefacta, ac perfidia Theſei comperta, prae doloris impotentia ſubſpendio vitam finivit, ut nonnulli volunt, quos hic ſequimur. Antequam tamen manus ſibi violentas inferret, hanc ad eum epiſtolam ſcripſit, tentatura ſi forte animum mutare poſſit: fruſtra, iam enim in amorem Aeglae Panopei filiae inciderat.

ARIADNA THESEO.

EN haec littoribus tibi epiſtola mittitur iſtis,
Conſcia perfidiae quae mihi facta tuae.
Adgnoſcis, credo, quae dicam littora, Theſeu?
Orba ubi periuro nunc Ariadna viro eſt.
Cur poſui nomen? cur, quo terra ipſa carere
Optet, habet gremio littera noſtra ſuo?
Sic tibi diſſimilis laeſum mens ſervat amorem,
Nec potis eſt primas deſtituiſſe faces.
Nec tam ſancta poteſt oblita exſtinguere verba,
Aut etiam ſpreta vivere laeta fide.
Si tamen exemplo periuria diſcere poſſet,
Eſſet ab exemplo perfida facta tuo.
Non potuit. Servare fidem ſanctiſſima res eſt.
Quantum quis fidei, tantum habet ille Dei.
At cum virtutum laus detur maxima vobis,
Nunc ſpolium veſtrae femina laudis habet.
Hoc mihi vindictae reor, hoc ſatis eſſe triumphi;
Victorem ſupero quod male victa meum.
Sic igitur vincis ut vinci rectius optes,
Sorſque tibi melior noſtra putanda tua eſt.
Sic pateris merito, quas nollem, perfide, poenas:
Et mea laus vellet ſuccubuiſſe tuae.
Vela refer, ſic tu ſalvo potieris honore;
Famaque, quae laeſa eſt, vulnera nulla ſciet.
Et bene perficies votorum maxima, quorum
Tu mihi pars longe maxima tanta facis.

Perfide, ſic, quam deciperes, tibi digna videbar,
Et mea ſimplicitas fraude petenda tua?
Sic tibi decepta ſtatuiſti praemia demens
Virgine, ſic ingens gloria viſa fui?
Cur tua mendaci me luſit imagine virtus;
Et quod non eſſes cur mihi viſus eras?
Cur mea ſimplicitas, quam vellet nemo cavere,
Debuit, hei, fraudis damna cavere tua?
Ipſa quod haud poſſem nec te quoque poſſe putavi,
Ingenio perii non bene capta meo.
Cur mea me virtus nihil eſt tutata merentem?
An quia non timui non quoque digna fui?
At tua iuverunt multum periuria, Theſeu.
Et ſcelus auſuro profuit iſta tibi.
Perfide, facturum quis te tamen iſta putaſſet;
Aut mala virtuti tanta ſubeſſe tuae?
Forſitan accuſer temere perſuaſa dediſſe
Aurem, & damnetur credulitatis opus.
Sed quae tam ſancte iuranti nomina coeli
Vellet iurato non habuiſſe fidem?
Blandula quae poſſet tam ruſtica ſpernere verba,
Aut ſurda tantas reiicere aure preces?
Et flebas, memini, noſtrumque negantis amorem
Ille tuus lacrimis ſolicitabat amor.
Quid facerem? tandem deſcendi in vota rogantis
Supplicis & precibus mollia corda dedi.
Victa fui, nec adhuc ſortis me poenitet: o quam
Infelix, neque te poenituiſſe velim.

Digitized by Google

Vnde tibi lacrimae simulanti, verbaque promta;
Quae me blanditiis fallere docta suis.
Atque utinam miserae mens non tam laeva fuisset,
Perfidiae poteram noscere signa tuae.
Ipse tuus fletus, qui persuadebat amorem,
Testis erat mihi quod non adamata forem.
Et tacite (cur non sensi?) dicebat, amantem
Si sapis o dominum nunc, Ariadna, cave.
Non amat, at certe quo fallat fingit amare;
Et dolus haud vero tectus amore latet.
Non bene conveniunt cum siccis ignibus undae:
Nescit amor lacrimas, ardet in igne suo.
Non igitur, dices, decepi: iniusta querela est.
Cur nam culpa tibi hic fingitur esse mea?
Cur feciſſe tamen, quod non feci, improbe, dicis;
Siccine simplicitas nil tua frontis habet?
Haec referes, meritamque eludes callide culpam:
Nec mihi iusta mei causſa doloris erit.
Esto autem, nil tu peccaveris: omnia dono.
Victaque do quavis conditione manum,
Nulla queri liceat de te mihi quamlibet aequa,
Error teque meus non sinat esse reum.
Attamen hoc ipso, quod non simulanter amavi,
Digna fui quam tu non simulanter ames.
Digna fui hoc ipso ne sic deserta iacerem.
Quod mihi visus amor non simulatus erat.
Ecquid amas, Theseu, Theseu, mea gaudia, Theseu,
Ecquid amas, Theseu, vita salusque mea?
Nunc, quod tu pridem, sed non mentita rogabo;
Pro vestris nostrae nunc subiere vices.
Per lacrimas, etsi fictas, subspiria ficta;
Quae mea fregerunt pectora, perque fidem.
Perque tot amplexus, tot caecae gaudia noctis,
Per quae poscenti basia mille dedi.
Per vitam servatam in Daedaleo labyrintho;
Per vitae, qui te dirigit usque, Deum.
Per quicquid tibi dulce meū fuit, aut erit unquam:
Per quicquid poterit dulcius esse tibi.
Si nostrum fugisti exploraturus amorem,
Iam redeas, Theseu, iam tibi certus amor.
Iam redeas, poteris tuto iam credere, Theseu
Certa satis, Theseu, iam tibi signa dedi.
Adspicis absentem quam mens desideret aegra,
Quaeque brevis tamen est sit mora longa nimis:
Sed neque debebas illo tentare periclo;
Nostra tibi fuerat nec dubitanda fides.
Nec sic debebas inimicae exponere sorti,
Grandius opprobrium quae mihi forte paret.
Scilicet haud ullo se sub custode tuetur
Forma pudicitiae non bene iuncta meae:

A *Quaeque tibi placuit multis placitura petetur;*
Decipitur citius virgine passa virum
Adde quod huc ipse invitare videberis omnes,
Dum sic cedenti displicuisse puter.
Irritatae animis nonnullae absente marito,
Iraque desertum saepius ulta torum est.
Nempe ita Mulciberū in Lemno indignata morantē
Cypris adulterium turpiter ausa fuit.
Non tamen hoc, Theseu, non hoc Ariadna minatur;
Certa vel ad manes te praeeunte sequi.
Non faciam. Sed tu infirmo succurre pudori,
B *Nulla viri satis est femina cauta dolo.*
Et quid si capiar, (quod dii prius omen in hostes,)
Esses tu tanti causſa putanda mali.
Continuo fias toti mala fabula vulgo,
Neglectae opprobrium coniugis usque ferens.
En tibi quo delectem animum solamine vestra
Languentem, Theseu non redituro, fuga.
Hei, imprudenti quodnam verbum excidit ore;
Quam vereor dicto, ah, omen inesse suum.
Siccine te posthac spes sit mihi nulla videndi?
Siccine, vae miserae! non rediturus abes?
C *Ah, timeo nimis, & iam quod nolim anxia credo:*
Quique metus fuerat sit modo certa fides.
Quin etiam nostras delata est fama sub aures,
Nulla tui Aegidae est cura, Ariadna, super.
Illum autem gravis urit amor Panopeidos Aeglae,
Collaque complexu iam peregrina tenet.
Deseror ergo, & sic iubeor deserta perire;
Et mortis Theseus est mihi causſa mea?
Ille cui vitam servavi in faucibus Orci.
Ille cui demens gaudia mille dedi?
Ergo servatae debes mihi praemia vitae,
D *Esses ut vitae nunc homicida meae?*
Inque tua inveni vita sic perfide mortem,
Munere prudenter non satis usa meo?
Ah, cur servavi? certe haud servasse fuisset
Maioris, Theseu, utilitatis opus.
Tunc poteras plenis defunctus honoribus ire,
Laesaque non ulla gloria parte foret.
Nunc occisa omnem perdet tibi femina laudem,
Dedecus & quovis maius honore feres.
Quaeque tibi quondam servaverit improbe vitam,
Mortua deiiciet cuncta trophaea tibi.
E *Sic superis visum est ut scilicet ulta perirem,*
Vtque foret sceleri poena parata tuo.
Aut igitur, Theseu, redeas, & vela reflectas;
Aut famae exspectes ultima fata tuae.

ARGVMENTVM.

Milleto ex filia Maeandri liberi nati sunt duo, Biblis, & Caunus. Ex his Biblis cum fratris in amorem incidisset, primo quidem fortiter ei restitit, sed nequicquam. Superante itaque amoris violentia, quum compescere pravum adfectum non posset, per literas significare illi amorem suum decrevit. Ille autem neglexit, quamobrem laqueo haec se subspendit.

BIBLIS CAVNO.

Qvam legis in prima cerae modo fronte salutē,
A misera, frater Caune, sorore venit.
Cur soror, hei, scripsi, quum nulla sororia scribam?
Non haec est votis vox satis apta meis.

F *Cur, quod detestor, me sum tibi fassa sororem?*
Aut cur dicendus tu mihi frater eras?
Hoc peto, quod nequeat frater donare sorori;
Abque suo nequeat poscere fratre soror:
Ah, cur fata iisdem voluere parentibus ortos;
Aut etiam cur haec nomina mundus habet?

Quis

Digitized by Google

Quis, precor, imposuit male grata vocabula primus,
Quae mihi non unquam nota fuisse velim.
Sic refert igitur quo quis sit sanguine cretus:
Et quis discrimen constituisse potest?
Quid soror; & frater nisi sanguinolenta profecto
Nomina de medio sanguine nata ferunt?
Cur ego non Caunum potius, tu Biblida dicis:
Non aliis utinam vocibus esset opus.
Biblidi conveniant, quae non sint apta sorori,
Et recte Caunus quae male frater agat.
Erubui quoties fratrem te Caune vocavi,
Erubui quoties sum tibi dicta soror.
Ah, quoties nostrum cupiens narrare dolorem,
Lenta mihi in fratris nomine lingua fuit.
Ah, quoties nostri caussam scitante doloris,
Mens mihi turbata in voce sororis erat.
Optavi nosses caussam per signa loquentis;
Non poteras, quoniam verba sororis erat.
At color hic toto qui pallidus exstat in ore
Signa tibi crebro sat manifesta dedit.
Et quae non certa duxi subspiria caussa,
Et fletus formae qui violabat ebur.
Quosque dedi amplexus toties, quaeque oscula fixi:
Cuncta daham soror, at nulla sororis erant.
Haec poterant, frater, nostros aperire dolores:
Haec, ego quae vellem, cuncta referre tibi.
Omnia nequicquam. Nihil, o, nihil ausa fateri,
Omnia, profeci nil quoque, fassa tamen.
Visum igitur tamdem est mutas animare tabellas;
Lingua negat, dixi, quod mihi cera dabit,
Sed neque in hoc aptae mihi sunt in corpore vires,
Atque caret nisu littera nostra suo.
Vt trepidae mota quatiuntur in arbore frondes,
Omnia concussit sic mihi membra tremor.
Vix animum corpusve rego perculsa timore,
Cumque suo trepidat corpore dextra levis.
Vix calamus digitos prendentis sustinet ullus,
Vix veniunt labris verba citata meis.
Verbaque, quae mitto, nolim misisse; nec ausim,
Ausa tamen; damno quae bene facta velim.
Et pudet, & facio: quod non licet imperor usque,
Tollit & ingenui iussa pudoris Amor.
Ter calamus, mirum, sceleratis excidit ausis:
Ter manus impositum iussa refugit opus.
Luctantem & tremula castigans voce subinde,
Non inquam, dominae, quae placuere facis?
Perge, &, quae pudeat praesenti dicere, scribe:
Erubuit probro littera nulla suo.
Sic aut perficiet felix audacia votum,
Et spes exigui magna laboris erit.
Aut minus offensae metuentur nubila frontis,
Scilicet absentem mitius ira ferit.
Turpe quidem, sed quis pugnet male sanus Amori?
Iussa facit quisquis, non grave crimen habet.
Auctorem sua damna petunt, laeduntque nocentem;
Parcit at obsequio poena benigna pio.
Iussit Amor, veniat domino quae poena luenda est,
Simplicis obsequii laus mihi danda manet.
Vt tamen invitam constet fecisse, rogavi
Ingratum linguae dextera tentet opus.
Simque vel hoc pacto non digna offendere, tota
Si tamen in culpa quid valet esse meum.
Quin adeo inprimis fecisse innoxia testor:
Culpam in tam magno crimine iussa ferant.
Sed, ne te longa verborum ambage fatigem,
Accipe: at, hei, rursus promere lingua negat.
Accipe, sed quod me iubeat proferre voluntas,
Cogat Amor, pudor at qui vetet unus obest.

Vt ratis insana trepidat iactata procella,
Sic mihi mens variis exagitata modis.
Frater amare mihi. Nondum capis? an quia frater
Adposui? Caunum, iam cape, Biblis amo.
Non soror, aut veluti debet mihi frater amari,
Egredior, vires tu mihi, Caune, facis.
Nulla sorore magis debet te, frater, amare,
Plus facio, possit quam facere ulla soror.
Sic ego, quae tantum imbellis sum femina, vinco
Naturam; vinci tu quoque, Caune, velis.
Tu mihi Natura es, tu plus: te vincere possim.
Naturam vici, ut te quoque, Caune, queam.
Iuppiter in coelo cum Diis omne exigat aevum,
Invideam coelo nulla ego, nulla Iovi.
Angustus nobis coelumque sit angulus orbis;
In Cauno coelum se rotat omne mihi.
Caunus habet coelum, Caunus: hanc sola per aulam
Regnem; non coelum, non ego regna velim.
Ignorem fera tela Iovis, fera fulmina regum;
In Cauno res & Iuppiter ipsa mihi.
Caune meus, qui sic humilem me regibus aequas,
Caune, parem summo qui facis esse Iovi.
Maiorem Iove te, maiorem regibus esse
Convenit, e terris qui super astra vehis.
Ne te cognoscant, iam victima flebilis Orco
Immiti caderes icta secure caput.
Subiectas cuperent hi terras: Iuppiter axem;
Meque iterum cuncti sub sua regna vocent.
Hi ponant leges, me fulmine terreat ille:
Atque sub antiquo cogerer ire iugo.
O ne cognoscant. Reges, & Iuppiter ille
Tu sis, Caune, mihi, sim quoque, Caune, tibi.
Sis mihi quodcumque est; ego rex & Iuppiter ille
Imperio patiar subdita colla tuo.
Tu posthac toto leges dictabis in orbe,
Caune, geres saeva fulmina, sceptra, manu.
Iuppiter eiectus, Saturno ut fecerat ipse,
Errabit profugo per tua regna pede.
Et miser exsilii passus mala taedia iusti,
Membra tuo ponet contumulanda solo.
In vestro liceat vitam mihi ducere coelo.
Caune, mihi vitam non ferat ulla dies.
Ambrosiam mihi tu, & manantia nectare dio
Pocla dares, solis pocla bibenda Diis.
Non mihi perpetuo claudantur lumina somno,
Luxque mihi ex oculis surgeret una tuis.
O vivam tecum, mi Caune, o fallere tecum
Fata utinam liceat tristia, Caune, mihi.
Vique suo damnata pependit ab aethere Iuno,
Pendeat a collo surcina nostra tuo.
Hoc optem, si sit pereundum, occumbere leto:
Supplicio premat hoc me Iovis ira mei.
An refugis frater? frater miserere sororis.
In miserae frater vota sororis ades.
Hei, cur imprudens male convenientia pono
Nomina? sic memorem non amor esse sinit.
Plura fero infelix quam credas posse puellam,
Caune, tuus tamen hoc dat mihi robur amor.
Vt quondam impositis succumbens nubibus Atlas.
Debuit Alcidae poscere fessus opem.
Sic ego: vester amor coelique sub axe locavit,
Nec bene subsstineo virgo prementis onus.
Saepe, procul, dixi, turpes discedite flammae:
Saepe, procul, dixi maesta, facessat amor.
Sunt aliae dignae magis ad sua sceptra venire,
Apta mihi tanto non bene colla iugo.
Quaesivi effugerem violenta Cupidinis arma:
Non licuit, pennis utitur ille Deus.

Quaque fugam ornabam multo pervenerat ante,
Sic potui nullo tuta latere loco.
Perdere me voluit, ſed te ſine perdere, Caune,
Non potuit; tu fer, Caune, benignus opem.
Caune, laborantem propera ſervare puellam,
Maximus ille tibi, Caune, triumphus erit.
Submittet pharetram, & ſuevos puer aliger ignes;
Accipiet dominum te Cytherea ſuum.
Ille, cui prono ſe inclinant vertice divi;
Illa, cui in ſuperos ius ſedet omne Deos.
Atque utinam naſci diverſo fata dediſſent
Sanguine, non alio coniuge laeta forem.
Quam bene, Caune, tuo poteram nurus eſſe parenti?
Quam bene, Caune, meo tu gener eſſe patri?
Omnia praeter avos eſſent communia vellem;
Tu mihi ſis iunctus, Caune, ego iuncta tibi,
Factus es ergo mihi frater quo perdere poſſes?
Omnia debueras qui dare cuncta rapis!
Sic igitur Natura dedit communia nobis
Omnia, ut in medio ſanguine nulla forent?
At quoque quae normam potuit fregiſſe decori,
Vincula diſſolvat ſanguinis illa mihi.
Non mihi ſit frater qui in viſcera condidit enſem;
Non ſoror exſtiterim, cui grave vulnus alo.
Nemo quod audebit venturis credere ſeclis,
Eſſe quid hoc nulla cum ratione iuvat?
Non ego te fratris, non tu me voce ſororis,
Non ſoror, aut frater, Caune, vocare potes.
Convenient aliis haec nomina rectius, in quis
Plus fratris, vel plus, Caune, ſororis erit.
Nos autem totis longe diſiungimur aſtris:
Sunt tua nulla mihi, ſunt mea nulla tibi.
Caune, iuva, precor, & moriturae ferto puellae
Promtus opem; facilem porrige, Caune, manum.
Caune, iuva, nulla poteris palleſcere culpa;
Nil erit in toto crimine, Caune, tuum:
Si peccas, noſtro certe diſcrimine peccas:
Te pietas claro nomine ad aſtra feret.
Non ut ames poſco, ſed me patiaris amare;
Subficit haec votis gratia facta meis.
Aut etiam ſatia noſtros invitus amores,
Biblidi dum liceat te modo, Caune, frui.
Non nimis haec teneros audacia dedecet annos:
Caeca mihi eſt aetas, eſt quoque caecus amor.
Nullaque commoti mihi iudicis ira timetur;
Longaevi metuant triſtia iura ſenes.
Ipſa quidem pro me cauſsam Venus aurea dicet,
Poena patrocinio non erit ulla deae
Praeterea ſequimur ſummorum exempla deorum;
An ſcelus eſt, ipſi ad quod praeiere dii?
Oceano ſoror eſt & coniux vitrea Tethys.
Eſt Rhea Saturno, Iuno marita Iovi.
Cypria Mulcibero tenerorum mater Amorum,
Bellona horribili, qui gerit arma, Deo;
Nec tamen aut facinus damnatum eſt iudice coelo;
Aut aliquam thalami ſubſtinuere notam.
Et merito. Namque unde ſibi ſperabit amorem
Rectius, a caro quam pia fratre ſoror?
Et merito: fidum nam quae praeſtabit amorem,
Impia ſi fratrem neſcit amare ſoror?
Non toties hominum turbent connubia rixae,
Iuncta ſoror fratri ſi foret uſque ſuo.
Sanguinis hic inſunt, inſunt ibi vincula iuris:
Ius ſed in amplexu ſanguinis omne iacet.
Cogitur adfectus illis. hic naſcitur ultro:
Integer imperio non bene ſurgit amor.
Ab, quoties media noctis reſupina quiete,
Caune, latus videor conſeruiſſe tuo?

Et ſaepe erubui, ceu crimine noxia vero;
Erubuiſſe iterum mox ita ſaepe velim.
Viſaque non vellem, mens anxia laeditur illis;
Et mihi, quem cupiam perdere, creſcit amor.
Mox iterum laetor, viſaque in imagine plaudens
Exſilio, eventum ceu mihi certa ferat.
Ah, quoties nimium celeres accedere ſoles,
Et vacuum Aurorae queſta cubile fui?
Ah quoties pleno fudit mihi gaudia cornu
Luna, ferens fratrem, ſed ſine fratre, mihi?
Saepius & Phoebus quae noluit, omnia Phoebe
Conceſſit, noſtris auxiliata malis.
Pugnavit fratri pro me ſoror, atque coegit
Tradere conſtrictas in ſua vincla manus.
Fallor? an omen ineſt? & nos te, Caune, fruemur?
Et dominae ſervus, Caune, ſororis eris?
O veniant ſimili multae ſub imagine noctes;
Sic ego vel ſortem quamlibet aequa feram.
O mihi perpetuae veniant longo ordine noctes,
Lux nimis eſt votis invidioſa meis.
Te fruar o utinam, poſſim bene luce carere:
Et lucem in media tu mihi nocte dares.
Damna ego nulla feram, ſubpleveris omnia ſolus;
Vnica votorum tu mihi meta iaces.
Fallor? an omen abeſt? nec adhuc te, Caune, fruemur?
Nec deſiderio terminus ullus erit?
Caune, precor, miſerere mei, miſerere rogantis:
Si non immitis pectora tigris habes.
Caune, iuva, pereo, lento conſumor in igne:
Saevitia dicar, Caune, peremta tua.
Caune, iuva, potes eſſe minus crudelis amanti:
Caune, metus ſceleris cur tibi vanus obeſt?
Quam bene fraterno circundabo brachia collo;
Oſcula complexo quam bene multa feram?
Quam bene, cum libeat, pariter ſecreta loquemur?
Quam bene, cum libeat, verba futura palam?
Frater amat merito, dicet, quicumque videbit:
Quidquid erit culpae ſanguinis umbra teget.
Quam bene Biblin amat frater pius; inde ſororem
Diſcet ab exemplo frater amare tuo.
Quã bene Biblis amat fratrẽ ſoror; binc quoq; fratrem
Quae ſoror, exemplo diſcet amore meo.
Eveniunt magnae ſic nobis praemia famae:
Et pia poſteritas vix habitura fidem eſt.
Et pater haec natis, cariſque nepotibus aevo
Fractus in exemplum commemorabit avus.
Et teneris nutrix ſemper narrabit alumnis,
Dicens, ſic ſoror, & tu quoque frater, ama.
Tu quoq; frater ama & quae mox exẽpla daturus,
Iam ſtatue in miſera Biblide, tempus erit.
Neſcio quae mihi ſcaeva animus preſagia dictat;
Elapſi calami ſum modo facta memor.
Omen habet lecta neque littera parte placebit:
Cum calamo exciderit ſpes quoque tota ſuo.
Et mihi nunc illud, nunc illud pallida fingo:
Haec, dico, ſortis tam mala cauſsa meae eſt.
Vulneris indicium nimis, ah, temeraria feci;
Haec tacito fuerant corde premenda mihi.
Cur etiam mutis commiſi verba tabellis?
Debueram praeſens rectius ipſa loqui.
Adſpiceret flentẽ, & lacrimas miſeratus amantis,
Commoto placidus pectore ferret opem.
Irruerem collo, vultuque adfixa negantis
Mollirem adſidua pectora dura prece.
Forſitan & famuli quaedam ſit culpa ferentis,
Tempora qui dandis non ſatis apta leget.
Haec mihi, Caune, utinam tam vana! pericula finga
Quae mihi tu, cupias, tollere, Caune, potes.

Quae

Digitized by Google

Quae mihi tu tolles, aut me tibi. Delige Caune.
Ius mihi tu vitae, Caune, neciſque tenes.
Si ſervas, novus ecce Deus narraberis orbi;
Namque, homini vitam reſtituiſſe, Dei eſt.
Si perdis vero, offenſam ſervabo ſub imis
Manibus, & Stygias exſtimulabo Deas.

A *Quin etiam e triſti dicet convitia buſto*
Littera vix ullo deperitura die.
Tuta fides nuſquam eſt, mortalia diſce viator:
Hic iacet a ſaevo fratre peremta ſoror.
Caune, Deum malim: ſed tu quoque rectius optes
Eſſe Deus; pietas hoc dabit una tibi.

ARGVMENTVM.

CEphalus, quum in monte Hymetto venaretur, ab Aurora ob formae elegantiam raptus eſt: quem ut comperit dea Procridis coniugis amore implicitum a ſe velle divertere, fecit ut mutata ſpecie remiſſus Athenas contenderet, & muneribus eius pudicitiam tentaret, quod fecit, & expugnavit: Procris autem ubi comperit a marito Cephalo ſe eſſe deceptam, prae iracundia conſpectum eius dedignata in ſilvas abiit, ibique has literas ſcripſit, in quibus perfidiam, & flagitium admiſsum illi exprobraret.

PROCRIS CEPHALO.

EN tibi quae, Cephale, e ſilvis luſtriſqi ferarum
Triſtis ab ejecta coniuge cera datur.
E ſilvis, quas ſum magis eſſe experta benignas,
Quam mihi vel thalami, ſaeve, fuere tui.
Nomina non poſui mea, quae cognoſcere nolis;
Et cavi indigno ne tibi iuncta forem. [ſti,
Nil minus & quae ſim, & quid feceris improbe no-
Impia ſi memorem mens tamen eſſe ſinit.
Quin etiam quod ſum coniux tibi ſcripta, putabis
Opprobrium ſceleris, non titulum eſſe tori.
Sed tua cur poſui? debebam omittere certe,
Nullaque qui ferres nomina dignus eras.
Scribere quae nollem ſors non ſatis aequa coegit,
Impletur tarda vix bene cera manu.
Atque utinā nequeam, vel ne tibi ſcribere ſaltem,
Aut ex deſertis cogerer ipſa locis:
Coniugis e ſilvis nec coniugis ergo tabellas
Coniux nec coniux tu, ſcelerate, leges?
E ſilvis, inquam, coniux ubi coniugis exſul
Subſtinet exilii taedia lenta ſui?
Mentiris ſaevus titulum male coniugis hoſtis,
Foedus amicitiae vulnera dira facit.
Non bene conveniunt bona nomina coniugis hoſti,
Nomina non hoſtis ſunt ſatis apta viro.
Altera ſubſtineas cum non bene, proxima praeſtas;
Proxima debebas, altera nulla forent.
Nunc me vir laedis, thalamique es nomine tutus,
Et ſpem caſtigas, perfidioſe, meam.
Quid querar infelix, aut quo ſubſpiria vertam?
Saeva manu iubeor vulnera ferre viri.
Quoque magis doleam facit impia coniugis ira.
Plus mihi plus coniux vulneris hoſte facit.
Haec quis vera mihi venienti credat in aevo;
Aut, quam res ſuperet, poſſit habere fidem?
Scilicet hoc addis ſorti crudelis iniquae,
Audeat ut nemo credere facta tamen.
Sic quamvis ſcelere ante alios immanior omnes,
Iuſta feres ſceleris praemia nulla tui.
Sed tamen & placet hoc, iuſtaeque ſatisfacit irae:
Hoc mihi vindicta eſt accipienda modo.
Quaeque negata via eſt, quo non etiam ire liberet,
Inferet audacem littera noſtra pedem.
Mille tibi quae pro domina convitia dicat;
Hei mihi, quod poenae non ſatis illa ferunt.

B *Sed quoque ſubficient animo, placabimur iſtis:*
Coniugis opprobrio maxima poena venit.
Ah, cur me miſeram genitor tibi iunxit Erechtheus?
Cur mihi coniugium fata dedere tuum?
Coniugium averſus quod faſtidivit Olympus;
Pronuba non Iuno, non Hymenaeus, erat.
Funereas tenuere faces & Erinnyes atrae,
Et gemuit thalami in culmine bubo ſedens.
Et mihi quos ſequerer gemitus rauco edidit ore:
Et mihi triſtitiae praeſcia ſigna dedit.
Coelum incuſabam, magnoque ſepulta dolore
C *Triſtia deflebam damna ferente Deo.*
Et nunc ille meus, dicebam, poſcitur aſtris.
Sacra Iovi puero pro Phryge pocla dabit.
Praetulit aut Ceres alma ſui Iaſonis amori,
Aut forte amplexus Endymionis habet.
Aut dignata illum eſt Cytherea Cupidinis armis.
Digna quidem tanto numine forma fuit.
Omnia ſic timui, quia cauſſa timoris ubique
Iuſta mihi & noram facta fuiſſe Diis.
Invida coelitibus vivebam, accenſa dolore,
Sed mea ſolabar fata in honore tuo.
D *Iamque tua levius cauſsa mea damna ferebam:*
Hoc etiam, ut vellem ferre, iubebat amor.
Et bona ſpondebam per te mihi gaudia demens,
Et per te faciles in mea vota Deos
Et quicumque mihi Cephalum Deus abſtulit, illi,
Aiebam, noſtrae curaque ſortis erit.
Improbe, ſed viſum eſt tibi ſpes eludere noſtras,
Nullaque pro rapto cauſſa timoris erat.
Ignoſcat coelum, neque quae convitia fecit
Sentiat ultorem lingua maligna ſuum.
Impietatis opus ſumma pietate tueri
E *Fas mihi ſit; cari coniugis uſſit amor.*
Sed piget, & iam quas merui non deprecor iras:
Obruat hoc ſaevo Iuppiter igne caput.
Impia quae numen pro te ſcelerare Deorum
Non timui; crimen tu, ſcelerate, facis.
Me feriat rutilo qui voluitur ignis in axe:
Poena mihi certe quaelibet apta venit.
Quin etiam omne genus poenarum miſceat aether;
Par nondum ſceleri poena futura meo eſt.
Exſupero, patiarque minus: non Tartara caeca,
Non mihi ſupplicii ſat Rhadamantus habet.
Adde quod & meritis ſe iunget promta voluntas;
Dignaque quae patiar omnia, laeta feram.

Cun-

Digitized by Google

Cuncta libens', animoque nihil trepidante subibo;
Mens tantum meriti conscia robur habet.
Tantum animus iusta laesus qui exaestuat ira,
Supplicii certe non timet omne genus.
Et mea vindictam de te mihi poena datura est;
Et quicquid patiar muneris instar erit.
Huc properate necem, summo si numina caelo
Degitis, experiar vestra quid ira queat.
Ergo viri posthac audebit credere amori,
Si sapit, exemplo femina nulla meo.
Nullaque cum fido solatia coniuge quaeret,
Candida sperabit tempora nulla sibi.
Quamlibet & sancte flammantem iuret Olympum,
Advocet & testes in sua verba Deos.
Quamque volet, tuto nequeat quia credere nolet:
Omnibus est uno in te violata fides.
Perfide sic ergo es nostras ingressus in aedes,
Ut pessum nomen coniugis omne dares?
Cur autem coniux non sat tibi casta videbar;
Laesa pudicitia est quo tibi visa modo?
Scilicet iniecit tantum tibi forma timorem
Nostra, fuitque aetas fraudibus apta capi:
Credere adulterium facies, annique iubebant;
Moribus haec igitur plus valuere meis?
Et tamen ipsa domus domino nimis anxia rapto,
Signa sub adventum sat tibi casta dabat.
Quocumque adspiceres, impleverat omnia luctus,
Ut solet in domini funere maesta sui.

A *Nec facilis vero mecum data copia fandi est,*
Vix aditum strucli mille dedere doli.
Quumque tibi conspecta fui resupina cubili,
Aptus adulterio non mihi vultus erat.
Non aliter Cytherea suum deflevit Adonin,
Quem ferus indomito dente necarat aper.
Omnia quae diris poterant avertere coeptis,
Exitio fuerat mens nisi certa meo.
Ingrederis, miseramque nimis solaris, & aurem
His tibi principiis conciliata dedi.
Vtque tuis deinceps via fraudibus amplior esset,
B *Leniter adloquio mens mihi capta tuo est.*
Progrederis, finemq; premis, iamque ultima poscis
Turpiter, atque audes solicitare fidem.
Quam tunc pugnavi votis contraria vestris,
Immensae damnans impietatis opus.
Et quoties uni, dixi, mea gaudia servo;
Quid frustra tentas? unius uxor ero. [gis,
Attamen haud cessas, praecibus quoq; munera iun-
Qualia coelicolae saepe dedere Dii.
Victa fui tandem, sed quis mirabitur illud?
Mens aberat saevo fracta dolore mihi.
C *Et mea simplicitas tam magnis fraudibus impar,*
Muneribus cecidit non bene victa tuis.
Hei pudet, at toto nihil est in crimine nostrum:
Solus & opprobrium criminis omne feres.
Vlta satis pereo; satis haec mihi poena, quod olim
Perdita narrabor femina fraude viri.

ARGVMENTVM.

MYrrha Cinyrae filia patris amore accensa, quum spes potiendi nulla esset, subspendio liberare sese conatur, sed nutrix audito strepitu in conclave virginis irrumpens coepta prohibet; cognitaque caussa commiserata pollicetur operam. Itaque solemni Cereris festo, matre operante, noctu eam ad patrem deducit; ille vero tertia nocte videndae cognoscendaeque amasiae cupidus, lumen inferri iubet. At quum filiam esse cognovisset, stricto ense eam insequitur, profugientem in insulam, ubi & misericordia Veneris post partum in eiusdem nominis arborem est mutata. Ante tamen quam mutaretur hanc epistolam patri, animum eius tentatura scripsit.

MYRRHA CINYRAE.

ERgo tuos oculos nostrae violare tabellae,
Et sacrum audebunt solicitare torum?
Nec satis est peccasse semel, peccabitur ultra;
Atque scelus certum nescit habere modum?
Tentandum est; Fortuna dabit fortasse roganti,
Quod mihi iura negant; haec via sola patet.
Stultum est amissi iam damna timere pudoris,
Et bene velantur facta priora novis.
In dubio est animus quo te bene nomine dicam,
Cumque ego perdiderim, quod mihi nomen erit?
Anne parens dicam? sed fecisti esse parentem.
Filia? sed coniux filia facta tibi est.
An pater, & coniux? quo vero proloquar ore?
Nomina conveniunt non ea iuncta simul.
Qui pater est, illi non nomina coniugis aptem?
Et coniux etiam non pater esse potest.
Neutrũ & utrumq; mihi es, sed nec iungetur utrũq;
Si neutrum dicam, quod tibi nomen erit?
Sunt antiqua patris, multis quae tradita ab annis
Nomina; coniugii sunt modo nata mihi.

D *Coniugis imposuit tibi sors, Natura parentis:*
Praeteritis dicam coniugis ergo patrem.
Coniugis & quanquam plus forsan nomina possent
Hoc tamen in casu defugienda reor.
Blanditias illic aptas fortassis haberem,
Et tua mollescat lusibus ira meis.
Sed quo blanditiae, quas plena opprobria frangunt
Testes fortunae quas habitura meae?
Quid, miseram quae me fecerunt, nomina ponam?
Quas semel evasit naufragus horret aquas.
Quum vero offensae meritam nunc deprecer iram,
E *Offensae certe caussa tacenda mihi est.*
Quumque sua periisse velim mala nomina causse,
Non irae tibi sit, non mihi caussa precis.
Filia peccavi, non coniux. Filia dicam,
Filia pacatum sentiat esse patrem.
Filia peccavi, mala filia, filia, dico:
Peccato at supplex filia facta suo est.
Quod si delicti gravitas vetat esse benignum,
Iura mihi faciant sanguinis esse tamen.
Non minus esse quidem offensae tibi debuit usquam:
Verum nec veniae spes mihi promta magis.

Pi-

Digitized by Google

Filia ſi patrem quandoque offenderit, illi
Parva ſat in magno crimine poena facit.
Peccavi, fateor, peccato obnoxia magno;
Peccato at venies laus tibi magna meo.
Da veniam, lapſumque dolenti ignoſce benignus;
Poena gravis ſatis eſt criminis ipſe dolor.
Inſpicias autem, iuſtoque examine crimen
Perpendas, veniam protinus ipſe dabis.
Quid, precor, admiſſum eſt? adamavi filia patrem.
Filia non igitur debet amare patrem?
Filia dilexi, ſed non ut filia, patrem.
Filia ſed volui coniugis eſſe loco.
Filia nulla ſuum potis eſt ſat amare parentem,
Nec natam votis ſubficit eſſe meis.
Vlterius pergo, quoque exſtimulabar amore,
Dicebam infelix, nulla negata via eſt.
Sunt in amore gradus, ſuccumbit filia matri:
Quamque velit palmam victa tuliſſe nequit.
Invidi, ſed & haec pietas eſt, aemula laudem:
Et magno optavi par in amore forem.
An ſcelus hic amor eſt igitur, poenamque meretur;
Atque mihi pietas criminis inſtar erit?
Ergo ſuprema mihi votorum meta negatur,
Nec tutum patet ad culmen amoris iter?
Nulla quidem coelo ſubducta cacumina greſſum
Admittunt facilem culmine tuta ſuo.
Si quis at exſuperet veſtigia fixa tuetur,
Gaudiaque exacti plena laboris habet.
Adſcendi, & magno ſuperavi culmina niſu;
A patre deiicior non ſat amata meo.
Haec igitur noſtri ſunt praemia iuſta laboris,
Atque odium in ſummo cogor amore pati?
Filia non eſſem, plus quam tibi filia certe
Eſſe queam. O voti terminus ille mei eſt.
Eſſe minus cogor, quia ſum. Mihi filia poſthac
Expers ullius nomen amoris erit.
Sanguis & officium quum poſcat ab omnibus, una
Dicar ab officio libera facta meo.
Ah cur non vitae coelo mihi fata ſub iſto
Ordia donarunt, quod mea vota ferat.
Turpia Barbaricae facimus convitia genti,
Vllaque vix hominum nomina ferre damus.
Attamen & patrem plus filia diligit illic,
Et minor obſequio noſtra puella pio eſt.
Et pietas illic ſumma eſt quod crimen habemus,
Et iuſtae facinus praemia laudis habet.
Quaeque ſoror fratri fuerat, fit mater eidem;
Atque pius nati nomina frater amat.
Nec matris quaequam pellex, nec adultera patris
Dicta per opprobrium turpiter ulla fuit.
Sed pietas ſurgit duplicato maior amore,
Et gemina obſequium cauſſa fidele iubet.
Et merito; nam quid certe ſunt nata paterque?
Nomina Naturae cognita nemo putet.
Sanguinis indicium, quod mitior horreat omnis,
Et lex in poenas ingenioſa dedit.
Et cur iura vetant, poſtquam Natura remittit;
Siccine Naturam iura ſuperba regunt?
Ipſi exempla Dii praebent, & laudat Olympus,
Nec bene Naturae ius ibi damnet opus.
Ecce Tonans natus Cereri eſt, & nata Tonanti
Lurida Perſephone regna Acherontis habens.
Et nato eſt mater coniux, & facta parenti
Filia, nec probro qui daret ullus erat.
Nomina nimirum complectitur omnia coniux,
Sceptraque ibi pleno numine geſtat Amor.
Tota quidem lato praeſens Oriente iuventus
Certatim thalamos optet habere meos.

A *Connubio & ſeſe tali putet eſſe beatam,*
Nec minus ipſa etiam forte beata forem.
Sed quia, ſupremae ſpectans praeconia laudis,
Eſſe minor fido nulli in amore velim.
Et mihi ſit genitor coniux, ego nata marito:
Vincula conſtringunt haec geminata magis.
Ergo ut me tetricis etiam bene legibus aptem,
Victa maritali turpiter igne ferar?
Damnaque quae cunctis iuſtae mortalibus arcent,
Damna mihi longe maxima ſponte dabunt?
Ergone dum ſancto nullis in amore ſecunda
Eſſe velim, mihi vir nullus amandus erit?
B *Ergone dum greſſu propero ad faſtigia laudum,*
Continget primo non mihi ſtare gradu?
Felicem dico toties te coniuge matrem,
Percitaque invidia non tamen eſſe velim.
Laetor, & invideo: quis credat vera loquenti?
Vtraque in utroque eſt cauſſa parente mihi.
Et laetor, tenere quoniam mihi mater amatur;
Invidiaeque mihi eſt cauſſa paternus amor.
Gratulor, & matri ſatis officioſa maritum,
Ille tamen poſſet non pater eſſe velim.
C *Sic ſpes blanda mihi longos ſoletur amores,*
Et tamdem votis ſim fruitura meis.
Quique futurus erat fracti illi terminus aevi,
Iſte daret plena gaudia noſtra manu.
Nunc nullus votis finis ſperabitur iſtis,
Nullaque tam magni meta laboris erit.
Vtque gravi ſaxo nigra Taenara Siſyphon urgent,
Sic ego ſub ſaxo non leviore premor.
Hei mihi, cur natam Cinyrae me fata dederunt,
Aut infelici cur pater ille mihi eſt?
Cur non, quum placida peterem ſolatia morte,
Corporis eliſa fauce pependit onus?
D *Cur mihi conatus fregit male ſedula nutrix;*
Cur non mandatum zona peregit opus?
Vita quidem certe quod non velit atra dediſſet
Mors mihi; quaeſita eſt inde negata tamen.
Promiſit finem nutrix miſerata dolores,
Dum leto inſtantem vult revocare pedem.
Implevitque fidem, quantum res tanta ferebat:
Sed mihi principium vix tamen ipſa dedit.
Concubitus inter primos, atque oſcula prima,
Finem concipiens ſpes violata mea eſt.
E *Scilicet hoc miſerae, caecis quum freta tenebris*
Auſa fui in thalamos turpiter ire tuos,
Praeſcius infauſto praedixit carmine bubo,
Et ſenſi offenſo non bona ſigna pede.
Quoque magis doleam, ſubii tibi nata cubile,
Nec potui caſtum nata referre pedem.
Facta tibi coniux ſum turpiter, inque parentis
Strata loco, feci nata parentis opus.
Nec coniux, neque nata tamen. Quo nomine dicar?
Amiſi quicquid nominis ante tuli.
Amiſi memet, nec, quo circumferar, uſquam
Invenio, tanti cauſſa mihi ipſa mali.
F *Praeterea infelix uterus quem ſubſtinet infans,*
Non illi genitor, non quoque mater erit.
Tene patrem dicat? ſed avum quis neſciet eſſe?
Me matrem? nato ſum ſoror ipſa meo.
Et patrem quoties, te dixerit eſſe ſceleſtum
Impius, opprobrium nomina ſancta ferent.
Et quoties matrem, turpes damnabit amores,
Victaque ſub nato iudice mater ero.
Adpellabit avum? nolint hoc nomina patris;
Sic patrem, ſic te nemo vocabit avum.
Me dicet, matris non audens voce, ſororis?
Sed mihi grata magis nomina mater habet.

Sed

Digitized by Google

Sed quaecumque tamen dicet, male nomina dicet:
Opprobrium ſceleriſque impius uſque dabit.
Impius, at nullo laeſurus crimine famam:
Impius at ſceleris nos quoque cauſſa ſumus.
Commoveant haec te, ut poſita mihi lenior ira
Sis coniux; neque iam nomina patris amo.
Nomina iam patris non convenientia damno,
Et coniux, quod ſum nunc tibi facta, ferar.
Nomina non ultra quicquã mihi ſanguinis obſunt,
Nomina coniugii nulla pudenda mihi.
Obvia nam pridem comitante Cupidine Cypris,
Fecit ne, poſito ſanguine, nata forem.
Vtq; ſubinde hominum commutant numina formas,
Quaſque libet donant, ſic mihi ſancta Venus:
Quicquid erat patris Cinyra tibi, ſuſtulit omne:
Quicquid erat natae ſuſtulit omne mihi.
Quid refugis Cinyra retro veſtigia torquens?
Non mihi iam pater es, non ego nata tibi.

A *Libera complexo poſthac tibi baſia figam,*
Et nullum noſter crimen habebit amor.
Participem nullo admittet cum crimine lectus,
Sanctaque coniugii pignora utrique dabit.
Per quae te, Paphiaeque oro per numina ſupplex;
Pondera perque uterus quae tua noſter habet.
Da mihi quod Venus alma iubet, nam pectora recte
Coelicolum donis aemula nemo gerit.
Da mihi quod Venus alma dedit, tua poſtulo nulla,
Sunt mea, quae poſco: Cypride dante tuli.
Quam vereor ne mox a te Venus exigat ipſa,
B *Et tua caſtiget furta ſeverus Amor.*
En Cinyra, fidae moneo te coniugis inſtar,
Ante mihi coniux quam tamen eſſe velis,
Eſſe velis aevum Cinyra tibi diva beabit;
Eſſe neges, iam te triſtia fata manent.

ARGVMENTVM.

MInos, Iovis, & Europae filius, quum vindicare Androgei filii caedem vellet, Megaram, qua in urbe regni ſedem Niſus fixerat, obſedit. Scylla, Niſi filia, ſaepe moenia urbis adſcendens, animi oblectandi cauſsa, propter lapidem vocalem, qui ob depoſitam ibi ab Apolline aliquando lyram, ſuavem ſonum edebat, ut animadvertit in caſtris Minoem cultu regali ſplendide ornatum, forma capta in amorem eius incidit, cuius quum potiendi nulla ſpes eſſet, ut mutuum amorem impetret, promittit ei litteris ſcriptis victoriam, delecto traditoque purpureo patris crine, quo fata patriae continebantur. Sed Minos proditionem accepit, proditricem vero deſeruit.

SCYLLA MINOI.

HAnc Scylla obſeſſa Minoi ex urbe ſalutem
Mittit, & optet amans addere poſſe ſuo.
Hei, cur non licet hoc, tua cum ſit? nempe decebat
Eſſe ſuum, quum ſe dixerit eſſe tuam.
Non bene, ſi tentes, diſtungi haec nomina poſſunt:
Alterutrum ſi quis tollat, utrumque perit.
Non tamen accuſo, neque noſtri es certus amoris;
Atque vices forſan cognitus ille ferat.
Ingredienda via eſt maeſtae quae conſcia mentis
Noſtra tibi referat veſtraque vota mihi:
Littora dum late Minos Lelegeia vaſtas
Enſe fero, Scyllae pectora vaſtat Amor.
Vrbi mortalis tu pugnas, maximus ille
Arma deus tenera in virgine ſaeva gerit.
Excitat Androgei te debita manibus ira,
Iuſtaque damnatum cauſſa tuetur opus.
Nulla illi offenſa eſt, niſi ſi quam ſumſerit ipſe:
Eſſe Deo imbelli in virgine nulla poteſt.
Et te laus manet, & clarus cum laude triumphus:
Illi cum nulla laude triumphus erit.
Si non hoc illi fortuſſe merebitur unum,
Sub iuga quod domitam iuſſerit ire tua.
Et meriti certe hoc magni iuvat inſtar habere,
Omnis in hoc uno cardine vertit honos.
Sed cape iam noſtri cunabula prima laboris,
Et miti, ut debes, omnia mente lege.
Regia ſublimi ſe tollit in aethera turris
Vertice, ſpes urbis magna decuſque meae.
Plurima vicinis vocalia moenibus haerent
Saxa, lyram hic poſuit pulcer Apollo ſuam.

C *Impreſſitque notam, quo poſtera noſceret aetas,*
Et dedit acceptos ſaxa referre ſonos.
Saepe illuc laeta conſueta adſcendere pace,
Ferret ut excuſſus gaudia plena lapis.
Hei mihi, cur tenui vix pacem murmure dico,
Aurea qua mundus ſecula dante capit?
Maxima triſtitiae mihi, pax cur aurea, cauſſa eſt,
Nomina cur animo ſunt ea nota meo?
Scilicet illa foret, conſtarent gaudia noſtra:
D *Illa fuit quia, nunc iſta fuere mihi.*
Bella vehis, Minos, & patria concutis armis
Littora, graſſatur militis ira tui.
Bella probo tamen, (at quam tu non hoſtis amanti
Eſſes optarem.) Te mihi bella dabunt.
Tu mihi plus multo es, Minos, inviſaque pacis
Tu mihi, tu Minos, nomina grata facis.
Priſtina pax noſtris placide ut dominetur in arvis,
Non poſſim laeta te ſine pace frui.
Intima crudeli flagrarent viſcera bello,
Tu pacem mihi per triſtia bella dabis.
E *Ecce ut in hoc caſu tot ſe contraria iungant;*
Et veniant quae tu poſſe venire neges.
Quis Deus ab priſcam non aequo lumine ſortem
Vidit, & in luctum gaudia noſtra dedit?
Priſtina ubi adflictae quaero ſolatia mentis,
Edita triſtitiae cauſsa repente fuit.
Nam te conſpecto ſaevos bauſi oſſibus ignes,
Meque tuus meus per lumina cepit amor.
Sic mihi qui patriae communi nomine terrae
Hoſtis in extremi debuit eſſe loco.
Plus mihi quam genitor, plus quã cõmunis amatur
Patria, & adfectus poſſidet ille meos,

Tur-

Digitized by Google

Turpiter occulta peredit mea viscera flamma,
Quemque parat patriae me prius igne terit.
Crimen in hoc ullum iuvitque Cupidinis arcus,
Vexit & in venas missa sagitta deum.
Tu mihi, tu Minos deus ille es, tu mihi numen,
Omnia tu coeli fulmina solus habes.
Es mihi tu quodcumque polus vehit axe deorum,
Tu me ut ames timeam non ego tela Iovis.
Sed cum caelestis venerer te numinis instar,
Fac venias votis mitior ipse meis.
Quasq; preces facio supplex, lacrimasq; profundo,
Mente legas placida, mens decet ista deum.
Scilicet humanis offensa erroribus iras
Condonant precibus numina laesa suas.
Te tamen haud laesi, nisi si quid laedit amando
Integer, & plenus simplicitatis amor.
Si tamen hic aliquod fortassis crimen habebit,
Res agitur patriae, non tua, damner ibi.
Officium tibi sit quo patria laesa putetur,
Supplicium haec mihi, tu praemia iusta feras.
Praemia dum referam per te donata, profecto
Nulla dabit patriae vindicis ira metum.
Et quovis facile eludam sub iudice culpam,
Nullaque quae feriant fulmina legis erunt.
Fata regunt orbem, dicam, res fata gubernant:
Fata solum patrium, me gravis urfit amor.
Fata negant homini iussam deflectere sortem;
Impiger occurras, iam tibi parcit amor
Non aliter dubiis nimium mens provida rebus,
Noxia quae levius noverit esse, legit.
Et tamen hoc ipsum, sceleris quod culmen habetur,
Immensae faciam sit pietatis opus.
Aspera fata tuis vinci armis nostra volebant,
Nostraque sub vestrum mittere colla iugum.
Quanta sed innocui metuenda impensa cruoris,
Saevaque victoris civibus ira fuit.
Et patriae magno iussis sub legibus esse
Constet, & opprobrium sors tibi laeta ferat.
Avertique, & habet tua nunc victoria laudem,
Iussaque devictis mitia ferre dedi.
Servare ut possem perdenda erat: artibus ergo
Laesa tibi patria an salva putanda meis?
Patria servata est, servatum quicquid in illa
Impius hausurus sanguinis ensis erat.
Quid, precor, accuser tanquam scelerata parentis
Ausa sacrum fuerim sic violare caput.
Mille neces uno pariter sunt crine redemptae,
Debebat pater hunc civibus ipse suis.
Me totam impendi, iacturaque maxima nostra est:
Nostra quidem fuerit iusta querela magis.
Laetor at impensa quod patr a libera tali est,
Vilis ego, & patrio cuncta minora solo.
Impietas haec est, & poena digna severa?
Nullius officium grandius esse reor.
Nulla mihi posco praeter te praemia, Minos,
Praemia quae officiis sunt leviora meis.
Patria quae debet, quia debebam ipsa, remisi
Omnia; debueram nil tibi, solve mihi.

A O me felicem, si quid volo consequor, o te
Felicem, Minos, si mea vota dabis.
Quae dabis oranti, tua si vis certa tenere:
Si mea non cupies, da tua vota tibi.
Nulla tibi sine me succedent praelia, nullus
Numquam finito Marte triumphus erit.
Purpureus summo patri de vertice crinis
Haeret, in hoc patriae condita fata iacent.
Sospite quo nulla praeceps convulsa ruina
Occidat, exitium & posse timere neget,
Hunc ego substulerim, meta & tibi tacta laboris
B Vltima sit, voti sit quoque tacta mei.
Ecce rogo ut vincas, poteris sprevisse rogantem?
Iuncta meis tua sunt vota, negare potes?
Alterutrum dederis, dabis utraq;: victa triumpho,
Nec, nisi me pateris vincere, victor eris.
Si mea non cupies, neque vis tua gaudia, Minos,
Fata vices poscunt, da quod habere velis.
Si tibi de magno certe constaret amore,
Non, puto, difficilis in mea vota fores.
O quoties rigidi spectans certamina Martis
Pro vita facio pallida vota tua.
C O quoties, ne quis saevo te vulnere laedat,
Impia coelicolas voce fatigo Deos.
Vt vincas supplex coelestia numina posco,
Atque iuvo precibus sic tua bella meis.
Quum video, dii te, dico, genuere parentes,
Ista nec humano semine forma venit.
Arma geris? validis pendentia laudo lacertis:
Et par Gradivo diceris esse patri.
Corporis induvias in amato corpore laudo,
Tecta nec in caeca casside forma latet.
Impiger adducto diffundis spicula nervo?
D Diceris Ortygio non minor esse Deo.
Portat equus, fraeno & spumantia corrigis ora?
Materies oritur laudis & inde tuae.
Omnia quae tangis multum felicia dico,
Iamque, tibi quicquid tangitur, esse velim.
Impetus est rapido saltu descendere, perque
Hostica virgineos agmina ferre pedes.
Omnia deductis vel castra admittere portis,
Vel quo tu cupias vincere cumque modo.
Omnia perpetiar, faciamque tibi omnia, Minos
Te, Minos, potiar, tu potiare mei.
E Audendum semel est, & desperata salutis,
Qua liceat nobis, invenienda via.
Hanc miserae tua concedet clementia certe,
Aut erit adlata morte parata mihi.
Sed facilem spero, genus ut solet esse deorum;
Aspera Lethaeis corda premuntur aquis.
Et merui hoc uno, ne sis crudelis amanti,
Hostis quod patrii saevus amere soli.
Patria sit tibi dos, & pro victoria dote
Sit tua, cum patrio quam tibi crine feram.
Accipias igitur tua me in connubia, Minos,
Non maior casto iungi in amore potest.
Quem mea vota, illum quoq; habebit epistola finem.
Vt mihi tu dones posse valere, Vale.

IOANNIS MEVRSI
EPIGRAMMATA
ET ALIA QVAEDAM.
LIBER VNVS.

In Pecuniae cupidum.

Fortunam incusas, & nummos improbe poscis:
At certe plus quam dignus es illa dedit.
Esse cupis dives? Virtutem quaere, nec ultra
Quicquam: divitias haec dare sola potest.
Omnia habet, nec quid desiderat amplius, estque
Maxima in extrema copia pauperie.

De Patriae amore.

Omnibus iniecit patriae telluris amorem
Alma parens, statuens dulcius esse nihil.
Et brutis idem calor est, idem omnibus aestus;
Pro patria capiunt arma animosque sua.
Pro nido volucris depugnat prodiga vitae,
Tuta sibi cupiunt & sua lustra ferae.
Defendunt pisces summo uda cubilia nisu,
Et praedam hic pelagi furibus esse iuvat,
Mirarisne Ithaci quare prudentia coelo
Praetulerit patriam? desine, caussa patet.
Ille quidem erravit quum numen noluit esse,
Errori at veniam fas tamen esse pio est.
O nos felices, o terque quaterque beatos,
Patria quaeis coelum, terra sed exsilium,

In Divitias immodicas.

Spiras divitias, fulvumque incumbis in aurum!
Et misere insanum tam mala cura coquit.
Quin opta modicas, uteris rectius istis:
Navem praegrandis non bene clavus agit.
Ipsa parens posita est celso media aethere tellus,
Et contenta sua mole beata sedet.
Summas inter opes paupertatemque supremam
Dives eris medium si tibi sorte datur.
Semper utrumque animi mentem perturbat, in isto
Fungitur officio rectius illa suo.

De Verbis βρόχος, & βρόγχος.

Cur βρόχος & βρόγχος parvo discrimine Graecis?
Scilicet id multis est gula, quod laqueus.

Aliud.

Quum semper laqueus sit gutture laxior omni,
Cur βρόγχος guttur; cur βρόχος est laqueus?
Litterulis βρόγχος cur scribi pluribus optat,
Litteraque angustum cur βρόχον una facit?
An quia, si rectus tortori subpetet usus,
Frangendis debet faucibus esse minor?

In Numerum millenarium.

Erige me, & miseratus opem fer fronte benigna
Octo pro meritis praemia grata dabo.
Deiice me, & terrae resupinum in pulvere sterne
Octo non potero pristina, mille dabo.
Dic mihi prostratus quum tot tibi commoda reddā,
Erigis, an sternis? neutrum, & utrumque facis.

In Simulacra.

Nemo deos monstrat, quum tot simulacra deorum;
Aut igitur non sunt, aut simulacra dii.

In Obitum V. A.
ERRICI PVTEANI.
Consiliarii Regis Gall.

Tvne etiam moreris, Puteane, & luctibus orbem
Immergens laetus templa serena petis?
Et vitae satur, & mortalia cuncta perosus,
Nunc supera terras despicis arce tuas.
Te pia, te coniux infelix poscit ademtum,
Ingeminans vano nomen inane sono.
Te poscit proles, & planctu surda fatigat
Marmora, & immodico, ebeu! lavat imbre rogū.
Quid mirum? faciant etiam tibi numina lessum;
Aonides. Phoebus, Suada, Minerva, Venus.
Impleret magno pectus mihi carmine Musa,
Versibus innumeris tristia fata darem.
Sed quid opus? nā quo mittant mea carmina luctū!
Iam coelum plenum, plenaque terra gemit.

In Senem prodigum.

Dic mihi, cur vitam qui exegit sordidus omnem,
In senio didicit prodigus esse tamen?
In promtu caussa est: aevi dum terminus instat
Invidet heredi quas habiturus opes.

In Eundem.

Cur ille tamdem est prodigus factus senex?
Auferre fata mortuo quicquam negant:
Auferre cuncta mortuus quaerit tamen.

Ad Phoebum.

Tristibus in curis lucem decurrere miror,
Somnia cum nox tam laeta det usque mihi.

dQui

Digitized by Google

Quid precer? aut radios ut demat vertice, ſummo
Aeternum aut mergat Iuppiter Oceano.
Sic mihi nocturnus, qui non vis ire diurnus,
Diſcas felici currere Phoebe pede.

In Paullum quemdam.

Arrius inſidias ſpiranti ex ore ferebat,
Chommodaque, & fluctus Arrius Hionios.
Hoc male: ſed qui te norit, nequiſſime Paule,
Quam recte inflato nomine Φαῦλε vocet?

In Marcum.

Ambitio non mi, aut veſana ſuperbia pectus
Inflat, ait Marcus, ſimplicitaſque iuvat.
Sed coenas dum ſolicitus dum prandia captat,
An Marcus non eſt ambitioſus homo?

In Eumdem.

Si te nemo vocet, ſcurrarum maxime Marce,
Ira tibi criſpa plumbea nare ſedet.
Neſcis quam recte vindictam ſumere poſſis?
Nemo vocat? neque tu, Marce, venire velis.

In Malchionem.

Malchio dum luxu patrimonia perdidit ampla,
Nunc ſtipem paſſim corrogat ecce ſenex.
Miraris? noli, non hic miracula, lauta
Certe frugalis prandia coena decet.

In Battalum.

Cur propriae plena laudis praeconia bucca,
Et longa cantas carmine? nemo facit.
Nemo tuae ſed cur virtuti praemia ponit,
Aut nullo dicit carmine? nemo facis.
Hoc tu, non iſtud faceres, mi Battale, certe
Nemo non faceret, quod tibi nemo facit.

In Ollum.

Officii quoties aliquid confertur in Ollum,
Protinus haud meritum ſe bonus eſſe negat.
Scilicet excuſat, dum vult humanus haberi;
Et dicis cauſſa dat bona verba tibi.
Verba putas dici? non, ſunt veriſſima. Namque
Humanus non eſt Ollus: homo nihili eſt.

In Balbum.

Balbus habet nummos, verum non utitur illis.
Dicendus locuples an mihi pauper erit?
Balbus habet nummos, non utitur. An ne habet ergo;
An mihi dicendum, Balbus habetur, erit?
Balbus habet nummos, non utitur. An ne habet ergo;
An caret? o monſtrū eſt! atq; habet, atq; caret.

In Lesbiam.

Lesbia pulcra quidem, ſed formam Lesbia fuco
Corrumpit, ſic nec Lesbia pulcra tamen.
Vrbana eſt, nimium ſed prona in ſcommata fertur,
Eſt gravis, in fuſtum at Leſbia noſtra cadit.
Eſt comis, nimium at demittit Leſbia ſeſe,
Dum cuncta eſſe cupit Lesbia, ſic nihil eſt.

In Battalum.

Quae facio, fieri te dicis, Battale, nolle.
Et rigida damnas fronte ſeverus opus.
Pantolabus quidam dignus te, Battale, ſcurra
Mox eadem facit, & iam tibi facta placent.
Vis verum dicam? mentiris Battale, certe
Vis fieri, verum ne faciam ipſe tamen.
O bene quod dignum quid te ſit Battale noris;
Atque tuis unum hoc laudibus invideo.

In Quemdam.

Et tremulae duro crepitant ſub frigore malae,
Nec pes officium, nec facis ulla manus
Languentes rigidumque gelu tibi contrahit artus,
Cunctaque, ais, ſolus frigora ſubſtineo.
Cuncta at ſubſtineas cum ſolus frigora, mirum eſt
Cur alium quemquam ſaeva fatiget hiems.

In Quemdam.

Horridus exanimem Capricornus conficit annum,
Et terras ſaevo frigore bruma necat.
Ferreus iſte tamen venit ad ſua prandia nudus,
Vllaque defendit non toga denſa gelu.
Nec tibi mirandum: tum certe maximus aeſtus,
Et medio torret Phoebus in axe diem.

In Irum.

Frigora miraris paucis qui veſtibus Irus
Subſtineat? cunctis, quas habet, induitur.

In Neaeram.

Vna tibi invidiam cur forma Neaera faceſſit!
Non alia invidia digna Neaera tenes.

In Quemdam.

Peſſime nunc ficto te dicam nomine Petrum,
Ingenio veniat ne tibi fama meo.
Erravi, & vero te imprudens nomine dixi;
Durius ipſo etenim cor adamante geris.

In Chionen.

Quod Chione fuſco dicaris nigrior Indo,
Tune ſupercilium tollere ſtulta potes?
Neſcis impoſito tali ut male nomine patres
Cuilibet irriſam te voluere tui?

Ad Cytheream.

Pulcra quidem ſemper Cytherea es, pulcrior autem
Irataе pingit cum roſa verna genas.
Ergo gravi ſemper pectus tibi ferveat ira,
Forma viris niteat gratior ore tuo.

In Maccum.

Cur eſt in amplis Maccus opibus ſordidus?
Non audet uti quas pepererit turpiter.

In Pantolabum.

Pantolabus tantos habitos ſibi dicit honores,
Vllaque dicendis verba ſat apta negat.

Verum habuit nemo, quum dignũ haud crederet esse;
Dic; verum certe, an verba dedisse putas?

De Lingua.

Lingua quidem sexui cum sit communis utrique
Femineum praefert cur tamen illa genus?
Scilicet hic nulla sub compede libera regnat,
Solaque Naturam verba dedisse putes.

In Marcum rabulam forensem.

Dic mihi, tam promtas cur Marcus concipit iras,
Inque foro rixas ore tonante ciet?
Scilicet hinc illi quaestus redit; & locat iras,
Et vendit domino iurgia cuncta suo.

In simulacrum Iovis.

Viderat in templo saxi sub imagine Momus
Stare Iovem, & saeva tela coruſca manu.
Risit: & o coelum! o terrae, clamavit, inanes!
Creditis e rigida surgere caute Deum?

In Sabellicum.

Cur peierat Sabellicus? periurium
Sermonis esse haud criminis putat genus.

In Vaniloquum.

Cur quicquid narras modo Verba ad singula iuras?
Scilicet hoc opus est, ut mereare fidem.

In Quemdam.

Nulla mihi, dicis toties, munuscula posco:
Dono operam gratis, queis opus esse solet.
Ingenuus nimis est circum praecordia sanguis:
Hinc mendicantum turba facesse procul.
Ringeris interea nemo si munera donet,
Densaque contracta nubila fronte geris.
O bene: quam nemo mendicum dicere possit!
Sed tua, quod tumet non cupis; ira facit.

In Superbum.

Et genua cur superbe prensantur tibi?
Aurita nempe sunt tibi ista, non caput.

In Quemdam.

Iniuriam te facere amico dictitant:
Falluntur omnes, namque amicus nemini es.

In Iosephum Scaligerum.

Quis te bonus, IOSEPHE, *divinum neget?*
Coelum fatetur, & parat sese tibi.
Sed gloriaeque, & omnium mortalium
Saturo, deorum adire celsos ordines
Vbi libebit, coelitesque inter coli,
Memor clientis, & favens, da quam petit
Aeternitatem nominis; poteris Deus. (1)

IOANNIS MEVRSI
ACADEMIA
LVGDVNO-BATAVA.

IDYLLION.

RHenus ubi voluit pereunte languidus alveum,
Iungere se Oceano quaerens, ni compede vasta
Invidus iniectae Nereus prohiberet arenae,
Lenem cognati indignatus fluminis undam:
Vrbs peramaena iacet priscis contermina Cattis,
Dives aquae, & non una natat media insula, dicas
Cycladas Ionium variantes cernere marmor,
Saxeus hanc vastis late complexibus ambit
Agger, & includat, si non certo ordine portae
Diffringant, ac per vomitoria quina patentes,
In loca diffundant clausos circumsita cives,
Est locus a rauco semotus murmure vulgi,
Argivo doctas imitatus nomine Athenas;
Nonne olim, vitae tenuit quas virginis ardor,
Incoluere, novem nunc cum suo Apolline Musae.
Propter aquam; obiectae hanc geminae ripae umbo coercet,
Atque exire vetat, stat margine fixa superbis
Arbor densa comis, & terram vestit opaca,
Et rapidos ramorum abscondit imagine soles,
Defendens aestum; casci iures Hecademi
Et fontem & saltus illo transisse revulsos
Attide. Sic olim, si vera est fama, Palaemon
Italiae adfixos, violenta cuspide terras
Discutiens, alio Sicubos avexit, & inter,
Ne redeant, mediam induxit canam Amphitritem.
Haud alio ostendit se schemate; subter amaenum
Sternit iter via lata, & pulcro emblemate picta
Deiectos telluri oculos oblectat, honestum
Iniiciens iuvenum discendi mentibus ignem.
Namque pavimento in medio, qua circulus ambit,
Compositus fabre tesselarum ordo renidet,
Divisum referens numerosi carmen Horati,
COELO MVSA BEAT, *pulcrum, & laudabile carmẽ*
Iuppiter! atque loci Genio nimis illius aptum:
Inde quatergemina adbifidae auditoria valuae
Admittunt: illic Bibliorum arcana recludi
Auribus est bibulis docili transmittere menti.
Et rubras Themidos leges, & scripta Galeni,
Et prisci Historias aevi, & Mavortia Romae
Bella, quibus totum tandem compescuit orbem.
Gens Hebri & Graii quo res idiomate signent:
Et quid Aristoteles doceat barbatus hiantem
Discipulum, a falso verum ut discernere possit,
Et

(1) Heterodoxi hominis impietatem cave.

Digitized by Google

Et secluſa deae Naturae noſcere ſacra.
Quid trepidis mundi minitentur lumina terris,
Phoebe ades, eia, operiſque refer primordia tanti.
Tercentum & ter quinque fere natalis Iovae
Luſtra dabat mundo felix numeranda fideli,
Plenuſque October naſcente cacumina menſe
Exacuebat ovans Phoebes iuvenantis: Iberus
Quum Leyda, multo quam milite clauſerat arcte,
Deſerta, profugus per aquarum impervia ſtrata,
Arma minaſq; omnes ſimul unam fregit in urbem.
Iam ſemel immenſum Titan evolverat axem,
Et miſeros cives dura obſidione premebat
Infeſtus, plenuſque minarum, immania ſpirans:
Maeſtaque vix tenui ſolari pectora quiſquam
Spe poterat, quum iam ſubito Deus aethere celſo
Deſpiciens, ſortem Belgii miſeratus acerbam,
Circumfuſa modo admirando caſtra fugaret,
Vrbs etenim vaſto exſtetans ſe in gibbere terrae,
Poſtquam ab aquis nullam auderet ſperare ſaluti,
Ecce per oppoſitae diſiecta repagula ripae,
Moſa pater cornu ſpumanti effudit aquae vim,
Viciniſque immiſit agris: illa impete ſaevo
Paſſim qua via facta ruitque, atque obvia quaeque
Aequora camporum involvit, viride ſque Napaeas.
Nequicquam tamen obluctantia tubera ſcandit;
Iamque fatiſcebat, retro curſumque ferebat
Averſa: adſpexit ventorum flabra coercens
Aeolus immani (dedit illi hoc Iuppiter. Antro
Nec tulit hanc ſpeciē. Exclamans, prò dedecus! inquit.
Ergone devictas ſubſidere turpiter undas!
Ergone nil vires Nereu te intendere alumni
Sancte tui! per ego hanc dextrā, per ſceptra, tuamq;
Canitiem, per tot ſeclorum ſecla verendam.
Hoc pateris? veſtris tellus illuſerit undis?
Et truculentus Iber captae dominabitur urbi?
Quin age, vel pelage intercluſa per oſtia Rheni
Ingere, vel laſſo propera ſuccurrere Moſae,
Et durae populum adflictum tandem eripe ſorti.
Dixerat: ille nihil contra, neq; frangere vocem;
Inſontem immerito iuratus perdere gentem.
Aeolus at vehementi ardens exaeſtuat ira.
Pro ſuperi! exclamans iterumque iterumq; peribit
Gens pia ſubmiſſo debens ludibria collo?
Ferre iugum indocilis? pro libertate patrita,
Proque ariſque fociſque gerens iuſtiſſima bella?
Non ita: quin potius neq; enim committere fas eſt,
Ipſe viam inveniam, auxilia inſperata ciebo.
Protinus & Zephyrū Boreamq; e compede mittit.
Illi confuſo bacchantur flamine, & urgent
Deſertum per iter profugos incurrere fluctus.
Qui ſimul emiſſos ſenſerunt carcere ventos,
Et vires habuere novas, conamine magno
Acrius irruere, & tumidos populari er agros.
Vix ea contigerant coepit melioribus uti
Fatis Leyda, [Deo debetur gratia facti.]
Diffuſuſque hoſtis caſtra urbibus aemula linquens,
Eripuitque fuga celeri ſe, urbemque periclo.
Res miranda, & per ſeros memoranda nepotes,
Et miranda urbis conſtantia, debita cui poſt
Praemia perſolvens patriae pater optimus ille,
Auriaco clarum ducens de ſanguine ſtemma,
Quum tota arderet civili Belgica flamma,
Vicinas via difficiliſque arceret Athenas,
Detulit illuſtris magnos Academiae honores,
Aonides placans, & carmine rite peracto
Ex Helicone vocans Batavi in nova tecta Lycei.
Audivere illae faciles, vultuque ſereno
Eia age, dixerunt, Academia naſcere nobis.
Naſcere, dixerunt, Phoebo cum patre ſequemur
Vnanimes & dium trans Helicona feremus
Te propter, Batavoſq, aeternum habitabimus agros,
Naſcere, dixerunt, age naſcere, naſcere nobis.
En tibi ſurget bonos venienti maximus aevo,
Multorum namque ingeniis celebrabere ſemper,
Quos ſuper aſtra vehet nullo ſufflamine tardos
Fama agitans currus: illi cum numine divos
Indigetes auxere novo, coeloque repoſti,
Convivae ſummi Iovis, ambroſiam inter & hauſtus
Nectareos memores nutrici praemia reddent
Auguſta, & totum perfundent nomine mundum.
Sic Muſae: ipſe etiam roſeus natalibus huius
Paſtum equitem Oceano flagris undantibus urgens
Lucifer, eſt laeto teſtatus gaudia vultu.
Haec operis tanti incunabula prima fuere.
His natum auſpiciis viget, aeternumque vigebit,
Omnes Europae diſiunctas nomine terras
Implens, & late diffundens nomina Belgi.

Carmen Funebre.

IN OBITVM

Nobiliſs. Caſtiſſimaeque Matronae,

GELTRVDIS

a b

OLDENBERNEVELDT,

Filiae Nobiliſs. Ampliſſimiq; viri

IOANNIS

a b

OLDENBERNEVELDT,

Domini de Tempel, &c. Hollandiae Advocati, & Conſiliarii Principis, magnique ſigilli cuſtodis.

Ad Nobiliſs. Ampliſſimumq. virum

REGINALDVM BREDERODIVM

Dominum de Veenhuyſen, Spanbrouck, & Spierdiick, Supremi in Hollandia Senatus Praeſidem.

ERgone, qui laeto nuper modulamine feſtos
Gratabar (1) thalamos, nunc triſtia funera plangens
Antiquum perdam male grato Carmine munus?
Heu varios hominum caſus, & lubrica vitae!
Nec certum, aut ſolidum quicquam mortalibus eſſe
Fata volunt? tetricae confundunt omnia Parcae?
Seu iuvenis mundum, & coeli hoc ſublime tueris,
Et ſenium demens ſpondes tibi, paſſibus aequis
Mors ſequitur, falcemque minans exaſperat annos.
Sive hilarem ſecura citas ad pocula riſum,
Non exſpectatus perturbat gaudia moeror,
Coeca nocte ſatus, cuique eſt mortalia ſecla
Intempeſtivae ludus damnare ſenectae.
Sive thorum ſternens longum ſpe praecipis aevum,
Et multam ſobolem generis nova germina aviti,
Falleris, ah? & vota feruntur inanibus auris.
Omnia ſic humana ſibi contraria pugnant,
Alteriuſque odiis gravibus res altera iurat
Perniciem, atque truces infeſta incumbit in iras.
Florebat iam laeta domus, magnique Penates

For-

(1) Nempe ſororis Annae Brederodiae, cuius Epithalamium ſequitur.

Digitized by Google

Fortuna ridente nihil tam triſte timebant.
Non tulit hanc rerum faciem Adraſtea, benignae
Quae minus aequa deae furiata mente reſiſtens,
Eius dona mala perdit ve aut inquinat arte.
Scilicet Invidiae Fors eſt obnoxia ſemper,
Nec bene velle diu, aut veſtigia figere in uno
Certa loco potis eſt, devoluitur undique praeceps.
Quis Deus, humanis gaudens illudere rebus,
Diſcordes divas eadem ſub vincla coegit?
Quis teneat lacrimas, aut tali in funere luctum
Caſtiget, ſaeva niſi tigride ſaevior ipſe?
Miles equus Martis dura inter bella peremtus
En gemitum vectoris habet, fidoſque Moloſſi
Deflevere canes, funuſque habuere volucres:
Romaque in atrato muraenam Conſule luxit.
Poſſem utinam, poſſem veſano parcere queſtu,
Neve recenti animum rurſus percellere luctu:
At mens officiumque iubent, nec parcere fas eſt,
Dulciaque infelix poſcit ſolatia caſus.
Vnde autem, verbiſve quibus mulcere dolorem
Adgrediar! laudumne velim contexere peplum?
Accendam luctum, ſtudioque innoxia laedat
Forte inconſulto cupiens prodeſſe voluntas,
Dum repetam quali privatus coniuge vivas.
Sed ſolamen habe potius, quod munera coeli
Reddideris coelo: felix hoc nomine, felix,
Fortunam ſed noſce tuam, nec fata laceſſe.
Omnibus huc iter eſt, huc feſtino pede quiſque
Currit, & ignarus properat deponere vitam.
Hic hieme in gelida moritur, vere ille beato:
Hunc locuples autumnus, & illum corripit aeſtas.
Funera ſic quadruplex inter ſe dividit annus,
Ipſe etiam tam grande brevi poſt tempore funus.
Et noctеſque, dieſque, & celſi ſidera coeli.
Et coelum quoq; non mortis quicquam effugit urnã.
Omnia communi condit Natura ſepulcro,
Quod deſidetium ſi non fers, vivere credas,
Amiſſamque neges, bina quae prole relicta
Vivit adhuc, & tam praeſtanti parte ſuperſtes
Solatur moerentem, ac ſe tibi reddit in iſta.
Illa quidem vixdum ſuperato limine primo
Deceſſit, ſed feſſa viae pertaeſa laboris,
Indignata moras, quas dum ſe intenderet aetas
Promittebat adhuc, magnorum plena malorum.
Ac campo veluti viridi flos ſe aureus effert,
Luxurians inodoro in gramine, moxq; ſuperba
Exanimis momento in terram colla remittit:
Sic haec namque alia poterat non lege teneri,
Feminei fuerat generis quae floſque decuſque.
Et dudum certe laudum primordia quaerens
Diſtrahor, ac mihimet multum contrarius ipſe
Pendeo, dum pariter tot in uno corpore dona
Et video, & ſtupeo, nec quae ius prima putare
Dignoſco, certant ſic cuncta, & prima videntur.
Hinc recti mores, & honeſtae gratia formae,
Quam Venus indiderat dulci Coeleſtis alumnae.
Hinc pudor, & ſacri veneratio maxima lecti,
Dardanius quam non unquam expugnaſſet adulter,
Aegiſthuſve, Ithacive proci, non Iupiter ipſe
Qui Danaen fulvo fallax compreſſit in auro.
Inde decens probitas tenero maturior aevo,
Inque Deum pietas grandis, caroſque parentes,
Pignoraque, & fratres, & quae ſuper una, ſororem.
Singula qui memorem? brevibus comprendere oportet
In numeris. PERIIT LVX FEMINEI VNICA SEXVS.

EPITHALAMIVM
IN NVPTIAS:
Nobiliſs. ac Clariſsimi viri
GVLIELMI MARTIGNII
In Senatu Brabantico
Conſiliarii.

ET

Nobiliſs. atque Caſtiſſimae Virginis,
ANNAE BREDERODIAE
a
VEENHVYSEN.

SOL, qui declivus morientem digerit annum,
Exhibet en tuu vota tibi, MARTIGNE, benignus:
Ducitur in thalamũ poſtquam Brederodia Nympha,
Antiquum repetens generoſo a ſanguine ſtemma:
Nympha, cui invideat formam Venus aemula, (ſi fas
Taenareum eſt animis coeleſtibus addere crimen.)
Par myrto, in multos quã nutrit Hamadryas annos
Anxia ne ſiccis deſit radicibus humor,
Seque ſua indignata exſtinguat in arbore Terra.
Dicite felicem MARTIGNVM, dicite Muſae.
Hanc ſi olim Admeti vidiſſet Phoebus in agris,
Errares Daphne, nec laurus fallat amantem.
Nec tantum Theſei Minois amata fuiſſes,
Neve invaſiſſet deſerta cubilia Bacchus.
Ipſe etiam totum nutu qui temperat orbem
Iupiter, Acriſii neglecto carcere aheno,
Non Danaae in gremium ſeſe aureus inſinuaſſet.
Dicite felicem MARTIGNVM, dicite Muſae.
Macte toro tali, Aſtraeae rectiſſime cultor,
Quaerendo externos multum laſſatus amores
Prendiſti portus: ſic Alpheus transfuga Piſae,
Poſtquam illi pectus peregrinis ignibus arſit.
Flumina ſubduxit caeco intemerata meatu.
Trinacria donec vix tandem proditus ora
Manſit ibi, madidoque inventa Arethuſa cubili eſt.
Exoptata diu; mixatur dulcia Nais
Oſcula, nec credit ponto veniſſe maritum.
Dicite felicem MARTIGNVM, dicite Muſae.
Quis tibi Sponſe dies hic divũ munere praeſens?
Quam grato ſurgens illuxit lumine, crebro
Ante incuſatus non ulla obſtacla ferenti
Segnior ire polo, claroſque errare per axes?
Paſtor Amyclaeo rediit non laetior orbe,
Quum picta promiſſa abduxit furta carina,
Bella vehens Priamo, bella exitialia Troiae.
Theſſala nec talem viderunt Pelea Tempe,
Quum thalamum adſcendit pulcerrima Neptunine.
Dicite felicem MARTIGNVM, dicite Muſae.
Deſcendere dii coelo, vacat omnis Olympus,
Atque humeris levius iam pondus ſubſtinet Atlas.
Ortygia Phoebus, Niſa Semeleius Evan,
Iuno Samo, Lemno Vulcanus, & alma Cytheris
Cypria, Boeotoque adſunt Helicone Camenae:
In tua ſe certant effundere gaudia cuncti.
Dicite felicem MARTIGNVM, dicite Muſae.
Oceano veniunt Neptunus, & Amphitrite,
Doriſque, Panopeque, Eudoraque, Cymothoeque
Protoque, Eucrateque, Saoque, & pulcra Galene,
Spioque, Glauceque, Thaliaque, Cymodoceque,
Et quaecumque habitant cano ſub gurgite glaucis
Ne-

Digitized by Google

Nereides oculis ; & adesse ad gaudia certant.
Dicite felicem MARTIGNVM, *dicite Musae.*
Dona ferunt omnes, deceant quae numina dona,
Quas Tagus ingratas fluenti prodigus alveo
In mare volvit aquas, & caerula falsa colorat.
Sertaque, & Eois distincta monilia gemmis,
Docta ubi texta manu cernuntur nomina Nymphae.
Dicite Io iuvenes, & Io geminate puellae.
Plectra ferit Paean, lascivaque carmine molli
Fescennina canit. Choreas en numina laeta
Instituunt, nectuntque manus, & iubila tollunt,
Clamantes Hymenaee, Hymen, Hymen, Hymenaee.
Nil sine te Cytherea potest, Hymen, Hymenaee.
Nulla domus prolem sine te dat, Hymen, Hymenaee.
Dexter ades Hymenaee, Hymen, Hymen, Hymenaee.
Dicite Io iuvenes, & Io geminate puellae,
Hesperus en properante fero venit, Hesperus instat,
Qui referet thalamos, & vincula stringat amantū:
Qui teneros lusus, & dulcia praelia monstret.
Felices nimium thalamos, felixque cubile
Lacteolum recubans quo corpus Nympha locabit.
Dicite Io iuvenes, & Io geminate puellae.
Atque unctas reserate fores, deducitur ecce
Nympha: Ericyna, & lascivi comitantur Amores.
Inclususque pedem socco, frontemque corollis,
Ipse facem auricomam protendit praevius Hymen.
Atq; optat nunquā, aut nisi sero extinguere; Parcae
Longa manu cupiant producere stamina lenta.
Longa manu lenta producite stamina Parcae;
Condonate annos, & avaram fallite mortem.
Iuppiter ignoscet fraudi, poenamque remittet.
Dicite Io iuvenes, & Io geminate puellae.
Ipsi thoro Cypris pulvinar sternit eburno,
Castraque nocturnae metatur commoda pugnae;
Castra, in queis sueta est horrendū vincere Martem.
Dexter ades Hymenaee, Hymē, Hymē, Hymenaee.
Multa superiectam corrupit purpura vestem,
Palladis innuptae donum mirabile: namque
Indiderat varias industria diva figuras,
Intexens castos aevi fugientis amores.
Pyramus hic Thisbeque iacent uno ilia ferro
Tracti, albentem signantes sanguine morum.
Invidus hic paries miseros prohibebat amantes,
Oscula vix tenui non oscula mittere rima
Concedens saevus paries, saevique parentes!
Dexter ades Hymenaee, Hymē, Hymē, Hymenaee
Hic stabat Phoebe permista minoribus astris,
Pallidaque in nigrante micuebat cornua noctem,
Aspera mox oculis fata adspectura duorum.
Hic lea crudelis lapsos laniabat amictus
Ore cruentato: Thisbe hic pavida antra petebat,
Antra sacri infausto pendentia fornice saxi.
Hic niveum tristis morus spoliata colorem,
Infelix amor, & seros miserande per annos!
Dexter ades Hymenaee, Hymē, Hymē, Hymenaee.
Tuq; etiam Genius, Nymphae & tutor bona Iuno.
Iam iacet in thalamo tota optans mente maritum
Nympha, o Sponse *veni, quid gaudia tāta moraris?*
Sponte *veni, diffunde nuces. quid* Sponse *moraris?*
Forte quidem primis nolens luctabitur ausis,
Quum dabis amplexus toties, & mollia collo
Brachia lacteolo figes, atque unguibus iras
Expediet, verum tu contra audientior ito.
Ne trepida: nescit virtus invicta repulsam.
Nam finget tantum quod non vult velle quod ardet
Dissimulans: renuet tangi, nec tangere quicquam
Optabit nisi te manibus dum praelia pugnans
Miscebit, manibus fallax tua praelia pascet.

Dexter ades Hymenaee, Hymē, Hymē, Hymenaee
Prorue in amplexus, & firmo implectito nexu,
Arboreos hedera ut ramos circum implicat errans.
Spernet amās, lacrimis lacrimās sua gaudia prodet.
Tu lacrimas risum, subspiria gaudia cense.
Et, quod amare feret, renuas; non corpore mentem
Proferet illa suā. Negat? haud negat hoc, negat unū,
Sese omnem, quem incendit Amor, perferre, calorē.
Ergo ut laeta ferat, quod sperat tota, fugetque,
Sponse negans sequere, illa negantē laeta sequetur.
Dexter ades Hymenaee, Hymē, Hymē, Hymenaee.
Adrisit quantum vultu Fortuna benigno
Sponse tibi, *qui non lugentibus incola campis*
Aeger ages animam, invisas ubi myrtea celat
Silva domos, vivuntque truces a morte dolores,
Illis queis crudelis Amor sua vota negavit.
Dexter ades Hymenaee, Hymē, Hymē, Hymenaee.
At tu Nympha avido quandiu pugnare marito
Niteris? cessa: vana, & sine viribus ira
Est tua, seu pudor hanc ignarusve excitat ardor.
Aut, ubi conspicias te vi succumbere victam,
Cur quereré, ac vacuis humectans fletibus ora
Quid rosei violas vultus ingrata decorem,
Qualis ab Herculeis surgens complexibus Hebe
Ereptum deflet sibi virginitatis honorem?
Dexter ades Hymenaee, Hymē, Hymē, Hymenaee.
Parce, precor, non haec debent te damna movere,
Damna deae Veneri tot iam annos debita. Sunt haec
Iura thori: communem hoc pactus foedere lectum est
Coniux: quae culpa est sua si bona vindicat? ergo
Viere sorte tua, nec te tibi subtrahe flendo,
Improba neu perimas vesana gaudia mente.
Dexter ades Hymenaee, Hymē, Hymē, Hymenaee.
Quid steriles annos iuvet exegisse? iuventae
Nulla sinu Veneris cur munera colligis! aude.
Suadet Amor, noli certe contemnere divos.
Exerce aetatem, rapido fugit ocior Euro.
Forma bonum fragile est, nimium ne fidito, tempus
Auferet ignarae, rugasque inducet hiantes.
Nunc autem in pulcra mater laudabere prole, &
Quae periit forma haud periisse putabitur ulli:
Vt nec virginitas, quum tot circum ubera ludent
Tetrica fallentes curarum taedia natae.
Dexter ades Hymenaee, Hymen, Hymen, Hymenaee.

In Easdem Nuptias.

EPIGRAMMA.

OMnia iam matura, ingens maturuit annus,
Et rerum facies intemerata viget.
Ditat maturis Auctumnus fructibus hortos,
Multa ferens dominis munera grata suis.
Tuque etiam, multis vix tandem quamlibet annis,
Es matura tamen Nympha pudica viro.
Finiit in te tarda suos Natura labores,
Vt solido stares hoc mage firma pede.
Maturata cadunt, durant matura, solentque,
Grandia quae, tarde crescere, parva cito.
Felix maturo Naturae munere, sponse:
Vivacem spondent omina certa thorum:

In

Digitized by Google

In Clarissimi Praestantissimique viri,

IOANNIS HEVRNI

Libros Postumos

De Morbis Pectoris, & Faciei.

ODE.

QVis ille mentem praecipiti pius
Repente fervor diripit impetu;
Quis ardor imis in medullis
MANIBVS *est sacer* HEVRNIANIS?
Descende laeto dia IOVIS *pede*
Proles Tonantis, seu te HELICON *tenet,*
Sive imminens PARNASSVS *astris,*
Sive sacri iuga celsa PINDI.
Descende MVSA, *& conveniens Viro*
Impende carmen, dignaque laudibus
Da verba tantis, livor ater
Corda nequit tetigisse Divae,
Nil ille summis inferior viris,
Claruſque qua SOL OCEANO *exsilit,*
Currumque fessus mergit undis,
Invehitur celeri quadriga
FAMAE *perennis. Scilicet hoc dedit*
Parens HONORIS *perpetuus* LABOR,
Intenta curis mens honestis,
Aemula Caelitibusque Virtus.
Tuae sorores lumine blandulo
Videre natum, qua piger alveo,
Fractasque volvens RHENVS *undas,*
**Traiicit ex quo carinas.* *Vltraiecti
Quum crevit aetas, & ferulam manus
Timere coepit, traditur artibus;
Curaeque succedit parentum
Cura nihil minor imbuentum.
Hic illius nil ausibus obvium
Tardavit orsum, vividior fuit,
Omnesque doctorum suorum
Ingenio superavit artes,
Qualis sereno PHOEBVS *in aethere,*
Densis sepultus nubibus, impiger
Perrumpit obstantes tenebras
Lumine non patiente condi.
Dein ad magistros mittitur Italos
Hausurus altae mox sapientiae
Primos liquores. inde plena
Mente suo rediturus orbi.

A *Videre libros denique* APOLLINIS
Doctum parentes, atque peritiam
Sensere morbi. quos potenti
Depulit auxilio, & fugavit,
Sensere magnae vim sapientiae,
Lectusque rector civibus est suis,
Sed ille fasces consulares
Sprevit, & imposuit quieti,
O ter beatis Coelicolis parem,
Quisquis superbis maior honoribus
Fastumque inanem despicatus,
B *Imperium populare sensit!*
Fulsit BATAVAE *dein* ACADEMIAE
Illustre sidus, transpositio lare,
Totoque late notus orbe:
Astra caput tetigere summum.
Conspectum in illo est civibus omnibus
Virtutis instar regulaque aureae;
Atque e cathedra praelegentem
Vidit, & obstupuit, iuventus.
Quot ille morbos fregit, & impias
Stringens Tyranni TAENAREI *manus,*
C *Deforme pallentes catervas*
Eripuit miseratus ORCO.
Mirata civem LEIDA *fuit suum,*
Novusque PAEAN *ille,* CORONIDIS
Aut esse natus credebatur,
Aetherea ab IOVE *missus arce,*
Aegre ferebat tot Stygius senex
Perire stipes, atque homicidia
Negata PARCAE, *& paene inani*
Iura dari pater ORCVS *aula.*
Quum tandem avarae MORTIS *inhorruit*
D *Furor nefandus, quae scelere impio,*
Sacrum ausa detondere crinem,
Addidit imperio CHARONIS.
Sic AESCVLAPI *magna scientia,*
Praesensque morbis numen in asperis,
Excivit ultorem Tonantem, &
Igne Dei cecidit coruſco.
Illaesus ille at vivit, & integer
Post fata morbos pellit, & omnium,
Vt ante, sollers ac benignus
Consulit e superis saluti
E *Doctis libellis, quos neque lividis*
Turba invidentum morsibus impetat,
Bustumque rerum tempus atris
Audeat obruere in tenebris.
MANES *beati vivite, vivite;*
Et laeta coelo tempora ducite,
Augusta virtus quos verendis
Intulit ordinibus DEORVM,

Digitized by Google

MEDITATIONES
CHRISTIANAE
IN PSALMVM CXVI.
ET TRES PRIORES PARTES CXIX.

Digitized by Google

PSALM. I.

BEatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiae non sedit. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius MEDITABITVR *die ac nocte.*

Digitized by Google

NOBILISSIMO AMPLISSIMOQVE VIRO

IOANNI AB OLDENBARNEVELT

Domino de Tempel, &c. Hollandiae Weſtfriſiaeque Advocato, & magni ſigilli Cuſtodi

IOANNES MEVRSIVS

DEDICO, CONSECROQVE.

EORVM hominum, qui Reſpublicas adminiſtrant, Ampliſſime & Nobiliſſime Vir, genera conſidero tria. Hi enim caeca quadam, & amenti ambitione exſtimulati omnia pro libidine agunt feruntque, homines plane impii, quibus neque ius ullum, neque lex eſt. Illi civili prudentia & virtute morali praediti, ex Aequitatis quidem & Honeſti praeſcripto ſeſe gerunt, nondum tamen pii! quia etſi recte agant, male nihilominus vivunt, quia non in Dei gloriam: honoris magis avidi, quam virtutis, & famae diligentiores, quam conſcientiae. Sine vera autem pietate, etiam quod virtus eſſe videtur, peccatum eſt (1)*; neque probare ſe Deo quiſquam ſine Deo poteſt. Iſti vero, longe aliis praeſtantiores, ad publicae ſalutis ſedulam curam ſincerum quoque Dei cultum adiungunt: ad huius honorem actiones ſuas omnes dirigunt: huic quemcumque eventum, non ſuae prudentiae ferunt acceptum. Primi illi, cum ſuo magis honori, ſuo commodo, quam publice ſalutı conſultum velint, caelum ac terram ſaepe miſcentes, gravibus Reſpublicas aerumnis adfligunt; & ſtatum univerſum, ſi non penitus convellunt, (quod vel aeterno decreto ſuo Deus, vel ſubditorum nonnullorum virtuti quandoque concedit) certe vehementer concutiunt. Et in infelicem populum cuditur faba: ille plectitur, quicquid iſti delirant. Secundi, dum prudenti conſilio res cunctas gerunt, & ſolicite provident, ne ſuae magis libidini, quam Aequitatis iuſſis obtemperent, pulcre & Rempubl. beant, & honorem ipſi ſibi magnum acquirunt; dum hoc permittit illis Deus, ut mercedem accipiant in terris, qui non ſunt habituri in caelis. Sed dum populo quidem adminiſtrationis fructus conſtat, ipſi vitae ſuae nullum habent, quae ſine cultu divino perit in aeternum. At primam tamen ortus humani partem Deus ſibi Creator vendicat, reliquas tantum patria, parentes, & amici: & ſic inſervire publicis commodis oportet, ut privata quoque haec non negligantur. Tertii vero, ut ad hos iam veniam, & publice aliis omnibus, & privatim ſibi utiles ſunt. Proſunt vero Reip. tanto magis, quanto nuda aliqua morali virtute vera pietas Deo gratior eſt. Denique & magnam ſibi etiam vivi gloriam parant, & poſt mortem nomen in terris immortale relinquentes, ad caelos, ad aeternam gloriam, commigrant. Et hi nimirum illi Philoſophi ſunt, quibus gubernantibus beatas demum eſſe Reſp. contingit. At pauci profecto illi ſemper fuerunt, & inter illos multo quoque pauciores tales, qui, praeterquam quod praeclare res gerunt, etiam ſcribendo gloriam Dei promovent, & Eccleſiam, proximumque, inſtruunt: id eſt, plene omnia Chriſtiani hominis munia exſequuntur. Quum enim omnibus unuſquiſque, quam maxime poſſit, prodeſſe debeat; & in publicum conferre quod uni dedit Deus, ſed non in unius uſum: ſcripto longius abſentes erudiendi ſunt, inter praeſentes vero efficaciſſimum ſcripti genus eſt ipſa actio, in qua legant alii quid ſequendum, quo modo vita inſtituenda. Nam, quicquid faciunt viri primates, exemplum eſt: neque ſolus unquam aut bene facit, aut peccat, quisquis in faſtigio aliquo poſitus dignitatis. Trahit ſecum ſive virtutes, ſive vitia populi, qui plerunque quicquid in illo non videt, peccatum eſſe cenſet: quicquid autem videt, vel rectum exiſtimat, vel etiam ſibi licere. Felix itaque iſta Reſp. eſt, cui tales contigere gubernatores, qui & vita praeſentibus, & abſentibus ſcripto proſunt. Felix quoque iſta, quam vel ſola adminiſtrantium vita beat. Quos quidem ſingulari quodam Dei beneficio noſtrae obtigiſſe, & inter illos te togae principem, eſt cur non parum nobis gratulemur. Et profecto, ex quo tempore ad clavum tu advocatus fuiſti, in meliorem multo ſtatum res patriae perductae ſunt. Fatetur illa, fatentur boni omnes, & ipſa quoque invidia fateatur neceſſe eſt. Quis enim non omnes in te virtutes homini*

(1) Nil mirum huiuſmodi ab homine heterodoxo proferri.

Digitized by Google

Politico neceſſarias & expertus eſt, & admiratus? in rebus graviſſimis prudentiam? in difficillimis, ac pene deſperatis, animi magnitudinem invictam, & conſtantiam? ſemper moderationem? Huc pietas ſumma accedit, quae claſſem ducit. Digna, digna ſunt virtus, & merita tua ad poſteros pariter tranſmitti, ut ſeculum habuiſſe noſtrum cognoſcatur, quem univerſae antiquitati opponere in toga poſſit. Sed praevideo verborum invidiam, atque ſilere in praeſens ſatius puto: at invenies ſine dubio olim virtutum tuarum preconem, quum neque invidiae malignorum, neque adulationis ſubſpicioni in nigris mentibus ullus erit locus. Hoc tantum rogo, ut faetum hunc ingenii mei tuae domi natum, & quaſi vernam, quem biſce cauſſis adductus tibi dedicavi, eadem benevolentia complectaris, qua totum iam fere quinquennium erga me es uſus; quod facturum omnino confido. Vale, Vir Nobil. & Ampliſſime, affectumque erga me tuum porro tuere, vel conſtantiae tuae cauſſa. Ego obſervantiae in te meae hoc exſtare publice pignus volui. Hagae Comitis, in aedibus tuis. XI. *Kal. April.* CIↃ. IↃ. C. IV.

In CL. V.

IOANNIS MEVRSI

Meditationes Sacras
Carmen

IACOBI GRVTERI

Barbara caligo rerum, atq; infantia quondam:
Nunc verba, & ſtrepitus pro Pietate probant.
Tum nullus nugas, nunc quaerere ſeria, nullus
Rixari bis, illis eſt dubitare modus.
At ſibi vult alia Dominus ratione litari;
Vult operari alia religione ſibi
Nempe in ſe conſternatam deſcendere mentem,
Et pavidam propriis ingemuiſſe malis.
Fidentem poſt ex ſe ſurſum adſcendere mentem,
Et niſam erigere ſe bonitate Dei.
Supplicium in triſti re, laeta ſolvere grates,
Sique aliud nudae eſt religionis opus.
Quo fuit exemplo haec Ieſſaei regia Vatis,
Regia, ſed ſimplex ambitione procul.
Cuius de multis ſpecimen nunc paucula promit
MEVRSIVS; at cultu condecorata novo.
Qui deceat nervis & rerum pondere Vatem,
Regem verborum fulmine qui deceat.
Cortinae fuit ille potens ſceptrique: ſacrorum
Et legum tu, quae diſſociata, ſciens.

Aliud

HVGONIS GROTI

Dum veterum ingeniis doctos inſtaurat honores,
Obligat & toties ſecula priſca ſibi:
Hinc animo Cyrrham dum provocat, inde Lyceum
MEVRSIVS, ulterius iam videt eſſe nihil.
Deficit humani iuvenem via tota laboris.
Quid faciat? caelo cura petetur, ait.
Ergo ſacros aperit ſublimi pectore motus,
Ipſa per Iſaidem dum iuvat aſtra ſequi.
Cernimus (en pietas) meditata prioribus annis,
Qualia vix canis otia ſera ferunt.
Magne Deus, vitae peragit cui penſa iuventus,
Neſcio quid faciet, ſit tamen oro, ſenex.

Digitized by Google

MEDITATIO
IN PSALMVM CXVI.

QVANTA miseria mea est Domine? quibus aerumnis premor? vix ferendo oneri par sum, quod tu mihi imposuisti. Sed levius hoc mihi efficit, quod a te impositum sciam, qui naturam meam, qui robur meum nosti, qui impositurus mihi numquam es, quod ferre non possim. Gemo, & sudo sub sarcina mea, Domine; sed malignitatis meae potius (1), quam tuae iniquitatis culpa. Auget etiam non parum quod nescio quomodo invitus fero, quae fero, quae necessario fero; & detrecto iugum salutis, quod cervici imposuisti. Possum equidem tolerare (non enim onerare tu imbecillitatem meam vis) sed refractarius animus carni serviens suae, & pravae inclinationi auscultans, quaerit excutere sine quo bene esse illi non possit. Vult dominari, ut me seque perdat. Verum enimvero, clementissime Domine, Deus & creator meus, misertus infortunii, cupiensque servare dona tua, provides periculo, & raptanti huic animi equo frenum imponis, quo a praesentissima pernicie retrahere possis. Vigilas in salutem meam, & omnia damnosa amoliris: omnia utilia, omnia necessaria subficis benigne ac liberaliter. Sed quae carnis meae malitia est, Domine, sub cuius iugo sum, durum interpretor & adversum, quicquid invito, & nolenti ferendum obvenit: atque meummet iugum promtae tuae adiuvandi voluntati, meam adversitatem tuo beneficio imputo. Ego in culpa sum, qui totus culpa sum, totus noxa, totus peccatum, non tu, Domine. Nihil a te ad nos proficiscitur, nisi suave, & iucundum, ac quod caelum suum atque auctorem referat, quod nobis supra omnia esse debebat; sed nimirum carnalis homo non sapio spiritualia; peccator non capio quae veniunt mihi ab eo, qui totus innocentia est. Bellum mihi tecum est pene implacabile, etiamsi tu pacem semper velis & obferas: & subspecta sunt, atque indignor dona quae mittis tanquam hostilia sint, quia ego hostis tibi. Ex mea mente fingo tuam, & iniuria te adficio, me dolore. Hinc enim illa difficultas rerum mearum, illa adversitas, illa animi aegrimonia fere succumbentis sorti suae. Sed Domine, scis hanc esse malitiam carnis, spiritum vero promtum quidem semper, & paratum, tibi fuisse, sed iacuisse oppressum tyrannide impotentissimae, quam dixi, carnis: quandocunque tamen illi redintegrare se paullulum licuit, & laxiora vincula custos negligentia sua fecerat, ad te adsurrexit, tibi preces suas fudit, tuam opem desideravit, & facilem te quoque esse expertus est. Ideo

A que semper ad te confugit, semper in te spem posuit, te asylum suum statuit: memorque semper benignitatis tuae tuas laudes palam praedicat, amorem erga te suum ubique praeseferт, dicitque.

Dilexi, quoniam exaudiit Dominus vocem orationis meae. Quia inclinavit aurem suam mihi, & in diebus meis invocabo.

Sic, sic, Anime mi, macte ista pietate, ista B gratitudine in Dominum Deum tuum. Scilicet hoc est, velle adiuvari in miseria tua, hoc est vere adspirare ad terminum aerumnotae vitae, ad principium illibatae, aeternaeque, felicitatis. Scilicet hoc est etiam in media miseria non esse miserum, anticipare tempora beatitudinis, & adhuc in terris his p ssidere caelum. Perge, Anime mi, perge; ne deflecte, rectam insistis viam: sic invenies levamen, quod quaeris: sic occurres Deo tuo, ad quem anhelas: qui C ipse, quod te castigat ob peccata tua, misereretur tui, obviam procedit tibi, & se totum tibi ingerit. Hoc ille modo, incognito nimirum humanae sapientiae, laborat: sic admirabilem suam Divinitatem, sic incomprehensibilem miraculorum suorum vim oculis repraesentat, sed radiis Spiritus Sancti illustratis. Sic cognosci vult, sic coli. Mi anime, quaeso te, vigiles semper: neque unquam patere aut malitiam carnis, aut socordiae somnum tibi obrepere: sedulo & D illius laqueum, & huius illecebras, cave. Nisi facis, actum omnino de te est. Vigilat ecce pro te tuus Deus, tibi laborat: adiuvari abs te vult, non quod indigeat opera tua, apage impietatem! sed quod signum etiam a te vult non ingratam esse tibi curam suam. Vt benignus est, ita te quoque dignum esse cupit. Non vult perire sibi beneficium suum; non vult in invitum, in ingratum, conferre. Protendit manum lapso, vult erigere iacentem: sed & tu ostendere debes velle E te surgere, debes extendere manum. Surge, surge, & clama: paratus sum, Domine, ad accipiendum beneficium tuum, gratias tibi ago, Domine. Quam opportunus es ut augeas gratiam beneficii tui? Versor in extremo discrimine: ipse expedire me non possum. Recordare tuae opis, tuae benignitatis: scio posse te, scio & velle: & in hac cogitatione ecce inopinatum obprimit propensus & obvius nobis favor tuus: implorare volenti sponte obvenit auxilium tuum, & mi- F ser esse desii, ubi primum miserum esse me sensi, ubi animum ad te converti. Scilicet, hoc est esse dignum ope tua, desiderare eam: meminisse illius, hoc est advocare. O exuberantem benignitatem! o thesaurum amo-

(1) Minus reverenter dictum, quam de Deo loqui conveniat.

Digitized by Google

amoris! excipere nos gestis; pene antequam A
in amplexum veniamus. Domine,

Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me: tribulationem & dolorem inveni.

In magno, & periculoso certamine sum, undique impetum in me facit hostis meus: instant mihi dolores, & fatigant: abducere me captivum volunt. Explicat omnes copias suas mors, & formidabili stipata agmine ad- B
versum me tendit, me unum, me inermem: intentat mihi tela, quae adgnosco a me esse ei subpeditata: peccata mea, inquam, quae impius ego illi subpeditavi, ut haberet arma, quibus obpugnare me posset. Circumdederunt me horrores inferni, & deglutire miserum parant: quicquid est, quod laedere me possit, cornua obvertit. Miser, quo evadam? Totus tremo, & invenio in me, quicquid est usquam timoris, quod auget mihi periculi gravitatem, siquidem in peri C
culo securum esse posse, est quodammodo extra periculum versari. Ah! quo redactus sum, ego miser, & aerumnarum ludibrium? Culpam meam video, & memet concitasse has turbas, me irritasse hos terrores: video, dum penitius aspicio, ipsum me in memet ducere infestas has mortis acies. Quis me infelicior? mene mihi esse causam miseriae? mene adversus me ducem esse? me ipsum impetere telis? me ipsum me velle trucidare? velle praedam offerre in- D
ferno? velle placere diabolo, ut tam malam ille gratiam referat? ut in aeternum perdat? Adeo neque subficit miserum esse? accedere etiam dementia huc mea debet? mei ipsius odium? At unde hoc conflatum est? ubi ego iniuriam mihi feci ipse? ubi me irritavi, ut arma contra me sumerem? ut in me conspirarem? quae me furia exagitavit? Nunc autem poenas do, & patior quicquid est tormenti. Abiecit me pene infra spem omnem extrema quaedam E
animi angustia, & prae doloris magnitudine vix ulla bonitatis, ac misericordiae tuae memoria remansit: pene excussus mihi est omnis sensus Divinitatis tuae. Sed obluctatus tamen sum fortiter; & quod unum poteram in miseria sortis meae, conatus sum semper recordari facilitatis tuae, ne totus sub arbitrium hostis mei concederem; ne pro libidine ille sua iura mihi, ac leges dictaret. Improperabat mihi potentiam suam? imprimebat iugum suum? ego refellebam, ego excutiebam, ego spem bonam obponebam: hac me defendebam; hac, tanquam in Cadmea victoria, de victore ipse meo triumphabam: haec in servitute media pileum & libertatem dabat. Hoc, inquam, fiducia in te mea effecit: hoc effecere preces, quas in vinculis, in angustiis meis ad te fudi ardentes. Sic solabar marcentem animam meam, & attritam, hoc alloquio.

Invocavi nomen Domini: o Domine, libera animam meam.

Mea Anima, dicebam, quid fles? quid subspiras? quid te adfligis? Deum habes potentem, & benignum: quae tibi causa tam immodicae tristitiae? Quid te terret? quid deiicit? an turpitudo, & magnitudo criminum? tranquilla te. Nunquamne audivisti vocem illam? Venite ad me qui onerati estis. Quorsum? etiamne tremis adhuc? non ut perdat: eia bono animo es, sed ut levet: clamat enim; & vos relevabo. Eia, Anima mea, pone metum: accurre, accurre, Anima mea. Ecquid potes plorare? illius opem potius implora, qui detergebit tibi lacrimas, & tollet singultus, ac tertiata verba, ut expedita lingua laudes eius cantet, ut gratias convenientes agat. Accurre, age Anima mea, expedi pedem; quid moraris? an non audes? an te meriti conscientia nimis deiicit? obsecro, esto secura; etiamsi rubeant peccata ad instar sanguinis, candidiorem te nive faciet: abluet omnes maculas, & mundiorem reddet omni munditia. Misericordia illius transversam iustitiae oculis nubem obducet, ne videre crimina tua, ne causam adripere irae possit. In quam maximis, in quam plurimis delictis vacabis culpa; & in summa noxa eris innoxia. Ne trepida itaque, eia Anima mea: mea Anima ne, trepida. Occurret tibi Deus tuus, excipiet te passis ulnis, non tanquam peccatricem, sed tanquam effigiem suam, tanquam filiam, tanquam heredem regnorum coelestium. Tantum abest, ut obiurgari exspectes, ut sententiam, ut poenam metuas; benigno oculo adspiciet, & ignarus offensae, in veri aeternique gaudii possessionem introducet. Quaer[illegible] blandus, ubi tamdiu haeseris, quae te loca detinuerint, quid passa fueris: dicet aegre sibi fuisse, tam diu carere praesentia tua. Confide itaque, confide.

Misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur: custodiens parvulos Dominus.

Misericors, iterum dico, quod satis dicere nunquam possum, Dominus est, & omnis gratiae pater. Tarde irascitur, facile ignoscit: & ad veniam magis, quam ad poenam propendet. Quod, quia credere necessario debemus, ut crederemus, manifestas humanae rationi causas statuit, quibus fidem omnium nostrum obligaret. Ecce nos videamus, & dona quae tam multa largitus, tam magna, est. Qui nihil eramus, fecit ut essemus non vile aliquid, sed animal cum sceptro, & diademate, imperaturum caeteris, iura legesque universo mundo suo daturum. Id est, pene deos fecit in terris, quibus plenam Divinitatem esset daturus in coelis; ut admoneret nos, meminissemus semper sortis futurae. Effigiem suam dedit, quo augustiores essemus: solem in vultu, ac lunam, denique pusillum quendam mundum in corpore repraesentavit, ut nosmet cognoscentes, dignitatis ac praestantiae nostrae magnitudinem cum admiratione

Digitized by Google

tione contemplantes, incomparabilem ipsius beneficentiam adgnosceremus, & maiore animi ardore ad coelestia adspiraremus, quorum tam clarum in nobis specimen haberemus. O admirabilem erga nos benignitatem Domini! o immensam beneficiorum vim! & haec perdat ille in nobis propter merita nostra! propter ingratitudinem, & abusum? miseretur potius, & imbecillitati imputat culpam, ne tanquam malignitatis cogatur vindicare. Ipse pro nobis sibi caussam dicit, & quaerit eximere reatum, ut parcere possit, quibus tam vehementer benefecit: ut lucrifaciat beneficia sua, quae, uti praestantissima sunt, ita neque propter nos debebant corrumpi, aut perdi. Subgerit sibi, e pulvere se, & luto feciſſe nos: nihil potuisse esse fragilius, nihil imbecillius; itaque ad priorem benignitatem adiungendam quoque esse hanc gratiam, quo plenius divinae, & incomprehensibilis bonitatis suae magnitudo eluceſcat, & magis comprehendatur: ut sic omnibus modis maiestatem nobis suam insinuet. Sic nos defendit, & eripit irae suae: quid est cinis? inquit; quid pulvis? quid tam stricte examinem? tam rigide exigam vitam eius ad legem meam? illam tam severam, ut soli tantum angeli servare possint (1)? Ecce: sic legis quoque suae rigorem accusat, ut nostra delicta excuset; id est, omnia movet, ut liceat misereri nostri: ut servet tam admirandum specimen Divinitatis suae. O vere bonus est, vere misericors Deus! Testatum hoc ipse omnibus modis voluit, & expertus ego sum, cum in summis angustiis meis, in extremo peccatorum meorum dolore ad ipsum confugi, cum toto corde coram ipso

Humiliatus sum, & liberavit me.

Quamobrem

Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit te de morte, oculos meos a lacrimis, pedes meos a lapsu.

Euge, quid quaeris amplius? Nunc procede non ut peccatrix faediſſima, sed ut immaculata, & innoxia: non ut mancipium diaboli, sed ut liberta Dei: non ut veniam petitura, sed ut gratias actura. Euge, mea Anima: para te, meditare, incipe. Quae verba invenies paria beneficio tanto: quae digna beneficii auctore? Age, quid dices? quomodo dices? expende. Nec tituba tamen, aut trepida: non opus est ulla eloquentia. Subficiet oratio de grati devotique animi fonte profluens, etsi non elaborata illa, etsi non nitida. Non amat phaleras, aut luxuriantem verborum pompam, sed sola mentis integritate contentus, pro magno benefactorum cumulo, exiguo sibi sermone satisfieri patitur: neque verba numerat, sed adfectum loquentis metitur, & aestimat. Disertus illi gratiarum auctor est quisquis serius. Hypocrisis absit tantum, & adesse omnia existimabit, quae requirit. Euge itaque, euge, Anima mea, benedic nunc Domino Deo tuo, gratias illi serias age, & sinceras. Laetare, & tranquilla sis: neque in portu iam fluctus ipsa tibi ullos excita: satis aestuavit, satis iactata fuit insaniente peccatorum salo conscientiae tuae navis. In quiete iam posita converte etiam te ad quietem, & adgnosce felicitatem, qua te beavit Deus. Correxit fragilitatem tuam, corroboravit imbecillitatem, innocentiam restauravit, & eluendo maculas fecit puram nitidamque. In seipsum substulit quicquid in te erat offensurum, & tuas sibi culpas inducendo suam tibi sanctitatem circumdedit. Effecit ne vulnera tua, ne morsum serpentis antiqui, ne primi parentis ruinam sentires. Noluit flere te, noluit contristari: direxit vestigia tua, & a lapsu pedes prohibuit. Exsulta Domino, exsulta. Iterum obponis te, & tergiversaris? &, quid hoc ergo est, inquis? Beati qui lugent, & vae vobis qui ridetis. Omnino, omnino beati, qui lugent mundo, & vae qui rident: sed beati quoque qui exsultant Domino, qui impendunt gaudia sua coelo, & coelo imputant: qui reddunt Deo, a quo acceperunt, qui nesciunt de rapinis, nesciunt de fraudibus, nesciunt de lacrimis gaudere proximi. Exsultare Domino, hoc vero est lugere mundo: repudii ei libellum mittere: adhaerere Deo suo toto corde, tota cogitatione: huic vitam, huic actiones omnes dedicare. Exsultat ille Deo, cui tota laetitia Deus est: cui universum iubilum sola beneficentia Domini. Obsequere mihi, mea Anima, & sequere.

Placebo Domino in regione vivorum.

Hoc unum studebo totus, haec mea cura erit. Examinabo quotidie vitam meam, & rigidus exactor actionum mearum omnes culpas obiurgatione severa castigabo: frena ponam pravae carnis voluntati, & metam praescribam pedibus meis. Instabo cogitationibus mentis, & diligenter observabo, ne usquam occupent sese, quam in contemplatione, admiratione, cultu, & laudibus divinae maiestatis. Exemplar ero timentibus Dominum, & signum omnibus praeferam pietatis. Clamabo, hortabor; sequimini me: ducam vos in vias Domini, ad Dominum clementissimum, Dominum benignitatis: qui maxima in me beneficia contulit: qui & in vos conferet, si adpetere vos tantum ostenderitis. Potest dare, & paratus est dare: venite, accipite. Excitabo segnes, praecurram alacribus, & animo esse omnes bono iubebo: ad poenitentiam exstimulabo, dum poenitentiae locus, dum spes misericordiae, dum veniae tempus est. Confiteamini patri, dicam, ne iudicem sentiatis: prodite pietati quicquid feciſtis, ne severitati cogamini exsolvere quod tacuiſtis. Cognitor ille peccatorum, scrutator cordium, conscius cogitationum, est praesens ubique, & semper. Non effugere potestis: non sub ulla persona eludere. Scit, videt omnia, & poenam criminibus minatur. Properate, & praevenite, dum indulgentiae tempus est, sen-

(a) Minus ὀρθοδόξως hic loquitur.

sententiam maturo confessionis ac poenitentiae obsequio. Gestit ille bene facere omnibus, & reis quidem optat maxime. Adferte pro quovis delicto solam poenitentiam; ille veniam & quidvis beneficiorum referet: deiicite vosmet coram illo, ille protinus eriget. Obstinatis iudex est, dolentibus pater: & istis subplicium imponit, his gratiam largitur. Pro beneficio suo voluntatem dumtaxat vestram postulat, cui largiatur; quae sola manus capere eius liberalitatem potest. Cuius malitiae, quantae indignitatis est, tam proclivi illius beneficentiae hanc denegare? Quid tam facile, quam velle? quid tam praesto? quid quod tam nullo vobis pretio constiterit? Quid igitur impendatis, si vel hoc recusatis? Si grave, si magnum aliquid posceret, patrocinium fortasse tergiversatio haberet: si tamen cum pretio comparari aliquo potest, quod supra omne pretium est, quod ille propinat, qui dat inaestimabilia, & aestimat nihili. An non creditis, & destruit fidem beneficii magnitudo? Credite, credite: ego in eodem statu fui; & sensi miseriam, & quaesivi opem; & prostravi me coram ipso, ne ad tribunal postea adducerer, ne horrendum gravissimae sententiae fulmen exciperem, & victima caderem aeternae infelicitatis.

Credidi, propter quod loquutus sum, ego autem humiliatus sum nimis,

Migraveram a me ipso totus, & abieram ab homine paternae pietatis immemor, genitoris gratiae oblitus. Exsueram ipsemet me aeterna felicitate, & in tristissimam miseriam proieceram. Volutabar in caeno iniquitatis, & quod supra omnes aerumnas erat, externatus animus non animadvertebat sordes suas, quibus erat faedatus. Placebam mihi, & adridebam, ego ille turpis, & exsecratio omnium purorum. Lasciviebam, & adfricabam me aliis, & collutulare quoque illos tentabam. Tandem aliquando resipui, & redii ad me. Miser vix me in me inveni, vix adgnovi. Deploravi mutationem, detestatus sum sordes, & fontem desiderabam, in quo me abluerem. Venit quoque in mentem patris mei, & ad illius domum festinabam. At qua spe? qua confidentia? quia pater erat nimirum, quod nomen omnem benignitatem complectitur. Perdideram equidem quodcunque in me fuerat filii: at ille tamen, quod patris esset, non amiserat. Pergebam itaque hac fiducia plenus, & quamvis in magno crimine securus deprecatoris. Apud patrem, inquiebam, non patrocinio ullius opus est filio: habitat in intimo pectore, qui exorat, adfectus; cui negare ille nihil potest: cui lubens condonat offensam suam. Gaudet pater iterum filium quasi geniturus per veniam. Accedam reus, sed obruet reatum misericordia: dissimulat iudicem, ut possit implere genitorem. Accessi autem, & confessus culpam deieci me, dixique filii me nomine esse indignum, quod tam proterve abiecissem: ad se redire tamen, implorare gratiam criminum: sensisse quam nusquam effugere conspectum, nusquam manum suam posse; sensisse non terram, non maria, non abyssum, non ipsam tenebrarum matrem noctem occultare me posse: ideoque dixisse, Revertar ad patrem: est penes illum dulcis conditio, libera servitus, laxa custodia, timor laetus, blanda ultio, locuples inopia, secura possessio. Revertar, revertar ad patrem, a quo profugi, confitebor non mereri me gratiae nomen, qui, quod naturae erat, perdiderim: nec dignum esse amplius, ut filius eius adpeller, qui ut filium me non gesserim. At reverso quid fecit? Non dixit, unde venis? quare beneficia mea corrupisti? cur pristinam gloriam cum tanta ignominia, pristinum nitorem cum tanta faeditate, commutasti? Non, non: nescit tardam misericordiam pater: delicta, qui discutit; prodit. Evestigio misertus praesentis status erexit iacentem, & collum, atque amplexum, invasit. Sic, sic iudicat pater: sic emendat: sic peccatori filio osculum dat pro supplicio (1). Coeca est magnitudo amoris, neque videt delicta, & occultat sub involucro adfectus. Ego vero sic exceptus coepi admirari bonitatem eius, facilitatem eius, & proclivem misericordiam. Coepi insimulare mendacii ingratum genus humanum, atque a Deo spes suas avertens: & indignabundus

Dixi in excessu meo, omnis homo mendax.

Quae haec est omnium impudentissima vanitas? unde est? ubi in animo sedem fixit; quomodo potuit? Itane mendaces esse omnes Domine, neque amplecti veritatem tuam, quam tu illis ita promte obfers? quae malignitas est, si nolunt? quae caecitas, si non vident? quis stupor, si non animadvertunt? ubique tamen se ostendit. Vniversum hoc quodcumque est, quacunque se extendit, clarissima luce irradiat: tangit sensus, ferit oculos. Sed nimirum quemadmodum lippos caecutire magis claritas solis facit, sic oculi illorum nimiae lucis fulgore obfenduntur, & habetantur. Miserias suas tibi imputant, non suo peccato: felicitatem autem merito suo, non tuae benignitati: & mentiuntur, Domine, mentiuntur. In pace, in bello, prosperum quemvis eventum suo brachio, suae virtuti, suae prudentiae referunt acceptum: & beneficium tibi tuum eripientes non reddunt fructum gratitudinis: & efferunt sese inflati ad superbiae usque culmen. Et hoc est mentiri tibi, Domine. In exercituum magnitudine, in militum fortitudine, in potentia, in opulentia victoriae causam ponunt, & mentiuntur. In pecunia divitias statuunt, in divitiis beatitudinem, in luxuria magnitudinem, in voluptatibus oblectationem. Si quid habent virtutum, si quid donorum, fortunae adscribunt, non gratiae, non indulgentiae tuae. Itaque dum male omnia censent, neque veris quicquam causis adsignant, nihil habent eorum, quae habere se maxime existimant. Iam quod gravissimum omnium mendacium est, in aerumnis

(1) Observandum, hunc perpetuo loqui, tamquam Pelagiana labe infectum.

Digitized by Google

nis plane abiiciunt animum, in peccatorum & pravitatis recordatione desperant: id est, insimulant impotentiae te, qui omnium es potentissimus, qui potentes solus facis, qui unus denique omnis potestas es: accusant inclementiae te, qui es maxime misericors, qui omnis facilitatis exemplum, peccati sepulcrum, conscientiae asylum. Atque haec in actionibus: at in verbis quoque quam parum fidei? Faediſſima omnis falsimoniae officina os est, in qua institoriam suam facit lingua. Tanquam optimum sermonis condimentum fraus adhibetur, detrahunt, sugillant, calumniantur, eludunt: &, quod maxime in verbis odisti mendacii genus, peierant ita libere, ita impudenter, ac si sermonis potius genus quam crimrnis esset periurium. Inane tantum nomen veritas est, & ex ore, ex pectore exsulat, illa fundamentum fidei, sal verborum, linguae ornamentum. Hoc demum verum est, quod oblectat, quod prodest, quod libet. Nihil mendacium est, quum nunquam fere verum dicant: quumque veritatem amiserint, mendacio veritas nomen imponunt, ut colere se persuadeant, cui debere cultum sciunt. Et vel sic quoque mentiuntur, ne nusquam non similes sint sui. Averte, Domine, averte a me teterrimum istud crimen; ne obnoxia sit anima mea tam horrendo peccato: adgnoscat Creatorem suum, agnoscat beneficiorum auctorem, & fontem divitiarum suarum. Acceptum ferat, ut debet, quod debet, cui debet: id est, omnia, id est, tibi. Da grata sit, da recte utatur, & cum constanti memoria auctoris. Cogitet semper cur acceperit, quomodo rursus amissura sit, & cum quam gravi offensa datoris, cum qua poena. Tum ego exsultans gaudio totus iubilabo tibi perpetuo, & dicam grata voce,

Quid retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi?

Et profecto quid retribuam, Domine? coelum, terram, maria? tua sunt; tu verbo solo omnia ea creasti; & si possem maxime dare, non essent tamen paria beneficentiae tuae. Quicquid ubique est, tuum est: & quicquid ipse habeo, quod exiguum sane est, a te habeo. Quid dabo, Domine? quid dabo? ipse egenus tibi omnia habenti: accipiens danti? Nihil habeo, quod offerre: nihil invenio, quod optare te dignum possim. Ipse tu tibi satisfacias oportet, si satisfieri convenienter cupis. Et, quae benignitas tua est, Domine, facies pro me libenter, cui tu omnia mea dedisti, cui coelum denique tuum promisisti, & in eius promissione certam quoque satisfactionis spem involutam donasti. Quam, quaeso te, serva mihi constantem, ne illa mihi pereunte etiam ego tibi peream, quum nihil habiturus sim quod reddere exigenti pro beneficiis tuis possim. Sed in mentem venit quoque, quod me non parum consolatur, nihil vicissim exspectas. Quum enim magnitudo tua reddi tibi nihil nisi te dignum, ac tuis beneficiis vellet, nos vero nihil tale possemus, bonitas tua misertа impotentiae nostrae, inopiaeque succurrens, effecit ut nihil omnino recipere cuperes. Scilicet hoc est vere, hoc est plene liberalem esse, maxima largiri, neque vel hilum sibi reddi postulare: & hoc etiam modo plenitudinem universis perfectissimam divinitatis tuae ostendere voluisti, voluisti perennes divitias tuas, quibus quum semper demas, numquam tamen decrescunt. Hoc nimirum habent, quia tuae sunt, qui totus semper, & plenus es, neque potes imminui. Quod quamvis ita sit, oportet tamen gratum esse Domine, & tu hoc ubique graviter exigis. Quam vero gratitudinem tibi exhibebo quum dignam non possim, saltem acceptam? Quid adripiam? quid offeram?

Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo eius.

Accipiam libenter, Domine, a tua manu poculum quod dabis, poculum quod ipse mihi miscuisti, poculum salutis: Ipse, inquam, miscuisti, neque hoc angelis tuis commisisti, sed ipse in te eam curam recepisti mea causa, qui omnis tua cura sum, cuius unius saluti totus incumbis. Ita autem miscuisti, ut abhorrere ab eo iure palatum non possit: ita laeta adversis temperasti, ut sortem meam declinare merito non debeam; quae ita mihi acerba futura nunquam est, si te auctorem recordatus fuero: si curam tuam, si amorem erga me in animum revocavero: si ipse mihi fidem fecero adesse te ubique, neque vel latum a me unguem discedere: hortari ad ebibendum alacriter quicquid hoc est poculi: iubere tui istius meminisse, quod tu in cruce pro me bibere substinuisti, cuius vel nulla quidem portio hoc nostrum sit: te item bibisse non tuum, nos vero nostrum: te bibisse irae, nos gratiae: te bibisse perditionis, nos salutis; tibi hoc patrem miscuisse, infensissimum peccatis nostris, & satisfieri iustitiae suae volentem; nobis te, misertum nostri, & abolere cupientem crimen nostrum. Eia, Domine, adgnoscit beneficium tuum anima mea, adgnoscit amorem erga me tuum. Parata est ad quodvis obsequium: da quod iubes, & iube quod vis. Exsequar sedulo pro virili tua mandata: strenuus miles sequar imperatorem meum, quem scio huc praeivisse, & multo graviora pertulisse: & praeivisse quidem gratis, me sequi in exspectatione praemii omnium maximi. Tu de coelo descendebas in terras, & de maiestate tua in infimam te humilitatem abiiciebas: ego e terris ad coelum tuum adscendo, & ex altissima vilitatis valle ad excelsissimum dignitatis culmen evehor. Nihil itaque, nihil est quod avertere a conatu hoc animum, aut frangere spem meam possit. Faciam alacriter, quod necessario, quod utiliter faciam; & omnem curam meam officio impendam. In adversis ubi succumbere fortasse carnis coactura sit imbecillitas, ad te vota mea con-

convertam coram omni populo, & invocabo nomen sanctissimum tuum. Clamabo, Deus salutis meae da ut hoc salutis poculum a te mihi propinatum ebibere alacriter possim, & convertes tu te e vestigio ad me, & placida aure admittes preces orantis, benigno oculo adspicies sortem periclitantis, promta manu diminues onus laborantis. Quid vero si non statim tamen exaudias (nam & opera iustitiae facis, Domine & iudicia divina tua exequeris) non propterea deiiciam me, non despondebo animum: exspectans exspectabo opem tuam, & in fide promissorum tuorum spem adflictam meam consolabor, certus fallere te, aut mentiri non posse, qui simplicitas totus, totus veritas es; & fucum omnem, atque mendacium detestaris gravissime. Exerces tu quidem in rebus adversis spes nostras, Domine, & experiris pietatis constantiam; sed dum differs vota nostra, crescit auxilii gratia, & subspensionis angorem laetitiae augmento compensas. Itaque totus nobis studes, optime nobis vis, quum reiici nos a te quam longissime existimamus. At cur experiris tu nos? tu inspector cordium, & cui perspicua sunt vel intima animi penetralia densissimis tenebris obsepta? tu qui nos feciſti esse quod sumus? tu qui dediſti quicquid boni possidemus? tu qui non nos solum nostraque oculo perspicacissimo penetras, sed quicquid ubique se gentium abscondit? tu cui nulla sunt noctis, & diei discrimina? qui omnes tenebras lumine clarissimo imples? qui lumen ipsum feciſti? qui lumen toti terrarum orbi infudiſti? qui ipse totus lumen es inextinctum? Cur, inquam, experiris nos? quiane scire velis, quales simus? non: sed quia nos hoc scire velis, quia nosmet velis cognoscere quid a te donorum acceperimus, quantum tibi debeamus: & ubi, quamque turpiter gratitudo nostra deficiat, ut eam augeamus, confirmemus, ut ingenuae quodam mentis pudore subfusi, sedulam magis, & creditoris tanti, & debiti nostri rationem habeamus: ut cogitemus si non de solvendo, quod omnino non possumus, certe de acceptis bene utendo; hoc nimirum est gratum esse, hoc est soluere Deo. Sic, sic demum evenit, Domine, ut quamvis sortem recte ferentes exhausto poculo salutis, & viam peregrinationis emensi, beatos illos aeternae vitae fines laeto pede ingrediamur. Nam ut tu deseras nos Domine, tam non potes, quam impossibile amori tuo fuit non bibere in cruce calicem illum acerbissimum, quem nostra causſa bibebas, quem nobis praebibebas, sed longe suavius temperatum, longe amaeniorem ad bibendum. Non patieris ita succumbere nos adversis, non ita efferri prosperis, ut vel spe destituti, vel consilii egeni, in perniciem, ac mortem certam ruamus. Edocuit certe nos verbum tuum, quam sit,

Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

Ipse enim hanc pretioso suo sanguine redemit: & rupit ipse adfixitque cruci chirographum diaboli, quo nos illi per peccata multiplicia obstrinxeramus, ne haberet quod exigere a nobis posset, ne in mortis sempiternae vincula coniiceret. Quos creaverat ad vitam, obnoxios morti, sua morte liberavit; quos creaverat ad libertatem, mancipia factos Satanae, in pristinum statum adseruit: & quum supra omne pretium vitam nostram haberet, suam impendit, quae supra omne pretium est. Adeo scilicet ferre non poterat ut periremus quos aeternitati ille destinaverat, quos regni, quos maiestatis, quos gloriae suae facere participes ab aeterno decreverat. Ringebatur Diabolus, & insidiabatur in tam magnam fortunam, imo in quamdam quasi divinitatem crescentibus, nihil non moliebatur ut fraude circumveniret, quos vincere aperto Marte se non posse sciebat, & vicerat certo hoc modo, succubueramus dolis eius, & iam in baratrum pedicis suis intricatos pertrahebat, triumphans victoria, triumphans praeda sua: sed vidit miseriam infelicium nostrum, & providit misericors, & amoris erga nos vehementia impulsus, ad auxilium festinavit, eripuitque in sempiternum alioquin perditos. O vere pretiosam mortem nostram in oculis tuis, Domine, & vilem e contra tuam tibi! O magnos omnino nos tibi, te autem valde abiectum! Deus pro hominibus supplicium dediſti, optimus pro omnium perditissimis, & quidem in maledicto illo ligno crucis. Sed sic te tamen magnum esse tibi ostendiſti, quem patri offerebas pro iis, quos tu maximi faciebas: quos esse in eadem pene tecum magnitudine, quibus coronam imponere iustitiae, & quos supra omnes reges, supra omnes imperatores evehere volebas. At vero quid sunt homines, quos tanto honore tibi ornare visum est? & quae illorum dignitas est? & inter istos quaenam mea?

O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillae tuae,

Ego abiectissimus inter omnes, & indignissimus peccator; qui dignitatem ipse meam universam corrupi incuria, & negligentia legis tuae. Sed Domine indignus misericordiae tuae iudicio videri nemo potest, quem artifex tua manus creavit ex nihilo, quem tua munificentia praestantissimis donis locupletavit, quem tua bonitas ad summos honores evexit. Iterum dico, quae est nostra dignitas, quod meritum? Paullulum tantum infra angelos nos constituiſti, gloria & honore coronaſti, operibus manuum tuarum praefeciſti. Omnia subieciſti pedibus nostris, pecora campi, volucres coeli, pisces maris: serviunt nobis omnia elementa, & quasi Dominum venerantur. Quam admirabile est nomen tuum toto orbe terrarum, Domine! At nos in tanta nati dignitate, in tanto rerum splendore, fortunam ipsi nostram corruperamus, & de tam sublimi honoris fastigio nosmet praecipitaramus;

tu

tu vero ut miſerrimam ſortem reſtaurares, A de ſupremo coeli tui culmine in ima terrae viſcera te dimiſiſti; & qui eras ſupra omnes, atque in excelſiſſimis habitabas, deieciſti te infra omnes ut adtollere deiectos, & erigere oppreſſos iterum poſſes. Eripuiſti de pulvere, quos olim in pulvere deliteſcere pati non potueras, quos humanam ſumere formam iuſſeras, quibus quamdam quaſi Divinitatem paraveras, quibus ab aeterno incomprehenſibili tua providentia creatis aeternitatem deſtinaveras. Triumphabat diabolus, & fraudis ſuae, qua nos deceperat, amplum referre ſe fructum exiſtimabat: inſultabat nobis, & in compedibus miſerrimos adducebat, neſcius imminentis cladis, quam tu illi parabas; neſcius inſtare te a tergo ultorem. Quum recordor, Domine, ſaliunt mihi intra viſcera neſcio quo motu ipſa praecordia, & prae gaudio lacrimas ſuas non tenent oculi. Ego ille vilis, inquio, ille abiectus, ille deploratus, tanti tibi fui? tam illuſtri dignus beneficio? Domine, tunc mihi

Dirupiſti vincula mea?

Vincula diaboli? vincula perditionis? dirupiſti. O te benignum, me felicem! At quid reponam? id nimirum quo ſatisfieri tibi pateris, quod in proclivi mihi quoque eſſe dediſti, praeconium beneficentiae tuae. Itaque corde ſincero, animo grato,

Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius, in atriis domus Domini, in medio tui Ieruſalem.

O ſi lingua mihi ſit! ſi verba ſubficiant! B illa ut exprimere, haec ut aequare, magnitudinem poſſint. Adtonita mens, dum verba in intimis ſui receſſibus digna quaerit, contemplatione ipſa abripitur, & adfixa cogitationi perdit eloquutionis memoriam. At tu mihi linguam, tu verba da, Domine, ut tibi praeconia tua coram omni populo tuo reddere poſſim. Adgnoſcat gratum me univerſus populus, quem vidit obrui beneficiis; audiat ſemper in ore meo laudes tuas, quem ſemper videt a te honeſtari. Non C poſſum pro merito tuo, fateor, ſed velim tantum: turpiſſimum eſt pro magno benefactorum cumulo ne voluntatem quidem gratitudinis referre, quae pro imbecillitate mea apud te deprecetur. Domine, da, quod debeo, gratus tibi vivam ſemper, & ad tui ſanctiſſimi nominis gloriam, Amen.

MEDITATIO IN PSALMVM CXIX.

EXAVDI, Domine, preces D ſervi tui, & vota mea ſecunda. Da, Domine, quod precer, & quomodo precer, ne tu aurem avertas. Si negas, non tua inclementia eſt, ſed mea male precantis culpa. Tu enim omnis bonitatis fons perennis, & ſcaturigo, tu quantus quantus es bonitas ac benignitas, facilitas ac miſericordia totus es. Teſtantur coelum, terrae, maria; quae tu omnia tam ingen- E tia ſpatia, tam lata, unus impleſti. Aurei illi tot mille oculi, quos tu in argenteo polo teſtes defixiſti, intueri ſatis non poſſunt. Quo magis adſpiciunt, magis cupiunt: & hac una in re paene haerent obſtupefacti. Quin adeo univerſum hoc, quod tuo nutu creaſti, ſi unus oculus eſſet, ſatis intueri non poſſet. Vniverſum hoc quod creaſti, ſi unum os eſſet, eloqui ac praedicare laudes tuas non poſſet. Semper quam longiſſime adhuc infra ſe illius praeconia tua magnitudo deii- F ceret. Haec nempe Divinitas tua eſt: quum omnem laudem merearis, quia omnem laudem ſupergreſſus, adſcendere ad tuam dignitatem, ad tuum meritum, noſtra praeconia, ne conatus quidem poſſunt. Haeret adtonita mens, & coruſco gloriae tuae fulgore ſiderata obſtupeſcit. Ora ubi diducimus, vix hiſcere poſſumus. Adeo & haec quoque magnitudo tua implevit, adeo poſſidet. Sed miſerrimi profecto nos ſumus; & cum beneficiis nos tuis reddamus indignos, tu quoque laudibus tuis celebrandis indignos merito noſtro iudicas. Profani ſumus, & peccatorum lutulenta mancipia. Non debent, neque poſſunt in eodem eſſe ore faediſſimum iniquitatis omnis caenum, & ſplendidiſſima divinae puritatis praeconia. Ex ſumma faeditate cordis, oris quoque noſtri coelum inquinatum eſt. Purga quaeſo mentem, Domine, ut os quoque, ut linguam puram habeamus; ut ſi non pro tuo merito, nemini enim hoc dabitur, ſaltem pro viribus noſtris praedicare te poſſimus. Quando ad faſtigium dignitatis adſcendere noſtra nequit infirmitas, ſaltem ad virium magnitudinem, quas tu beneficentiſſimus licet indigniſſimis dediſti, conatus noſter adſurgat: ne ad infirmitatis infortunium malignitatis quoque impiae culpa accedat. Domine, ſi neque laudare me pateris, ſaltem hoc concedas, ut Divinitatem tuam aliquo modo, quatenus humano id ingenio fieri poteſt, adgnoſcens, animo eam pio, animo venerabundo, tibique devoto, totus complectar, & recondam. Hoc concedas, ut amoto ſuperbiae

Digitized by Google

biae atque adrogantiae typho, imbecillitatis meae probe conſcius, ſi non in magnitudinis tuae laudatione, ſaltem in eius contemplatione acquieſcam; in ea, quicquid id eſt aevi, quod mihi praeſcripſiſti, tranſigam, in ea ad calcem deſtinatum pertingam; & poſt eam beatae curſurae auguſtiſſimum illud praemium, immarceſcibilem illam iuſtitiae coronam, benigniſſima tui donantis gratia accipiam. Quamobrem illumina, quaeſo te, Domine, oculos mentis meae, ut contemplari illam Divinitatem tuam, ut illum fulgorem tuae magnitudinis intueri & adſpicere inconnivi poſſint. Purga mentem ab omni malarum cogitationum, ab omni impiarum cupiditatum illuvie, ut in ea demum beneficio tuo purgata, contemplationis meae fructus reponere poſſim.

Beati immaculati, in via, qui ambulant in lege Domini.

Domine, vix mea me impuritas, mea perverſitas, devota aliqua cogitatione, & pio voto adſurgere ad te patitur. Iaceo ludibrium, & triumphus infirmitatis meae, theatrum miſeriae, obrutus luto peccatorum, oppreſſus pondere iniquitatum, manus pedeſque vinctus catenis diaboli, victima inferni. Ita tot undique malis cinctus, tanta ſarcina onuſtus, compeditus, faedus & adſpectu horridus, ac monſtrum potius, aut quidvis aliud, quam homo, adſpiro tamen ad tuam benignitatem, deſidero gratiam tuam: ſentio in me ſcintillam adhuc mentis aliquanto ſanioris, quae excitari flabello miſericordiae tuae petit, hoc contendit obnixe, hoc ardenti voto optat, hoc ſubſpirat. Videt miſeriam ſuam, in quam provoluta ſit: adgnoſcit beatitudinem, ad quam erat creata. Adgnoſcit, & dolet culpam ſuam, & ad poenitentiam quamvis parata eſt: adgnoſcit, implorat, & ſperat gratiam tuam. Scit quid amiſerit, quomodo amiſerit, cur amiſerit: ſcit benevolentiam tuam immenſam, & ultro porrectam lapſis manum. Scit infinitatem culpae ſuae, poenae gravitatem, tormentorum crudelitatem. Scit abyſſum miſericordiae tuae, praemii pro poena maieſtatem, gaudii, voluptatiſque impollutam amaenitatem. Itaque neque deterrere meriti conſcientia poteſt, & tuae benignitatis promtitudo ad ſupplicationem exhortatur. O inſignem bonitatem tuam, Domine, ut pro poena praemium peccatoris perverſiſſimo, hoſti tibi infeſtiſſimo reponere poſſis, pro contumacia & obſtinatione cordis attritionem donare. O inſignem bonitatem tuam, Domine, pro odio benevolentiam, pro ira miſericordiam, pro tormento voluptatem, pro poena praemium, pro morte vitam largiri, & delictis humanis veniam dare, ut tua ipſius dona praemio adficere poſſis. Scilicet, pater optime, refert naturam auctoris ſui, quicquid tuum. Incomprehenſibilis tu es, incomprehenſibilis virtutum tuarum magnitudo, incomprehenſibilia iudicia; infinita omnia, & immenſa ſunt, quae tua ſunt, qui fine cares, qui menſuram non capis, qui termino nullo circumſcribi potes. Et quia incomprehenſibilia, infinita, immenſa, adſequi illa aut comprehendere mentis anguſtia nemo poteſt, mirari vero, & venerari poteſt unuſquiſque, quos tu hac gratia dignatus fueris. Qua tu me digneris, Domine, etſi immerentem, etſi indignum. Verum enimvero neſcit tua gratia noſtram culpam, tua bonitas noſtram malitiam, tua puritas noſtram illuviem, tua virtus noſtrum flagitium. Devorat iniquitatem omnem, & in abyſſo miſericordiae ſuae univerſam noxiam noſtram immergit. Putat a te creatos olim te dignos illeſum dignitatis ſuae ſtatum conſervaſſe: putat non peccaſſe, quos ſcit peccare non debuiſſe; putat fideles liberos fuiſſe, & in amore erga patrem conſtanter perſeveraſſe, quos ſcit deſciſcendi cauſſam non habuiſſe. Hoc, hoc beneficium tuae gratiae eſt, quo comparari quid poteſt? cui quid reponi a nobis poteſt? Nihil profecto? Sed tu, ut incomparabilia ſunt beneficia tua, ita neque reponi aliquid iis poſtulas, ne tenuitati, infirmitatique noſtrae magnitudo tua iniuriam facere videatur. Et felices nos eo nomine ſumus, in media infelicitate: & hoc deploratae ſortis quoddam quaſi temperamentum eſt, adverſitatis delinimentum. Iactandi eramus tempeſtuoſo curarum, atque ſollicitudinum, ſalo, procelloſis impietatis fluctibus, collidendi puſillanimitatis ſcopulis, abſorbendi deſperationis vorticibus. Tu ſpei noſtrae hanc ſacram anchoram dediſti, qua adiuti in tranquilliſſimum veniae portum e mediis fluctibus, atque procellis illaeſam navim ſubduceremus. Perieramus certo omnes, niſi in impetuoſiſſima tempeſtate ſalutare nobis gratiae tuae ſidus adfulſiſſet. Demerſiſſent nos Tartaro peccatorum onera, niſi alae nos miſericordiae tuae coelo ſublevaſſent: quibus nos e terris in coelum uſque, ex iniquitatum noſtrarum ſordibus ad nitidiſſimam munditiam, e denſiſſimis ignorantiae tenebris ad clariſſimam verae ſcientiae lucem, e perpetuis aerumnis ad ſempiternam felicitatem evolare voluiſti, iuſſiſti. Quamobrem neceſſe eſt fateatur omnis populus, vere eſſe bonum Deum Opt. Maximum, &

Beatos qui ſcrutantur teſtimonia eius, & in toto corde exquirunt eum.

O beneficium maximum! nos in naturae noſtrae pravitate, Domine, perniciem praeſentiſſimam inveneramus, peccatis mortem faediſſimam merueramus, & certiſſimam exſpectabamus; tu miſertus fragilitatis noſtrae, quia opus manum tuarum, quia effigies tua eramus, perire nos, & diaboli eſſe ſpolium noluiſti: praetendiſti facem liberationis, oſtendiſti viam ſalutis, & pro mortis meritae ſupplicio praemium gratuitae vitae praetuliſti, eiuſque conſequendi ſpem feciſti, modum exhibuiſti. Teſtimonia divinae voluntatis tuae, ſigna propenſiſſimi in nos favoris tui, finem aerumnarum, auſpicia beatitudinis, in ſacro ſancto tuo verbo aperuiſti. Qui man-

Digitized by Google

mancipia vitiorum eramus, malitia profligatiſſima, & gladiatoria quadam deſtinatione in perniciem propriam non euntes, ſed ruentes praecipite impetu, ad pileum ineffabili benignitate vocaſti, captivos e vinculis protraxiſti, & declaraſti non te noxios habere nos, ſed infelices interpretari: non culpam noſtram ſpectare, ſed fragilitati condolere: non iraſci, ſed miſereri: non vindictam ſpirare, ſed veniam propinare: non mortem minari, ſed vitam polliceri. Quid dicemus? ſupra univerſam ſpem noſtram tua ſe benevolentia extendit. Etiam paenitudine vitae peccatricis ducti, ſeria reſipiſcentiae vota concipientes, non veniam ſperare, non ad coelum oculos ſontes ſublevare, manus pollutas protendere, linguam impuram explicare auſi fuiſſemus, meriti conſcientia deiecti, niſi facilitatis nos tuae blanditiae, niſi benignitatis comitas, bono eſſe animo iuſſiſſet, ad vota exhortata fuiſſet, ad ſpem certam erexiſſet. Voluiſti nos petere, quod ſperare non poteramus: voluiſti ſperare, quod meriti non eramus; voluiſti contemnere, quod iure metuebamus. Et ut expedita ad nos beneficio tuo via eſſet; neque fidei difficultate beneficentiae tuae obſiſteremus, benigne promiſiſti quod velles dare ut crederemus: & promtitudinis tuae intenta contemplatione, noſtrae indignitatis memoriam obrueremus. Quia niſi lauti, mundique accedere ad te poteramus, hyſſopo nos a capite ad calces uſque purgaſti, ſanguinis tui limpidiſſimi fluvio immerſiſti, omnes maculas eluiſti, & deterſa peccatorum illuvie, mundiſſimam innocentiae tuae veſtem circumdediſti, ut non noſtro habitu, ſed tuo tibi ſiſteremur, ut non homines eſſe, id eſt contaminatiſſimi peccatores, ſed dii, id eſt ſanctiſſimi conſpiceremur: ut beneficium quoque tuum perderes, & nihil nobis contuliſſe videreris. Hoc nimirum ſupra omnem amorem, ſupra omnia merita eſt; Divinitatem tuam imputare, ut humanitatem noſtram ſervares; praeſtantiae tuae abundantiam impendere, ut defectum noſtrum ſuppleres: humanitatem adſumere, ut Divinitate nos indueres. Quum iuſtitia patris ſatisfactionem omnino requireret, poenaſque exigeret, tu intercedens noſtrique miſertus in reatum te immiſiſti; quique peccatum committere nullum poſſes, factus es pro nobis peccatum, ut gratiam nobis tuam impertires, ſeveritatem patris delenires, iram iuſtiſſimam demulceres. Qui maledictionem nullam merueras pro nobis te maledictioni devoviſti, ut gratiam mereremur, ut veniam inveniremus. Filius Dei victima es diaboli factus; rex coeli, triumphus inferni; auctor vitae, captivus mortis; decus aeternitatis, ludibrium mortalitatis. Quia habere nos voluiſti, quod conſequi non poteramus, paſſus es quod non merueras, factus es quod eſſe non poteras. Adgnoſcas, Domine, beneficium, anima mea, neque ingrata unquam inveniaris. Cogita ſerio vias illius, calca ſedulo: habeas rationem veſtigiorum tuorum, examina diligenter actiones omnes tuas, omnes cogitationes, omnia ſtudia. Ad illum dirigas, ad illum tendat, quicquid a te proficiſcetur. A virtutis honeſtique inſtituto nunquam divertas, ab aequitatis regula nunquam deflectas.

Non enim, qui operantur iniquitatem, ambulaverunt in viis eius.

Viae tuae, Domine, placidae ſunt, & ſemitae tranquillae. Oſtende mihi illas, coge ingredi, & ingreſſi plantam ita rege, ut recta pergens ad metam, in diverticula nulla, & ambages, declinet. Inſtitutum iter te duce conficiam, ut cum gaudio metam teneam, cum gratitudine gaudio meo perfruar; agnoſcam, laudem, colam, venerer ducem meum, qui laboribus meis benedixiſti, pedes direxiſti, animum conſtantem, taediorum periculorumque negligentem addidiſti, in exordio conſti uiſti; indivulsus lateri comes proſequere eunt:m, ne ambiguo viarum anfractu in errorem compellar: ſiſte pedem, ne per abrupta provoluar: fige gradum, ne in lubrico concidam; firma lapſantem, erige collapſum: & perduc invito diabolo, quo ire deſtinavi. Impediunt multa pedem, & conturbant iter: hinc obſeſſae vitiorum latrociniis viae, inde infeſtiſſima mihi hoſtis prava inclinatio mea, quae favet vitiis, propendet in illa, in me cum illis conſpirat; quaerit occaſionem proditionis, ſpolii, caedis. Perditorem, praedonem, latronem, qui extrinſecus timeo, intrinſecus circumfero; qui metuo ne quis ex inſidiis adoriatur incautum, in penetralibus pectoris mei geſto carnificem; quodque magis facili me praedae exponit, qui tanquam abſentem adhuc, & remotum caveo, praeſentem & intra me deliteſcentem non timeo, ipſemet mihi inſidiae, ipſe hoſtis, ipſe latro. Domine, qui evadam? Periculum eſt ne in ipſo adhuc viae limine meomet vulnere concidam, ne violentas ipſe in me manus coniiciam, meque diabolo praedam referam, qui debebar tibi: id eſt, de felicitate in miſeriam, de ſplendore in tenebras, de coelo in imum me baratrum praecipitem. Domine, quod ſubſlamen inhibebit mihi ruentem pedem? quis comitatus tutum praeſtabit? ſpolium abducar, nec adparebit praedo: concidam lethali vulnere confoſſus, nec uſpiam conſpicietur latro; quis ergo me tutabitur, aut quo modo? neſcio unde auxilium petam, quo me vertam, ubi ſecuritatem mihi ſpondeam, miſer, miſer profecto; quo redactus ſum? unum hoc reſtat, ut quum ſpei nihil ſit, nihil quoque deſperem; ut ad te convertar, ad tuos me pedes abiiciam, humilis ſupplexque, ut eripere e tot periculis inſtantibus velis egenum opis tuae, & quod unum tu pro beneficio repoſcis, poſtulantem opem tuam. Quaeſivi aliunde, ſed in eo peccavi, &, quia quaerebam ubi non debebam, invenire non potui, & hoc mihi, quaeſo, pro delicto iſto ſupplicii ſatis ſit tam diu erraſſe anxium in tanto diſcrimine, cinctum tot terroribus, ſingulis momentis leti telum

Digitized by Google

telum extimeſcentem, nullum ſpiritum liberum ducentem, caruiſſe tua ope, tuo ſolamine, tuo ductu. Poenitet ambagum, piget erroris, in ipſo me capite viae iterum ſiſto, uti queam novo curſu abolere priſtinum errorem, & certi itineris voluptate, optimo duce comitatus, praeteritorum periculorum anxietatumque terriculamenta retundere: integer ad te, & nullo ſaucius vulnere, pede inoffenſo pervenire, tanquam bonus viator, & ſolicitus cuſtos greſſuum meorum. Domine, exaudi vocem clamare volentis, at prae metus magnitudine vix hiſcere potentis. Sed vero vel hiſcere tantum in anguſtiis, imo vel ſubſpirare, pro magno tibi clamore eſt, & animum, non rem, conatum, non opus metiris, & carnis imbecillitatem bonae voluntatis merito derogare non pateris. Hiſco itaque, id eſt clamo ad te tot periculis cinctus ex altiſſimo triſtitiae baratro, miſerere mei, Domine. Cor palpitat, animus ſupplicat, ad preces animi lacrimas quoque ſuas oculi adiungunt, manus ſe paſſae protendunt, & geſtiunt ipſum coelum pertingere, genu miſericordiae tuae adtingere; nullaque pars corporis precandi gnara deeſt officio ſuo, deplorat miſeriam ſuam, teſtimonium perhibet potentiae tuae, implorat opem tuam. Quouſque averteris, Domine, quouſque? acclina aurem, & patere intrare preces meas; dignare anguſtias meas oculo benigniore. Sic potero iniquitatem non operari, & ambulare in viis tuis.

Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.

Domine, da ut paream, & cuſtodire mandata non fideliter tantum, ſed alacriter quoque poſſim: ſi tamen eſt fideliter facere, quod non facias alacriter. Da quod tu vis ut poſſim: & praecepto adiunge quoque benignitatem tuam, & quia poſſim ſi velim, da ut velim id quod debeo. Quis hic ſtupor mentis meae eſt, Domine, quae perverſi animi maligna obſtinatio! Quamquam deberemus id quod exigis, ut tamen vellemus, dediſti ſuavia eſſe, eſſe benigna, eſſe facilia, quae poſtulas: & quum poſſes imperare, quum poſſes cogere, maluiſti blandus elicere ſtudium noſtrum, maluiſti mitis impetrare obedientiam noſtram. Sed, Domine, nos iram tuam exaſperamus, & inobedientiae indignitate graviores poenas provocamus, quippe intolerabilius eſt, pluſque flagitii habet adſpernari blanditias rogantis, comitatem invitantis, quam detrectare iuſſa imperantis, quam contemnere vim cogentis. Praeterea non ferox ut Dominus, ſed lenis es ut pater: pluſque ſceleris comittit filius inobediens, quam ſervus. Hic enim ampliſſimum praemium lautiſſimam hereditatem pro obſequio exſpectat; ille exiguam mercedem; hic fortunae ſuae gratia laetus alacrior capeſſere mandata debet; ille ubique ſortis ſuae triſte patiens opprobrium, ſi quandoque non exacte pareat, veniam meretur; hic plecti iure debet; illi in ſolamen miſeriae remitti culpa, & auferri poena poteſt; quippe in hoc malignitatis certiſſimae eſt non parere, in illo infelicitatis, animique potius fortunae ſuae ſuccumbentis, quam male obſtinati. Amabilia, & placida ſunt mandata tua, Domine, nos inamaeni, & tetrici refragamur: nec ſufficit crimen hoc, coelo poene tuo imminemus. Quae ſunt haec ſtudia? unde ſunt? quis haec malus auctor animis noſtris iniecit? Omnis verae voluptatis fons perennis eſt lex tua; omnis felicitatis theſaurus perpetuus. Magno laetitiae & hilaritatis flumine inundat corda diligentium, vitam proſperis ſucceſſibus beat, & ſecundarum rerum divitiis adfluere domum amantium facit. Inſtruit ſimplices, erudit indoctos, & ignorantiae glaucoma ab animi oculis amovet. Tenebras omnes illuſtrat, & abſtruſam invidia diaboli e latibulis veritatem protrahit, ereptam mentis ſanitatem reſtituit, ſepultam animi devotionem reſuſcitat, noſque ipſos ex inferis, e ſempiterno infelicitatis noſtrae ſepulcro in coelum, in aeternae beatitudinis domum reducit. Domine, da hanc vere aeſtimem, quae pretia omnia ſuperat: da hanc amem, per quam tantum habeo tam illuſtrium beneficiorum: da hanc colam, cui tantum debeo venerationis: da ut huic totum me dedam, cui totum me debeo: da ut huic totum me dedam, qui maiore cum emolumento dare me alteri non poſſim. Accedat ad officium meum etiam voluntas, ut hunc fructum referam; quumque impenderis voluntati meae, quod ego tuo nomini debebam, gratias tibi maiores pro bonitate ex animo agam, gratias ſinceras, gratias tibi acceptas. Da mihi hoc beneficium, ut tu illud acquiras; quod etſi mihi re vera accedat, tu tamen tuum lucrum interpretaris, & ex coeleſtis opulentiae tuae abundantia, in meam egeſtatem omne largus refundis, ut vel eo quoque modo me locupletes. Domine,

Vtinam dirigantur viae meae ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. Tunc non confundar, quum perſpexero in omnibus mandatis tuis.

Speculum mihi eſto verbum tuum, in hoc me contempler, in hoc cernam iniquitates meas, & iuſtam iram tuam. Domine, ut tibi ſatisfaciam, ut te ex animo ſupplex veniam poſtulem, iniice peccatis meis miſericordiae tuae velum, ut ex oculis ea iuſtitiae tuae ſubducam. Ignoſce, Domine; peccare me ſuperba & plus quam tyrannica carnis meae impotentiſſimae imperia coëgerunt, cui reſiſtere non valebam, quae ſubterfugere non poteram. Inſtabat a tergo, ſaeviſſimaque carnifex tardanti ac tergiverſanti mille flagra impegit, mille vulnera inflixit, ita ut de perforata undique cute ſanguinis rivi decurrerent: adeoque totum iam corpus unum quaſi vulnus erat, & neque membris amplius meis, ſed ipſis vulneribus vulnera incutiebantur. Quae ſaevitia haec, Domine, quae tyrannis? quis huius formidine non quidvis faciat? Fateor non debuiſſe,

ſe,

Digitized by Google

se, sed & hoc tu scis, non potuisse: ut autem rigidus delicti vindex es, ita quoque iustus caussae quaesitor, & judex. Non vis opera nostra supra potentiam esse, & imbecillitati nostrae vim facere. Tantum ut doleamus cupis, & hoc tibi pro quavis potentia est, pro quovis effectu: deletque tibi admissi turpitudinem poenitentia, & supplet potestatis defectum bonitas simplicitasque voluntatis. Ego vero huc, & id tua quoque gratia, perveni, Domine; dolet mihi mea iniquitas, ipsum me terret mea faeditas, non fero ulterius paedorem sordium mearum; poenitet ab officio deflexisse; tuorum beneficiorum, tuorum placitorum rationem non habuisse; poenitet offendisse. Sed, Domine, tu ignoscis, quia in ipsa poenitentia inclusam poenam fero; quia tibi pro quavis poena est confessio culpae. Hoc facio, Domine, & vere facio; scis me non mentiri, quia ipse humiliasti; scis non fallere, quia duritiam cordis huius ipse fregisti, quia ipse ad conversionem & poenitentiam auctor fuisti, rationem veniae impetrandae ostendisti. Domine, non confundar, non repulsam patiar. Venio ad te, sed tecum. Tu me pudore delicti deiectum confirmasti, manuduxisti: ignoscis mihi vel propter te, & ego confido veniam me omnino habiturum. Iustitia tua non me castigabit, non me perdet, quia tibi me misericordia tua sistit, quae precatrix adsistit, cui tu negare nihil soles, quum in contumaces tantum iustitiae tuae ira grassetur, & gratissima tibi poena sit rei poenitentia. Fateor me esse sontem, sed innocentiae proxima poenitentia est: & haec ipsa donum tuum est, patrocinaberis dono tuo, & illud in me amplectens, propter illud mihi parces, ne propter me illud perdere cogaris. Mavis impunitam me habere noxam meam, quam munus tuum corrumpere, eiusque sanctitatem non suo pretio aestimare. Ecce quae haec res? ego feceram, ne tu parcere mihi deberes: tu curasti, ne me perdere posses. Ego quocumque modo irritavi poenam; & culpam mihi ingentem accivi; te piget vindictae, & iuvat dare veniam. Non possum confundi, Domine, quum tu vitae mihi comes, dux actionum mearum, labentem erigas, delinquentem corrigas, vitium in virtutem, noxam in innocentiam, culpam omnem in meritum convertas. Domine quid punias, qui irae tuae reum subducis? qui commiserando non vides supplicii aut causam, aut locum? quomodo in discrimen ego veniam, quum tu crimen in me nullum invenias? invenire autem non potes, quia ipse amovisti, ipse eripuisti vel ingratis, ut gratis benefaceres: abstuliisti reatum, quae deplorata nostra perversitas est, aegre amittenti, ut prompta mihi esse gratia tua posset, ut obstaculum non inveniret, ut liberum iter haberet.

Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici iudicia iustitiae tuae. Iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque.

A Aperi os meum, Domine, & abrumpe impedimenta linguae; cor mihi debita pietate, buccas accepta oratione imple, ut in decora & majestate tua digna gratiarum actione deplere eas possim. Cognoscat volo universus orbis beneficia tua; sciat vilitatem meam; ut beneficentiam tuam tanto magis amet, subspiciat, veneretur, & quod tu maxime cupis, expetat. Vt a mea indignitate, manifestissimum tuae bonitatis sumat argumentum; ex magnitudine beneficiorum, B magnificentiam tuam, ex multitudine metiatur opulentiam. Ego tot, tantaque accepi, ut sub cumulo ac pondere pene ingemiscam, & ferre non possim: sed tu, Domine, qui dedisti, eadem conservabis, ut substineam adiuvabis, ne excutere tentem curabis, & ne ad ingratitudinem, ac convitia, properem vetabis. Quippe, qua pravitate sumus nos homines, idem valent in animis flagitiosissimis maxima beneficia, quod summae iniuriae: & non magis providendum C patrono est, ne benevolentia clientem obruat, quam ne odio. Averte flagitium hoc, nec eo me impietatis delabi permitte. Quin potius restringe indulgentiam tuam, compesce liberalitatem, ut perimas illa vitia, quae hinc in animo meo essent eruptura: & sic pro receptaculo beneficiorum tuorum coelestium, cor mihi gurges fiat pudoris, & barathrum ingratitudinis. Da, Domine, ut recte adgnoscam dona tua, ut recte iis utar, ne aut ignorando, aut malo aestimando, aut abD utendo indignum me iis exhibeam. Da quod dedisti ut etiam dedisse te sciam, ut cur dederis sciam, ne auferre te illa iterum cogam: verat enim beneficia, quisquis ingratus est. Accedat hic cumulus liberalitati tuae, & quae dedisti, velis quoque in me servare. Provide, quaeso, ne beneficia tua vel perturbem, vel corrumpam, vel eiiciam. Scilicet hoc est vere munificum esse, hoc est perfecte munificum esse, praeter beneficia hoc quoque dare, ut integra permaneant, E ut ne quis casus aliquid ex iis delibet, & quandam illis quasi aeternitatem praestare. Tu autem, Domine, verus es, tu perfectus es, tu aeternus es, da quod peto, quod necessario peto, sine quo propter infirmitatem meam constare tibi benefactorum ratio non potest, & maiorem gratiarum agendarum caussam habebo, & adripiam quoque: ne invidere appareas, quod videris concessisse; ne subripere, quod videris dedisse, ne destruere, quod videris erexisse. Noli perdeF re gratiam tuam ipse, quam sine te referre tibi non possum. Vides, Domine, & scis, quam totus ex te pendeam, quam totae a te meae vires dimanent, quam totus miser sim, si oculum semel deflectas, si numine me & favore tuo destituas. Subiectum ego sum in quo manus tuae operantur, & gymnasium in quo tua se industria exercet; regnum ego tuum, & iussa me tua capessere fas; nihil boni praestare possum, quod non in me tu elabores; nihil mali velle, quod non impedire ac prohibere tu possis. Iam, Domine, qui non prohibet delictum, quum possit, idem

Idem facit cum delinquente: sed delicta tu tamen nostra permittis sine tua culpa, qui tantum nobis beneficiorum contulisti, iisque ita ad virtutem sequendam constrinxisti, ut merito delinquere non posse iudicari debeamus. Itaque ubi audacia ipsi nostra, & profligatissima perversitate potentiam nostram, & tuam curam perrumpimus, iure maximo sine ullo & patrocinio nostro, & culpa tua totius criminis exsecrationem substinemus, & poenas dignas luimus. Domine, quomodo gratum me satis exhibebo, qui aestimare satis beneficia tua nondum possim? at vero non digno quod acceperis pretio censere, luculentissima ingratitudinis species est; imo ne limen adhuc quidem gratitudinis attigit, qui hoc non facit, etiam quum maxime gratus videri contendit; ignoratio iusti pretii gratiarum actionem deterit, & quamvis in conatu fortasse omnia sint, in effectu ipso multa adhuc deficiunt. Da igitur, Domine, ut bene rationem ineam, recte calculum ponam, verum pretium statuam, ut dignas agere gratias possim. Sed vel neque sic potero, fateor; at ubi plena meriti cognitio sit, si opera non respondeat dignitati, quae tua benignitas est, iam solo conatu pateris tibi satisfieri: quique id effecit quod potuit, eum fecisse quod debuit, & impleviſſe officii sui summam iudicas. Quod autem est illud iustificationis tuae meritum, Domine? Quis Dominus unquam servo, quis pater filio tantam gratiam fecit? Exsuperat haec omnia omnium, ut tu omnes: quantumque infra auratum istum coeli fornicem terrae hic globus, quantum infra divinitatem humanitas, infra aeternitatem est mortalitas, tantum infra tuam omnium hominum beneficentia iacet: incomparabilis, sicuti neque tibi quisquam comparari potest. Quod, inquam, illud tuae iustificationis meritum est? quantum tu hac in re mihi munus contulisti? cuius splendorem meae sordes, cuius magnitudinem mea tenuitas, cuius pretium mea quoque vilitas exauget. Destinaveras tu nos virtuti, nos in vitia ruebamus: destinaveras aureo illi divinitatis fulgori, nos in faediſſimum mortalitatis coenum nosmet deiiciebamus: destinaveras augustissimae aeternitati, nos in infeliciſſimam mortalitatem properabamus: repressisti autem furorem nostrum, & certa quadam animi malitia in exitium ruentes revocasti, stitisti: &, ut amoris erga nos tui magnitudinem, vehementiamque ostenderes, qui salutem iam nostram omnino abdicaveramus, ut servare posses, benigne gratiam tuam communicasti, quae omne flagitium tam destinata malignitate commissum obliteraret. Sordes nostras, quae merito displicere tibi poterant, commutasti in munditiem, ut gratae essent: iniquitates nostras, ne abominareris, in iustitiam, ut amplectereris flagitia, ne animadvertere in illa cogereris, in virtutem, ut praemio cohonestares. Quum iudicis tibi severi personam ipsi imponeremus, ut condemnares, recusasti, & mediatoris accipere maluisti, ut absolveres. Factus es piaculum pro nobis, factus es peccatum, qui peccati nihil admiseras: factus es illuvies, & faeditas, qui totus eras purissimus, nulla vel labecula adspersus. Factus es maledictio, qui omnis benedictionis eras auctor. Impendisti nobis virtutes tuas, quum ipsi nostras nullas haberemus: & ut vitae aeternae praemium acciperemus, culpam condonasti, meritum donasti. Cruci adfigi voluisti, ut amissam salutem per quod perierat reparatam esse adgnosceremus: ut mortem, quae per lignum venerat, abolitam esse per lignum sciremus, & maiora nobis per crucis arborem reddita crederemus, quam paradisi arborem eripuisse subspirabamus. Mortem es passus, ut subiugare illam, & vitam nobis reportare posses. Descendisti ad inferos, ut catenis ibi diaboli vinctos absolveres, & inferno subduceres. Adscendisti iterum ad coelos, ut nos quoque eo perferres, & augustae istius beatitudinis consortes faceres. At quantae molis hoc opus fuit? obstupuit sol, faciem suam dies abscondit, tellus contremuit, concussa sunt orbis fundamenta, & solida illa montium pondera nutarunt, ipse tartarus exhorruit, pax terris ablata, dissoluta rerum concordia, ruptum est foedus elementorum, & ipsos quoque discipulos miraculi magnitudine adtonitos, atque in fidei naufragio desperantes, certamen magnum exercebat: collidebantur acriter fide & incredulitate: non ita terram, ut illorum animos turbo passionis concusserat: distrahebant mentes variae cogitationes: desperationis spei que arietes robusta licet pectora inquietabant, ac pene convellebant: inter innumera miraculorum signa, inter infinita Deitatis insignia, & imbecilla carnis, inter mortis damna, & dona vitae animi ferebantur: nunc spiritus eorum erigebantur ad coelum, nunc adfigebantur in terram, & in intimis pectoris penetralibus tam vasta procella saeviente, portum quietis nullum, stationem pacis nullam poterant invenire. Sed tu, Domine, quem mors ipsa fugit, infernus exhorruit, tartarus Deum confessus est, qui nolebas victoriae tuae perire tibi triumphum, fidem illorum incertam, nutantemque firmasti, fluctus desperationis sedasti, & tranquillissimam certae spei malaciam imperasti: quodque prodesse increditum non poterat, credere mandasti. Da nobis quoque, Domine, ut credamus, fidemque dubiam nimis atque imbecillam stabilias, ne a parta iam salute iterum pereamus, ne in ipso portu naufragium faciamus, quod naufragiorum omnium genus est miserrimum. Elue corda nostra, & ab incredulitatis caeno purga, ut illimi alveo limpidissima illa fidei fluenta accipiant. Incredulitatis fruticeta amputa, ut excelsa & robusta fidei plantaria excrescant. Non illuminat lippientes oculos sol, sed aciem illorum infirmam perturbat, non reparat febrientium vires vinum, sed adfligit: sic incredulis non potest sine fide prodesse meritum tuum. Da itaque istam, Domine, ut & hoc frui possim.

In

In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos.

Domine, clamo ad te inter ſumma pericula conſtitutus, omni ope deſtitutus, augetque timorem auxilii deſperatio. Domine, implicatiſſimum vitae labyrinthum ingredior, quomodo veſtigia regam? adoleſcens ſum, ideſt omnis infirmitatis theatrum peccati palaeſtra, ludus iniquitatis deliciae erroris, victima infelicitatis, ludibrium Satanae, & quem ille ne armis quidem dignatur, imo nec opus habet, pede ſubruit. Inermis enim ſum, & in aetatis lubrico pedem, ubi aut quomodo certum defigam non video, non ſcio. Miſer, qui ad metam pervadam? qui hoſtem meum evadam? Succumbam, Domine, ſuccumbam profecto, niſi tu mihi opituleris. Domine, iuva me, quaeſo: haereo, nec pedem quoquam promoveo, ignarus viae, territus periculo, inops conſilii, egenus ducis. Tu autem hic me ſtatuiſti, iter conficere voluiſti, ſunt ne imperia tua iniuſta, Domine? illudiſne imbecillitati meae, qui id imponis, quod ſcis praeſtare non poſſe, & ita quodammodo vetas quoque ne tibi paream? Da poſſe, quod iubes; & velle etiam, quod poſſim, ne donis tuis, & promtae ſpiritus voluntati carnis obſtet invidia, & meum officium proiecta impediat malignitas, uti culpam mihi maiorem conſciſcat, & poenam graviorem irritet. Saepe enim uſu venit, ut quae tu praecepiſti, & poſſe quoque dediſti, & ego velim, non tamen poſſim: verum non iam tua iniquitate, ſed carnis meae refractariae contumacia. Sic ſcilicet inter medias opes egeo, inter confertiſſimos cibos eſurio, e tempeſtate evectus, terram portumque ſpectans, in vitae confinio morte obruor, in media ſalutis ſpe deſeror, pereoque. Quid me infelicius? Coeca adoleſcentia mea eſt, imperita rerum, ignara ſtatus ſui, vix ipſa vita quid ſit ſciens, ad, quam vocata ſit. Neſcit eſſentiam muneris, neſcit uſum, videt difficultatem, unde quid poteſt referri niſi corruptio tui beneficii? ſummae ingratitudinis nota? ſumma ignominia? maximus reatus? triſtiſſimus interitus? Inter tot pericula, Domine, tantamque anxietatem, da te ut timeam, ad placita collineem, tua praecepta exequar. Da, quaeſo, te timeam, Domine, ut nihil timeam: iniice mihi iſtam curam, ut ſim ſecurus: include me iſtis compedibus, ut ambulem libero greſſu. Da tui timorem, ut vere ſapiam, ut recte vitam inſtituam, intrepide hanc viam inſiſtam, feliciter decurram. Da tui timorem, ut uno tanquam ſpiritu circumimminentium undique periculorum minas frangam, inſidias eludam, conatus difflem, invictus exiſtam, incolumis evadam, tibi plenas gratias agam, & opima de obpugnantibus vitiis ſpolia dicem. Da vel in hoc, Domine, ut me gratum cognoſcas, ut me dignum beneficio tuo iudices, quorum altero libentius nihil vides, altero promtius nihil facis. Reſpondeam natalibus meis, & origini, quam e coelo traho: & dignum habeam aliquid illa divinitate, in qua me primo creaſti, ad quam me creaſti, ad quam deiectum ſemel ineffabili iterum, incredibilique benignitate revocaſti, regeneraſti. Evelle ſemina malitiae, ſtirpes vitiorum: adde robur pio animi voto, & ingenuae ſimplicitati. Nullus malus ſuccus alat vitia, quin ardentibus ea igneae virtutis radiis exure, ne excreſcere iterum in perniciem meam, & internae puritatis labem poſſint. Diligenter obſerves, ne quid animo meo noxium furtim irrepat; tuere me, ne quid fortiter irrumpat, quod tuam beneficentiam corrumpat, quod tuum opificium deſtruat, quod me irreparabili damno afficiat. Ita mihi pectus munias, ut retundere quemvis vitiorum impetum poſſim. Stem ſemper in procinctu, paratus adverſus quemvis hoſtem, in acie fortis, in praelio inſuperabilis. Animus in ſpecula perſeveret, uti diabolum vel irruentem aperte reprimat, vel clam dolos texentem, & ſub perſona fallere volentem caveat. Ille cibum noſtrum in crapulam diducit: potum in ebrietatem diffundit: ut mentem dementet, carnem inquinet, corpus illud animi domicilium, animae vas, illum ſpiritus murum, illam virtutum ſcholam, illud Dei templum, in ſcenam criminum, in pompam vitiorum, in theatrum voluptatum redigat. Eſurit ille cibum nobis non dantibus, & noſtris ſaturatur ex culpis. Edit ille de crapula noſtra, bibit de ebrietate noſtra. Voluptuatur, & genio indulget, quum nos luxus ſolvit, libido furiat, pompa rapit, impellit ambitio, ſtimulat ira, excaecat furor, incendit invidia, inflammat cupiditas, curae ſollicitant, lites vexant, lucra capiunt, uſurae conſtringunt, pecuniae elidunt. Quando ſerviunt virtutes, dominantur vitia, voluptas effluit, honeſtas perit, miſericordia deficit, abundat avaritia, regnat confuſio, ſuccumbit ordo, proſternitur diſciplina. Iſta militant omnia adverſus me unum; iſtae ſunt Diaboli cohortes; iſtae legiones, quae debellaverunt, populos, exciderunt imperia, univerſum terrarum orbem duxere captivum. Vides, Domine, in quo ſtatu ſim, in quem campum, adverſus quem exercitum inermis & rudis miles procedam; nec detrecto tamen pugnam, tu tantum alis me tuis ſuccinge, & confligam intrepidus: tuis ego praeſidiis non victoriam, & triumphum deſperem. Da crapulae quam opponam abſtinentiam, temulentiae ſobrietatem, libidini caſtitatem, iracundiae patientiam, avaritiae liberalitatem, ferociae, inclementiaeque miſericordiam, ſuperbiae humilitatem, reatui innocentiam. Alacris te ſpectante, te adiuvante, in exercitium virtutis prodibo, ut auferam certaminis gloriam, fortitudinis praemium, iuſtitiae coronam. Adiuva me, Domine, adiuva, vides enim quantopere opus habeam, quam ſerio precer: vides quod

In toto corde meo exquiſivi te, ne repellas me a mandatis tuis. In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem.

Digitized by Google

Domine, tu me creasti, ut tibi servirem, te colerem, te venerarer: tibi impenderem cogitationes meas, tibi studia, tibi vota, tibi opera. Cor indidisti, ut hospitium tui amoris esset, receptaculum omnis virtutis, domicilium omnis puritatis, sinceritatis, innocentiae. Abdidisti intra penetralia corporis, & tanquam in adyto posuisti, quo accedere nulla pravitas, ubi invenire peccatum nullum posset: ut constaret illi integritas sua, sanctitas sua, divinitas sua, illaesa: ut tibi uni vacaret, tibi uni operaretur; tuus esset ille fundus, qui tua solius semina acciperet, tibi soli fructus ferret. Semina inquam tua, id est verbum sacrosanctum, divina elogia, quae tota ego mente amplector, in agrum tuum inieci, tu benedices, Domine, ut ferat fructum multiplicem, id est veram pietatem, quae una omnem istius sationis fructum, omnem fructus uberratem exhibet. At tam iucunda sunt, Domine, elogia tua, quam sancta, & suavitate omnes favos superant. Adficiunt palatum, recreant stomachum, exhilarant animum & corpori universo sanitatem largiuntur; necant curas, adferunt prudentem & circumspectam securitatem; temperant metum, temperant gaudium, & navem hanc animi ita gubernant, ne vel in huius extremitatis Scyllam, vel in illius Charybdin impingat. Curant ne vel illic deficiam, vel hic excedam: & dum modum ubique inculcant, sorti meae clavum adponunt, quae me in certum alioquin exitium esset abreptura, & caeco aliquo huius vitae gurgite demersura. Haec mihi, pro ventorum ferentium modo, vel laxant vela, vel arctant. Haec certiorem reddunt, sub oculis me tuis agere, a te observari sedulo, te mihi cuiuscumque fortunae esse conscium, esse arbitrum, esse auctorem. Nihil mihi accidere, quod non a tua manu obveniat; ut, si laetum illud sit, magis gaudeam, vel ob te datorem; sin vero tristius aliquanto, patienter feram, sine ullo impotentis animi convitio, sine querela, sine murmure, quum tua ea voluntas sit, tua voluptas, imo mea utilitas. Haec faciunt, ne tam libere delinquam, tam irreverenter peccem, quum sciam te mihi praesentem esse inspectorem actionis meae, ideoque iudicem severum, & certum, cui neque excusare me ullo colore, quem neque ullo mendacio fallere possim. Imo haec efficiunt uti peccare omnino neque possim, neque velim. Et quis, Domine, tam vesanae impudentiae sit, vel audaciae, qui non offendere praesentem te vereatur? non revereatur augustum illum divini vultus tui splendorem? non perhorresoat iustitiae tuae vim, & intolerandum irae furorem? quem non dehortetur amabilis illa oris blanditia, quovis fulmine, quovis tonitru efficacior? quem non pelliciat maiestas tam illustris praemii, quod virtuti proponis? quem non invitent illa coeli chalcidica? illud Divinitatis tuae regnum? illa aeternitatis tuae aula? ille fluctuantium nostrum portus? illa veri, immortalisque gaudii nostri sedes? ad quam omni studio contendimus, indefesso pede currimus, continuo voto suspiramus? cuius exspectationem vix ferimus? cuius desiderio annus, mensis, hebdomas, dies, hora nobis seculum est? Merito itaque quaesivi te, Domine, & ex animo quaesivi, & facile inveni, quippe qui obviam ipse mihi veneris, adeo ut quaerere non minus me tu videreris, quam ego te: occurristi mihi ultro, & in ipso adhuc laboris mei principio, adeo ut non minore ipse mei desiderio flagrare videreris, quam ego tui; scilicet, quae bonitatis tuae magnitudo est, & amoris erga me vehementia, etiam hic vincere me voluisti, uti manifesto te indicio huc mihi praeiviss ostenderes; ut non quaerere me doceres, sed in amplexum tuum procedere, & tamquam maiori minor officium exhiberes, infra indignitatem meam maiestatem tuam abiiciens, humilitatisque induens simplicitatem, rogares ne me laboris suscepti poeniteret. Non poenitet, Domine, non poenitet: imo gratulor mihi, & felicitatem meam pleno ore praedico. Nullum poteram laborem utilius subscipere, nullam viam felicius ingredi, nusquam gratius fatigari. Nihil poteram invenire maius, nihil poteram accipere augustius. Deum ipsum inveni, quem quaerebam, & qui me quaerebat: Deum inveni, illum cuius coelum thronus est, cuius pedum scabellum tellus, cui fulgura, cui tonitrua, cui venti, cui pluviae famulantur; cui omnia sceptra inclinant, cui prosternitur quicquid ubique est; qui creavit universum hoc quod exsistit, & qui donare mihi universum hoc cupit, vocat in possessionem, in consortium regni. Et adhuc me paeniteat? non, non poenitet, Domine, indignus ego beneficio tuo sim Domine, ut sum profecto: & ignosce, quaeso, si non alacer satis & expeditus processi, si pes mihi segnior fuit, si in tantillo itinere, quod tu poene omne mihi antevertendo praeripuisti, diutiuscule haesi; imbecillitati hoc meae imputa, non culpae; infelicitati, non malignae voluntati; stupet animus ut insigni aliquo infortunio, sic quoque felicitate imminente: parem vim habet utriusque propinquitas, aeque externat. Tu vero

Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas.

Effunde in me dona benedictionis tuae: benedictionis tuae, Domine, qua nihil magis necessarium, nihil maius, nihil utilius dare mihi potes. Benedictio tua, Domine, fons & scatebra omnis boni, omnis felicitatis est. Ob hanc te colit omnis homo, hanc tu omni homini das pro praemio. Negare hanc timentibus te non potes: non vis etiam, Domine, & promittis ultro. Benedictio tua omnes divitias complectitur, & thesaurorum vere thesaurus est: haec praefecturam coelestis tui aerarii gerit, hinc promis, quicquid vis donare, quicquid vis bene facere: & promis sine fine; nulla manus evacuet, nulla

Digitized by Google

nulla liberalitas conſumat, imo ne minuat quidem: ſemper eſt eadem plenitudo, eadem abundantia. Ac veluti mare illud ingens, quod tu veluti limbum telluri tuae praetexuiſti, aquas Soli ſubminiſtrat, quas in terram rurſus depluat, ut eam faecundet, irrigetque: ut flumina ipſa alit, nutritque, neque tamen decreſcit, aut perdit aliquid ex ſua copia, ſic tua benedictio: In ſe redundat ſemper, ebullit ſemper e fundo benignitatis tuae, ſeque ſemper regenerans, ipſa ſe reſtituens, ſemper eadem eſt, nec amittit aliquid aut de qualitate, aut de quantitate: quin ut generoſa flumina, & ille ipſe Oceanus, Divinitatis tuae imago, & ſpeculum, exuberat nonnumquam, & inundat terras. Da mihi benedictionem tuam, Domine, ſine qua nihil omnino poſſum, ut poſſim id, quod debeo: id quod a me exigis. Si parere me iuſſis tuis vis, da poſſe, Domine: vis autem, & ſerio vis, & dabis quoque benigne; quin ideo nos tu ſine illa nihil poſſe voluiſti, ut nihil quoque ſine illa aggrederemur, nihil tentaremus: illam prius imploremus, illam expoſceremus ſupplices. Voluiſti nos ſine illa nihil poſſe, iuſſiſti illam a te petere, quia ultro eam nobis deſtinaſti, ultro nobis largiri paratus fuiſti. Voluiſti tamen preces noſtras, non quod illae dignae ea eſſent, & impetrare ſuo merito poſſent; ſed adferre nos ſolam hanc animi humilis inclinationem expetiiſti, ut iam ante paratam, & ultro obvenientem reverenter exciperemus, ſancte tractaremus, cum conſtanti memoria, & quinam haberemus, & quid haberemus, & quam facile comparaſſemus, & a quo accepiſſemus: ut noſtra vilitas cum tua beneficentia, cum facilitate, cum maieſtate compoſita, officii nos noſtri commonefaceret, oblivioſis aurem velleret, negligentioribus minaretur quoque, & poenam ingratitudinis ob oculos poneret. Benedicas mihi, Domine, humilis ac proſtratus coram te imploro opem tuam, exſpecto manum adiutricem tuam, deſidero beneficium tuum, beneficium tuum, Domine, illud beneficiorum beneficium, illud omnis felicitatis promtuarium, omnium virtutum horreum. Haec voti mei ſumma eſt, Domine, non ultra impius adſcendo: unum hoc mihi tu dabis, & omnia in uno habebo, quia omnia tibi unum ſunt, qui unus es omnia in omnibus, quod natura non habet, uſus neſcit, ignorat ratio, mens non capit, pavet coelum, ſtupet terra, unuſquiſque miratur. Benedicas mihi, Domine pro plenitudine tuae miſericordiae, abundantia benignitatis, exuberantia gratiae: tu es robur, tu es potentia ſpiritus mei: ſapientia & lumen animi mei, vita animae, regimen vitae; tu es amor meus, tu cogitatio, tu cura, tu deſiderium, tu ſpes mea: & amas, tu quoque me, ſedulam mei curam geris, conſtanter in animo habes, vehementer deſideras: nihil tibi praeſto, in quo non paria facias, imo maiora: ſi enim amo, tu deperis; ſi cogitatio mihi eſt, tibi cura: ſi deſiderium mihi, tibi ſubſpirium. Vtque frui amore tuo, tuis deliciis melius poſſis, invaſiſti ipſum pectus, in intimis penetralibus te inſinuaſti, ibi domicilium fixiſti, ubi proxime amoris ſedem eſſes, ubi facillime amorem occupares, ubi in ipſis cubilibus deprehenderes, & ſub arbitrium tuum redigeres. Eia occupaſti, Domine, viciſti me, ſed libertatem das victo, non ſervitutem: regnum, non iuſſa: coronam imponis, non iugum: & ſervis ipſe commodis meis, ut tuae me voluntati parere non pigeat: quicquid eſt obſequii, quod praeſto, non imperas, ſed redimis; o beatam ſortem victi! o ineffabilem manſuetudinem victoris! haeret palato lingua, & neſcit quid loquatur, quomodo loquatur, unde exordiatur: ſtupet admiratio ipſa, & prae magnitudine miraculi negat poſſe complecti. Benedicte Domine, Domine benedictionis, da ut in amore ego tuo perſeverem, ut tu perſeveres in meo, in quo omnia invenio ſupra omnia: quicquid enim amabile uſpiam eſt, quicquid pulcrum, opulentum, pretioſum, nobile, illuſtre, id hic ſe univerſum oſtendit, & maius quoque quam alibi. O quantum hoc beneficium eſt, quod tu animae meae deſertum elegiſti tibi habitaculum; deſcendiſti de coelo, ut intra carnem incluſus me coelitem faceres: tu qui tam nobilis es, tam illuſtris, tam potens, inclitus, pulcer, opulentus, ſapiens: & ita hoſpitium meum intraſti, ut numquam ſis egreſſurus: ita te mecum coniunxiſti, ut divelli nullo modo ſis paſſurus, ſi non ego divortii tibi libellum mittam. O utinam & ſemper ſciviſſem, & certo credidiſſem, animae meae habitaculum te elegiſſe, idque cum perpetuae manſionis decreto, quanta cum laetitia metatorem tuum accepiſſem? quanta cum exultatione tibi hoſpiti occurriſſem? quam decore te habuiſſem? quam pie, quam ſancte me geſſiſſem, tui praeſentis maieſtatem reveritus? Credideram equidem in coelo te eſſe, & iura ubique dare, per omnem totius orbis plagam late potentiam tuam dominari: nec opinabar circumferre me intra me tantum regem, me ſedem eſſe, & locum tantae potentiae, me templum tam auguſtae Divinitatis: non exiſtimabam in cordis mei caeno eſſe tuum coelum; in carnis tenebris tuam lucem: in corporis mortalitate tuam aeternitatem. Nunc vero intellexi, Domine, & intellexiſſe quoque ſerio laetatus ſum: exultavi, laudes dixi, gratias egi.

In labiis meis pronuntiavi omnia iudicia oris tui. In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis.

Domine, erudiiſti me, & inſtituiſti pro ſumma benignitate tua: neque coeleſtis doctor dedignatus es terrenum diſcipulum, Deus hominem, innocens perditiſſimum peccatorem: quodque maioris beneficii eſt, elegiſti ipſe ignorantem ad diſciplinam, de coelo deſcendiſti, & in terra nihil tale ſperantem, nihil minus cogitantem quaeſiviſti; & cum admittere tenellum pectus vim illam

aethereae doctrinae, caecum, tenebrosumque cor fulgorem coelestis istius lucis non posset tua potentia meae imbecillitati succurrens, effudisti in animum ut inrueret; quod intrare non poterat: ut simul reciperem, quod paullatim non poteram. Recludisti mihi sublime illud secretum coelestis eruditionis, introduxisti, dedisti ut complecti possim incomprehensibilem illam tuae sapientiae vim, confirmasti aciem oculorum, ne fulgor illam Divinitatis tuae retunderet, ut libere obtueri posset, & radio directo. Aperuisti mihi librum iudiciorum tuorum, & legere ea intelligereque dedisti; utque discerem in terris profuturum ad coelum, tu in terram de coelo attulisti ut doceres. In manibus habui, quod tenere manus nulla; inspexi, quod videre oculus nullus; didici, quod apprehendere ingenium humanum nullum posset. Verum non mea discentis ista virtus fuit, sed tua docentis, Domine: tu ad disciplinae tuae acumen mentem meam formasti, tu captum aptasti: tu, quum nullae humanae naturae dotes huic scholae, huic institutioni sufficerent, ita te inclinando defectum suppleviſti, ut omnia necessaria habuerim, par fuerim, & dignus illo praeceptore discipulus. Quum elegisses me beneficio tuo, nolebas naturam placito tuo refragari, qui ipse naturam fecisses: imperium in illam exercuisti, ut erga me remissior, ut mihi comis, ut beneficus esses; neque passus es hanc tibi resistere, cui universa tellus paret, cuius solum nutum observat: Cui coelum famulatur, cui aether militat, & coruscа illa aureorum luminarium cohors: quae quod lucet, per te lucet: quod lucet, tibi lucet: quum splendere non vis, immissa nube omnem obducis; rursum, quum visum est, discussa nube restituis iubar, & claram fulgentemque reducis. Tanta est potentia tua, Domine, imo quicquid est, potentia tua est: quocumque se extendit, ubique regnat, & quidem sine imperio. O rem admirandam! potentia sine imperio, aut ferocia; iussa sine vi, aut terrore; blandus totus, totus amabilis es, & solo numine praecipis, sola comitate compellis, & terrestribus quoque regibus tuo exemplo ostendis, melius amore subditos ad officium cogi, quam metu. Tu, Domine, tu ille potens, ille benignus, tu me ad sublime hoc arcanum admisisti, tu incomprehensibilem illam scientiam dedisti, ut te, ut tua nossem, ut vero pretio estimarem. Quam immensus est erga me amor tuus? quam incomparabile beneficium tuum? obruis me, & neque numerum tenere pateris, neque tu finem facis, ipse nimirum infinitus: non pateris me gratias agere, ne laudare quidem non pro dignitate, sed pro multitudine: victus sum, succumbo, obruor: sed dolere, sed conqueri non debeo; hoc tibi vere benefacere est: non beneficus tantum es, sed large beneficus; & ex tua abundantia vis beare, nos autem pro imbecillitatis duntaxat modo gratus esse. Parum tibi est quicquid facis, & nunquam videris satis fecisse, si semel desinas: parum est quicquid facis, quia etiam omnia facienti; omnia largienti nihil decedit: certat cum liberalitate tua benedictionis thesaurus. O maxime Deus, quod dixi, vincor a te, sed sine ingratitudinis tamen infamia; quia etsi totus lingua essem, etsi omnes mihi omnium linguae essent, magnitudo eas tua fatigaret, verbaque deficerent, nec ad culmen tamen ullo modo pervenirem. Eduxisti me de coenoso vitiorum gurgite; eduxisti de faedo peccatorum carcere; abluisti pretioso sanguine tuo; in integrum restituisti; induisti, ornasti te ipso, ut placere tibi possem: viam praevisti, quam calcarem: in coelum abduxisti, illam magnificentissimam gloriae tuae domum, maiestatis tuae aulam, aeternitatis domicilium; ubi vera voluptas, plenum gaudium, nulloque dolore turbatum, plausus, iubila, & sonitus collaudantium, gratias agentium, publicamque adiuvans laetitiam ipse coeli fornix repetit ejectas voces, & ingeminat, atque hoc suae quoque gratitudinis esse indicium cupit: honorem sibi habitum gratulatur, quod electus sit thronus tanti numinis, tribunal monarchiae potentissimae, locus immortalitatis, receptaculum omnis sanctimoniae: Veneratur illum per quem est, cui tantum debet: colit illum, & inclinata se cervice sternens pronus adorat. Admirandus vere tu Deus es, quem etiam caeca suspiciunt, muta adorant, inanima venerantur: ita magnitudo tua, quae viventium omnium superat admirationem, etiam ab inanimis eam exprimit. Quae haec Divinitas est? o quam difficilis eius contemplatio, & quam nulla humani ingenii acie penetrabilis! quam in ullius sensum cadit; quam nulla mente capi potest! dedisti tamen cognoscere, dedisti comprehendere Domine. quod satis esset ad gratitudinis officium, ad salutis donum. Vtar beneficio tuo, & eius contemplationi totum me devovebo; studia, cogitationesque omnes dedicabo: hoc noctu, hoc interdiu faciam: ad hoc quodcumque tempus adripiam, quamvis occasionem applicabo, quidquid in me erit huc compellam. Assiduus

In mandatis tuis exercebo, & considerabo vias tuas. In iustificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos.

Nihil faciam cum maiore cura, nihil cum maiore diligentia: nec difficile hoc mihi erit, quum nihil extet suavius, nihil iucundius, nihil quod omnem curam, omnem diligentiam magit eliciat. Habeant fastum suum potentes, delicias opulenti, libidinem voluptarii; & delectetur amoribus suis quisque uti volet, longe infra votum erit delectatio, & multo ante finem optatum destituet. In te vero, Domine, in mandatorum tuorum exercitatione, in viarum tuarum consideratione, non satiabuntur tantum vota mea, sed ingurgitabuntur, sed obruentur, & cognoscent quamvis ad magnitudinis suae culmen ascenderint, nondum tamen iucunditatis tuae, nondum deliciarum coelestium fastigium aequare

Digitized by Google

quare potuiſſe. Nec finem quoque habitura eſt oblectatio, uti neque modum; in te enim neque finis, neque modus eſt; praeterea res terrenae ſolent ſaepe difficultate ſua improba mortalium vota eludere, ſpes retundere, deſideria frangere; In mandatis tuis, Domine, laeta quaedam ridet ſeveritas, comis maieſtas, clemens iuſtitia in viis tuis, grata eſt difficultas, lata anguſtia, amaena moleſtia, iter totum planum, & quod proclivi tramite ducat ad metam. Pauci quidem vel illa exſequuntur, vel has calcant: ſed ea hominum ipſorum eſt malignitas, non tua culpa: ipſorum faſtidium, non tua adſperitas: ipſorum ignavia, non tua difficultas. Lata via perniciei eſt, &, dum voluptatum fuco viatori imponit, blande ducit ad mortem: & citius, ac pene ignaro conficit iter, ut gravius poſtea emenſum adfligat: anguſta vero eſt tua, & aſpera Domine, & inſueto virtutum calle triſtior, atque horridior, & ab his dumtaxat calcatur, qui non tam viam tranſeunt, quam ad metam reſpiciunt, qui non ad itineris amaenitatem, delectationemque, ſed ad manſionis utilitatem attendunt. Aſperam nobis & inſuavem vitae viam vitiorum facit conſuetudo: quod ſi vero in contrariam partem niteremur, levem illam iuſtitiae inveniremus. Da itaque ut rectam vitae rationem ineam, Domine, ut recte calculum ponam, anguſtam viam, & paucos comites eligam ad ſalutem, quos ſequar, potius quam multos ad perniciem: horrorem viae & aſperitatem momentaneam malim aeternitate mox compenſandam, quam amaenitatem, & voluptatem perpetuo ſupplicio, & maerore deflendam. Tibi totum me dem, tibi vigilem, tibi dormiam; tibi loquar, tibi agam: omnia mea iſtuc tendant ut placere tibi, & me quoque facere gratum poſſint: In hoc incumbam, ut omnia vitiorum agmina, quae me undique obſident, tua ope, tua gratia, tuo merito profligem, & conculcem. Non odio ſpolium ſim, non invidiae; non cupiditati, non avaritiae, non irae, non libidini: non iniuriam innocenti unquam inferam, aut nocenti acceptam referam: totum me & agendo & patiendo ad tuam ſimplicitatem, tuam innocentiam, tuam patientiam componam: haec mea ambitio ſit; ſic coelo tuo immineam. Eam per veſtigia tua, haec me in locum dominationis tuae perducent: haec monſtrabunt ſemitam, quae in coelum adſcendat. Tu via es, tu veritas, tu vita: illuſtre mihi exemplar reliquiſti quod ſequar; da ut ſequar. Feram hic iugum tuum ſine ulla querela, ſine ullo animi inviti teſtimonio, ut mox coronam mihi iuſtitiae, diadema aeternitatis imponas: neque aut numerus me peccantium, aut peccatorum corripiant deliciae, ut & per has abducar, & per illos veniam mihi ſpondeam: docuiſti enim in verbo ſacroſancto tuo, quam nihil omnino agat, qui per multitudinis exempla ſe defendit, & ad excuſationem ſuam aliena delicta numerat: hoc nimirum eſt ſocium ſupplicio quaerere, non crimini patrocinium. Noluiſti ut alios reſpicerem, quos male ſequar, in te mihi omnia exempla integritatis, ſanctimoniaeque fixiſti: in te oculos dirigam: ad te vitam meam quantum potero conformem, tuo verbo, tuis legibus aptem, ut ſi non aliquam turpiſſimorum adhuc delictorum excuſationem, ſaltem faciliorem veniae ſpem habeam, in rectae voluntatis conſcientia, & tuae gratiae confidentia collocatam. Haec mihi memoria conſtans ſit Domine: haec mihi ſint in fimbriis veſtimentorum cum cocco hyacintini coloris inſignia, ut etiam caſu huc illuc circumlati oculi in mandatorum tuorum recordationem inducant. Mens tibi operetur ſemper, tibi manus laboret, nec vana perſuaſione deluſus putem ſufficere mandata tua memoria tenere, re vero ipſa obliviſci: non enim qui audiunt legem tuam iuſti tibi ſunt, ſed qui faciunt. Non verba obedientiae vis, ſed facta: non ſimulacra ſanctimoniae, ſed rem: non ſpeciem pietatis, ſed fidem: non cupis falli, qui neque potes falli, neque debes; & averſaris culpam noſtram. Non pateris offerri tibi niſi quod tuum ſit, quod ſit te dignum: verax mendacium indignaris, integer fucum: ens ſpeciem. Tu Deus es, ego homo; tu creator, ego opus tuum: tu pater, ego filius: ea itaque ratione agere tecum me poſtulas eo cultu, quem debet Deo homo, creator creatura, parenti filius; tu patronus imo es ego libertus tuus, & qui eo plus tibi debeo, quo faedior, quo miſera magis ſervitus erat, e qua tua unius opera tua redemptione, evaſi; ſanguine tuo illo pretioſiſſimo, liberaſti me, qui tantum pulvis, & caenum eram, miſertus es mei, qui eram perditiſſimus: amaſti me, qui eram hoſtis infeſtiſſimus: patrem praebuiſti mihi, qui omne filii nomen, omnem tam ſancto nomini debitam obſervantiam eiuraveram, contra te conſpiraveram, beneficia tua omnia tam magna in iniurias malam gratiam reddendo commutaveram, adeoque ipſum coelum in tartara converteram, haec praeferens quum ad illud me deſtinaſſes, vocaſſes, & mandato quoque, ne parere non auderem, conſtrinxiſſes. Da, Domine, ne obliviſcar ſermonum tuorum mihi ſalutarium, quos tu, ut meminiſſe ſemper poſſem, tot beneficiis cumulaſti, quibus tot teſtimonia addidiſti, tot nomenclatores adpoſuiſti, qui perpetuo commonefacerent officii mei, & merita animo repraeſentarent. Domine

Retribue ſervo tuo, vivifica me, & cuſtodiam ſermones tuos.

Recordare clementiae tuae, Domine, & miſerere infirmitatis meae: redde vitam, quam facile potes, quam ſolus potes, quam ab uno te peto, quam a te deflectens amiſi; quam poenitentia erroris ductus a te rurſus exigo, propter quam ad te revertor, viam meam: propter quam tibi ſupplico, quantum miſeria & fragilitas perditiſſimae carnis patiuntur; tu autem, Domine, ut benignus es, ut munificus, ſupra vires conatum quam-

quamvis imbecillum collocas, tu iusto officio compara: fecit tibi quod debuit, quisquis ex animo feciſſe voluit. Benefac mihi, Domine, redde vitam amiſſam; da hoc non meae dignitati, ſed tuae bonitati; non meo merito, ſed tuo favori, quem tu magnum ubique mihi promittis, quem oſtendis quoque, & quem ego credo; patrocinetur malignitati, ac corruptae inclinationi meae fragilitas humana, & miſericordiam tuam commoveat; aurem mihi gratiae recludat, ut cor commiſerationis demulceat, ut veniam impetret. Immortuus ſum delictis meis, & in iracundia tua ſepultus; erue me de ſepulcro horribili, reduc a morte teterrima, reſtitue in vitam, in integrum: & tibi poſthac vivam, qui tibi me liberaſti. Vigilem ubique, & uſque in excubiis ſim, ne caro me mea ſupplantet, diabolus in praedam auferat, & eripiat tibi triumphum tuum. Domine, agnoſcam ſerio merita tua, ſedulo ea animo revolvam, haec etſi recte collocata non ſint, ne tamen collocaſſe te tam male poeniteat, efficiam. Hoc nimirum eſt mori pravis cupiditatibus ſuis, deponere carnis maculas, Deo vivere, ex homine & inter homines Deum eſſe; ad Deum commigrare qui Deum fecit, & quaſi ſuum coelum petere. Imploro benignitatem tuam, Domine, & iuſtitiam reformidans gratiam rogo, poenitet peccaſſe, geſtio reſipiſcere; taedet ſortis meae infelicis, pudet ſordium, quibus inquinor, in quibus haereo: deformata plane eſt conſcientiae facies, nec audeo illam tibi oſtendere, non offerre puritati tuae, non innocentiae; perdidi omnia, Domine, & meipſum quoque: Vocas me, & vis ſanare, vis reſtituere in vitam; tantum me tibi ſiſtam, & culpam confitear: at vero ego miſer quem tibi ſiſtam, qui nullus ſim? qui invenire me uſquam neſciam? ita longe a via diſceſſi, a te duce deflexi: quid tibi confitebor, qui criminibus coopertus pro magnitudine culpae poenitentiam nullam invenio? Quamobrem tu me, Domine, quaere, ne peream totus, uti beneficium tibi tuum liceat collocare, & cum maxima munificentia ineffabilis tua bonitas ſe coniungat. Fateor, fugi ego faciem tuam, fugi liberalitatem, abdidi me in deſertum perverſitatis meae, abſcondi me vepretis criminum, & intra ipſa pene mortis viſcera me penetravi. Sed nuſquam me non vides, nuſquam non amiſsum invenire, fugitivum retrahere potes; nunquam non mortem profligare, vitam redonare, culpam condonare; ſupra omnia eſt potentia tua, quam, ut perfectam faciat, pari gradu benignitas tua ubique ſubſequitur: neque hoc ut maieſtatem tibi tuam augeat, ſed commoda nobis noſtra procuret. Quantum autem intereſt noſtra, potentem te eſſe cum benignitate, & benignum cum potentia? utrumque voluiſti eſſe in noſtram magis gratiam, quam tuam; nihil enim tibi deerat, & habuiſti omnia ab aeterno: eras infinitus, eras immenſus, implebas omnia, poſſidebas omnia. O quam mirabilis es, Domine.

Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua,

Quae miſeria mea eſt, Domine? caecutio, ubi videre maxime debeam: oculos habeo, & caecus tamen ſum: tu coeleſtis medicus cura mihi hoc vitium, ſive lippitudo ea eſt, ſive glaucoma: ſine te cognoſcere te nemo poteſt; ita voluiſti, & nunc experior: da mihi & hoc beneficium, ne illo cogar carere. Reſtaura mihi oculos, Domine, & illumina mentem meam: illis tenebras, huic errorem eripe, ut videre te, ut cognoſcere, ut mirabilia tua admiranda digna admiratione complecti poſſim. Domine, ſpeculum maieſtatis, ſpeculum potentiae eſt mirabilitas tua. Intereſt mea ut & illam, & iſtam noſcam; neutram potero, ſi hanc mihi contemplari non datur. Et quantum hic meum periculum eſt? quanto cum meo damno haec ignorantia? quippe conſideratio multitudinis peccatorum meorum cum ignoratione tuae potentiae coniuncta, de omni ſalutis ſpe deturbat, certam mortem animo oculiſque repraeſentat. Quaeſo itaque te, Domine, quaeſo ſupplex animo deiectus, corpore proſtratus coram maieſtate tua, fac mihi pro benignitate tua. Oculos mihi clauſos aperi, caecos irradia lucis tuae divinae radio: mentem mihi hebetem, & aciem ingenii obtuſam acue, ut cernere, ut complecti mirabilia tua poſſint, quae etſi maxima omnino ſint, adeo tamen ſunt tenuia, ut neque videre ea oculus, neque comprehendere mens humana poſſit: hoc nimirum eſt vere, hoc eſt ſumme admirabilem eſſe, omnem rationem excedere, omnem attentionem effugere. Video ego equidem quotidie mirabilia tua, & Divinitatis tuae praeclara teſtimonia intelligo: ſed ita video tanquam caecutiens aliquis, aut lippus clare radiantem ſolem: ita intelligo; tanquam aliquis mentis parum ſanae ſermones de ſapientia; imo ut breviter, ut prope dicam, tanquam homo verba & opera Dei. Nihil ecce mirum eſt, ſi acutus hic ſatis non ſim; mirum eſſet omnino ſi eſſem: ſed tu quoque effice illud mirabile, Domine, ut accedat cumulo mirabilium tuorum: largire mihi hanc gratiam, & annumerem reliquis beneficiis tuis. Quo mihi alias mirabilia tua, Domine, ſi non liceat mihi haec videre, in his maieſtatem tuam contemplari, in his potentiam inſpicere, in his abſorptam abyſſo gratiae tuae peccatorum meorum multitudinem, in his placabilitatem offenſae tuae intueri? Scio, & fateor, pro magnitudine ſatis nunquam potero; hoc tantum da ut poſſim quod potero, quod debeo, quod vota mea ſatiet, quod ſpes corroboret, quod neceſſarium mihi ad ſalutem ſit. Vndique obruor: hinc imbecillitatis meae magnitudo, inde faediſſimorum peccatorum multitudo quadrato agmine impetum in me facit, & convellere reliquum omne animi robur, profligare anxiam & trepidantem conſcientiam conatur. Dictat mihi culpa mea iuſtiſſimam, graviſſimamque offenſam tuam. Video immi-

nen-

nentem mihi diabolum, armatum adverſum me peccatis meis, ſubnixum alis irae, & iuſtitiae tuae. Collabor, Domine, collabor: ſola cogitatio, ſolus adſpectus periculi ſternit me univerſum, ac frangit; quippe, quod opponam, non habeo. Hoſtem meum ipſe armavi, ne reſiſtere eius viribus poſſem: ſed tu, Domine, miſertus mei, ſubminiſtra arma gratiae tuae; da mihi clipeum fidei, galeam ſalutis, gladium ſpiritus: ſic armatus intrepide congrediar, feliciter confligam, certo victoriam referam, ut tibi vivam, ut tibi triumphem. Audiſne. Domine, & exaudis? quaeſo ſuccurre graviter periclitanti. Nihil poſſum contra hoſtem potentiſſimum ego infirmus, contra armatum ego inermis, contra diabolum ego peccator, id eſt contra carnificem meum reus. Succurre, Domine, & eripe mihi reatum, ut venia potitus arma quoque tuae gratiae accipere poſſim, quibus me muniam, quibus me opponam. Non poteſt aliunde mihi ſubveniri, in te mihi omne auxilium, omnis ſpes, ad te eſt omne refugium. Sed tu ſubvenire ipſe omnibus quoque ut potes ita cupis, & invitas ultro; veniant ad te modo, tu illis ſubvenies: facio, Domine, facio: an non tu quoque facis! ſcis in quam magno verſer diſcrimine rerum, & graviter laboranti vehementia deſideria ſunt, vehementer deſideranti vix quiſquam ſatis feſtinat. Vbi manes, Domine? iam lacrimas pene omnes, iam preces conſumpſi: nondum ſubvenis? peccatorum meorum ſarcina oppreſſus ingemiſco, offenſae tuae horribilitate territus contremiſco; nondum ſubvenis Domine? quouſque tandem, quouſque? Fateor, multa mea peccata ſunt, & magna quoque, ſed admirabilis eſt quoque benignitas tua, tua miſericordia, ut admirabilia ſunt omnia tua, in quibus quum mentem exerceo, & diligenter contemplor oculis ſpiritus mei, vehementer oblector, & magnum haurio in maximis animi anguſtiis ſolamen, & admirabilem pene mihi me illa tua mirabilia reddunt: ſic nimirum fit tui ſimile, Domine, ac tantum non in te tranſit, quod ſerio ſe tibi applicat. Quippe dum ſic animum turpitudinis conſcientia deiectum erigo, poenae metu fractum reſtauro, dum miſericordiae tuae magnitudinem recolo, eſſe ſine noxa mihi videor; dum coelum cogito, illud beatorum hoſpitium, illum vitae mortalium portum, in coelum ipſum tranſlatum me cenſeo: & oblitus culpae, oblitus terrae meae Deus aliquis eſſe arbitror. Quam mirabilia ſunt haec Domine? quam mirabilis tu es? Quaeſo te iterum, revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia tua

Incola ego ſum in terra, non abſcondas a me mandata tua.

Sciſne Domine? ſcis certo, qui & feciſti ipſe ut eſſem, & me ſcire dediſti. Incola ſum tantum in terra, id eſt inquilinus, & temporaneus hoſpes, non indigena: coelum mihi patria, illic tu me generaſti, pro ineffabili bonitate tua, ſed indignum tamen coelo voluiſti naſci in terra, ut tam amaena patria carens, exſulque, deſiderarem locum illum purae, aeternaeque voluptatis, ut taedio harum ſordium, harum miſeriarum, ſerio me ad coelum meum, ad patrem, & auctorem meum converterem. Incolam eſſe terrae voluiſti, ut indignitatis meae poenam luerem; ſed momentaneum eſſe tantum hoc exſilium voluiſti, ne deſperatio a coeleſti illa patria animum averteret: ſcire me hoc dediſti, ut certam ſpem haberem fore, ut brevi ab exſilio revocer ad te patrem meum, qui ipſe aegre feras abſentiam meam, doleas in poena mea, geſtias in amplexus tuos obvium videre, geſtias excipere. In terram relegaſti, ſed coelum tamen in conſpectu collocaſti, ſupra caput firmaſti, ut ſpem iniiceres adflicto finiendae ſemel miſeriae, ad pia vota & ſuſpiria concitares, quae finem conciliarent, quae me citius in patriam illam ſubveherent. Voluiſti teſtimonia benignitatis tuae infirmo perhibere ſolem illum magnum, lunam, ſtellas, quae tu omnia mea iſtic cauſſa eſſe iuſſiſti, ut in denſiſſimis his carnis tenebris, & mundi ſpiſſiſſima caligine, lumen mihi inexſtinctum, ac clariſſimum praelucerent. Voluiſti ducerent euntem, erigerent iterum collapſum, ut neque viae poeniteret, neque de meta deſperarem. Magnum quidem intervallum eſt, Domine, & longinquum ſpatium, & multitudo, & magnitudo peccatorum meorum tam longe me a facie tua expulerunt, quem bonitas tua optabat ut ſemper cohabitarem, ut praeſens eſſem. Sed neque ſic nimis miſer, nimis a te remotus ſum pro merito culpae meae; dolebat ipſa bonitas tua in magnitudine intervalli, dolebas pater me filium tuum tam longe a conſpectu tuo ſegregatum eſſe; verum enimvero ſuccurrit bonitati tuae Divinitas, & ſpatia vel longiſſime diſtincta coniunxit, coelo terram poene annexuit, ut quod immenſi, & infiniti antea itineris videbatur, nunc unius vix paſſus res ſit, ut proprius frui mutuo liceat, ut facilior ſpes ſit potiendae patriae, ut commodior via finiendo exſilio. Adeoque ipſi terrae coelum invexit, ut quia a te poena me mea adhuc diſtinebat, tu tamen te mihi coniungeres, a quo propter amoris vehementiam abeſſe tam longe, abeſſe tamdiu non poteras; Quoniam eſſe ego apud te non poteram, tu ad me veniſti, docuiſtique ferre te non poſſe a parente filium ſeiungi, e domo paterna eiici, vacuos herede lares coeleſtes conſpici. O felicem me te patre Domine, felicem me coelo patria! Tene ego & illud non amplectar? qui poſſim? ſepelierat me pravitas mea, in peccatorum numero ſtupebat adfectus, ſed excitat rurſus vota amoremque coruſcus Divinitatis tuae fulgor, clariſſimuſque bonitatis tuae radius: hic mentem occaecatam illuminat, extinctum amoris ignem, quem tibi ego patri debebam, reſuſcitat & fovet: nec patitur propter meritum meum perire tibi beneficium tuum. O ſi hoc ſemper animo obverſetur meo, ſemper cogitem, Domine.

O da

Digitized by Google

O da cogitem, Domine: intuear fulgorem tuum, calefiam iterum ab igne amoris tui, in amplexus tuos, ad patriam meam festinem, quam tu mihi destinas, ad quam me vocas, quam tam benigne obfers adhuc poenam danti, adhuc iustitiae tuae satisfacienti, quam inhibere tua bonitas quaerit. O da cogitem, Domine, ineffabilem, incomparabilem amorem tuum, maiestatem patriae meae, ut in poena, atque aerumnis praesentibus, quibus premor, spem habeam certam imminentis gaudii, imminentis felicitatis: in hoc carcere cogitem liberandum me, in hoc exsilio coelum esse patriam. In hoc carcere dico; quis enim neget exsulem esse captivum? quum exsilium nihil aliud sit quam laxus quidam carcer extra patriam positus; carcer tanto miserabilior, quanto amabilior alieno solo patria est? Solatur quoque miseriam, quod meam poenam luam, quod meum meritum exagitetur, & adiuvat, augetque istud solamen tua bonitas, quae animo infixa est, in quam animus ipse se totum insinuavit, in qua acquiescit, certus auferendam brevi a se poenam suam, revocandum esse in coelestem patriam suam: illic se victurum cum patre suo, cum Deo poene Deum; neque id lustra aliquot aut secula, sed aeternum. Hoc scit, hoc confidit, eaque ipsa spe, & confidentia plenus, dum poenam suam non sentit, iam revocatus est etiam exsul adhuc; iam ridet in dolore, & in summa miseria perfruitur summa beatitudine. O Domine, quantae felicitatis est tibi peccasse, tibi poenas dare, tam mites, tam refertas omni amabilitate? Quantae felicitatis est te patrem, tuum coelum patriam habere, in terra incolam tantum esse, & scire peregrinationis nostrae, atque exsilii tempus esse exiguum, instare abolitionem poenae, imminere revocationem meam, te stare passis ulnis, imo obviam procedere ut excipias redeuntem, ut gratuleris reduci, quem suus tamen reatus eiecerat; cui tu, etsi suo merito, invitus tamen succensueras, cui cum dolore tuo poenam irrogaveras, sed mitem, sed cum spe brevissimi finis, cum promisso maximae voluptatis, maximae felicitatis; quod levamen mihi poenae meae, quod solamen mihi esset iracundiae tuae? Fero itaque, Domine, fero quod tibi placet, quod ego commerui; nondum tamen pro merito meo, quae tua est bonitas. Fero animo non aequo tantum, quia merui; sed laeto, quia sciam quis finis futurus sit, quam brevis, quam laetus. Hoc unum dolori mihi est, quod cum dolore tuo puniri me a te sciam. Etiamne me hanc vim bonitati tuae facere Domine, ut in merito supplicio meo ego te quasi adfligam? O Domine, quid non feram a tam pia manu, a tam misericordi castigatore? Feram omnia, Domine, feram laetus, & alacer, & tuli quoque semper, &

Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.

Ingeniscebat mea Anima, Domine, faeditatem suam, deplorabat miseriam, deflebat reatum suum, detestabatur omne crimen, cui erat obnoxia, & tantum non sub tam ingenti onere oppressa corruebat; sed tamen tam densas peccatorum tenebras, tam caecam erroris noctem divinae bonitatis tuae radius perstringebat, poenitentiam eliciebat, in veniae impetrandae spem erigebat. Sentiebat illa iniustitiam suam, iustificari itaque volebat: non poterat autem nisi a te, cui peccarat, quem offenderat; & didicerat iam te velle quoque, te promptum, ac paratum esse, te exuberare misericordia. Confugit itaque ad te, iustificationes tuas desideravit, & ex iniustissima fieri te faciente iusta expetebat. Venit ad te faedissimo suo amiculo, id est peccatorum enormitate vestita, venit, sed vix offerre se oculis tuis substinuit, adeo illam puduit sui adeo fere ipsius poenitentiae suae poenituit, sed amovit hanc sollicitudinem tua gratia, quae huic animi imbecillitati occurrens manu adprehensam bene sperare iussit, & gauderet venisse, quippe venire ad te, Domine, hoc esse veniam delictorum suorum impetrare, placare iram iudicis, amittere omnem reatum, amiciri veste innocentiae, fieri iustum. Veniebat ad te, sed titubabat lingua, deiiciebantur oculi, neque aut adfari illa, aut intueri hi eum audebant, quem sciebant tam graviter, & sine ulla caussa offendisse: tua comitas vero solvit impedimenta verborum, obtueri oculos iussit; quoque magis auderent, iam remissum esse omne crimen, & accipere se pro gravissima poena solam poenitentiam dixit. Quid hoc est bonitatis, Domine? desiderabat illa iustificationes tuas, &, ut pronus est animus in desideria sua, credebat quoque se accepturam, tantam in tua benignitate spem posuerat, sed hanc omnem contemplatio sui; cogitatio suae faeditatis perturbabat, & plena spei paene desperabat. Sed tu ut clemens es, & misericors, Domine, noluisti perire illi principia salutis: noluisti destrui fundamenta, in quibus tu aedificare volebas, spem conservasti, & implesti; circumdedisti illam iustitia tua, tua innocentia, tua sanctitate. Quam felices sunt, Domine, qui relicta pravitatis via ad te convertuntur? quam facilis tu es, qui quum peccatis omnibus gravissime offendaris, & poenam quoque iis horrendam irroges, uni tamen poenitentiae, quotquot ea sunt, & qualiacumque, imputas? Praedicabo universis clementiam tuam, buccina erit os meum tuae misericordiae, & exhortabor, exstimulabo ad conversionem quoslibet: laudabo, cantabo bonitatem tuam incredibilem hominibus, quia plus quam humana est; sed tu coelestis metator fidem pectoribus hospitam adsignabis, quae excipiet, quae adprehendet venientem nuntium. Et estne mirum, Domine, si nostra imbecillitas credere nequeat, quod tua magnitudo credere non permittit? destruit illa fidem nostram, & tuam in nobis, id est coelitus donatam postulat, qua tua id est coelestia comprehendamus. Stupent oculi, stupent au-

Digitized by Google

aures ad opera tua, non invenit in animo locum fides tantarum rerum, de quarum veritate iudicare nobis non licet, &, etiamsi velimus maxime, neque credere auderemus; & prudenter quoque in eo facimus, quum nihil temere credere nervus sit prudentiae: sed prudentia haec humana stultitia apud te est. Tu vis credere nos quae comprehendere non possumus, quia incomprehensibilia sunt; & facile credere temeritatis notam non habet, quum disquirere, & examinare non sit nostrum: non vis disputari utrumne credibile sit, quod tu facis, nec ne, quum tu omnia possis; & fidem non habere est potentiae tuae derogare. At vero ego credo, Domine, & credent omnes te faciente quod facis, quod potes, & habebunt fidei suae fructum non poenitendum. Noctes, atque dies in id incumbam, hoc studebo; animum instituam, linguam exercebo, quicquid in me erit huc conferam, ut gratiam tibi pro beneficio vel hanc saltem referam. Desideravi semper iustificationes tuas, faciam quoque quantum in me erit, ut & alii desiderent: parum mihi est frui hoc gaudio, hac beatitudine, nisi cum quam plurimis id faciam. Nullum temporis punctum elabi patiar, omne momentum adprehendam, omne impendam beneficii a te accepti praedicationi; misericordia tua ut animum, ita mihi os quoque, & linguam implebit: hanc unam cogitabo, hanc unam loquar & semper, & apud omnes. Huius memoria deiiciet mihi omnem animi elationem, omnem fastum franget, metuam enim ne te offendam, Domine, ne iram tuam, & iurgia provocem: quippe nunquam non

Increpasti superbos, maledicti qui declinant a mandatis tuis.

Sternam me totum tibi, Domine, humilem ac demissum: supercilium omne abiiciam: simplicem animi habitum induam: hoc me tibi sistam, hoc placebo. Quippe turpissimum est filium Dei, heredem coeli, diabolo comite oculis se patris sui ingerere, neque aut illius insidias, aut huius offensam extimescere. Absit, Domine, absit; inclinabo me tibi, & sedulo cavebo uti ne superbia aliqua inflet: penetrabo me in sacrarium tui cultus, ubi nullus me fastus corripiet, quo imo pedem ferre non poterit. Illic vivam securus, & tutus. Nulli me ego inflatior obponam, sed cedam libens: nulli me anteponam: Ita magnifice de me sentiam, ut meminerim semper tua esse, quae in me sentiam: ita humiliter quoque, ut aestimem vero pretio quicquid a te accepero donorum: & ostendam illa aestimare me non verborum typho, & insolentia, sed sedula opera, recto usu. Hoc semper cogitabo, nihil esse humilitate praestantius, nihil tibi acceptius: hanc esse custodem, & conservatricem quandam omnium virtutum. Hanc tua opera adiutus sequar, Domine, non quae ostenditur demisso quodam gestu corporis, qui est adulantum canum, aut fracta voce: sed quae de sincero, ac simplici cordis adfectu procedit. Aliud enim est virtute ipsa praeditum esse, aliud similitudinem tantum aliquam, & fallacem fucum praeferre: neque tu vis umbram nos rerum sequi, sed veritatem. Multo enim deformior est illa superbia, quae humilitatis induit vestimenta. Et profecto, si bene res humanas omnes iusta lance pondero, si bene examino, quid est in iis, quod addere fastum aliquem animo, quod adtollere supercilium possit. Nobilitas generis, & longum stemma maiorum? sed quid est nobilitas? nisi paullo melior conditio nascendi. Divitiae? sed quid eae sunt? nisi thesaurus curarum, turbo vitae, laqueus salutis. Et has ego iactem? o me amentem. Non tu conditionem, aut statum, inspicis singulorum, sed animum. Nobilem tibi esse, tibi divitem esse, hoc vero est esse praeditum virtutibus, sacrosancti nominis tui studiosum esse reverentem. Sic ego me iactem; hanc nobilitatem, has divitias ostentem, non hominibus, sed conscientiae meae, sed tibi, Domine: haec superbia praemium habet, haec in coelum admittitur, haec corona humilitatis coronatur. Quid est esse nobilem, Domine? cur me propterea efferam? scio hanc nullius apud te pretii esse, non unius assis. Matrem ipse tuam elegisti de plebe, sed virtutem eius pro nobilitate maxima censuisti. Quid est, esse divitem? tu paupertatem nobis inculcas, & commendas; tu ipse te illa induis: tu in pauperibus nudus es, esuris, sitis, eges; tu in illis obambulas, & lustras orbem tuum terrarum. Ergo ego pauperes contemnam? me propter opes efferam? non faciam, Domine, & tu avertas. Comparem me illis, imo meliores saepe, & beatiores iudicem: & abiiciam fastum, ut in illorum quoque sortem veniam. Sed suntne illi pauperes, qui tam amplam hereditatem exspectant? qui coelum possidebunt? nequaquam. Divites sunt, & supra omnes mundi divites. Cogitem dedisse te quicquid habeo, & posse iterum auferre; cogitem dedisse ut recte utar, ut inopes sublevem, id est, ut tibi fructum referam. Vis hoc redire tibi, nequo quid mihi dederis numeras, si possis numerare quod ego reddam. Hoc tibi maximum lucrum censetur, hoc quum vides, non imputas quod dedisti. Hoc humilitatis signum satisfacit tibi pro immensa liberalitate tua. Iam iterum nobilitas quid est? vana aliqua de magnificis natalibus opinio; quid prodest? quam superbiae causam habent fumosae maiorum imagines, qui nihil ad nos transmiserunt praeter opes, propter quas efferre se merito nemo potest, & lautiorem quandam nascendi sortem? Nemo ignobilis existimandus est, qui te creatorem habeat, ad te ortum suum referat: nemo nobilior altero censeri debet, qui magnificum stemma longa serie deducit, & plures numerare fortasse titulos potest: sic nimirum mundus iudicat, ille fatuus, ille inani praestantiae opinione inflatus: sed qui te sapit, Domine, qui vere sapit, rectius calculum ponit, & ex dignitate aestimat omnia. Hic scit non se nobiliorem,

liorem, non alium ignobiliorem esse; pares tibi esse omnes, & sine ullo discrimine aut natalium, aut opum. Nobilitatem suam a te Creatore deducit, opes in coelestibus thesauris censet: fluxa esse terrena haec omnia, imo fucum, & fumum: videri tantum, non esse: & falsa specie deludere mentem parum intentam. Nobiles aeque omnes sumus, sive materiam nascendi, sive autorem spectemus: illa lutum est, iste tu. In illa gloriam captamus, quum causae nihil sit; in isto negligimus, quum iure maximo possemus. Sed parentes caro ambitiosa iactat; quid igitur? an non & illi ex eodem luto? non ab eodem auctore? Quae haec vel dementia est, vel perversitas iudicii? Domine, quaeso te, da recto semper oculo intuear, da bene iudicem, ne unquam decipiar, ne turgeam, ne cristas erigam: frange cervicem, & ad humilitatem me redige: propone me mihi ob oculos, ut me intuear, ut me noscam: Domine, superbire profecto non potero, humilis totus ero. Sic, sic coelum tuum magnus ingrediar, qui parvus in terra fui; splendide vestiar amiculo sanctitatis, qui simplicem hic ornatum quam fastum malui; erecto capite accipiam diadema iustitiae, qui cervicem hic deiecci, & submisi me omnibus. Quaeso te, Domine, humilem me effice, & aufer a me omnem superbiam.

Aufer a me opprobrium & contemptum, quia testimonia tua exquisivi.

Vide me, quis sim, quam timeam totus, & ad peccatorum meorum recordationem contremiscam. Movet omnem lapidem diabolus, semper mihi aurem vellit, & pravitatis, & flagitii admissi memoriam renovat. Insultat, illudit misero, & poenas minatur ferox tuo iudicio, terret me tuis armis, sumit tuam personam, & irae tuae implacabilitatem repraesentat. Quatit tela furoris, & vindictam totus spirat, incumbit poenae, & hoc unum agitat, ut de gratiae tuae spe, quae una post innocentiae naufragium supersit, deiiciat, ut in baratrum me suum compellat; ibi de me triumphum agat, ibi me excarnificet supplicio, & ludibrio. Aspice me, Domine, graviter adflictum. Dolenti ob delicta mea, deploranti ea, & ad misericordiae tuae pedes prostrato insultat protervus, & quid tu, inquit, spei habes? quae tua confidentia est? non audiet te Deus tuus nisi aure offensa, non adspiciet nisi iracundo iustitiae oculo: sumet supplicium de reo sceleratissimo. Sed tu mihi adversus ludibria haec, adversus terriculamenta haec animum obfirma, Domine, ne a spe mea deturber; ne ad reliqua crimina addam quoque desperationem, qua tu nihil peius odisti, qui est perditionis nostrae colophon. Ipse enim nos solaris, & dicis: pulsa, aperietur tibi: quaere, & invenies: pete, & dabitur tibi. Ecce Domine, ego pulso, quaero peto; tu me iuvabis, & adflictum solaberis, ignosces confitenti. Ego miser, pulvis tantum, & cinis qui sum, totus peccatum sum, & infra meritum adhuc meum miseria constitit: quod ipsum certum mihi esse signum debet, uti tu esse voluisti, non punire te, sed resipiscentiae commonefacere: non offensum te esse, sed ad gratiam implorandam exstimulare; non tartaro damnare, sed coelum propinare. Haec scio, haec confido, Domine, sed laboro tamen graviter, & omnia in me sua tela expedit diabolus, armat omnes, copias suas, in me ducit: tu vero eris mecum, Domine, & dabis constanter meminisse bonitatis tuae: haec cogitatio sola omnia illius arma, omnes minas retundet. Sive enim me video, sive te, desperare non possum, quum supra me esse te tam longe sciam. Ecce dictat ille mihi atrociter quis sim, & qualis: at qualis tu, id vero maligne silentio praeterit: sed & egomet mihi dicam, & illi obponam, Domine. Quid, inquit, speras confidentissime? tu pulvis, coenum, peccatum totus. Respondeo; Deus iubet, & invitat quoque blande, ille totus bonus, ac benignus. Peccatis, inquit, undique coopertus es, & audes te offerre Deo, audes iudici & quidem maxime severo? respondeo. Aeger sum, accedo ad medicum, quaero salutem, & misericors ille totus est, & libenter sanabit, etiamsi toxicum ipse meum miscuero, ipse hausero: nec impediet illum mea malignitas, & culpa. Non potest, inquit, tibi condonare; iustitia hoc illius non permittit: Respondeo; at mors eius mihi iustitia est, illius passio mea satisfactio. Venio ad illum sine iniquitatibus, quas cruci adfixit; sine debito, quod ille pro me solvit. Vt offendere in me nihil iustitia sua posset, ut non haberet quo se immitteret eius severitas: ut liber esset locus amabilitati, & benignitati, viam stravit misericordia. Relinque me, inquam, Satan, mancipium ego tuum non ultra sum, redemit me Christus, in familiam suam adscivit; nihil iuris tibi in me est, facesse te hinc cum tuis terroribus, minis, insidiis, cum omnibus armis tuis: invictus sto, & indutus armis patroni mei, qui me tibi eripuit, qui peccatorum mihi iugum excussit. Succumbes ipse, & victum in triumphum te meum abducam, mancipabo aeterno infortunio; referam talionem, & iniurias illatas probe ulciscar. Subiecit te ecce mihi Dominus meus, ille, quem tu offensum mihi, quem nihil nisi vindictam spirare, & poenam iactas, ut me deiicias, ut ibi iterum ereptum vindices, ut ad pristinam servitutem redigas. Abi, inquam, Satana, incassum moliris fidem meam labefactare, conscientiam percellere: absine a ferocia, ab opprobrio, nihil agis. Fundamentum mihi, & robur habeo, quod evertere, quod convellere nemo possit. Ringaris licet, sto inconcussus, & omnes arietes tuos immotum pectus excipit; frangis vires; eluderis, & abibis sine triumpho, imo in triumphum ipse. Pugnat mecum Deus, quis contra me? pugnat mecum ille, qui omnia fecit, omnia facit, omnia dirigit, quem omnia timent; cuius tu meminisse nisi cum summo horrore tuo, nisi cum summo

timore

timore non potes: qui caput tibi contudit, arma fregit, & victum abduxit in triumphum; qui spolia de te opima patri suo dedicavit; ne esset qui insultare nobis, qui illudere proterve, qui torquere posset, ne eriperes patri liberos suos, ne hereditatem coelestem interverteres, ne aeterni gaudii maiestatem imminueres, ne saluti nostrae, & vitae immineres: perdidisti iustam victoriae spem, visne etiam conatus tuos? parcas illis licet, neque perire debebant propter malignitatem, propter odium in me tuum, quod implacabile geris, quo nocere mihi nihil quidem potes, qui clipeo me tam magno, tam denso muniverim. Ecce, Domine, clementissime Domine, sic pugno tuis armis; da sic pugnem semper, & hosti ipse meo sim formidabilis; eripe me tristissimo opprobrio, & constantem gratiae tuae memoriam animo meo infige. Scis quam libenter hanc cogitem, quam alacriter ad hanc curam in omni adflictione mea, quam huc festinarim semper.

Etenim sederunt principes, & adversum me loquebantur, servus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.

Ludibrium eram potentiorum in infirmitate mea, & maiestate sua ad humilitatis meae despectum abutebantur. Regno, opibusque florentes insultabant inopi, & profugo. Sciebant coli te a me pio animi ardore, Domine; sed devotam servi tui mentem sibilo excipientes, quum adfligi me gravibus quotidie aerumnis viderent, amentiam mihi meam improperabant, qui colerem eum, qui Deus aut non esset, aut audire preces meas, adspicere miseriam meam, opem ferre egeno dedignaretur: & cum meo contemtu scelerati tuam quoque iniuriam coniungebant. Et hoc ipsum maiori mihi dolori erat, Domine, quam mea adflictio. Dolebam propter mea peccata te convitio impeti; & quia iuvari a te necdum mihi vel expediebat, vel tibi placebat, derogari potentiae, derogari Divinitati tuae. Et vero improbi quotidie mihi molesti erant & malignis sermonibus, & sannis suis. Quas, inquiebant, ille fatuus spes alit? unde sumpsit? ubi collocavit? sceptrum, & diadema cogitat opilio? anne in regna crescunt pastores? vah ineptus. Haec quotidie obcinebant, mihi Domine, sed sciebam ego, & certo sciebam, promissum mihi a te regnum esse, non fallere te fidem semel datam, veracem nimis esse: sed nondum me dignum beneficio tuo, adfligendum adhuc exsilio, & reliquis aerumnis, donec venisset tibi terminus praestitutus temporis, quo praeesse cum laude, & fructu populo tuo possem. Exspectabam tempus aequo animo, & dum regno carebam, dum profugus errabam, in veracitate, in benignitate, in potentia me tua consolabar, & tanquam tenerem iam laetabar. In amore, in cultu tui, in spe mea sceptrum tenebam, & regnabam felix supra omnes reges. Neminem videbam cui cedere vellem, nemi-

nem cum quo sortem commutare. In te spes mea erat defixa; in te possidebam omnia, superabam omnes, & ante omnes coronas stabat meum exsilium. Tu enim mihi comes ubique, nec a latere usquam discedebas, animum dubitabundum firmabas, spem ambiguam corroborabas, neque ab humanitate me mea subplantari ferebas, qui ad Divinitatem evehere destinaveras. Fui itaque bono semper animo, neque tristiorem quisquam vidit, praeter te, cui me prosternebam, cui supplicabam uti imbecillitati meae subcurreres, uti spem obfirmares. Premebam apud fideles tuos alto sub corde graves dolores, & fronte semper serena, ne desperationis aliquo signo offenderem, sedulo cavebam; & exemplum dabam sortis suae ferendae. Speculum eram infelicitatis, sed & constantiae, atque fortitudinis: & admirari cogebantur illi ipsi maligni, qui irridebant. Videbant adflictionem, sed solatium non poterant: nesciebant te, quem deludere me, & negligere existimabant, ad bonam mihi spem auctorem esse, feliciorem statum promisisse, & has tantum aerumnas praemisisse, non ut me adfligeres, sed ut imminentem felicitatem mihi gratiorem efficeres, quae per tot adspera, post tot adversa mihi obvenisset. Haec illi non videbant, inquam, haec nesciebant, Domine, itaque fabula illis, & risus eram: in prandio, in coena pro lautissimo ferculo ingerebar, dentibus commandebar, ego ille rex tuus, qui a te promissam mihi coronam habebam, qui in te sperabam, qui a tuo nutu pendebam, te colebam, te venerabar. Sed rideant, Domine, & irrideant: est omnium rerum suus quidam quasi circus, vindictam de illis mihi dabis, & tum ego ille olim contemtus, ille profugus, ille adflictus, in mea felicitate, & prospero rerum statu, in regni tamdiu exspectati possessione constitutus, videbo & ridebo quoque illorum omnium casum, & occasum. Non patieris impunem illos habere lasciviam suam, habere impietatem. Dabis mihi sub iugum, dabis in manus meas ut confringam, quibus ego in ore pro deliciis fui. Vlciscēris iniuriam & tuam, & meam. Tu arma mihi ministrabis, tu bella mea adiuvabis, tu victoriam & triumphum dabis, tu, trophea ut referam plurima, effies: nemo resistere mihi poterit, nemo terrore armorum meorum exspectare quidem adventum audebit: uti paleas ventus dissicit, sic illos mea maiestas confundet, rumor imminentium armorum diffundet. Trepidabunt anxii, & veniam, ac pacem petent submisse, cum illatae olim iniuriae poenitentia. Benedices tu mihi, Domine, & in solio constituto res omnes secundabis: florebo ad invidiam impiorum regum, & praemium dabis amplissimum patientiae meae, qua manum tuam adfligentem olim pertuli, qua numquam a spe mea descivi, nunquam potentiae tuae diffisus promissa reieci. Et profecto quum repeto temporis istius universi memoriam (iuvat autem meminisse) miraculum totus eram. Quis enim mortalium,

Domine, credidiſſet eum te ita adfligere poſſe, quem tu populo tuo regem deſtinaras, cui regnum promiſeras? quis credere poſſet, tam bono eſſe ſemper animo, tam fortiter ferre ſortem ſuam, quem tua manus exagitabat; qui miſer cum plurimis, maximiſque aerumnis conflictabatur; & cui miſeriae praeſentis dolor omnem futurae felicitatis, promiſſi ſceptri memoriam excutere poterat. Sed tu, qui admirabilis totus es, Domine, qui ſemper mira ſoles efficere, hoc quoque mirum in me & per me effeciſti, ut eſſem inſtrumentum gloriae tuae, ſubiectum benedictionis tuae, ſpecimen potentiae tuae. Sic me pati voluiſti, ut eſſem populo tuo exemplum patientiae: tam ſero fidem mihi promiſſi impleviſti, ut conſtantiae illi facem praelucerem: ut deſperandum eſſe numquam docerem, ſed exſpectandum ſemper, quod tu ſemper poſſes. Quas vero ego gratias tibi agam, Domine? unas nimirum iſtas, ut te colam, & venerer Deum meum; quod profecto facio,

Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum iuſtificationes tuae.

Semper ego repeto mecum bonitatem tuam, beneficia tua, & quae mihi teſtimonia reliquiſti miſericordiae, & potentiae tuae. In his me conſolor, in his triumpho; neque ſentio praeſentem miſeriam meam, & gaudia imminentis beatitudinis tanquam praeſentia iam animo percipio. In ipſa adhuc mortalitate ſum immortalis, in carne ſpiritualis, in reatu innocens, atque ſanctus: neque extimeſco mortem, quam ſcio nocere mihi nihil poſſe; imo deſidero, utpote quae finem his aerumnis meis eſt adlatura, quae in limine me aeternitatis meae conſtituet, quae cum Deo coniunget. O quam iucunda eſt, Domine, meditatio teſtimoniorum tuorum! quam delectabile animi exercitium! quam amoena ſenſuum meorum occupatio! O ſi nihil unquam aliud agam! o ſi pro dignitate agam! ſi ſatis pura mente, ſatis devota! Interturbant multa ſaepiſſime, & inundat foediſſima illuvie pravitas carnis meae: intercurrunt malae cogitationes: interpellant perverſae inclinationes: eripiunt hae me mihi, neque vacare meditationi ſanctae ſatis patiuntur. Vtinam extermines a me, Domine: utinam profliges; tum ego liber, & integer, tuus totus ero: excuſſero iugum diaboli; evaſero inſidias mortis: ſiſtam me devotum tibi, & meditationi animi reſpondere quoque actione univerſa potero. Scis, Domine, quam imbecillus ſim, quanto mihi dolori id ſit, quam circumſpiciam ne voluntati tuae divinae ullo modo repugnet vita mea: ſcis me in conſilium adhibere ſemper verbum ſacroſanctae legis tuae; ſcis me nihil incipere non prius examinatum, & perpenſum: magnam mihi ubique eſſe curam ne placitum tuum tranſgrediar, ne offenſae tibi anſam dem, ut ambulem coram te conſcientia recta, ideoque intrepida; ut aptem pedes meos viis tuis, ut excipere non iudicium tuum, ſed benedictionem poſſim. Amen.

IOAN-

Digitized by Google

IOANNIS MEVRSI FILI

ARBORETVM SACRVM

SIVE

DE ARBORVM, FRVTICVM, ET HERBARVM CONSECRATIONE, PROPRIETATE, VSV AC QVALITATE.

LIBRI III.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS AC PRAEPOTENTIBVS

VNITAE BELGIAE PROVINCIARVM ORDINIBVS GENERALIBVS

IOANNES MEVRSIVS FIL.

D. D. C.

PVBLICVM *aliquod cultus, animique documentum ultra vobis debere non licet,* AVGVSTI PATRES. *Ne aut parum agnoscere videar quid vestris debeatur meritis, aut aestimare* PATRIAE NOMEN, *quod ego tanti semper feci, quanti orbis hic universus Fortunam vestram & potentiam, utramque maximam. Vlysses ille Homericus quum ad Ithacam se adpulisse videret, solum amplexus est, salutavit Deos, quaeque familiarius optarat loca, peculiari voluptatis plausu veneratus est, & gaudio. Ego postquam non ita pridem ex Italia, ceteriscque tot Regnis redux, ad inclitum hoc Belgium nescio quo fortunae ordine delatus sum, & ad eam reversus sum terram, in qua & aërem hausi, & pueritiam transegi, eo pariter animo, votoque complexus sum, quo semper prosecutus, & ut compendium haberem religiosi affectus exclamavi:*

Salve Sancta Parens Divum Saturnia Tellus.

Huius vero amplitudinem nondum satis recte intueri me, aut colere arbitratus sum, nisi a pietatis praescripto, & antiqua Persarum lege auspicarer, qua constitutum erat, ut nemo Reges, aut quicunque Deorum vices in terris substinerent, adcederet sine aliquo munere, quemadmodum nec aram sine donario. In quam sententiam tanto facilius excitatus sum, quanto maior & potentia vestra & meritorum magnificentia; quam etsi admirari facilius possum, quam celebrare, tacere tamen hoc tempore non licet, ne silentium velut delictum sit. Ea enim, AVGVSTI PATRES, *mentis meae conditio, ut vester esse non possim, nisi adgnoscam, nec aestimare videar, quos venerer, nisi me plurimum debere profitear, quorum alterum officii mei, alterum integritatis est. Nemo aut bonus, aut doctus, qui non vester, nemo vester qui se non felicem fuerit arbitratus. Est videlicet haec perpetua & prope divina Fortunae vestrae ratio, ut qui Potentissimi, etiam Optimi sitis, nec beare solum, sed illustrare etiam velitis, & summam fortunam pari benignitate adaequare. Ne longior sim, in verborum testimonium revoco Manes Beati Parentis mei, quem tam benevole semper complexi estis, quam semper fuistis maximi. Id quod profiteri malo, quam recensere, & gratiam debere, quam modum ac multitudinem meritorum vestrorum definire. Valete, Illustrissimi Heroës, Valete, Valete, inquam, ac favete Meursio Filio.*

NOBILSSIME MEVRSI.

HIS diebus accepi literas tibi inscriptas, quas mitto, & una nostras ad Clarissimum Dominum Henricum Ernstium, quas facile procurabis. Vtinam in aliqua re utilis tibi esse possem. Omnia enim non modo propter ingentem Parentem tuum, sed etiam tua caussa volo. Quaeso quamprimum in lucem da illum libellum de plantis numini cuipiam dicatis. Est enim opusculum & elegans, & pereruditum. Eoque magis festinare te velim, quod in quinto libro de Theologia gentili, & Physiologia Christiana idem tractem argumentum. Malo autem praeverti, quam praevertere: cuius caussam & ipse vides, & coram plenius exponam. Amstelodami CIↃ IↃC XLII. XIII. Iunii.

Tuus aeternum

GER. IOAN. VOSSIVS.

NOBI-

Digitized by Google

NOBILISSIMO VIRO, DOMINO IOANNI MEVRSIO

Magni istius.

IOANNIS MEVRSI FILIO.

NOmina claro gravant, onerantque vocabula magna,
Et grandes tituli non leve pondus habent.
Sed vires lassare tuas, sed frangere nervos,
Sed nequeunt humeros debilitare tuos.
Par oneri tu solus eras, cognomine tanto,
Ac tanto solus nomine dignus eras.
Totus ineſt nato genitor, virtusque MEVRSI;
Vel nunquam occubuit, vel rediviva fuit.
Est tibi doctrina, ingenium, sapientia patris;
Patris eris pariter gloria, fama, decus.

BALTHASAR BONIFACIVS.
Archidiaconus Tarvisanus.

CLARISSIMO VIRO IOANNI MEVRSIO

Celeberrimi illius IOANNIS F. quum Arboretum suum ederet.

CLari parentis stirps, parentis aemula,
Et iam futuro destinate saeculo,
Ex Arboreto posteris quod dedicas,
Apollo, Meursi, dedicat laurum tibi.

DANIEL HEINSIVS.

AD EVNDEM VIRI AMICISSIMI F.

MEursiade, magni soboles dilecta parentis,
Et viduae matris cura decusque tuae,
Quis tibi vel viridem myrtum, laurumve, negarit,
Hic ubi stirpe sacra pagina nulla vacat?

ADOLFVS VORSTIVS.

VIRO NOBILISSIMO DOMINO IOANNI MEVRSIO

Magni Parentis Filio.

SIc igitur certe virtus post fata triumphat,
Et decus in meritis exserit omne suis.
Hactenus ille meus poterat vixisse videri
MEVRSIVS, & Clarias deseruisse Deas.
Vivit, & occiduo veluti Sol maior in auro
Fulget, & Hesperias altius urget aquas;
Non aliter magni decus indelebile Patris
Incipit a mediis clarius esse rogis,
Et radios in Te, MEVRSI praeclare, refundit,
Quodque decus vitae non habet, inde capit.
Scilicet ingenii potius quam sanguinis heres
Crederis, & studiis non minor esse suis.
Gratulor has laudes, & tot praeconia famae:
Sic decet Heroum nomina pone sequi,
Et geminum complere suis virtutibus orbem,
Quodque facis, dotes exsinuare suas.
Esto quod es, Patremque refer, vel celsius exsta,
Vt tuus ex merito congeminetur honor.
Nam velut a gemma splendescit pulcrius aurum,
Sic a patrimo lumine lumen habes.

GODEF. CRETSCHMARVS.

ARBORES

Quas Liber Primus continet, sequuntur.

ABIES.
QVERCVS.
FAGVS.
LAVRVS.
PALMA.
POPVLVS.
CEDRVS.
CYPRESSVS.
LARIX.
AESCVLVS.
FICVS.
FRAXINVS.
ILEX.
OLEASTER.
PINVS.
PLATANVS.
SMILAX.
TILIA.
LOTVS.
MORVS.
LENTISCVS.
CORNVS.
PYRVS.
CERASVS.
BVXVS.
OLEA.
IVNIPERVS.
TAXVS.
PHELLVS sive SVBER.
ALNVS.
MALVS.
ARBVTVS.
PRVNVS.
BETVLA.
LIGVSTRVM.

FRVTICES

Quas Liber Secundus continet, sequuntur.

MYRTVS.
ROSA.
VITIS.
ERICA.
PALIVRVS.
GENISTA.
RHVS.
RHAMNVS.

HERBAE

Quas hic Liber Tertius continet, sequuntur.

ADIANTVM.
ALLIVM.
GRAMEN.
HEDERA.
HYACINTHVS.
NARCISSVS,
PAPAVER.
DICTAMNUM.

IOAN-

Digitized by Google

IOANNIS MEVRSII FIL.

ARBORETI SACRI
LIBER I.
QVI EST DE ARBORIBVS.

CAP. I. *De Abiete.*

Conſecratio. QVI obirent ſacra Bacchi ramos abiegnos geſtabant, ſiquidem illi in corona abies ſacrata eſſet, uti teſtis eſt Xenophanes, in Salibus:

Εἰς ϛεφάνους,
Ἐ'ϛῶσι δ' ἐλάται πυκινὸν περὶ δῶμα·
In coronas
Conſiſtunt abietes pulchram circa domum.

Nam hedera, & ſmilax, & abies, & quercus erant arbores Baccho ſacrae, quibus Thyades utebantur in ſacris, ut eſt in his;

—Ἐ'πὶ δ' ἔθεντο κισσίνους
Στεφάνους, δρύϕ τε, σμίλακός τ' ἀνθεσφόρους.
Hederae dederunt hinc coronas crinibus,
Quercuſque, ſmilaciſque, onuſtae floribus,
in his.
Ω' Σεμέλας τροφοὶ Θῆβαι,
Στεφανῶσθε κισσῷ·
Βρύετε, βρύετε χλοηρᾷ
Σμίλακι καλλικάρπῳ.
Καὶ καταβακχιῶσθε δρυὸς,
Ἢ ἐλάτας, κλάδοισι.
O Semeles altrices Thebae,
Coronemini hedera.
Cingite, cingite virenti
Smilaci fructifera,
Atque bacchamini quercus,
Sive abietis, cinctae ramis.

Vſus aedificationis. Vſurpata autem abies ab antiquis eſt ad edificationem, unde Virg. lib. II. Aeneid.

Inſtar montis equum divina Palladis arte
Aedificant, ſectaque intexunt abiete coſtas.

Propertius lib. III.

Nam quis equo pulſas abiegno noſceret arces.

Praeterea uſus tabularum ex abiete apud veteres erat non infrequens in *libris conſervandis*: & obſervare licet apud Martialem lib. XIV. epigr. LXXXIV.

Haec abies chartis tempora longa dabit.

Plautus, *abietem* dixit pro tabellis uſurpavit, in Perſa, Act. II. Sce. II.

Tabulae erant ex abiete, quibus libri ſervabantur, ne uſu adtriti fierent piloſi, aut ſordidi.

At ego hanc ad Lemniſelenem, tuam heram, obſignatam abietem.

Etiam adfirmat Plinius, lib. XVI. cap. X. Quod ex Poëtis de aedificatione ſupra oſtendi. *Materies vero praecipua trabibus*: Item lib. C. XL. *Abies admirationis praecipua viſa eſt in navi, quae ex Aegypto Caii Principis iuſſu, &c.* Item lib. XVI. CXLII. *Firmiſſima ad tectum abies.* Eadem valvarum repagulis, & ad quaecumque libeat inteſtina opera aptiſſima, ſive Graeco, ſive Campano, ſive Siculo, fabricae artis ſpectabilis, ramentorum crinibus, pampinato ſemper orbe ſe volvens ad incitatos, runcinarum raptus. Eadem & curribus maxime ſociabilis glutino, in tantum, ut findatur ante, quam ſolida eſt, Claudianus de raptu Proſerpinae: lib. II. *Apta fretis abies.* Haec, ut ait Plinius, *expetita navigiis arbor eſt: & in excelſo montium ceu maria fugerit, ſita.* Papin. Theb. VI. *Hinc audax abies*; id eſt, quae mare conſcendit. In Aegypto, ac Syria, reges, inopia abietis, *cedro* ad claſſes fuerunt uſi. Scribit Plin. ad haec lib. VI. cap. XXXIX. *Abies praecipua dos criſpantibus, & in torto quodam diſcurſu venarum pretioſis.* Abies metonymice pro re facta ex abiete. Virg. lib. VIII. Aeneid.

Labitur uncta vadis abies.

Id eſt, navis abiegna. Sic Aeneid. lib. II.

—*cuius apertum*
Adverſi longa tranſverberat abiete pectus.

Id eſt, haſta abietali, ut Servius exponit.

CAP. II. *De Quercu.*

Conſecratio. QVercus ſacra eſt Baccho, & Cereri; conſtat ex variis auctoribus, quod in Cerealibus quercu coronabantur, ob beneficii, ab illa Dea accepti ſempiternam memoriam; Virgilius lib. I. Georgicorum:

—*neque ante*
Falcem maturis quiſquam ſubponat ariſtis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Neque Baccho tantum, & Cereri, ſed & Iovi, ac Rheae ſacra exiſtimata fuit. Et Iupiter quidem interdum coronabatur quercu, aut olea: Phurnutus ait, ϛέφεται δὲ ἐλαΐᾳ, διὰ τὸ ἀειθαλὲς, καὶ λιπαρὸν, καὶ πολύχρηϛον· Ἢ διὰ τὴν ἐμφέρειαν τῆς πρὸς τὸν θρανὸν γλαυκότητος. *Caput eius oleaginea corona redimiri. Cauſa autem eſt, quod haec arbor ſemper in virore ſit, ſuamque pinguedinem teneat, & quod olei uſus ſit ubique plurimus.* Rheae vero, etiam ſacrata fuit; ut teſtis eſt Apollodorus lib. III. de Diis. Araque eius frondibus ornabatur, ut teſtatur Apollonius Argonaut. lib. I.

Βωμὸν δ' αὖ χεράδος παρενλύεον, ἀμφὶ καὶ φύλλοις.
Στεφάμενοι ϕρυΐνοισι ϕυητολίης ἐμέλοντο.
Μητέρα Δυνδυμίην πολυπότνιαν ἐγκαλέοντες,
Ἐ'ννατέην Φρυγίες. Τιτήνη δ' ἅμα Κυλληνόν τε.
Οἳ μῶνοι πολέων μοιρήγεται. ἣ δὲ πάρεδροι
Μητέρ Ἰδαίης κεκλήαται, ὅσσοι ἔασι
Δάκτυλοι Ἰδαῖοι κρηταιέες· ὅς ποτε νύμϕη
Ἀνχιάλη Δικταῖον ἀνὰ στεῖρ ἀμϕοτέρῃσι
Δραξαμένη γαίης Οἰαξὶ ἐβλάσησε.

Digitized by Google

Adcumulant aras lapides, quam frondibus ornant,
Quernis, & sacris onerantes lancibus aram,
Dindymeam matrem placida mox voce vocarunt,
Incola quae Phrygiae est: Cyllenumque Titiamque
Qui soli fatis urbes, qui regna gubernant,
Matris & Ideae comites dicuntur, & iidem
Dactyli Idaei cretes: quos Nympha creavit
Anchiale terram stringens Oeaxidis agri
Ambabus manibus Dictaeo proxima colli.

Coronarum ratio genera.

Iam satis dictum existimo de consecratione; quare iam coronam quernam; & quam varia eius genera sint, explicabo: ac postremo de quercus in trophaeis usu aliquid addam. Caesar in urbis Mitylenes expugnatione meruit coronam civicam: quam civis civi, a quo servatus esset in praelio, testem vitae, salutisque perceptae, dabat. Ea fiebat e fronde querna; quoniam victus, cibusque antiquissimus ex quercu capi solitus sit. Fiebat etiam ex ilice, quae & ipsa arbor glandifera est: unde Caecilius poëta comicus coronam civicam adpellabit Ligneam.

Advehuntur, inquit, *cum ilignea corona & chlamyde.*

Di vostram fidem!

Hac corona Lucius Gellius censuit donandum esse Ciceronem, quod eius opera esset atrocissima Catilinae coniuratio detecta, vindicataque; atque ita non civis unus, sed universa Romana civitas servata: meritoque ut ait ille;

Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.

De hac corona civica ita scribit Plinius, lib. xvi. cap. iv. *Civica iligna primo fuit, postea magis placuit ex esculo, Iovi sacra. Variatumque & cum quercu est, ac data ubique, quae fuerat custodito tantum honore glandis. Additae sunt leges arctae, & ideo superbae, quasque conferre libeat cum illa Graecorum summa, quae sub Iove datur, cuique muros patria gaudens rumpit: Civem servare, hostem occidere; utque eum locum, in quo sit actum hostis obtineat eo die; utque servatus fateatur: alias testes nil prosunt; ut civis fuerit. Auxilia quamvis rege servato, decus id non dant; Nec crescit honos idem Imperatore conservato, quoniam conditores in quocumque cive summum esse voluere. Accepta corona civica licet uti perpetuo. Ludos ineunti semper adsurgi etiam ab Senatu, in more est. Sedendi ius in proxima Senatui. Vacatio munerum omnium ipsi, patrique, & avo paterno.* Plutarchus in Problematis, & in Coriolano, ideo existimat hanc coronam dono datam ei, qui Romanum civem servasset in praelio, quoniam Iovi sacra quercus sit, in cuius tutela sunt civitates; & quia ex quercu antiquitus cibariae erant glandes: & facile militi fructum quercus exhibeat. Verba Plutarchi in Coriolano: *Marcius strenue dimicans, in conspectu Dictatoris militem Romanum, qui prope eum fusus humi erat, non deseruit, sed protexit, inferentemque se repulit & interfecit hostem. Itaque victoria dux potitus, illum inter primos corona quercina donavit. Haec enim ei, qui servavit civem de more datur; sive quercum potissimum in honore habuerint causa Arcadum, qui glandivori sunt ab Oraculo adpellati, sive quod facilis ubique sit ducibus huius copia arboris, sive sacram Iovi urbium praesidi coronam quercinam rite dari servato cive censuerint.* Est etiam Olympia corona, quae vocatur querçus Capitolina: Illam merebant poëtae ii, qui in agonibus Capitolinis poëmate vicerant. Ii agones Capitolini primum a Domitiano instituti sunt die xii. eius, & Sergii Cornelii Dolabellae, consulatus exemplo Ludorum Olympicorum. In iis agonibus omne genus artifices certabant: etiam Citharoedi: Iuvenalis:

An capitolinam deberet Pollio quercum Sperare,

Item Martialis, lib. iv. cap. liv.

O cui Tarpeias licuit contingere quercus,

Trophaeum.

His verbis addam, ut antea promisi de trophaeis aliquid, nam in iis etiam praecipue quercubus utebantur, etenim illae Iovi dicatae erant. Virg. de his trophaeis, Aeneid. xi.

Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma
Mezenti ducis exuvias, tibi magne trophaeum
Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis, clipeumque ex aere, sinistrae
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

Papin. ii. Thebaidos.

Quercus erat teneraé iam longum oblita iuventae,
Aggere camporum medio, quam pluribus ambit
Frondibus incurvis, & curvo robore cortex.
Huic laeves galeas, perfossaque vulnere crebro
Inserit arma ferens, huic truncos ictibus enses
Subligat, & fractas membris spirantibus hastas,

CAP. III. *De Fago.*

Consecratio.

FAgus, Iovi sacra erat. Vnde etiam Fagutal, sacellum Iovis, cognomento Fagutalis. Varro De l. l. lib. iv. *Fagutal, a fago: Vnde etiam quod ibi sacellum, Iovis Fagutalis.* Plin. lib. xvi. cap. x. *Fagutali, Iovi etiam nunc, ubi lucus fageus fuit.* Festus: *Fagutal, sacellum Iovis, in quo fuit fagus arbor, quae Iovi sacra habebatur.* Omnibus notus est usus fagi, & posse fere ad omnia usurpari manifestum. De mensa, ait Martialis, lib. ii. Epigrammate xliii.

Fulcitur testa fagina mensa mihi.

Vsus.

CAP. IV. *De Lauro.*

Consecratio.

NIcander Aetolus, in Alexipharmacis, scriptum reliquit, Aemonia primum apud Tempe laurum fuisse inventam.

Πολλάκι δ' ἢ οἴνης ἀμιγῆ πόσιν ἢ ἀπὸ δάφνης
Τεμπίδος, ἢ δαύκοιο φέροις ἐκ καυλία κόψας.

Vel

Digitized by Google

Vel purum vitis potum fer, vel dato lauri
Theſſalae, vel dauci caulem caedens.

Eſt autem ſacra Apollini; quod teſtatur Virgilius Ecloga VII.

Populus Alcidae gratiſſima, vitis Iaccho,
Formoſae Veneri myrtus: ſua Laurea Phoebo.

Dicitur Laurus Apollini ſacra, non ſolum quia fabula extat, quod Ladonis filia, quam amore Apollo proſequeretur, in illam arborem tranſmutata ſit, ut teſtis eſt Ovidius lib. I. Metamorph.

—At quoniam coniux mea non potes eſſe,
Arbor eris certe, dixit mea: ſemper habebunt
Te coma, te citharae, te noſtrae, Laure, pharetrae.

Inſigna Apollinis Laurus. Notum illud eſt, Laurum Apollinis inſigne perhiberi, eiuſque fronde, palma iam poſthabita, eius ſimulacra coronari. Et non propter ea tantum, quod Laurus in roſtro palumbi vim medicinalem indicet, quae pleriſque volucribus praeſentaneum praebet remedium, quantum quia ſit, ut Euſebius ait, ignea, ideoque daemonibus infeſta eſt. Quando uritur ſonum reddat, quod quandam praedicendi vim habet. Igniſpicium enim non tantum ſplendore, verum etiam crepitu portendit, frequentiſſimo Poëtarum omnium adſenſu. Ferunt vero Empedoclem, qui animam eſſe igneam ſtatuebat, lauri natura conſiderata, dicere ſolitum, ſi homini ſit in animalium quodpiam tranſmigrandum, optandum maxime, ut in Leonem tranſiret; *Leo & homo.* Commodiſſimum enim id animae, quae hominem incoluiſſet, hoſpitium futurum; ſin vero arbor eſſet ſubeunda, in nullam commodius, quam in laurum, fieri tranſmigrationem. Pindarus, atque Callimachus, Apollinem memorant, interfecto Delphico dracone, Lauream induiſſe, quaſi ſupplicem: erant enim ſupplices coronati apud veteres. Ariſtophanes, dominum, & ſervum, oracula conſulturos, coronatos inducit in Pluto. Quin & Liber lauro coronabatur, in qua ex Indis triumphaſſe fertur, dieſque in illum ſolennes, magna olim corona dicebatur, ut tradit Tertullianus lib. De corona militis. *Sed & alias Liberum principem, coronae, plane laureae, in qua ex Indis triumphavit, etiam vulgus adgnoſcit, cum dies in illum ſolennes magnam coronam adpellant.* Laurea itaque Apollini, & Baccho ſacra; illi, ut Deo telorum, huic ut Deo triumphorum. Eſt & alia ratio cur laurus Apollini ſacra dicatur: tradunt enim veteres, lauro ad dormientium caput depoſita, vera videri ſomnia. Id ipſum Antiphonem, Philochorum, & Artemonem, qui de Onirocritica ſcripſerunt, retulerunt. Neque quidem Euſtathii interpretamentum ſuper hoc parvi fecerimus, qui Daphnen ideo dictam ait, quod δα intenſionis particula, & φωνεῖν, quod loqui & canere eſt, in compoſitionem adcedant. *Euſtathii interpretamentum.* Apud Heſiodum interpres Theogoniae, laurum ait ἐνεργεῖν πρὸς τόυτας ἐνθυσιασμούς. Hinc vaticinantes lauro coronari ſolitos, docet interpres Ariſtophanis. Et qui bella ſequebantur vates, in ſumma galea lauri conum geſtabant.

Eſſe vero laurum inſigne triumphantium, non ex eo tantum quod apud Ovid. legitur: *Vſus triumphantium.*

Tu ducibus laetis aderis, cum laeta triumphum
Vox canet, & longas viſent Capitolia pompas.

Sed etiam ex multis veterum monumentis innoteſcit. Illud quoque ſatis conſtat, Imperatores triumphi lauream ad Iovem Capitolinum ferre, atque eam in eius gremio relinquere ſolitos. *Iupiter Capitolinus.* Iulius Obſequens: *Cum in agro Piſtorienſi Antonius Catilinam deviciſſet, laureatos faſces in provinciam tulit. Ibi a Darnanis obpreſſus, amiſſo exercitu, profugit. Adparuit eum hoſtibus portendiſſe victoriam, cum ad eos laurum victricem adtulerit, quam in Capitolio debuerat deponere.* Plin. lib. XV. cap. XXX. *Faſces Imperatorum (laurus) decorat. Ex his in gremio Iovis Opt. Max. deponitur, quoties laetitiam nova victoria adtulit.* Ovidius. *Faſces Imperatorum.*

Auctoriſque ſui perfertur imagine maeſta:
Quae victrix templis debita laurus erat.

Eadem ratione Caeſarum domibus perpetuo laurus adfixa, inſigne gerebat triumphantis magiſtratus. Ovid. lib. I. Metam. in fabula Daphnes, a Phoebo adamatae: *Inſigne Laurus domibus adfixa triumphantis magiſtratus.*

Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabit.

Laureata vero Imperatorum capita in numis paſſim habentur. Atque hic non incongruum fuerit ea, quae de laureto, unde triumphaturi laureas ſibi decerpere conſueverant, memoriae prodita ſunt, repetere. Liviam quippe olim poſt Auguſti ſtatim nuptias Veientanum ſuum reviſiſſe, ibique tum illi Gallinam albam, quae ramulum lauri roſtro tenebat, a praetervolante aquila, quae illam rapuerat, in gremium demiſſam, cumque nutrici alitem, pangique ramulum placuiſſet, tantam pullorum ſobolem proveniſſe, ut Tranquillus ad ſua uſque tempora villam eam, *Ad Gallinas*, vocitatam adteſtetur. Tale vero lauretum fuit, ut triumphaturi Caeſares inde laureas boni ominis gratia decerperent. Fuitque mos triumphantibus, alias confeſtim eodem loco pangere. Adeo vero laurus triumphantium propria fuiſſe videtur, ut obſervatum ſit in huiuſmodi laureto ſub cuiuſque obitum arborem ab ipſo inſtitutam elanguiſſe. Ex quo etiam prodigii cauſam intelligas, quod Iulii Caeſaris caedem praemonſtravit, cum pridie idus Martias avis Regaliolus laureo ramulo Pompeianae Curiae ſeſe inferens, a varii generis volucribus, ex proximo nemore perſequentibus, ibidem diſcerpta eſt. Noviſſimo vero Neronis anno, in quo Caeſarum progenies defecit, ſilva illa Veientana radicitus omnis exaruit, & quicquid ibi gallinarum erat, interiit. Tali portento fuit Alexandro Severo Laurus alia ingens, & antiqua, quae in palatio cuiuſdam civitatis, a qua proficiſcebatur ad bellum, quod contra Germanos paraverat, ſubito collapſa, mortis itidem eius indicium habita. Contra non temere boni ominis lauri folia, quae circa Pompeii faſces illigata fuerant, cum longo iti-

Gallina alba. *Villa ad Gallinas.* *Avis Regaliolus.* *Curia Pompeiana.* *Indicium mortis.*

Digitized by Google

itinere per arida & inculta loca iam exaruiſſent, eo tempore quo in vico quodam Galatiae cum Lucullo in colloquium deſcendit, detracta, & a Lucullianis lictoribus recentia, & viridia, quae penes eos plurima erant, libenter ſuffecta: quod ſummam gloriae rerum a Lucullo geſtarum Pompeium tranſiturum interpretatum eſt, ut paulo poſt ſubſecutum. Et Romae lamentabunda Luculli vox audita, *Pompeius res meas in Aſia elevavit*.

Vox Luculli

Quantum ad aruſpicinam pertinet, laurus victoriam aliquando praemonſtravit, ut ea, quae in domo Alexandri Severi iam infantuli nata iuxta Perſicum arborem, intra unum annum Perſicum ipſam incremento mirabili ſuperavit: Vnde Aruſpices futurum praedixere, ut puer is olim Perſas vinceret, quod eventu poſtea comprobatum eſt: ſub eo enim primo Perſae ſervi apud Romanos fuere. Quare apud Virgilium ex ea deſumtum doctrina legas de victore:

Vaticinium.

—Viridique advelat tempora lauro.

Notum illud eſt, ſolitos eſſe Imperatores Romanos, re bene geſta, literas lauro revinctas mittere, victoriarum, & laetitiae nuncios, quae *laureatae* dicebantur, quod in Epiſtolis ad Atticum, & alibi teſtatur Cicero. Hinc Ovidius:

Laureatae literae.

Non ego victrices lauro redimire tabellas,
Nec Veneris media ponere in aede morer.

Apud Ammium Marcellinum, ubi de varietate Conſtantii loquitur, ſuorum ducum victorias ſibi adſciſcentis, laureatas literas miſſitatas invenies. Quare Plinius lib. xv. cap. xxx. *Laurus Romanis praecipuae laetitiae victoriarumque nuncia additur literis, & militum lanceis, piliſque*. Vnde legere eſt in Pompeii geſtis, quum is in Arcadia equeſtre certamen ageret, ludi gratia, adveniſſe tabellarios ex Ponto, geſtantes iaculorum cuſpides lauro coronatas: ex quo laeta nunciare, antequam literas redderent, cogniti ſunt: Mithridatem enim ſibi mortem conſciviſſe nunciaturi venerant. Victores Delphis Pythiis certaminibus ea peculiariter lauro coronabatur, quae Delphica nominabatur, cuiuſmodi genere & triumphantes Romae: ea enim longe viridior eſt, maximis baccis, atque ex viridi rubeſcentibus: unde nonnulli commentati ſunt, in quatuor certaminum praemiis, quae recenſentur ab Archia, per malum grandiores has Pythiae laurus baccas intelligi: de quo apud Lucianum videas de pomis in templo Apollinis decerptis. Etſi autem, ut ante dictum, laurea corona praemium victori data fuit: non tamen ſemper idem praemium manſit. Apollo enim initio eſculo; poſt lauro victores coronavit. Hinc Ovidius lib. i. Metam. de Pythiis, ita:

Tabellarii ex Ponto.

Delphica laurus.

Poma decerpta in Apollinis templo.

Neve operis (Pythonis interempti) famam
poſſet delere vetuſtas;
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitae ſerpentis nomine dictos.
Hinc iuvenum quicumque manu, pedibuſve, rotave,
Vicerat, eſculeae capiebat frondis honorem.

Nondum Laurus erat: longoque decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phoebus.

Erat enim antiqua conſuetudo, iam tum a Theſei temporibus e Creta reducis incepta, ubi ludos Deli inſtituit, ut victores palma coronarentur. Mox, coronis mutatis, manſit tamen conſuetudo, ut omnes victores, ubicumque eſſent, palmam manibus geſtarent, ut ait Pauſanias in Arcadicis. At corona laurea propria fuit Delphicorum praemiorum, idque cum ob perpetuum vigorem, tum quia arbor ipſa Apollini ſit dicata. Fuerunt qui dicerent hos ludos non ob ſerpentem ab Apolline caeſum, inſtitutos fuiſſe, ſed ob incolam quendam Pythum (ſic enim nominabant Delphos antiqui) ab Apolline confixum ſagittis, qui ibi extabuit. Atque per id tempus ita nominabantur ea, quae corrumperentur, ut in Phocicis inquit Pauſanias. Scriptum reliquit Ephorus, quo quidem tempore Apollo in terras devenit, homines Sylveſtribus fructibus viventes, ac ferarum more, manſueviſſe: atque id contigiſſe in Delphis primum, mox ad Panopeam urbem profectum, crudeliſſimum, & violentum tyrannum, Titium interemiſſe, audiſſeque e Parnaſſiis hominibus, alium eſſe tyrannum non minus hominibus infeſtum, Pythonem nomine, atque cognomine draconem, quem & ipſum ſagittis Apollo confecit. Atque inter pugnandum quum Io Paean clamitatum eſſet, manſit poſtea conſuetudo, ut in Paeanibus, & in epiniciis, & in omni laetitia alicuius victoriae, conclamaretur, ut eſt illud Ovid. in ſecundo de Arte:

Antiqua conſuetudo a Theſeo.

Serpentem Apollo interficit.

Pythus ab Apolline conficitur ſagittis.

Titius.

Pytho ſive Draco.

Paean hymnus erat in laudem Apollinis. Interfecto enim Pythone, Apollo & carminibus laudatus fertur, qua Paeanas dixerunt. παρὰ τὸ βαίειν.

Dicite Io Paean, & Io bis dicite Paean:
Decidit in caſſes praeda petita meos.

Iam ſatis longa digreſſione uſus ſum: quare nunc ad vaticinium revertar. Laurum Apollini vaticino deo ſacram, futurorum habere praeſenſionem quandam, creditum vulgo eſt. Siquidem nil crepitantius uritur, ſicuti a Lucretio lib. vi. proditum quoque novimus, iſtis verbis:

Nec res ulla magis, quam Phoebi Delphica laurus,
Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.

Nam & hinc Daphne dici videtur, velut Euſtathius interpretatur; etenim δὰ intenſionis vim habet, φωνᾶν vero loqui eſt, ac canere, quod antea etiam dixi. Igitur eventus rerum ex crepantis modo veteres aucupabantur: quod nec Porphyrium latuit: nam ſi crepuiſſet abunde, ac ſonantius, haud dubie portendi felicitatem rebantur. Quod ſignificat illo verſiculo Tibullus lib. ii. eleg. v.

Felicitas ex ſono.

Laurus ubi bona ſigna dedit gaudete coloni.

E diverſo, ſi tacita deflagraſſet, inauſpicatiſſimum, infeliciſſimumque arbitrabantur: Quod adprobat etiam Propertius, lib. ii. eleg. xxviii.

Lib. 2. de raptu Proſerpinae.

Et tacet extincto laurus aduſta foco.

Nam & Claudianus, *venturi praeſciam laurum dixit*: niſi quod opinantur plerique, lauri folia, ſi noctu pulvillo ſubiiciantur, veritatem ſomniorum conciliare. Quod Fulgentius non omiſit. Scribit Heſiodi Theogoniae interpres, laurum ἐνεργεῖν πρὸς τούτους ἐνθυ-

Mythologiae lib. i.

Digitized by Google

ἐνθουσιασμὸς, id est, *efficacis esse auxilii in numinum adflatu*: propterea Lycophron, δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐν λαιμῶν ὄπα. Hinc aperitur Tibulli locus de Sibylla, lib. II. eleg. VI.

Vera cano, sic usque sacras innoxia laurus
Vescar, & aeternum sit mihi virginitas.

Ex hoc & Latinus poeta item dixit, *laurumque momordit*. Certe δαφνηφάγους dici vaticinantes scimus. Et Aphthonius προγυμν., divinationis symbolum esse laurum testatur, eaque de causa Apollini dicata, ut patet ex Theocriti epigrammate primo.

At nigris foliis lauri tibi, o Pythie Apollo.

Et Ovid. Metamorph. lib. I. Constantinus γεωτονικῶν lib. XI. Καὶ τὸ μὲν δένδρον ἀπὸ τῆς παρθένου δάφνην ὠνόμασεν ὁμωνύμως. λαβὼν δὲ ἀπὸ τοῦ φυτοῦ πλόρον ἐξεφανώσατο, ᾗ μαντικῆς ἕκλοτε σύμβολον ἐγένετο τὸ φυτόν. Hesiodus quum gustasset laurum, factus est Poëta, & praeteritorum futurorumque cognitionem accepit, ut ipse cecinit in Theogonia his verbis:

Gustatio lauri efficax.

Καί μοι σκῆπτον ἔδων δάφνης ἐριθηλέος ὄζον
Δρέψασθαι θυητόν· ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν
Θείην, ὥςε κλύοιμι τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἔοντα.

Dionysius item in Panegyricorum ratione, laurum μαντικὸν φυτὸν adpellat, id est, vaticidam arborem, sicuti Eustathius quoque, qui & Apollinis corollam fuisse lauream scribit, quam secum tulerit Chryses in Graecorum exercitum veniens. Lycophronis interpres in Alexandria, putat omnia fabulose narrari, nisi quod Chresmologi, & vates futura praecinebant, lauro coronati, ut quae vireat semper, ac sit alexicaca. Vorare autem laurum inde dicuntur, quoniam fere victum, & vitae substentationem habeant, divinationum capturis. Quibus vero cogerentur numina vel recedere vel adcedere, illis versibus a Porphyrio adpositis commonemur, qui ferme talem sensum latine habent:

Propter vitam divinare.

Solvite serta, pedes liquidis & spargite lymphis,
Eque manu ramum, lauros auferte virentes,
Linea sitque omnis deleta, omnisque character.

Porro ad laurum etiam adtinet, ut sciamus, Daphnen puellam in arborem hanc transformatam, sicut Mythicis placet, & Ovidius dixit, a Spartanis summis honoribus fuisse adfectam: sed mutato nomine, Pasiphaën nuncupatam, a qua certissima ederentur oracula, quod in Agide Plutarchus scribit. *Fuit Pasiphaes fanum & oraculum Thalamis cultum, quam nonnulli unam Atlantidum Iove natarum fuisse perhibent. Ammonis matrem alii Cassandram Priami filiam ibi mortuam, & quod omnibus efferret (gruece id pasi phaenein dicitur) oracula Pasiphaam cognominatam.* Credebatur item laurus efficax adversus venenum. Inde iactatum, ut qui se tutum adprobare vellet, δαφνίην diceret φορῶ βαλληίαν, id est laureum gesto baculum.

Pasiphae.

Contra venenum laurus valet, & uno verbo antidotum est.

Laurum quoque gestabant in festo Apollinis natalitio Athenienses, quod ἑβδόμη dicebatur, ut explicate videre est apud Patrem meum Ioannem Meursium, lib. III. de festis Graecorum.

CAP. V. *De Palma.*

PAlma ab Apolline processit, ut Libanius testatur, cuius haec verba: Φοίνιξ προῆλθεν Ἀπόλλωνος. Ideo etiam Musis, Apollo quarum praeses, sacra putatur. *Sed Palmae dactylos ideo fortasse quispiam interdictos existimat, quod in Phrygia, ubi ritus primum illi editi sunt, nullae proveniant. At ego propterea, quod sacra Soli illa arbor sit, & senectutis expers, ad alenda corpora crediderim in Casto non placuisse consumi. Secundum haec nullo piscium genere vesci conceditur. Sed haec nobis cum Aegyptiis communis est quaestio. Ac duabus quidem de causis iure mihi quispiam vel perpetuo abstinere videtur. Prima, quod, quae Diis minime sacrificamus, ea in cibum adhiberi nequaquam deceat.*

Iulianus Imper. Orat. V.

Soli consecrata palma.

Palmam arborem nobilem, & victoriae signum esse lib. I. carmin. Oda. I. Horatius testatur,

Signum victoriae.

— *Palmaque nobilis*
Terrarum dominos evehit ad Deos.

Et etiam, quia ponderi non cedit, sed adversus pondus adsurgit, insigne victoriae esse placuit; non solum, quia semper vireat. (hoc est sibi cum multis aliis commune) sed maxime, quia haec arbor nullo pondere gravari potest, quin surgat, & se elevet. Quam ob rem victoribus traditur, quod non cesserint, sed pertinaces in bello perstiterint. Sed quare haec arbor potissimum delecta sit ad eum usum ab antiquis, A. Gellius causam reddit, lib. Noct. Art. III. cap. VI. scribens, arbori Palmae peculiare quiddam inesse, quod cum ingenio fortium virorum conveniat. Perhercule rem mirandam Aristoteles, in septimo problematum, & Plutarchus, in octavo symposiacorum, dicit. Et Plutarchi quidem verba super haec reperi in eo, quem Gellius citat libro: Φοίνικος γὰρ ξύλον, ἂν ἄνωθεν ἐπιθεὶς βαρυτιέζης, οὐκ ἂν θλιβόμενον ἐνδίδωσιν, ἀλλὰ κυρτοῦται πρὸς τοὐναντίον, ὥσπερ ἀνλιζάμενον τῷ βιαζομένῳ· Ταυτὸ δὴ καὶ περὶ τούτους ἀθλητικοὺς ἀγῶνας ἐστὶ, τότους μὲν ἐπ' ἀσθενείας καὶ μαλακίας εἴκοντας αὐτοῖς πιέζουσι κάμπτουσες, οἱ δὲ ἐρρωμένως ὑπομένουσες τὴν ἄσκησιν, οὐ μόνον τοῖς σώμασιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς φρονήμασιν ἐπαίρονται καὶ αὐξῶνται, id est, *Nam Palmae lignum, si superimposito pondere graviter premas, haud deflectitur deorsum, verum in contrarium curvatur: perinde quasi resistens oneri vim facienti. Hoc ipsum sane accidit & in certaminibus athletarum. Etenim qui per imbecillitatem, animique molliciem cedit illis eos premendo deflectunt: at qui fortiter in eo studio perdurant, hi non modo corporis robore, verum etiam animi prudentia provehuntur, atque augentur.* Vnde etiam ponitur pro signo victoriae, aut pro ipsa victoria.

Natura palmae.

Virg. Aeneid. lib. V.

Vsus apud victores.

— *Meritaeque exspectant praemia palmae.*
Ore favete omnes, & tempora cingite ramis.

Palma quoque dicitur causa certaminis; ut adnotat Donatus in illud Terentii ex Prologo Phormionis.

— *In*

Digitized by Google

— In raedio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.

Et Palma inter arbores valida: in diversum enim curvatur. At Populus contra omnia inferiora pandatur: palma e contrario fornicatur. Idem adfirmat Theophrastus, lib. De plantis v. cap. VIII.] *Palma praevalida est, & in diversum quam ceterae incurvatur. Quippe cum reliquae omnes in inferiora flectantur, palma e contrario fornicatim se flectit.* Hoc virilis animi robur, cum palmae genuina vi congruens, Virgilius scite descripsit, quum ait:

Tu ne cede malis sed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna sinet.

Nec abhorret hinc Horatianum illud: lib. IV. oda V.

Duris ut Ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido
Per damna, per caedes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.
Non hydra, secto corpore firmior,
Vinci dolentem crevit in Herculem,
Monstrumve submisere Colchi
Maius, Echioniaeve Thebae.
Merses profundo, pulcrior evenit.
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Praelia coniugibus loquenda.

Toga palmata.

Item, ut docet Servius, in lib. II. Aeneid. significat palma togam, quae etiam toga palmata dicebatur, a palma in ea intexta: & proprie triumphantium fuit, quam merebantur ii, qui de hostibus palmam reportassent. Pausanias in Phocicis. *At palmam aeneam dicarunt Athenienses cum Minervae signo inaurato, duplicis victoriae monimentum, qua una, eademque die potiti sunt ad Eurimedontem, pedestri acie, & navali pugna, prospere in eo ipso flumine commissa.* Sed quoniam nunc incidimus in sermonem de palmata toga, frustra non fore persuasi mihi, etiam cetera togarum, & tunicarum genera, animo antiquitatis studium amanti narrare. Tacit. lib. II. Hist. *Ipse Vitellius a ponte Milvio insigni equo paludatus, adcinctusque senatum & populum ante se agens, quo minus ut captam urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumta praetexta, & composito agmine praecessit.* Quibus verbis planum fit, praetextam saltem temporibus illis, triumphalium non fuisse. Cicero, in oratione pro Cluentio, togam praetextam adnumerat inter ornamenta senatoria, his verbis: *Senatorem hoc queri non posse, propterea quod, ea conditione proposita, petere coepisset: quodque permulta essent ornamenta, quibus eam mitigare molestiam posset, Locus, Auctoritas, Domi splendor, apud exteras nationes nomen, & gratia, toga praetexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus imperia, provinciae.* Quod tamen de senatoribus intelligit, qui magistratum adepti sunt. Trabea vero erat triumphantium, & toga picta. Scribit Plinius, lib. VIII. cap. XLVIII. *Vestes pictas iam apud Homerum fuisse, unde triumphales natae.* Certe apud Homerum Helena induPalma armata.

Praetextae apud Etruscos originem invenere.

citur, vestem purpuream texens, & in ea Graecorum, Troianorumque pugnas intexens:

— ἡ δὲ μέγαν ἱστὸν ὕφαινε
Δίπλακα πορφυρέην, πόλεας, δὲ ἐνέπασσεν ἀέθλους,
Τρώων θ' ἱπποδάμων, καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων.

Vestis picta.

Pictas vero vestes, ni fallor, ἀνθινὰς adpellant, quarum multa mentio apud Athenaeum, Strabonem, & alios: Ausonius, *Trabea ut in pace consulum, sic in victoria ducis triumphantis.* Fortasse inde trabeae consulares dictae ab Ammiano, quae tamen palmata quoque dicebatur, credo a victoria. Martialis lib. 7. Epigr. 1.

Triumphus Aemilii.

Palmataeque ducem, sed cito redde togae;

Paulus Aemilius in triumpho, quem de rege Perse victo duxit, trabea auro picta ornatus processit. Plutarchus in Aemilio, ἀνὴρ καὶ δίκα τοσαύτης ἐξουσίας ἀξιοθέατον ἀλυργίδα χρυσόπαστον ἀμπεχόμενον. Ausonius, *Palmatam, inquis, tibi misi, in qua D. Constantinus parens noster intextus est.* Plinius tamen lib. VIII. videtur pictam & trabeam, ut diversa posuisse. Plutarchus in Romulo, αὐτὸς δὲ προὐκάθητο μετὰ τῶν ἀρίστων ἀλύργιδι κεκοσμημένος. hoc est, *ipse vero praesidebat cum optimatibus trabea ornatus.* Eam fuisse opinionem Plutarchi meae sententiae particeps est: Cum Romulum trabeatum fuisse adpareat ex Plinio lib. Nat. Hist. IX. cap. XXXIX. *Purpurae usum Romae semper fuisse video, sed Romulo in trabea.*

Trabeatus Romulus.

Virgilius lib. VII. Aeneidos.

Ipse, Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis, referat stridentia limina consul.

Suetonius in libro de generibus vestium, dicit, tria esse genera trabearum. *Vnum diis consecratum, quod est tantum de purpura; aliud regium, quod est purpureum, & habet tamen album aliquid; tertium augurale, de purpura, & cocco mixtum.* Hoc loco omittere nolui, quin narrarem quod de toga picta scripsit Festus Pompeius. *Picta quae nunc toga dicitur, antea purpura vocitata est, eratque sine pictura. Eius rei argumentum est, pictura in aede Vertumni, & Consi. Quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera L. Papirius Cursor triumphantes ita picti sunt.* Quae vero haberent triumphantes ornamenta, quorum frequens mentio apud Tacitum & Plutarchum. Livius in X. secundi belli Punici docet, his verbis: *Ibi Masiniſſam primum regem adpellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli eburnea, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica, donat.* Addit verbis honorem, neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse. Quibus verbis ni fallor, adnumerantur ea, quibus ornabantur triumphantes. His ipsis verbis etiam palam fit, quae sint illa antiqua patrum munera, quarum meminit Tacitus libro IV. Annal. *Missus est e Senatoribus qui Scipionem eburneum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, regemque & socium atque amicum adpelleret.* Togam pictam Livius lib. XXXI.

Tacitus Annal. lib. IV.

pur-

Digitized by Google

purpuream adpellat; *Dona ampla data, quae ferrent regi, vasa aurea, argenteaque, toga purpurea, & toga praetexta.* Quare falluntur, qui togam praetextam pro purpurea sumpsere. Cicero in M. Antonium Philippica secunda: *Sedebat in rostris collega tuus, amictus toga purpurea, in sella aurea, coronatus: adscendis, adcedis ad sellam.* Plutarchus in Antonio, hanc vestem purpuream, vestem triumphalem vocat. Καῖσαρ δὲ κεκοσμημένος ἐσθῆτι θριαμβικῇ καθήμενος ὑπὲρ βήματος ἐν ἀγορᾷ τοὺς διαφέροντας ἐθέατο, Quin & his Livii verbis adducor, ut credam, vestem illam, quam sacri Evangelii scriptores purpuream, & purpuram dixerunt, fuisse togam purpuream, quae & picta dicebatur, in Servatoris nostri ludibrium scilicet, tamquam a S. P. Q. R. missam illi, qui se regem Iudaeorum diceret, ut mentiebantur Iudaei. Trabearum tria sunt genera, ut scribit Suetonius. Quorum autem mentio antea facta. In funebri pompa utebantur & equites trabea, si Tacito credimus, qui in libro III. de funere Germanici sic ait: *Igitur tribunorum, centurionumque humeris cineres portabantur, praecedebant incomta signa, versi fasces: atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solemnia cremabant.* Et sane fuit tempus, quum trabeae essent equitum, ut coniectare licet ex Martiale, lib. v. epigr. XLII.

Theatra loqueris, & gradus, & edicta,
Trabeasque & idus, fibulasque, censusque
Et pumicata pauperes manu monstras.
Sedere in equitum liceat an tibi scamnis,
Videbo, Dindyme, non licet maritorum.

Porro de Palma.

EX sacris Aegyptiorum literis Palmae significata plurima traduntur, quorum praecipue quatuor ex gravissimis auctoribus seligere visum est: quippe annum, mensem, iustitiam sive aequalitatem, atque victoriam significabat: quorum significatuum causae diligentius examinandae sunt. Reliqua, utpote manifestiora, sponte, nulla sollicitata cura, provenient.

I. *Cur annum & mensem Palma significet.*

Causae vero, cur annum Palma significet, tres esse perhibentur, eaque omnium prima: quod sola omnium arborum, per ortus Lunae singulos, ramos singulos progenerat. Atque ita etiam significatum mensis totidem adnumerarent. Par itaque ut si annus exprimi debeat, Palma duodecim ramis praedita figuretur. Sed etiam, etiamsi haec non adfuerit curiositas, annum omnino significabit, vel quantum ad mensem adtinet, quod in ossiculis eius ea maxime figura expeteretur, quae lunata esset, quam contra fascinationes pollere plurimum arbitrabantur. Lunam autem maxime cavam, qualis est quum octo & viginti dierum numerum explevit, cornibus, scilicet inferne deiectis, mensis indicium esse in coelestibus: Dianaque ipsa apud Homerum Apollinis hymno, mensis & anni arbitros paritura, Palmam amplexata describitur. Altera causa est, quod Palma, ut Babylonii tradunt, referente Plutarcho, trecentas & sexaginta utilitates mortalibus elargitur, ideoque anni simulacrum & insigne; tot enim diebus annus constat, intercalaribus quinque subductis. Alia ratio est, quod Palmae satus quatuor ex lignis, sive ossa ea malueris adpellare, quae uti paulo ante dictum, in eius fructibus insunt, fieri solet, quae bina iuxta composita subter, binaque superne colligantur, pronaque omnia feruntur, quorum inde radices amplexu mutuo connectuntur, atque ita primi ortus promiscui coalescunt, & unus ex cunctis caudex conficitur.

Babylonii decantant palmam, quod, ipsis CCCLX. utilitatum genera praebeat. Plin. lib. 13. cap. 4.

II. *Cur temporis diuturnitatem.*

Non dissimulabo quasi κατὰ πάρεργον, quod Quintius Graecus auctor asperum quendam locum, & admodum editum, superatuque perdifficilem ponit, in cuius vertice Palma consurgat, cuius in cacumine insideat virtus: ex montis utique asperitate labores varios, ex Palma temporis, ut Hesiodi interpres ait, diuturnitatem innuens. Non enim putabat quempiam ad perfectam aliquam virtutem pervenire posse, nisi per labores, quos diu toleraſſet. Temporis autem diuturnitas, quo convenientius signo figuretur, quam per id, quod anni & mensis habetur hieroglyphicum adeo manifestum? Sententiam hanc ita sibi desumsit Quinctilianus: *Desinit in adversa niti qui pervenit: ad summum scandenti circa ima labor est.* Quod Pierius ita retulit:

Incipit obpositam pedibus qui repere molem,
Eximio superat grande labore iugum.
Vt tenet aërei placidissima culmina montis,
Languida felici membra quiete levat.
Pastus amaritiem rigidae radicis acerbam,
Molliculi glutit dulcia mella favi.
Hoc Sophiae asperioris iter Soperantule pergas,
Dummodo post fellis pocula nectar habes.

III. *Aequalitatem cur devotet.*

Aequalitatem vero ea de causa significabat, quod quum initio Soli dicata fuerit ante Laurum, gravissimi auctores adserunt, & Phoebum & victores hac, non alia quapiam arbore coronari solitos. Quae quum aequale esset victorum omnium praemium, aequalitatis inde symbolum adlecuta est. Sane Plutarchus & Pausanias auctores sunt, Palmae pretium, qua multis in certaminibus victores aeque coronarentur, a Theseo primum institutum, quum a Creta reversus in Delum adplicuisset, & Apollini ludos edidisset. Sive ea de causa sit excogitatum, quod arbor ea foliis sit maxime aequalibus, ideoque victoribus conveniret, quod aequa eorum laus, atque praemium esset.

IV. *Cur Palma Iustitiae Symbolum.*

Praeter haec incorrupta est Palmae materies, ac propemodum senii nescia, perinde ac decet incorruptos esse, neque unquam temere flecti aliorum quorumquam arbitrio, iustitiae administratores. Folia demum, nisi vi tollantur, nunquam amittit, quare illam congruenti epitheto ἀείφυλλον, atque etiam ἀμπεδόφυλλον adpellaverunt, quum & Laurus, & oliva, & Myrtus, ac aliae quaedam, quibus

Digitized by Google

bus est perennis foliorum viror, subcrescentibus aliis priora decutiant. Eademque immobilitas expetitur in Iustitia. Quod vero ponderibus resistat, & in adversum incurvetur, facere idem iudices debent, at reluctabundi, seductores, pellacesque omnes detractare, neque mulieribus, neque violentiae cedere. In hanc sententiam Levitico celebrandis feriis XV. mensis septimi Palmarum surculos, quos Graeci spathalas a gladii forma vocant, Legislator sumendos praecipit. Theologi per eos iuveneſcentia Iustitiae germina interpretantur. *Iustus enim*, ait Psalmographus, *sicut Palma germinabit*: propterea quod nihil est in universa Palma, quod respui debeat, ita tota ab intima medulla ad extremum usque folium humanae necessitatis usibus est commoda, idque multipliciter, perinde ac in iis, qui iuste vivunt, nihil reperias, quod non undecumque utile sit, ac commendabile.

V. *Palma Solis Hieroglyphicum.*

Neque quidem ea de causa tantum Palma Solis hieroglyphicum est, quod anni vicissitudines referat, quantum quod figuram solarium radiorum imitari quodammodo videatur. Vnde sacerdotii veteris auctores, qui (ut Proclus ait) a rebus adparentibus superiorum virium cultum adinvenerunt, ab hac similitudine solare quid in Palma esse arbitrati sunt. Et apud L. Apuleium legas, mystico eo sacro, quo initiabantur Isidi, caput, ad solarium radiorum similitudinem ostendendam, Palmae candidae foliis in modum radiorum prosistentibus redimitum.

VI. *Victoriam significat.*

Victoriae demum in Palma significatum, ex numis, picturis, sculpturisque omnibus universae iam plebeculae manifestum est. Eaque elocutio toties usurpata Ciceroni: *Docto Oratori Palma danda est. In quadrigis qui Palmam primus acceperit. Quam Palmam utinam Dii immortales tibi, Scipio, referrent*: & similia. Et causam multi prodidere, praecipue vero Plutarchus Symposiacōn Libro octavo, quam etiam posuerat Arist. nempe si super arboris eius lignum, magnum quantumlibet pondus imponas, Palma minime deorsum cedit, nec infra flectitur, sed adversus pondus resurgit, & sursum nititur in contrarium fornicata. Eaque de causa in certaminibus Palmam signum esse placuit victoriae, quoniam uti dictum est, ingenium eiusmodi ligno est, ut urgentibus prementibusque non cedat. Videre vero est Palmam caudicibus sursum versus collectis in numo Neroniano, ubi idem ipse aprum impetit veru, victoriae nimirum, quam de confecta fera consequutus esset, hieroglyphicum. Et felicis augurii causa Augustus Palmam inter iuncturas lapidum enatum ante domum suam, in compluvium Deorum Penatum transtulit, utque coalesceret magnopere curavit, Caesaris factum sequutus, qui castris locum capiens inter silvas, quas caedebat, repertam Palmam conservari, ut omen victoriae iussit. Adhaec Caesarianae victoriae adversus Pompeium in Pharsalia praelio commisso Trallibus Palma ostentum dedit, exorta repente eodem ferme tempore, quo haec gesta sunt, penes Caesarianae statuae basin, quae in templo victoriae dicata erat: quamvis omnis circa statuam locus natura solidus, & durissimo lapide instratus esset: atque huius generis ostenta multa apud veteres memorentur. Minime vero praetereundus est numus aereus cum ingenti Palma, eaque dactylis foecunda, cuius inscriptio est, AL. AE. quae procul dubio victoriam Alexandriae Aegyptiacae significat: quod ut magis explicetur, ab altera facie spica est cum inscriptione, KAIΣAPOΣ.

VII. *Palma Iudaeae Hieroglyphicum.*

DESVMVNTVR hieroglyphica plerumque a rebus, quas egregie aliqua regio ferat: ut Cyrenaica per Silphium, quod in Batti numis cusum videas. A palmarum vero feracitate Iudaea eius arboris pictura significatur. Sane in Titi numis passim videre est eius provinciae simulacrum arbori Palmae adalligatum, cum inscriptione, IVD. CAP. Vbi vero inscriptio est Caesaris Vespesiani, atque ibidem IVDAEA CAPTA, moesta sedet ipsa manu quasi faciem complodens, adstat ipse iuxta Palmam. In alio cum eadem inscriptione signum est, quod dextra alte innititur pilo, laeva sceptrum gestat, laevumque pedem iacenti galeae superponit.

VIII. *Iacturae signum Palma.*

Contra vero, vel deiecta, vel casu aliquo vitiata, iacturae imminentis prodigium habebatur: veluti aenea illa quam Athenienses in Delphici Apollinis templo dedicarant; rei adversus Medos feliciter gestae monumentum. Paulo ante quam adversus Syracusanos moverent, infaustae signum expeditionis fuit: quod eius fructus, qui ex auro constabant, Corvi, alites inauspicatae pluribus diebus impetierunt, eosque partim devorarunt, partim deiecerunt.

IX. *Innocentiae.*

Ne vero & hoc praetereamus, in sacris litteris eo loco ubi, *statua tua similis facta est Palmae*, legitur, Ambrosius significari ait viriditatem pueritiae, atque naturalem eius innocentiam, quam a vitae primordio receperimus, servandam esse, & ut fructum nullo foliorum defluvio suo tempore maturemus, admoneri. Idque de Adsertore nostro piorum conventus canere, *Iustus ut Palma florebit*. Tarde vero proficit Palma, sed diu in viriditate persistit, ait Eucherius: ita Ecclesia sancta per multas difficultates ad firmum fidei statum venit, auctaque iam & propagata, statura nimirum diu.

X. *Piorum vitae.*

Significat & piorum vitam Palmae species; propterea quod sicut interior eius caudex & tenuis est, & corticum scabritie, perplexitateque minime iucundus: superior vero pars visenda, tum trunci tum ramorum amplitudine, amaenaque pulchritudine viriditatis expanditur, ita piorum conditio prima facie contemptibilis videtur; sed in mirificam demum exit morum, virtutumque pulcritudinem. Sed cur non ipsa Eucherii sanctissimi, doctissimique viri verba subtexam? in hanc sententiam? *Habet quiddam aliud Palma, quo a cunctis arborum generibus differat. Omnis enim arbor, quae in suo robore iuxta terram subsistit, crescendo superius angustior evadit*

Digitized by Google

evadit, & quantum paullisper sublimior, tantum in altum redditur subtilior. Palma vero tenuis ab imo inchoat, & iuxta ramos, aut fructus ampliori robore conturgescit. Quibus itaque alia arbusta nisi terrenis mentibus adsimulari possunt, inferius vasta, superius angusta? quia nimirum omnes mortalium in hoc seculo degentium delectationes in terrenis rebus sunt fortes, in coelestibus debiles. Pro temporali enim gloria usque ad mortem adpetunt desudare; pro spe vero perpetua, ne parum quidem in labore subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet iniurias tulerant, & pro coelesti mercede vel tenuissimas unius verbi contumelias ferre non possunt. Vt terreno iudici totos dies adsistant, fortes sunt; in Oratione vero coram Deo vel unius horae momento lassantur. Saepe nuditatem, vigilias, famem, pro acquirendis divitiis, & honoribus tolerant, & multa se abstinentia cruciant: Quod bis, aut semel, in hebdomate pati pro salute animi gravissimum ducunt. At contra ex aequalitate Palmarum designantur iusti; qui vita proficiunt, qui nequaquam in terrenis studiis sunt fortes, & in coelestibus debiles, sed longius atque distantius studiosos se Deo exhibent, quam seculo fuisse meminerunt. Recte itaque, ut supra dictum, *iustus ut Palma florebit*. Illud addam ex sextis Ebraeorum castris apud Hieronymum: *Veluti* XII. *dulcis aquae fontes ad Elim reperti*, XII. *indicarunt Apostolos, de quorum fontibus aquae derivatae, universi terrarum orbis ariditatem adfluenter irrigarunt, ita Palmae numero septuaginta cibum ostenderunt, quem mortales a totidem secundis Apostolis adpositum essent accepturi*.

Cibus enim doctrina, uti saepius dictum. Quoniam vero crux Domini, quae Palma ea est, in quam adsensurum esse Dominum Prophetae praedixerant, longo stipite, & in altum surrecto, in transversumque late porrecto fuisse fertur, significasse etiam videtur illud, *cum exaltatus fuero, omnia trabam ad me*: ipsa enim manuum extensio duos populos, Israëliticum, & Gentilem ad Deum trahere, & in unum congregare videbatur, ut seniores dixisse, scribit Irenaeus. Non absre fuerit, ut piis quacunque ratione possumus satisfacere studeamus, signum id & victoriae & salutis, quo pacto pii veteres figurarint, adscribere. Contus erat praelongus, cuius apex in ϱ, Graecae literae similitudinem incurvabatur: inde paulo infra χ, Graeca identidem litera sua insignis decussatione addicta erat, Christi nomen ostentat. Inde qui crucis signum faceret bacillus transversus, cui velum aut mappula solebat adpendi vexilli loco. Haec duo significabant apud Graecos, quorum characteribus signata erant, CHRISTVS PASSVS & CRVCIFIXVS. Inde pro delubro, pedamentoque aliquo vasis alicuius forma, orbicularis, aut oris, aut aliis gestaminibus castrensi more altero super alterum subflexis subiiciebantur, in hunc scilicet modulum. Quod ultimo loco subiicimus forma loculi est, in quem vexilla figebantur; Agite vero qui hoc signum sequimini, & in eius imperium iurastis, salutem vobis, atque victoriam inde certissimam pollicemini. Non enim tumultuarium hoc, aut temere concitatae cuiuspiam multitudinis fortuitum est signum, quod elementa porro omnia, quod humana omnis natura, quod bruta, qua licet, exprimere conantur. Dissecatur terra punctis quatuor, a quibus ductae lineae crucem figurant. Puncta, Oriens, Occidens, Septentrio, & Meridies. Sanctius in ea animal homo, brachia quum precatur in crucem extendit, vel saltem pectus signat a fronte ad umbilicum, ut descensum a coelo in terras nostri numinis indicet. Mox ab laeva, a corde quippe ad dexteram papillam, (in dextra enim bonorum operum motus) crucem delineat. Per mare vero quae volitant navigia, si optatum cursum adreptura sint, antennas malo in crucis effigiem adplicant: quaeque coelum alites secant, passis alis crucem ostendit. Nos igitur faciem, & pectus cruce signati, tutius & animosius unumquodque virtutis opus adgrediamur, fluxarum cogitationum inundationes transeamus incolumes, praepetique volatu supra coelum adtollamur, adminiculo signoque crucis omnia feliciter exsecuturi, stratisque & superatis dolosissimi hostis insidiis, eiusque conatibus eversis, in Domini nostri cruce tantum gloriari, trophaea more veterum, victoriarumque triumphos ipsa cruce designata suspendamus.

Palma, in mysticis literis celebratissima, duplici de causa hominis simulacrum esse putatur: primum quia fructum non fert sine coitu, sed replentur eius rami gemmis masculeis, quasi semine quodam: deinde quia in superiore parte habet quasi cerebrum, quod Ebraei *Halulab*, Arabes vero *Chedar*, vel *Gemar* vocant, quo corrupto moritur arbor, sicut cerebro laeso homo interit, quod quidem huic soli inter plantas contingit: tertio quod comam in cacumine habeat, & ramos in manuum modum protensos, & fructus digitorum figuram praeseferentes, unde dactyli, id est, digiti sunt adpellati; pulpa quoque ipsorum fructuum caro nuncupatur, multum sanitati conferens, & vel ex vi quadam animali, vel ex Phoebea natura summae nutritionis, adeo ut multi Sancti Patres vitam in solitudine agentes, eo solum cibo contenti fuerint: quemadmodum & hodie quoque multi in Africa populi eo tantum fructu victitant.

XI. *Hominis simulacrum Palma.*

CAP. VI. *De Populo.*

FAma est, Herculem Cerberum per Acherontem fluvium in lucem eduxisse, ut scribit enarrator Nicandri: Ἀχέρων δὲ ποταμὸς ἐν Ἡρακλείᾳ τῇ Ποντικῇ, ἔνθα τὸν τοῦ ᾅδου κύνα Ἡρακλῆς ἐξήγαγε, ᾗ ὁ λόφος Ἀκόνιτος λέγεται. *Acheron fluvius est Heracleae Ponticae, qua Hercules Plutonis canem eduxit, atque collis Aconitos dicitur*. Huius fluminis aquam insuavissimam fuisse, sicut etiam Cocyti, scripsit Pausanias in Atticis, cuius

cuius alumna est alba Populus, ut Oleaster Alphei, Populus nigra Eridani; quare quum ad Cerberum Hercules per eam portam accessisset, dicitur fuisse alba Populo coronatus, quum ob caliginem tamen inferorum facta sit postea nigra illa corona, de qua apud Padum defossa, nata est nigra Populus, ut fabulantur. Qui ad aram maximam, Herculi sacra faciebant, sola lauro coronari soliti a quibusdam traduntur. Qui tamen Virgilii auctoritate convincuntur, qui ita lib. VIII. Aeneid. cecinit.

Herculea bicolor cum populus umbra
Velavitque comas, foliisque innexa pependit,
Populeis adsunt evincti tempora ramis.

Vsus. Populus non habet alium usum, nisi quod sit commoda, & tractabilis in sculptura. Vt Vitruvius testis est lib. II. de Architectura.

CAP. VII. *De Cedro.*

CEdrus sacra est Eumenidibus, sive Noctis filiabus. Nam Eumenides fuisse Noctis filias testatur Lycophron in Cassandra his verbis:

Ἥμος ξυναίμους πατρὸς αἱ νυκτὸς κόραι
Πρὸς αὐτοφόντην αἶναν ὥπλισαν μόρον.
Fratres ubi patris puellae filiae
Noctis, paraverunt graves in mutuas
Caedes.

Alii Noctis, & Acherontis filias fuisse Eumenides crediderunt. At Orpheus in hymno, quem scripsit in Eumenides, illas Plutonis, sive Iovis terrestris, & Proserpinae filias dixit in his:

Κλῦτέ μου Εὐμενίδες μεγαλώνομοι εὐφρονι βουλῇ,
Ἄγναὶ θυγατέρες μεγάλοιο Διὸς χθονίοιο.
Φερσεφόνης τ' ἐρατῆς κούρης καλλιπλοκάμοιο.
Audite Eumenides me orantem mente benigna.
Terrestris Iovis, & casta, & dignissima proles
Infernae Iunonis.

Hesiodus & in eo libro, quem scripsit de origine Deorum, e terra ex Saturni sanguine natas esse Erinnyas putavit, quum Iupiter patri pudenda abscidit, ac guttae sanguinis in terram cecidissent, ut est in his:

Ὅσσαι γὰρ ῥαθάμιγγες ἀπέσσυθεν αἱματόεσσαι
Πάσας δέξατο γαῖα· περιπλομένων δ' ἐνιαυτῶν
Γείνατ' Ἐριννῦς τε κραταιὰς, μεγάλους τε γίγαντας
Tum quae fluxerunt atro de sanguine guttae,
Terra bibit cunctas: mox & labentibus annis
Edit Erinnyas haec tristes, magnosque Gigantes.

Quas Latini Furias adpellavere, Graeci Erinnyes, & Eumenides in primis dixere. Has & Plutoni deservire prodidit antiquitas; hinc Virgilius:

Hae Iovis ad solium, saevique in limine regis
Adparent, acuuntque metum mortalibus aegris,
Si quando letum horrificum, morbosque deum rex
Molitur meritis, aut bello territat urbes, &c.

Iisdem etiam veteres commotae mentis adfectus adumbrabant, propterea que furoris Deas existimabant Semper vero virgines etiam proverbio dictae, quod quum malefactorum ultrices sint, facile corrumpi non possint, quin etiam poenas de delinquentibus sumunt: Suidas auctor. Cicero pro Roscio Amerino; *Nolite putare, quemadmodum in fabulis saepenumero videtis, eos qui aliquid impie, sceleratequeque commiserint, agitari & perterreri Furiarum taedis ardentibus: sua quemque fraus, & suus terror maxime vexat.* Et paulo post: *Haec sunt impiis adsiduae, domesticaeque furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis.* Suetonius, de Nerone; *Saepe confessus exagitari se materna specie, verberibus Furiarum, ac taedis ardentibus.* Sed omnis hac de re plana Tragoedia. Erinnyes quidem ideo sunt vocatae, quasi, ἔρις νόος, hoc est, mentis lis. Eumenides vero per contrarium εὐ κῆ μένω, quasi non bona mens.

Mereri immortalitatem. Cedro dignum dicere solemus, quicquid iudicare volumus immortalitatem mereri. Huius arboris ea natura est, ut cariem non sentiat; quare oleum cedrinum, auctore Vitruvio, Libros a tineis conservat. Illi folia non decidunt huius oleo peruncta, nec ipsa quidem cariem sentiunt, aut tineam, ut ne clavum fixum teneat. Et quia materia aeterna est, atque diuturnitatem in se habet, fiunt ex ea in templis lacunaria, ut testis est Isidorus, & simulacra. Vide Plin. Lib. 13. cap. 5. & 13. Dioscor. Theophrastus Lib. III. Ovid. Lib. I. Trist. Elegia 3.

Nec titulus minio, nec Cedro charta notatur.

Martialis.

Quae cedro decorata purpuraque
Nigris pagina crevit umbilicis.

Fumus Cedri, & Citri. Gyraldus testatur Hist. Deor. Syntagmate XVII. etiam Iliacis temporibus morem fuisse, ut nec ture, nec costo, sed Cedri & citri fumo deos adolere solerent.

Cedrus celsitudo gloriae.

CEdri nomine celsitudo gloriae in electis accipitur; sicut & propheta testatur, dicens: *Iustus ut palma florebit: & sicut Cedrus, quae est in Libano, multiplicabitur.* Hyssopus autem herba humilis est saxo haerens: qua signatur humilitas Christi. Redemtor quippe noster a Cedro usque ad hyssopum disputavit: quia ab altera excellentia coelestis gloriae, usque ad carnis humilitatem descendendo pervenit. Siquidem & Cedri nomine, pravorum superba elatio designatur, sicut per Davidem dicitur: *Vox Domini confringentis Cedros.* A Cedro itaque Christus usque ad hyssopum disputavit, quia ipse pravorum corda & humilium iudicat. Super ligna autem disputavit, dum in cruce pependit. Tunc enim e cedro, seculi adro-

Christus usque ad hyssopum disputavit.

Digitized by Google

adrogantiam inclinavit, quando eam usque ad hyssopi humilitatem, id est, usque ad crucis stultitiam, ac contemtibilem fidem deduxit.

CAP. VIII. *De Larice.*

ETiamsi lubens voluerim de consecratione laricis mentionem facere; quandoquidem tamen nullos auctores libri mihi praebent, eorumque testimonia negant, coactus eam praeterire; de usu saltem aliquantulum narrare animum induxi. Certe miraculum naturae est, Laricem non solum ex succi amaritate vehementi a carie, tineaque, non noceri, verum nec flammam recipere, nec ardere per se, nisi ut saxum in fornace ad incoquendam calcem, lignis uratur aliis: nec flammam ideo sic quoque recipit, nec carbonem remittit; sed spatio longiore vix comburitur; quod sit nimia ignis & aëris temperatura. Laricem autem non reddere carbones, veritati minime consentaneum, quamquam Vitruvius de Castro Larigno a Caesare obpugnato, & Palladius lib. XI. id adfirmant; nam in fornacibus ardet, & in carbones vertitur, ferrariis officinis utilissima, Matthiolo & Dodonaeo testibus. Vitruvius de Architectura lib. II. cap. IX. *Ea autem materia quemadmodum sit inventa, est causa adgnoscere. Divus Caesar quum exercitum habuisset circa Alpes, imperavissetque municipiis praestare commeatus, ibique esset castellum munitum, quod vocabatur Larignum, tunc qui in eo fuerunt, naturali munitione confisi, noluerunt imperio parere. Itaque Imperator copias iussit admoveri. Erat autem ante eius castelli portam turris ex hac materie alternis trabibus transversis, uti pyra, inter se composita alte, ut posset de summo sudibus, & lapidibus accedentes repellere: tunc vero, quum animadversum est, alia eos tela, praeter sudes, non habere, neque posse longius a muro propter pondus iaculari, imperatum est fasciculos ex virgis adligatos & faces ardentes ad eam munitionem accedentes mittere. Itaque celeriter milites congesserunt. Postquam flamma circa illam materiem virgis comprehendisset ad coelum sublata, effecit opinionem, uti videretur iam tota moles concidisse. Quum autem ea per se extincta esset & requieta, turrisque intacta adparuisset, admirans Caesar, iussit extra telorum missionem eos circumvallari. Itaque timore coacti oppidani cum se dedidissent, quaesitum est unde essent ea ligna, quae ab igne non laederentur: tunc ei demonstravere eas arbores, quarum in Italiae Alpibus, haud procul a Tridento sitae: iuxta* Benacum ac Padum fluvios maxime sunt copiae; ut refert Dodonaeus. *Et ideo id castellum Larignum, item materies larigna est appellata.*

Caesaris exercitus circa Alpes.

Turris intacta.

CAP. IX. *De Esculo.*

EPhorus scripsit lib 2. Esculus in sacris Herculis. Quae etiam a nonnullis Iovi adscribitur. Esculus, ait Palladius in Novembri, *aedificiis, & ridicis apta materies.* Sed cavendum memoravit Vitruvius in ruderatione commode perficienda *Ne commisceantur asses esculini quernis.* Quod Palladius, libro I. cap. IX. ita expressit. *Deinde ut axes quernae cum esculeis non misceantur. Nam quercus humore concepto, cum se ceperit siccare, torquebitur, & rimas in pavimento faciet, esculus autem sine vitio durat. Sed si quercu subpetente esculus desit, subtiliter quercus siccetur, & transversus atque directus duplex ponatur ordo tabularum, clavis frequentibus fixus.*

Esculus Herculi & Iovi sacra.

CAP. X. *De Cupresso.*

CYparissus autem dicitur, per synaeresin, Cypressus: deinde, conversione y in u Cupressus. Cyparissus Telephi filius fuit, amatus ab Apolline, vel, ut alii, a Silvano; qui quum lassatus aestu, sub quadam arbore somnum caperet, subito strepitu excitatus, cervum, quem in delitiis habebat, feram credens, per ignorantiam, emisso telo, occidisset: & fletu nimio & abstinentia cibi, ac potus tabesceret, misericordia Deorum in arborem cupressum conversus est, aptam & consecratam lacrimis, & luctibus. Alii, hunc Cyparissum, Cretensem puerum pulcherrimum, & castissimum fuisse: quem quidam ab Apolline, nonnulli Zephyro, amatum volunt: qui quum castitatem suam incorruptam tenere cuperet, relicta Creta, ad Orontem fluvium, & montem Cassum dicitur perveniisse, atque in Cypressum arborem commutatus: quae arbor ideo mortuis consecratur, quod semel caesa nescit renasci. Virg. lib. II. Aeneidos.

Cupressus derivatio.

Ex urbe egressis tumulus, templumque vetustum
Desertae Cereris, iuxtaque antiqua cupressus,
Religione patrum multos servata per annos.

Cupressus mortuis consecrata.

Virgilius ponit Cupressum, quae est sacra Diti; & funebri signo ad domos ponitur. Nam moris Romani fuit ramum cupressi domui funestae praeponi, ne quis Pontifex per ignorantiam ingressus polluëretur. Hinc Horatius in Oda XIV.

Mos Romanus de comburendis ramis Cupressi.

— neque harum, quas colis arborum,
Te praeter invisas cupressos,
Vlla brevem dominum sequetur.

Cupressus etiam inferis sacra est: quia caesa nunquam revirescit. Virgilius lib. VI. Aeneidos.

Cupressus inferis.

Ingentem struxere pyram: cum frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.

Adhibetur Cupressus ad funera vel quod caesa non repullulat: quod bis ante dixi; vel quod per eam funesta ostenditur domus; sicut laetam frondes indicant festae. Varro tamen dicit, pyras ideo Cupresso circumdari, propter gravem ustrinae odorem: Plinius propterea eam arborem Diti sacram esse scribit. Et ut saepius dictum,

Cupressi usus in pyra.

funebri signo ad domos posita. Silius lib. 10,

At ferale decus moestas ad busta cupressos,
Funereas tum deinde pyras certamine texunt.

Et Claudianus lib. 2. de raptu Proserp.

— tumulos tectura cupressus.

Sed cupresso non utebatur popularitas: Lucanus,

Et non plebeios luctus testata cupressus.

Simulare cupressum. Cupressus etiam proverbialiter utitur, nempe simulare cupressum. Hinc Horatius in arte poëtica.

Et fortasse cupressum
Scis simulare quid hoc, si fractis enatat expes
Navibus, aere dato

Acron proverbium esse admonet, ortum ab imperito quopiam pictore, qui praeter cupressum nihil noverat pingere. A quo quum naufragus quidam periisset, ut vultum suum exprimeret, ac naufragium suum depingeret, interrogavit ille num ex cupresso vellet aliquid adiici. Res ea primum in iocum, deinde etiam in adagionem abiit. Concinne usurpabitur in eos, qui quod didicerunt, id ubique intempestiviter inculcant, quum ad rem nihil attineat.

CAP. XI. *De Ficu.*

FIcus, mortalibus elegantioris vitae magistra fuit, vel hoc argumento, quod locum ubi primum arbor haec reperta est, sacram ficum Athenienses vocaverunt, ipsiusque fructum ἡγητηρίαν, id est unctioris, ac cultioris vitae ducem, quod ante mitiores cibos omnes inventus fuerit. Ficuum genera plura. Atticum memoratum ab Antiphane in Homonymis. Laudans enim agrum Atticum, inquit:

Qualia fert, o Hipponice, ista regio,
Excellentiora quam universus orbis, mel,
Panem, ficus. Ficus enim, ita me amet Iupiter,
Abunde gignit.

Ister in Atticis prodidit, vetitum fuisse caricas exportare in Attica nascentes, his indigenae ut soli fruerentur. Quum vero multi furtim avehere deprehenderentur, delatores qui apud iudices illos accusarent, vocatos principio fuisse Sycophantas. Alexis in Poëta:

Sycophantae nomen immerito
Viris improbis est tributum.
Nam qui foret bonus & urbanus, is debuit
Indicatis ficubus mores adprobare suos.
Nunc autem flagitiosos cum sic nominent,
Dubitare id cogit, cur ita factum sit.

Philomnestus libro de Sminthiis Rhodiis scripsit Sycophantam inde nuncupatum fuisse, quod illis temporibus e ficuum mercatura, vini, olei, tributa colligerentur, ac portaria, & mulctarentur qui ea non solvissent, e quibus in administratione reipublicae sumtus fieret: itaque coactores qui exigerent, & eorum proventum suis rationibus ostenderent, ut credibile est, adpellatos fuisse Sycophantas, ad idque munus delectos fuisse cives spectatissimos, atque optimae fidei. Laconicae ficus meminit Aristophanes in Agricolis his verbis:

Ficus omnes ego seram, praeter Laconicas.
Infestae namque sunt illae, ac tyrannicae:
Nec enim pusillae ferent, si animose plebem
Odio non prosequeremur.

Ficum scilicet eam pusillam vocat poëta, quod exigua, & humilis planta sit. Alexis in Olynthio, quum Phrygiae ficus mentionem facit, ait:

Et divinus cibus a matre datae mihi delitiae,
Carica ficus.

Ficus a Phytalo primum inventa, nam aiunt ab eo Cererem hospitio acceptam, eique fici stirpe donata gratiam relatam; id versus testantur in Phytali sepulchro incisi:

Hinc Cererem tectis Phytalus susceperat heros,
Cui primum sacri largita est semina pomi,
Quam mortale genus ficum vocat, illius ergo
Muneris, aeterno hic Phytali gens floret honore.

Ficus Mercurialis cur dicitur. Σῦκον ἐφ' Ἑρμῇ. id est, ficum Mercurio. De promto, & quibuslibet exposito beneficio dicebatur. Nam antiquus mos erat, sicubi ficus repertus fuisset, eum veluti Mercurio sacrum suspendere. Liberum autem erat tollere ficum Mercurialem, cuicumque libitum fuisset: vel quod is Deus furibus favere creditus est, vel iuxta paroemiam illam κοινὸς Ἑρμῆς, communis Mercurius. Huc adlusit Persius quum ait:

Inque luto fixum possis transcendere nummum,
Nec gluto solvere salivam Mercurialem?

Unde proverbium, ficum cupit. Σῦκον αἰτεῖ: id est, ficum petit, in eum dicebatur, qui commoditatis alicuius gratia blandiebatur. Inde natum tradunt, quod olim Athenienses agricolis blandiri soleant, ut ab illis ficos praeco quas acciperet, in proverbium verterunt, ut commodi adulantem, ficos petere dicerent, Aristophanes in vespis:

Σὺ δὲ νῦν σῦκα μ' αἰτεῖς,
id est.
Tu vero nunc ficos a me petis.

[Ἀδελφίζειν]

Ἀδελφίζειν dicuntur, qui vocabulis adoptivis alicui blandiuntur, quod hodieque apud Italos vulgatissimum est, ut quibus blandiunt fraterculos adpellent. Dictum est autem ἀδελφίζειν καὶ μακαρίζειν Horatius in Satyris.

— Frater, pater, adde.
Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta:

Rursus alibi.

— Pater audisti coram, nec verbo parcius absens.

Huius exemplum est apud Aristophanem in Equitibus. Item apud Plautum, cum alias, tum in Pseudolo. Sic amans herus blanditur servo suo:

Dic utrum patrem, an matrem, te resalutem,
Pseudole.

Ab

Digitized by Google

Ab eruditis agitatur quaestio, qui fiat, ut ficus arbor amariſſima fructum producat praedulcem, ac pinguedinis multae: adeo, ut Ananius iambographus etiam σῦκα τῶ χρυσοῦ χρέσσω, id eſt, auro pronuntiarit eſſe ficos meliores. Accidit admirationi, quod inter frugiferas arbores ficus modo eſt ἀνάνθεα id eſt citra flores. Quid vero nec de coelo tangitur, id utique amaritudini acceptum referri oportet. Id genus quippe non attingunt fulmina, quod Vitulus comprobat marinus, atque hyaena. Ratio autem propoſitae ambiguitatis illa eſſe nonnullis videtur, quod arboris dulcedo, quantacunque ſit, in fructum ſecernatur: proinde, quicquid reliquum fiat in ligno ſucci, in amaritudinem degenerare.

CAP. XII. *De Fraxino.*

Diligentia in lignis. NOn parva erat apud Antiquos diligentia in eligendis lignis, quae convenirent ſingulis ſacrorum generibus: quoniam non ex quibuſvis lignis ignis accendebatur, ſed ex lignis in legibus nominatis. Sic in ſacris Martis nulla ligna, niſi fraxinorum urebantur. *Fraxinus ſacra Martis* Fraxinus vocari fertur, quod magis in aſperis locis, montaniſque fragis naſcatur. Hinc per derivationem fraxinus, ſicut a monte montanus. De quo Ovidius, *Et fraxinus utilis haſtis.* Vitruvius lib. II. *Fraxinus habet humores, nimiumque aëris & ignis, terreni temperata mixtione, propter humoris abundantiam, non habet rigorem, ſed celeriter pandat, ſimul autem vetuſtate eſt arida facta, aut in agro perfecta, qui ineſt ei liquor ſtanti, emoritur, ſitque durior & in commiſſuris & in coagmentationibus ab lentitudine firmas recipit catenationes.*

CAP. XIII. *De Ilice.*

Conſecratio. ILex Iovi ſacra. Arbor de ampliſſimis ut robur, materie ſpiſſa, & robuſta, ſed quae frangatur, ac diſſiliat ſponte ſua; ob id Pericles Boeotios ilicibus dixit eſſe ſimiles, ut eſt apud Ariſtotelem, quoniam ipſi ſe conficerent inteſtinis diſcordiis. Notatu quoque dignus locus Suetonii in vita Octavii Auguſti, cap XCII. *Apud inſulam Capreas veterrimae Ilicis demiſſos iam ad terram, languentes ramos convaluiſſe adventu ſuo adeo laetatus eſt, ut eas cum Republ. Neapolitanorum permutaverit.* Inſtar etenim laetiſſimi ominis id habuit Auguſtus: quemadmodum aliis olim fuit inter triſtia omina cornicem ex ilice argutantem audire; iuxta vulgare illud: *Saepe ſiniſtra cava praedixit ab Ilice cornix.*

CAP. XIV. *De Oleaſtro.*

TErra initio fuit aquis adobruta, emerſitque primum Attica: cuius amore ducti Neptunus, & Minerva de civitatis conſtituendae nomine litem intenderunt. Ideo Iovi complacitum, eius eſſe urbis pontificium, qui pulcherrimum excogitaſſet munus, tunc portubus, & navibus ab Neptuno urbem excultam, Minerva oleam producente in Acropoli: quo argumento evaſit ſuperiorem. Vnde inſtitutum oleaſtro coronare. *Herculis curſus certamen.* Hercules, ut qui fratrum ſuorum natu maximus erat, curſus certamen reliquis ſuis fratribus per ludum propoſuit, victoremque oleaſtri corona donavit. *Vſus Oleaſtri in Coronis.* Magnam vero illos oleaſtri copiam habuiſſe: ſiquidem ſua etiam cubilia eius arboris viridi fronde ſubſternebant; ſtirpem quidem eam fuiſſe ex Hyperboreis ab Hercule primum ad Graecos deportatam Pindarus dicit. ΟΛΥΜΠ. Γ. *Hyperborei ſunt gentes ſupra aquilones.*

Conſecratio. Apollini Deo ſacer etiam fuit Oleaſter, qui iuxta oleam & palmam natus ſit, ut quidam putarunt. Quidam vero opinantur, quod illa planta ſolem maxime amet, quum in locis frigidis non naſcatur. Quod illi ſacer ſit, ita Theocritus ait; in Herc. Leonicida:

Χλωρή τ' ἀγριέλαιος Ἀπόλλωνος νομίοιο,
Ἱερὸν ἄγνὸν ξεῖνε, τελειοτάτοις θεοῖο.
Atque virens oleaſter Apollinis ipſe ſacratus,
Ac purus, coma ſacra Deo frondeſcit adulto.

Oleaſter ſacer Fauno. Scripſit Maro lib. XII. Aeneidos.

Forte ſacer Fauni foliis oleaſter amaris
Hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum,
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti divo, & votas ſubſpendere veſtes.

Id Virgilius non temere ſcripſit, ſed ex ritu priſcae ſuperſtitionis; praecipue Graecorum, qui ante fana in oleaſtris ſuſpendere dona ſolebant, & adfigere. Illius enim arboris vivacitas tanta eſt, ut ſi multis configatur clavis, nihil tamen laedatur. Ariſtophanes in Pluto,

Ὥσπερ κολίνῳ προσπατταλεύσω τυτωί.

Id eſt, ceu oleaſtro adfigam iſti.

Oleaſtri vivacitas.

CAP. XV. *De Pinu.*

Pinus ſacra Fauno. FAunus antiquiſſimus omnium regum in Latio fuit, qui Aboriginibus imperavit, homines more ferarum viventes in mitiorem vitam redegit, lucos ſacravit, locis & urbibus nomina dedit, aedificia erexit, templa aedificavit: quae ideo a Fauno Fana dicuntur, quod pontifices ſacrificando illic fantur. Fama eſt hunc Faunum Satyrorum, & Faunorum patrem, ſororem habuiſſe Faunam, vel ut alii maluerunt, Fatuam, vaticinatricem: ab ea vates, fatuarii dicuntur. Haec traditur mulierum caſtiſſima; ideo eam Romani Bonam Deam adpellavere. Habuit filium Sterculinum: qui primus agrorum ſtercorationem invenit, & idcirco inter Deos fuit relatus. Coronabantur hi pineis ramis, quod illa arbor grata ſibi eſſe putaretur, ut teſtatur Ovid. in Oenone.

Cornigerum caput pinu praecinctus acuta
Faunus in immenſis, qua tumet Ida, iugis.

Pinus Pani. Pinum quoque arborem Pani adtribuit Conſtantinus in lib. XI. Geoponicon, ubi & fabulam exſequitur Pitys puellae, in hanc arborem mutatae: aliter licet Phurnutus tradat. Verba Conſtantini. *Pinus puella prius erat, & mutationem naturae exacte duplicis adſumſit. Amabat enim puellam Pan. Amabat*

Digitized by Google

bas eandem etiam Boreas. Quum autem puellam adliceret, ipſa Panis amore magis adficiebatur, & ob hanc rem Boreas aemulatione motus, puellam in petras impulit, ac neci tradidit. Terra porro miſerta cladem, plantam puella cognominem reddidit, ac produxit. Et permutata vita erga eoſdem plures adfectus ſervat, & Puna quidem germine ſuo coronat. Flet autem & lamentatur arbor, ubi Boream adſtantem percipit.

Pinus magnae matri ſacra. Hermeſianax elegorum ſcriptor Atten Calai Phrygis filium ad ſuſcipiendam ſobolem inutilem factum ab ipſa Dea ſcripſit: qui quum adoleviſſet, magnae matris ceremonias in Lydia monſtravit. Quare tanto in honore fuiſſe apud Deam dicitur, ut, Iupiter illud graviter ferens, immanem aprum in ſegetes Lydorum immiſerit, a quo & alii Lydorum complures, & ipſe Attes fuerit interemtus. Fama eſt praeterea Atten in arborem Pinum ab ipſa Dea converſum fuiſſe, quare pinus matri Deum fuit conſecrata.

Pinus matri Deum. *Pinea ſilva mihi multos dilecta per annos.* Apud Maronem Lib. IX. dicit mater Deum. In Ida autem monte, ubi ſanctiſſime colebatur, pinus abundabat, & ei pineus lucus ſacer erat: Claudianus lib. I. de raptu Proſerp.

— *Denſis quam pinus obumbrat*
Frondibus, & nulla lucos agitante procella.

Ac pinus arbor erat Deum matri dicata, ut Ovidius ait, lib. X. Metamorph.

— *Cybeleius Attis*
Exſuit hac hominem, truncoque induruit illo.

Pinus in agro Mileſio. Pinea nux apud Martialem: *Poma ſumus Cybeles*; ea primum in agro Mileſio Cariae viſa eſt; & inde Pityuſſae nomen Mileto datum. Nam pitys Graece pinus adpellatur: e cuius ramis in pervigilio Cereris lectiſternia Mileſii conſtituerunt; inque omnibus Deae ſacris apud eos verbenarum uſum pinus exhibebat ad oſtentandam generis Vetuſtatem. Quod in ſympoſiaco ſcribit Didymus. Alii noctibus initiorum coniza ſolum ſternebant: quod eius herbae vis eſt, ut venerem comprimat; ut Nicandri ſcripſit interpres. Apollodorus lib. III. de Diis ait. *Ideae matri quercum dicatam, quae prima tectum mortalibus & victum ſubpeditarit.* Idam Pinetis confertam Virgilius indicat, qui multo carmine celebrat Aeneae naves ex Idaea pinu conſtructas; in gratiam Cybeles ab incendio ſervatas Nereidibus acceſſiſſe. Statius,

Pergama pinifera multum felicior Ida.

CAP. XVI. *De Platano.*

Conſecratio. PLatanus a latitudine foliorum dicta, vel quod ipſa arbor patula ſit & ampla. Nam πλατὺς Graeci latum vocant. Sed quod ad conſecrationem adtinet, platanus fuit Genio dicata. Et porro eius uſum Martialis indicat Epigramm. lib. III. aiens de villa Fauſtini, ad Baſſam.

Baiana noſtri villa, Baſſa, Fauſtini
Non otioſis ordinata myrtetis,
Viduataque platano &c. id eſt, ſterili ſine fructu.

Vſus in hortis. Platani erant in uſu apud Romanos, vel in villa, vel in hortis urbanis, ad umbras in ambulationum, quem uſum docuerunt Athenae. Illic enim primum viſae ſunt platani, XXXVII. cubitorum umbris luxuriantes in philoſophorum otio. Propterea Iuvenalis quum de recitatione poëmatum loqueretur ait;

Platani primum viſae ſunt Athenis.

Frontonis platani, convulſaque marmora clamant;

Quoniam, ut ſupra dictum eſt, earum arborum umbrae ad otium literarum primum ſunt inventae. Hinc Propertius lib. II. in eundem modum:

Porticus aulaeis nobilis Attalicis,
Et creber pariter platanis ſurgentibus ordo.

Platanus arbor eſt peregrina, umbrae tantum gratia expetita: quae arbores in tantum venerant honorem, & in tantis fuere delitiis, ut mero nutrirentur; auctor Plinius lib. XII. cap. I. Scripſit Macrobius Saturnali. lib. 2. cap. X. *Hortenſium platanos ſuas vino irrigare conſueviſſe.* Eiuſque ſublata umbra multoties menſas adpararent. Hinc Virg. lib. IV. Georgic.

Atque miniſtrantem Platanum potantibus umbram.

Munimentum ab inſidiis atque veneficiis.

Ciconia geſtans folium platani. MVnimentum ab inſidiis atque veneficiis, per Ciconiam platani folium geſtantem ſignificari: ea ſiquidem huiuſmodi folio nidis impoſito, editis ovis, ea ab iniuria Noctuarum defendit. Compertum enim eſt, ſi Noctua ea contigerit, faſcinari: incubationem quippe omnem, ac ſi ova eſſent ſubventanea, irrita fieri, quod obſervavit Aelianus. Novit vero Ciconia amuletum id, ut eo non accedat Noctua, ubi platani folium fuerit.

CAP. XVII. *De Smilace.*

Proſerpina Cereris filia. VTebantur in Sicilia in ſacrificiis Cereris non floreis quidem coronis, neque in aliis eius ſacrificiis, quia ob memoriam raptae filiae colligentis flores, illi fuerunt vetiti. At myrteis coronis, & e Smilace utebantur, ut ait enarrator Sophoclis. Et Smilax Baccho quoque ſacra eſt.

CAP. XVIII. *De Tilia.*

In Scythia apes. PLinius duo genera tiliae comprobat; *In tilia, inquit, mas, & femina differunt omni modo. Namque & materies maris dura, ruſiorque ac nodoſa, & odoratior. Cortex quoque craſſior, ac detractus inflexibilis. Nec ſemen fert aut florem, ut femina, quae craſſior arbore, materie candida, praecellenſque eſt. Mirum in hac arbore, fructum a nullo animalium attingi: foliorum corticiſque ſuccum eſſe dulcem.* Sed tilia tamen in tota Scythia alimentum Apibus praebet.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIX. *De Loto*.

Lybia.

LOtus arbor praecipua Libyae, cuius floris ſuavitate homines rerum omnium obliviſci dicuntur: unde Lotophagi populi, qui ea praeſertim abundant, ut Homerus, Plinius, & Strabo, cuius verba iam ſequuntur, ſcribunt. *Meninx inſula Lotophagorum terra putatur, & ibi ſigna quaedam extant, ut Vlyſſis ara, & fructus ipſe. Nam lotos arbor crebra in ea eſt fructu ſuaviſſimo, plura etiam in ea oppida ſunt, ſed unum eodem nomine quo inſula.* Herodotus in Melpomene: *Lotophagi e ſolo loti fructu victitant: qui fructus eſt inſtar fructus lentiſci, ſuavitate aſſimilis fructui palmarum. Ex hoc fructu lotophagi vinum conficiunt.* Propter autem floris huius arboris ſuavitatem, homines reddi-

Inſula Meninx.

Lib. IV.

Peregrinae regiones.

Vlyſſis ſocii.

tur immemores omnium rerum. Hinc etiam proverbium ortum, Λωτοῦ ἔφαγες, id eſt, lotum guſtaſti. De iis dicitur, qui diutius in peregrinis regionibus haererent, veluti obliti reditus. Neque inconcinne dixeris in eos, qui ſimulatque ſemel voluptatem inhoneſtam guſtarint, ad priſtina ſtudia revocari non queunt. Sumtum a fabula Lotophagorum; de quibus meminit Homerus Odiſſ. lib. IX. narrans quemadmodum Vlyſſis ſocii, guſtata apud Lotophagos populos herba loto, redire ad navem noluerint, niſi verberibus adacti:

— Ἀλλὰ σφιδόσαν Λωτοῖο πάσασθαι.
Τῶν δ' ὅσις Λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν,
Οὐκ ἔτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι.
Ἀλλ' αὐτοῦ βούλοντο μετ' ἀνδράσι λωτοφάγοισι
Λωτὸν ἐρεπτόμενοι, μενέμεν, νόσου τε λαθέσθαι.

id eſt,

Verum illis lotum deguſtandum exhibuere.
Aſt horum quiſquis loti guſtarat amicum
Et ſuavem fructum, neque nuncia protinus illi
Vlla remittere cura, nec ipſe redire ſtudebat,
Verum inibi cum Lothophagis remanere volebant
Obliti reditus, capturi germina loti.

Eſt autem lotus (quam eandem celtim dici docet Dioſcorides lib. I.) arbor, de qua

Cap. 17.

Plinius lib. 13. *Tam dulcis ibi cibus, ut nomen etiam genti, terraeque dederit; nimis hoſpitali, advenarum oblivione patriae.* Eſt & herba eiuſdem nominis gratiſſima & ipſa palato, de qua permulta Theophraſtus lib. De plantis IV. cap. IX.

Antinoi meminit Callixenus Rhodius natione, in ſuis libris de Alexandria, his verbis: Quandoquidem eſt iniecta de Alexandria mentio, ſcio in ea pulcra civitate coronam quandam textam e loto ibi naſcente, vocari Antinoiam. In paludibus lotus gignitur aeſtatis tempore: floris duplex color: alter ſimilis roſae maſculinae. Ex hoc nectuntur coronae, quas proprie vocant Antinoias: alterius cyaneus color eſt, e quo lotina fit corona. Pancrates quiſpiam indigena poëta Hadriano Imperatori quum eſſet Alexandriae, velut oſtentum ingens, ac miraculum, ſpectandum praebuit lotum roſeum, & Antinoium vocandum eſſe dixit, illumque terra procreatum, perfuſa cruore Mauri leonis, quem in Libya Alexandriae finitima, dum venaretur, Hadrianus proſtraverat belluam ingentem, quae diu Libyam ita vaſtaverat, ut eius magna pars eſſet deſerta. Delectatus Imperator hominis inventione, quam novam excogitarat, annonam ex reditibus ei largitus eſt. Cratinus comicus in Vlyſſibus, lotum στεφανώματα, vocant Athenienſes. Pancrates in poëmate non invenuſte ſcripſit:

Antinoiae coronae.

Inventio Imperatori placet.

Serpyllum criſpum, album lilium, atque hyacinthum
Purpureum, flavi chelidonii folia:
Et roſam, vernis Zephyris hiſcentem:
Nondum florem Antinoi cognominem tellus ediderat,

CAP. XX. *De Moro*.

QVid de moro arbore ſcribant veteres medici non dicam, ſed tantummodo hiſtoriam, ſive Poëticam fabulam, quam Ovidius deſcribit, narrans quae ſub ea arbore Thisbi contigerunt, memoraturus ſum. Pyramus, & Thisbe tam forma, quam aetate pares, quum Babyloniae, quam Semiramis Regina muro cinxerat, contiguis habitarent aedibus, per rimam parietis ſaepe colloquentes, amoris fundamenta iecerunt. Tandem etiam inter ſe pacti ſunt, ut matutino tempore ad monumentum Nini regis ſub arbore moro convenirent. Quum autem ſub lucem celerius Thisbe ad conſtitutum ſe reciperet locum, conſpectu leaenae exterrita, abiecto amictu, in ſilvam refugit. At fera recenti praeda ad fontem vicinum decurrens, veſtem virginis relictam ore cruento laceravit. Poſt Thisbes abitum, Pyramus ad locum deſtinatum aliquanto ſerius quum veniſſet, amictum ſanguine conſperſum reperit. Exiſtimans igitur eam a fera devoratam, ſibimet ipſi ſuo gladio mortem conſciſcit. Deinde Thisbe, depoſito metu, ad eundem reverſa locum, quum videret ſe necis cauſam adoleſcenti praebuiſſe, ne diutius in moerore ſola exſiſteret, eodem ferro ſe transfixit: quorum cruore morus adſperſa albos ſuos fructus in ſanguineum convertit colorem.

Amoris fundamenta.

Thisbes abitus.

CAP. XXI. *De Lentiſco*.

HAec arbor perpetuo viret: terque in anno fructus profert, & triplici fructu tria arandi tempora demonſtrat. Quod Ciceronis ſententia, cuius verba ſubſignabo, teſtatur.

Arandi tempora.

Iam vero ſemper viridis, ſemperque gravata
Lentiſcus, triplici ſolita eſt grandeſcere foetu:
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

Lentiſcum mandere, Σχίνον διατρώγειν, Graeco proverbio dicuntur ii, qui nimio co-

Digitized by Google

comendi corporis ſtudio ſuperfluunt: nam ex lentiſco dentifricium fieri conſuevit. Is eſt pulviſculus quidam candidandis dentibus comparatus. Fiebant & dentiſcalpia ex lentiſco: hoc eſt, cuſpides quaedam purgandis dentibus accommodatae. Martialis in Apophoretis.

Vſus.

Lentiſcum melius, ſed ſi tibi frondea cuſpis
Defuerit, dentes penna levare poteſt.

Quin & Dioſcorides libro primo indicat, lentiſci ſuccum ex qua decoctae figere vacillantes dentes, ſi eo colluantur: tum & cuſpides hinc factas ſi affricentur, utiles eſſe dentibus abſtergendis. Huiuſmodi igitur quibus dentiſcalpium ſemper in ore eſt, lentiſcum arrodere dicuntur, & σχινοτρῶγες, id eſt, lentiſci arroſores adpellantur. Nam dentium cura olim ut delicatis probro dabatur: & Apuleio inter reliqua crimina obiectum eſt, quod dentifricium paraſſet.

Dentiſcalpium inſtrumentum erat, quo dentes ſcalpebantur.

Et id ex lentiſco fiebat frutice.

CAP. XXII. *De Cornu.*

COrnus arbor eſt habens ramos, duritie & rigiditate ſimiles; fructum circa ſolſtitia ferens, primo candidum, poſtea ſanguineum. Quod autem porro ad uſum eius pertinet, apta habita eſt in haſtis conficiendis. Virgilius Lib. 2. Georgicorum.

——— *& bona bello*
Cornus.

Idem auctor lib. IX. Aeneidos.

Coniecto ſternit iaculo, volat Itala cornus.

Id eſt, telum ex corno factum.

CAP. XXIII. *De Pyro.*

VRbana Pyrus arbor eſt Malo procerior: ramis non in latitudine effuſis; ſed altum petentibus: caudex ſubinde craſſus ligni materies admodum tractabilis, ad typos, ex ea ſculpendos valde accomoda. De Pyris τῶν ἀπίων, iam loquar quandoquidem ab illis Peloponneſum Apiam cognominarunt, quoniam, ut iſter in Argolicis, in ea regione frequentiſſima eſt illa planta.

Vſus.

Conviviis adponi ſolita pyra cum aqua, oſtendit ſic Alexis in Brutia:

A. *Vidiſtin' aliquando*
Eſurientibus pyra hominibus adpoſita
Cum aqua multa? B. *Saepe, hercule, quid ita?*
A. *Nonne ſemper quiſquis ſelegit, ac capit,*
Ex iis, quae adventant, quod maturum eſt maxime?
B. *Scilicet.*

Pyra quidem non ſunt Amamalides, ut quidam arbitrantur, ſed alterum genus fructus ſuavioris, abſque nucleo. Ariſtomenes in Baccho:

Amamalides

An neſcis, inquit, *in Chio generari Amamalidas?*

A pyris has diſcrepare, & ſuaviores eſſe, Aeſchylides libro Georgicorum monſtrat, quum de inſula Ceo loquitur, quam ait optima pyra educare, & quas in Ionia vocant Amamalidas, carentes nucleo, grati ſaporis, dulces. Aethius libro quinto. De limitibus Samiorum, ſi modo vere illius hoc eſt opus. Amomelidas ipſas nominat. Pamphilius libro de linguis, & nominibus. Epimelidas pyri genus eſſe tradit Antiphon in libris de Agricultura, Phocidas quoque inter pyrorum genera recenſet.

CAP. XXIV. *De Ceraſo.*

ARbor nota, a Ceraſunte Ponti civitate ſic dicta, quam quum Lucullus deleviſſet, inde illam Romam tranſtulit, & a civitate ceraſum adpellavit. Arbor ceraſus dicitur, fructus ceraſum.

CAP. XXV. *De Buxo.*

BVxus ex avulſionibus plantatur, & clavis, & ramis, depoſitis in plantario poſt Idus Novemb. Gaudet autem humidis locis ſemper viride exſiſtens. Ex Buxo etiam fiebant tibiae, ut ſcribit Virgilius lib. IX. Aeneid.

Buxus pro tibia phrygia.

Tympana vos, buxuſque vocat Berecynthia matris
Idaeae.

Non abs re, quum vellet ſignificare tibiam Phrygiam, buxum poſuit, ſed materiam tibiae Phrigiae propriam nominavit. Nam ut Aſrorum tibiae e loto erant; ſic Phrygum e Buxo. Pollux de tibiarum genere loquens, ἔλυμος, inquit, τὴν μὲν ὕλην πύξινος, τὸ δὲ εὕρημα Φρυγῶν.

CAP. XXVI. *De Olea.*

OLeam, & alias adhuc plures arbores ſemper virere pinguedo, & calor faciunt; teſte Plutar. Sympoſiacῶν l. 3. Iupiter coronabatur interdum quercu, aut olea. Vnde etiam factum, ut invicem inter ſe hae arbores inimicitias exercere dicantur. Phurnutus, oliva tantum Iovem coronari ait, quod ea ſit ſemper virens, id eſt, ἀειθαλής: & pinguis, & multae utilitatis, id eſt, πολίχρηστος, & glauci coloris, & coeleſtis ſimili-

Conſecratio.

tudinem habere videatur. Olea ſane etiam Minervae adtribuitur, propterea quod ſemper viret. Sunt etiam qui huic deae oleae ſertum adſignent, quod haec arbor pacis ſit ſymbolum. Nam & ideo arma inferri dicuntur, ut poſtea in pace vivatur ſcribit Plinius: Athenis quoque, inquit, olea durare traditur in certamine edito a Minerva, de quo ipſius, & Neptuni certamine non modo Muſae & Graecae, & Latinae, ſed & utraque hiſtoria plurima prodidere. Certe illud Pauſanias tradit, oleam arſiſſe, quum Medorum incendio urbs Athenarum conflagravit: & exuſtam, eodem die in duorum cubitorum proceritatem germinaſſe.

Olea ſacra Minervae.

Teſtatur Herodotus in Terpſichore, quibuſdam temporibus apud neminem, niſi apud Athenienſes oliva inveniebatur. Atque cum Epidaurii ex oraculo Apollinis Delphici ſtatuas erigere Damiae, & Auxiſiae iuberentur, percunctati ſunt, aereaſne, an lapideas erigerent. Quum reſpondiſſet Pythia, ex Oliva domeſtica, ad Athenienſes confuge-

Damia & Auxiſia.

Digitized by Google

gerunt. ἐδέοντο ὧν οἱ Ἐπιδαύριοι Ἀθηναίους ἐλαίην σφιδοῦναι ταμέεσθαι, ἱρωτάτας δὴ κείνας νομίζοντες εἶναι. λέγεται δὲ ὡς ἐλαῖαι ἔξαν ἄλλοθι γῆς οὐδαμοῦ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον, ἢ Ἀθήνῃσι. *Rogarunt igitur Athenienſes Epidaurii, ut ſibi olivam caedere permitterent, cum maxime ſacras illas arbitrarentur. Fertur enim quod per id tempus nullibi, niſi apud Athenienſes erant olivae.* Quare etiam annua ſacrificia mittere Athenas pro caeſis Olivis Epidaurii pepigerunt. Quum vero Olivae fructus ad omnes artes ſit accommodatus, B Oleum ſcilicet, omnes denique artes Minerva inveniſſe creditur. Oleam autem etiam magnae exiſtimationis apud ovantes fuiſſe, Plinius teſtis eſt lib. xv. Hiſtor. Nat. his ſequentibus verbis: *Oleae honorem Romana maieſtas magnum praebuit, turmas equitum Idibus Iuliis ex ea coronando: item minoribus triumphis ovantes.* Athenae quoque victores Olea coronant, Graeci vero Oleaſtro Olympiae. Tibullus lib. 2.

Maieſtas Romana.

Cernite, fulgentes ut eat ſacer agnus ad C
aras,
Vinctaque poſt Olea candida turba comas.

Hoc ſynecdochicῶs intelligendum: Olea eſt arbor Palladis, Pacem ſignificans; & illius imbecillitatem a quo praefertur. Graeci ἔλαιον dicunt & Oleum. ἔλεον enim eſt miſericordia, unde Olea.

Oliva Sterilis.

Iuſtitiae nomen.

OLivam ſterilem Phariſaeos, & Sadducaeos, ſi quis dicet, non errabit: qui iuſtitiae nomine ſeſe efferentes, ab huius fructibus erant inopes. Quod autem Oliva in ſimilitudinem iuſtorum adducatur, ipſe David teſtis eſt in Pſal. 51. *Ego autem ſicut Oliva fructifera in domo Dei, ſperavi in miſericordiam Dei in aeternum.*

Agricultura.

Oleae ramus Mercurio ſacer.

SUnt qui Oleae ramuſculum in Mercurii E manu propter Agriculturae ſtudium poni dicant, quum ipſe mitium & fructiferarum arborum ſoſpitator habeatur: eum honorem Olivae potius, quam alteri cuipiam arbori habitum, ut pro Agricolatione poneretur, quia longe plures utilitates ex Olea deſumuntur, quam ex quavis alia fructiferarum arborum. Neque tamen deſunt, qui rem ad pacis ſignificatum deferant; quod ille rerum internuncius pacem feratur conciliare. Operae pretium vero eſt videre monumenta, in quibus olea inſigne pacis ubique praetenditur. Nam in Hadriani numo quodam ſimulacrum habetur flexo genu, quod dexteram ipſi Hadriano ſtanti porrigit, laeva oleae ramum humero demiſſum tenet: inſcriptio, RESTITVTORI HISPANIAE. In alio Imperatoris eiuſdem provincia eadem humi ſedens laevo cubito lapidum tumulo innititur, dextera ramum oleae habet: inſcriptio, HISPANIA; quo ex argumento pacata quietaque provincia ſubintelligitur. In eiuſdem alio ſignum eſt cum olea in laeva, cum genio in dextera, quod forte refertur ad augurium ex Oliva, ſorte ſibi oblatum, unde adſpirare coepit ad imperium, ſortibus Virgilianis fretus, quum ei verſus illi obveniſſent:

Augurium ex oliva.

Quis procul ille autem ramis inſignis olivae
Sacra ferens? noſco crines, incanaque menta
Regis Romani, primus qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis, & paupere terra
Miſſus in imperium magnum.

Hadriani numus.

Quibus quidem ramis Olivae inſignem Maro fingit Numum ab Anchiſe praecognitum, cui ob iuſtitiam & integritatem nemo unquam bellum intulit, ipſe ultro pacem ſemper fovit. Quocirca Hadrianus imperio potitus aequae pacis ſtudioſus fuit: expeditiones enim ſub eo graves nullae fuerunt, bella etiam ſilentio pene tranſacta. In numo vero Severi Pii Aug. togatum eſt ſimulacrum cum oleae ramo, cuius inſcriptio, FVNDATORI PACIS. Eiſdem pene figuris in eiuſdem Severi Parth. maxim. numo inſcriptum eſt FVNDATOR PACIS. Quamvis vero vidiſſe iuvet, in Maximiani numo ſimulacrum quod oleam praetendit, cum inſcriptione, PAX AVGVSTI. illud tamen mihi magis adridet, quod in numiſmate Philippi patris ſigillum illud eſt olivae ramum tollens, cum inſcriptione, PAX AETERNA.

Supplicatio.

Manus ſupplicantium circumvoluta olea laurove.

IAm vero notum eſt illud, imbellem olivam a Valerio Flacco quinto Argonauticῶn adpellatum, de qua Statius non alia cauſa dixit, D

Ramumque precantis Olivae. Atque alibi.
Vittatae laurus & ſupplicis arbor olivae.

Ramus enim oleae laurive lana circumvolutus, manibus legatorum ſupplicantium geſtari ſolitus erat: quo de more Aemilius Probus in Pauſania. *Id poſtquam Lacedaemonii reſciverunt, legatos ad eos cum lana miſerunt.* Maro quoque morem hunc tangit:

Optime Graiugenum, cui me fortuna precari,
Et vitta comtos voluit praetendere ramos.

Quod quidem hieroglyphicum Servius ad imbecillitatem indicandam inſtitutum putat: nam qui precantur, & ſupplicant, ſuam arguunt imbecillitatem. Ex lana vero velamentum id accipi ſolitum, quod oves alieno ſemper auxilio egeant. Hinc ſacra illa ἱκετήρια, de quibus in Theſeo Plutarchus; nam Theſeus oleae ramum ſertis coronatum vovit Apollini, ſi Minotauro interfecto incolumis rediiſſet. Hinc ὀσχοφορία, τυχνεψία, χυανεψία. F

CAP. XXVII. *De Iunipero.*

MEmoriae proditum eſt a Muſeo lib. III. Iuniperum arborem Apollini conſecratam fuiſſe: & Iuniperus exiſtit virens, atque non eſt putreſcenti natura, coma redimitur aculeata. Vnde & topiario operi idonea eſt; materiamque habet cariei non obnoxiam. Vide Plin. lib. VIII. cap. XXV.

Vſus.

Digitized by Google

CAP. XXVIII. *De Taxo*.

ABieti, Piceae, similis est Taxus, sed minus virens, graciliſque & tristis, ac dira, nullo succo, ex omnibus sola baccifera. Mas noxio fructu. Letale quippe baccis, in Hispania praecipue, venenum est. Vasa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia facta, mortifera fuisse compertum est. Hanc Sestius smilacem a Graecis vocari dixit; & esse in Arcadia tam praesentis veneni, ut qui obdormiant sub ea, moriantur. Sunt qui & taxica hinc adpellata dicant venena, quae nunc toxica dicimus, quibus sagittae tinguntur. Repertum innoxiam fieri, si in ipsam arborem clavus aereus adigatur. Lucianus,

Est etiam magnis Heliconis montibus arbos,
Floris odore hominem tetro consueta necare.

Victorius cap. xxii. 18. de Plaut. in Merc.

Certum est, ibo ad medicum, atque me ibi
toxico morti dabo:
Quando mihi adimitur, qua causa vitam
cupio vivere,

CAP. XXIX. *De Phello sive Subere*.

Fortuna Romana.

PHellus sive φελλὸς, idem est, cum eo, quod Latini vocant Suber. Vnde Plutarchus in lib. de Fortuna Romanorum, scripsit, *C. Pontium a Camillo missum in Capitolium a Gallis id temporis obsessum, quum Tibrim transmitteret*, φελλοῖς πλατεῖς ὑποστρώσασθαι, hoc est, phellos latos pectoris subiecisse. Graeci φελλὸν perpetuo epitheto vocant, ἀβάπτιστον, hoc est immersibilem, quod in aquis non ponderis vi submergatur.

Phellopedes homines.

Hinc a Luciano finguntur esse homines phellopedes, qui per mare currentes non mergebantur, quasi phellinos habentes pedes. Est etiam praeterea Suber ad multa utile. Vsus eius, inquit Plinius, ancoralibus maxime navium, piscantiumque tragulis, & cadorum obturamentis, praeterea in hiberno feminarum calceatu. Qui aetate adhuc

Vsus Phelli ligni apud Piscatores, & Sutores.

nostra usus perdurat; nam piscatores corticem hunc, reticulorum alis, ne sidant, adpendunt: & sutores soleas adversus frigora hoc muniunt.

CAP. XXX. *De Alno*.

ARbor est Alnus sub aquis diutissime perdurans: & ideo apud quosdam apta navigiis, commoda comparatio est: & est arbor, quae amat paludes. Hinc recte Virg.

Fluminibus salices, crassisque paludibus Alni.

Alnus etiam usurpatur proverbialiter; ut cum dicam, spectat ab Alno. Ἀπ' αἰγείρου θέα, id est, ab Alno spectaculum: dicitur de eo, qui quum non possit e propinquo spectare, extrema adiumenta quaerit. Erat Athenis extra theatrum in foro Alnus arbor, ita tamen ut inde in theatrum pateret prospectus eminus, quo fiebat ut cui in theatro concessus locus non erat, in alnum adscenderet. Vbi licebat. Quando innuere volumus, quempiam in peregrina arte, & a studiis suis aliena, eius artis mysteria procul & quasi per transennam inspicere; velut iureconsultus extra Medicae artis theatrum positus, velut ab Alno iuxta proverbium, artis secreta despectat,

Theatrum medicae artis.

CAP. XXXI. *De Malo*.

APollo Mali coronam, priusquam laurum *Malus Apollini sacra.*
seligeret, adamavit, eaque victores in certaminibus coronari voluit, ut in luculento Archiae tetrasticho legitur, τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες. quod apud Pausaniam legas statuam Apollini μηλάτῃ erectam; sive a Malo quo gauderet, sive ob pastoralem, quam per aliquot annos vitam egit. Nam μῆλα proprie πάντα τὰ τετράποδα. Vnde uniuscuiusque quadrupedis tergus melote dicitur, ut obiter Pauli locus animadvertebatur ex epistola ad Ebraeos capite xi. *Circumierunt in melotis*. Sed & μῆλον πᾶς καρπὸς, ut etiam apud nos, unumquemque denotat fructum. Ab ea vero aequivocatione factum ut Herculis sacro, aequipollere Malus pro Bove indicaretur; quum & maxime redargui posset, quin quadrupedes, & eodem nomine victima censerentur. Fructiferarum autem arborum plantatio hieroglyphice in Divinis Litteris accipitur pro disciplina Doctorum, ut sentit Hesychius. Hinc David; *In lege eius meditabitur die ac nocte, & erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*. Et, *Ego plantavi, Apollo rigavit*, ait ad Corinthios Paulus. Ad hoc pertinet quod de plantatis arboribus lex iubet primo, secundo, & tertio, anno decerpi nihil: quarto quae leguntur, offerri Deo: quinto etiam reliquis usus permittitur. Ex quo tempora quatuor significantur a tempore legis usque ad Davidem, a Davide usque ad transmigrationem Babylonis, a transmigratione usque ad adventum Christi, quibus annis fructus inutilis omnis fuit, sed spes tantum promissa bonae frugis. Christi autem tempus proventum Deo dicavit, annus sanctus adpellatus. Anno autem quinto facta omnibus copia, permissusque fructuum usus, tam Iudaeis, quam Gentilibus, Apostolis eos liberalissime effusissimeque distribuentibus. Sed quod ad *Pythia.*
Pythia spectat, quamvis victores lauro mox coronari coeperint, mala tamen ex Apollinis templo decerpta, ut Lucianus ait, coronis inferebantur. Hinc illud apud Apuleium de Paride: Tunc animo volenti Phrygius iuvenis malum, quod tenebat aureum *Paris.*
velut victoriae calculum, puellae tradidit.

Amor.

QVi amorum agmina pingere delectantur, lusitare eos malis, & inter arbores eiusmodi lascivire, poma decerpere, abrodere, iactareque, confingunt. Hinc apud Theocritum βοκαλιάσαις, βάλλοι τοι πολύφαμε τὸ πόμμιον ἀ γαλατεῖα μάλοισι. Et, *Malo me Galatea petit*, Damoetas ait apud Virg. *Mala Cydippen Acontius venatur*. Mala non temere Hippomanes Venus elargitur, quae

Malum amoris symbolum.

Eclog. 3.

usque

u que adeo grata fuerunt Atalantae, ut zonam abſtulerint diu ligatam, de quo Theocriti carmen non indiligenter animadvertendum:

Μᾶλα μὲν ἐν κόλποισι Διονύσοιο φυλάσσων.
Mala ſinu condens Bacchi de tempore ſumta.

Quod interpretes exponunt amabilia, amorem quippe facientia mala enim illa Philetas ait de coronatis temporibus decerpta: non enim quiſpiam in amorem ferretur, niſi prius laetitia titillatione concitaretur, laetitiae vero datorem Bacchum Poëtae celebrant.

Laetitiae dator Bacchus.

Amoris Progreſſus.

Amori dicata malus.

EA vero de cauſa malus potius, quam arbor alia, eſt amori dedicata, quod eius facies omnem rerum amatoriarum progreſſum oſtendere videatur: earum enim arborum trunci coërciti primum recti ſurgunt, a medio vero, ubi dilatari coeperint, in ſpatia diffunduntur: cuiuſmodi etiam in amatore ratio eſt, qui munus ſuum ſemper ab ingenuo pudore quodam cohibitus auſpicatur: inde ubi paululum proceſſerit, frontem perfricat, ac verecundiae compedibus expeditus, quaqua voluerit libere pervagatur. Fructus praeterea fert aureos, & rubicundos, palloris eadem & erubeſcentiae, ut ita dicam, ſigna. Nam apud Horatium: *tinctus viola pallor amantium:* & apud Catullum, *quidam inaurata eſt pallidior ſtatua.* Poma vero ita magis erubeſcunt, uti magis expoſita Soli ab eo continguntur, perinde ac amator eo magis erubeſcit, quo nequitia palam magis profertur, aut in aperto deprehenditur.

Ingenuus pudor.

Compedes verecundiae.

Amor erubeſcit.

CAP. XXXII. *De Arbuto.*

Memaecylus ſive Arbutus idem.

ASclepiadem ſcripſiſſe certum eſt de Memaecylo, id eſt, Arbuti fructu. Talem enim fructum arbor illa gignit, & qui plura ſeptem ex ea poma comederit, capitis dolore vexatur.

Ariſtoteles:

In montibus ſponte Memaecyla naſcuntur permulta.

Theopompus:

Myrti baccis veſcuntur, maturiſque Memaecylis.

Myrti baccae.

Crates.

Mammae formoſiſſimae.

Longe formoſiſſimae ſunt mammae, quale eſt malum, aut Memaecylum.

Quod vides morus mora fert, ilex acylos, arbutus Memaecyla.

Theophraſtus Hiſt. Plant. Lib. III. *Arbutus Memaecylon fructum, qui edendo eſt, generat.* Arbutus eſt arbor frondibus rara. Hinc Virg. Ecloga VII.

Et quae vos rara viridis tegit Arbutus umbra.

Ex arbuto uſus.

Ex arbuto etiam faciebant crates, ut, Arbuteae crates, & Arbuteae virgae. Virg. lib. I. Georg.

Arbuteae crates & myſtica vannus Iacchi.

Idem lib. I. Aeneid. *& molle Pheretrum arbuteis texunt virgis.*

CAP. XXXIII. *De Pruno.*

CLearchus Peripateticus ſcribit, Rhodiis & Siculis Pruna Damaſcena vocari Brabyla: ut apud Theocritum Syracuſium:

Ramos Brabylis graves & in terram curvos.

Et alibi.

Quanto malum Brabylo ſuavius.

Eſt autem Brabylon fructus pruno vulgari ambitu minor, eodem ſapore, ſed paullo acrius. Seleucus in linguis eadem eſſe ait madrya, brabyla pruna, & τὰ ἤλα. Dicta porro ſunt μάδρυα velut μαλόδρυα: Brabyla vero quia ducunt alvum, quaſi βορὰν βάλλοντα, id eſt cibos depellentia, & ἤλα quaſi μῆλα, id eſt, mala, ut Demetrius Ixion prodidit. Pruna Damaſcena quem uſum medicinalem habent etiam Martialis indicat. Libro XIII. Epigramm. XXIX.

Pruna peregrinae carie rugoſa ſenectae
Sume, ſolent duri ſolvere ventris onus.

Domitius.

Pruna) Damaſcena pruna erant peculiaria Syriae, quae vetuſtate fiunt rugoſa, citantque ventrem: mittebantur in Saturnalibus, ut indicat Papin. *Quae ramis pia germinat Damaſcos.* Damaſcena a Damaſco urbe, & monte, in quo naſcuntur. Supra etiam rugoſa dixit. *Carie*) vetuſtate. *Peregrinae ſenectae*) quia ex Syria mittuntur.

CAP. XXXIV. *De Betula.*

BEtula arbor eſt vulgaris, quam Romani ex Gallia in Italiam tranſtulerunt; & ex ea faſces conficiebant, qui magiſtratibus ſolebant praeferri.

CAP. XXXV. *De Liguſtro.*

DIcit Plinius Lib. XXIV. cap. X. *Liguſtrum eadem arbor eſt, quae in Oriente Cypros.* Statius, inquit, multo mihi fuit vel Amaryllin, vel Menalcam, amare: quamte, quamvis niger ſit; nec enim tantopere candidus color, quo tu inſoleſcis, expetendus eſt. *Liguſtra* enim candida negliguntur: Vaccinia nigra inficiendo colori purpureo expetuntur. *Liguſtrum* autem quum fruticis nomen ſit, hic fruticis florem, qui candidus eſt, ſignificat; de quo Ovidius Lib. XIII. Metamorph.

Candidior folio nivei Galatea liguſtri.

Virgilius Ecloga II.

Alba liguſtra cadunt; vaccinia nigra leguntur.

Et ruſtice, & amatorie, ex floribus facit comparationem. Liguſtrum autem, flos eſt candidiſſimus; ſed viliſſimus, vel liguſtra flores papaverum ſunt, vel arborum. Vaccinia vero, ſunt violae, quas purpurei coloris, eſſe manifeſtum eſt.

IOANNIS MEVRSII FIL.
ARBORETVM SACRVM
SIVE
DE CONSECRATIONE FRVTICVM
Earumque proprietate, usu, ac qualitate.
LIBER SECVNDVS
FRVTICES COMPLECTENS.

CAP. I. *De Myrto.*

Consecratio.  Eucadi Deae rosa, & myrtus frutex consecrata fuit, quoniam utraque planta eximiam praeseferet pulcritudinem: Rosa inter flores, myrtus inter frutices, ut Pausanias in posterioribus Eliacis ait, & Virg. Ecloga VII.

Populus Alcidae gratissima Vitis Iaccho,
Formosae Veneri Myrtus, sua Laurea Phoebo.

Non defuerunt tamen, qui myrtum sacratam esse Veneri putarunt, quod illa ornata Venus sit ad iudicium de forma cum deabus profecta, atque victoriam reportaverit: quod innuit Nicand. in Alexipharmacis in his:

Πρὸς δέ τι σοι Δίκτυννα θεὰς ἐχθήρατο κλῶνας
Ἥρης τ' ἰμβρασίης σέφος οὐχ ὑπέδεκτο,
Κάλλεϊ οὕνεκα Κύπριν εὖ εἰς ἔριν ἠρέθησαν
Ἀθάνατοι, κόσμηται ἐν Ἰδαίοισιν ὄρεσσι
Praeterea Dictynna tua est ex arbore ramos
Adspernata, tuam nec cepit luno coronam.
Quod Venus Idaeis est illa in montibus olim
Comta comas, ubi de forma contentio nata est.

Alii sacram etiam Veneri crediderunt, quia nascantur in littore maris, unde nata est Venus, secundum Poetarum sententiam: alii quia multis morbis mulierum conveniat. Non tamen soli Veneri sacra putabatur, sed etiam Dionyso, ut Aristophanes testatur in Ranis:

Ἴακχ' ὦ Ἴακχε,
Ἐλθὲ τὸν δ' ἀνὰ λειμῶνα χορεύσων
Ὁσίους ἐς θιασώτας,
Πολύκαρπον μὲν ἰνάσσων
Ἀμφὶ κρατὶ σῷ βρύοντα
Στέφανον μύρτων.
Iacche o Iacche,
Veni per hoc pratum tripudians.
Sacros ad initiantes
Fructiferam concutiens.
Circa caput tuum virentem
Coronam myrtorum.

Vsus in conviviis. Virgam illam myrteam, ad quam in conviviis canebant in Graecia, multi αἴσακον adpellant. Hesychius αἴσακον & lauream virgam dicit. αἴσακος, inquit, ὁ τῆς δάφνης κλάδος, οὗ κατέχοντες ὕμνουν τοὺς θεούς. Quod Latini solarium adpellant, locum scilicet apricum, soli expositum, αἴθουσαν veteres Graeci videntur adpellasse. Propterea qui olim in conviviis scolia carmina cantabant, myrtum, laurumque, manu tenebant; Laurum qui versus Homericos recitarent; Myrtum qui Aeschili, Simonidis, Stesichori. Apud Plutarchum DICAEARCHVS Lib. de certaminibus musicis. Quumque essent hilares, ut ait Horatius Lib. I, od. IV. ad P. Sextium, Myrto utebantur; ut in hoc versu:

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire Myrto,

Myrto propterea coronabantur antiqui in conviviis, quippe quae & flexilis, & Veneri consecrata. Quamobrem haec verba Horatius canit.

Dedecet Myrtus, neque me sub arcta
Vite bibentem.

Vsus erga mortuos. Ramulos Myrti Graecos consuevisse bustis imponere, quum quasi inferias facerent; atque ita solitos etiam mortuos decorare, indicio Euripidis intelligitur: Qui in Electra ita inducit virginem hanc ipsam de ea re querentem, quum acerbitatem inimicorum accusaret, qui ne mortuo quidem Agamemnoni paterentur debitos honores haberi; manesque eius, iustis ex more factis, placari. Ἀγαμέμνονος δὲ τύμβος ἢ τιμασμένος ἀ πώποτ' ἀ χοαὶς, ἀ δὲ κλῶνα μυρσίνης ἔλαβε, πυρὰ δὲ χέρσος; ἀγλαισμάτων. Sed etiam post in eadem fabula senex, qui aluerat Agamemnonem, in sermone Electrae ostendit se, quum vocatus ad eam accederet, aliquantum de via deflexisse: atque sepulcrum patris ipsius inveniisse; nactumque illic, quam optabat solitudinem, ei vinum libasse: sepulcrum eius, myrto imposita ornasse. *Verba tragici Poetae.* Ἦλθον γὰρ ἀυτοῦ πρὸς τάφον πάρεργ' ὁδῷ, καὶ προσπεσὼν ἔκλαυς, ἐρημίας τυχὼν. Σπονδάς τε, λύσας ἀσκὸν, ὃν φέρω ξένοις, Ἔσπεισα τύμβῳ δ' ἀμφέθηκα μυρσίνας. Etiam coronam myrteam tumulis profundi solere mos veterum fuit, quod & nunc aliqua veterum marmorea sepulcra ostentant. Obducebantur etiam Myrto postes apud antiquos in nuptiis, ut *Vsus in Nuptiis.* (exempli gratia) in Honorii, & Mariae, teste Claudiano:

Hi nostra nitidos postes obducere Myrto
Contendant.

Nam hoc fiebat scilicet, quia Myrtus Veneri sacra ut praedictus auctor in Epigr. Magnetis testatur. *Ducit*

Digitized by Google

Ducit flamma choros, festa frondentia Myrto
Limina cinguntur.

Vsus erga victores. Myrtea corona praemium data Victori in certamine Ioannis Argivae, Ἡραία: & in Herculis apud Thebanos: Ἰολάϊα ab illo gestabatur, qui in virorum de forma certamine apud Eleos victor arma, quae victoriae praemium accepisset, Minervae consecratum ibat, καλλιστεῖα. Myrtis etiam magistratus coronabatur secundum hoc proverbium, Μυρρίνων ἐπιθυμεῖς, hoc est, est tibi animus ad consulatum, vel tu desideras in consulem evadere. Teste Apost.

Myrto etiam coronabantur amatorii Poetae, uti de his videre est Tibullum.

Et gerat insigni Myrtea serta coma.
Sertaque odoratae Myrtea ferte comae.

Corona Myrti, vel Myrtea, cuiusmodi Megaris in Alcathoeis, quae erant Pythia in honorem Apollinis ad exemplum Delphicorum institutа, victori data fuit, ut ex hoc loco patet. Auctor eorum fuit, Alcathous, Pelopis filius, in memoriam Leonis Cithoeronii a se confecti, Pausan. in Atticis. Vide Nem. c. g. 7.

Cur certe Poetae fabulantur Veneri Myrtum sacratam esse me latet, deque illa causam facile non exponam, nisi quod eius oleum capillis utile: ut etiam ad comparandam pulcritudinem, sicut Pausanias ait, in Eliacis, Lib. u. Murtia autem Venus a Romanis colebatur, quae Myrtia prius dicta fuit, ut est apud Plinium, a Myrto scilicet Veneri dicata: idcirco & pro verbena in coniunctione Sabinorum, & Romanorum, electa fuit. Plinius inquit lib. xv. Hist. Nat. *Et ara vetus fuit Veneri Myrteae, quam nunc Murtiam vocant.* Idem tradit Plutarchus in causis Romanorum: Murtia vero Dea socordiae, Fuit alia Murtia, cuius in quarto de Civit. Dei D. August. meminit: Deam, inquit, Murceam, quae praeter modum non moveret, ac faceret (ut ait Pomponius) murcidum, id est nimis desidiosum, & inactuosum. Festus: *Murteae Deae sacellum erat sub monte Aventino, qui ante Murcus vocabatur.* Titus Livius lib. primo: Tum quoque multis millibus Latinorum in civitate acceptis, quibus ut iungerentur Palatio.

Vsus Triumphantium ex Plinio. Triumphans de Sabinis Postumius Tubertus in consulatu (qui primus omnium ovans ingressus urbem est, quoniam rem leviter sine cruore gesserat) Myrto Veneris victricis coronatus incessit, optabilemque arborem etiam hostibus fecit. Haec postea ovantium fuit corona, excepto Marco Crasso, qui de fugitivis, & Sparta, Laurea coronatus incessit, quia Myrteam adspernatus est. Mausarius auctor est, curru quoque triumphantes Myrtea corona usos. L. Piso tradit, Papyrium Massonem, qui primus in Monte Albano triumphavit de Corsis, Myrto coronatum ludos Circenses spectare solitum. Avus maternus Africani sequentis hic fuit. Marcus Valerius duabus coronis utebatur, Laurea & Myrtea.

Ἐνίσαμένων δὲ τῶν ἐχθρῶν τῷ Μαρκέλλῳ πρὸς τὸν θρίαμβον, ἐπεὶ καὶ πράξεις τινὲς ἀπολειπεῖς ἦσαν ἔτι περὶ Σικελίαν, καὶ φθόνον εἶχεν ὁ τρίτος θρίαμβος, συνεχώρησεν αὐτοῖς. τὸν μὲν ἐντελῆ καὶ μέγαν εἰς τὸ Ἄλβανὸν ὄρος ἐξελάσαι, τὸν δὲ ἐλάττην καταγαγεῖν εἰς τὴν πόλιν. ὃν εὐὰν Ἕλληνες, ὄβαν δὲ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. πέμπει δὲ αὐτὸν οὐκ ἐπὶ τῦ τεθρίππου βεβηκὼς οὐδὲ δάφνης ἔχων στέφανον, οὐδὲ περισαλπιζόμενος, ἀλλὰ πεζὸς ἐν βλαύταις, ὑπ' αὐλητῶν μάλα πολλῶν, καὶ ἡδὺς ὀφθῆναι, μαλλῶν ἢ καταπληκτικός. ὃ καὶ μέγιστον ἐμοὶ τεκμήριον ἐστὶ τοῦ τρόπῳ πράξεως, ἀλλὰ μὴ μεγέθει διορίσθαι τὸς θριάμβους τὸ παλαιόν. οἱ μὲν γὰρ μετὰ μάχης καὶ φόνυ τῶν πολεμίων ἐπικρατήσαντες τὸν Ἄρηϊον ἐκεῖνον ὡς ἔοικε καὶ φοβερὸν εἰσῆγον, ὥστερ ἐν τοῖς καθαρμοῖς τῶν στρατοπέδων εἰώθεσαν, δάφνῃ πολλῇ καταστέψαντες τὰ ὅπλα, καὶ τὸς ἄνδρας. τοῖς δὲ πολέμυ μὲν μὴ δεηθεῖσι στρατηγοῖς, ὁμιλίᾳ δὲ καὶ πειθοῦ καὶ διὰ λόγου πάντα θεμένοις καλῶς οἱ ἐπιπαιανίσαι τὸν ἀπόλεμον ταύτην καὶ πανηγυρικὴν ἀπεδίδυ πομπὴν ὁ νόμος. καὶ γὰρ ὁ αὐλὸς εἰρήνης μέρος. καὶ τὸ μύρτον, Ἀφροδίτης φυτὸν, ἡ μάλισα θεῶν ἀπέχεσθαι βίᾳ πολέμοις. Quum vero impedirent *Vsus Ovantium.* invidi ne triumphans in urbem inveheretur Marcellus, quod reliquiae belli in Sicilia quaedam essent, & in oculos hominum incurreret tertius triumphans, cessit ipse. Triumphavit in monte Albano, inde ovans urbem iniit. Ovans autem non invehitur curru, neque laureatus, neque concinitur tubis, sed pedibus ingreditur calciatus, modulantibus multis tibiis, coronam gestat Myrteam, sicut pacatus, gratus adspectu magis quam metuendus: unde coniectura ducor, inter ovationem, & triumphum non ex magnitudine rerum gestarum, sed ex modo fuisse discrimen. Qui enim signis collatis, & caesis hostibus victores reddidissent, Martialem illum, & trucem, meo iudicio, ducebant triumphum, & ut moris erat in lustrando exercitu, multa arma lauro militesque excolebant: at qui citra vim benevolentia, gratia, & verbis confeciſſent rem, iis ducibus pacati huius & plausibilis celebritatem dabat mos. Nam pacis insigne tibia est, & myrtus Veneris planta, quae a vi & bello praeter ceteros deos, dealque abhorret.

Sed cur Myrtus non inferretur in aedem Bonae Deae Plutarchum vide in quaestionibus Roman. & Gyraldum in Hist. Deorum Syntag. xvii. *Quid est, inquit, quod Deae Gyneceae, quam bonam Deam nominant, omni florum genere sacrum exornantes mulieres, in domum Myrtos non important, praesertim cum ambitiosius cunctis germinum ac florum varietatibus uti soleant? An illud est, quod a fabulatoribus dicitur, Flavii divinatoris uxorem fuisse, quae cum vino clam uteretur, deprehensa myrteis virgis, ac flagris a vino caesa fuisse dicitur: inde factum est, ut Myrtus in eius aedem non inferatur: vinum tantum, cum mulieres eum libant lac adpellant. An, vero, quod cum a multis aliis, tum vero rebus, venereis castae ac purae sacrum obeunt. Non solum enim viros excludunt, sed cum solenne sacrum faciunt, quicquid est masculum domo exigunt. Myrtum igitur quasi Veneri*

Digitized by Google

neri dicatam, religiosam habent. Nam quam nunc Murtiam Venerem vocant, antiquitus (ut videtur) Myrtiam adpellare consueverant.

CAP. II. *De Rosa.*

ROsam, quae praeterierit, ne quaeras iterum.

Ρόδον παρελθὼν μηκέτι ζήτει πάλιν,

id est:

Ne quaere rursum praeteritam semel rosam.

Rosa praeterita. Ne te maceres desiderio rerum, quae revocari restituique non queunt: velut exactae iuventae formae, virium, fortunae. Nam ut nihil est rosa gratius, ita nihil minus diuturnum. In eundem sensum dixit in Odis Horatius.

Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.

Rosa perbreve tempus est. Habent enim rosae suum tempus, sed perbreve. At exquisitius etiam alieno tempore rosam quaerunt. Vnde quadrabit in eos, qui iam ἔξωροι voluptates sectantur. Velut si nucibus ludat vir, aut amet, potitetque senex.

Historia de Rosa.

QVi rosae pulcritudinem miratur, ei Veneris plagam considerandam esse aiunt. Amabat enim Adonidem dea: amabat autem & Venerem ipsam Mars. Aemulatione igitur accensus Mars, Adonidem sustulit solutionem amoris mortem Adonidis fore arbitratus. Quum autem factum cognovisset dea, se de Marte ulciscí statuit, & de industria in rosas irruens discalceata, ad ipsius rosae spinas plantam pedis impegit, & quum alba prius esset rosa, ex cruore quia saucia Venere destillavit, in eum, qui nunc in ipsa cernitur colorem transiit, exeoque tempore amplius, & gratia & odoris iucunditas ei accessit. Alii aiunt, quum in Coelo Dii convivarentur, & nectar multum adstaret, Amorem choream duxisse ac tripudiasse, & cum ala crateris fulcrum concussisse, eumque evertisse. Atque sic Nectar in terram effusum rosae florem rubicundum reddidisse. Athenis fructus omnes perpetuo fuisse, planum est ex Aristophane in Tempestatibus. Non ergo videtur incredibile, aut mendacio confictum, quod Aëthilius Samius narrat libro de iis, quae Sami pulchra & rara sunt, in ea insula bis anno ficos, uvas omomelidas, mala, rosas, nasci. Rosarum stirps tametsi fruticosa sit, consentaneum tamen, & decens magis est, eam floribus iungere, quam spinosis fruticibus sociare. Principatum siquidem inter flores omnes Rosa facile obtinet, eiusque in Coronis omnibus usus prope nimius est; & ut ex Anacreonte Teio, Poëta Graeco vetustissimo, Henricus Stephanus perquam eleganti carmine Latino reddidit:

Rosa, honor, decusque florum:
Rosa, cura, amorque veris.
Rosa, Coelitum est voluptas.
Roseis puer Cytheres
Caput implicat coronis,
Charitum Choros frequentans.

Gratia.

ROsa autem sine spinis considerata, tum venustatis, tum amoris, in primis autem gratiae eius signum est, qua quis praeditus omnium in se amatorem contrahat, omnium sibi animos conciliet. Inde factum est: ut purpureum rosae colorem Veneris sanguinem esse Poëtae dixerint, qui quidem ex icto eius pede defluxerit, & rosam, quae prius ubique alba erat, adspergine sua continxerit:

Illa quidem studiosa suum defendere Adonin,
Gradivus stricto quem petit ense ferox,
Adflixit duris vestigia caeca rosetis,
Albaque divino picta cruore rosa est.

Et Europa, Theocritus: *Dum regiae puellae alios aliae flores legunt, ipsa regis filia purpuream manu rosam legerat, qualis Venus inter Gratias excellens.* Inde rosas loqui, proverbium, de re gratissima iucundissimaque. Et Persianum illud, dum nutricula gratiam omnium alumnulo comprecatur, Deos votis onerando ait: *Quicquid calcaverit hic rosa fiat.* Sed quod alii fabulose dicunt, Philosophi illi veteres, qui rerum omnium originem altius perscrutati sunt, odorem caloremque illum a Veneris ipsius stella proficiscí autumant. Hinc Maro Venerem roseo semper ore loqui dicit. Quod denique ad adflatum pertinet, nemo luculentius expressit, quam idem explicuerit: eius enim id de Rosa opusculum, de cuius auctore dubium, Charisius adgnoscit. Ait vero Poëta: *Aeneid. lib. 4.*

Vidi Paestano gaudere rosaria cultu,
Exoriente novo roscida Lucifero.
Rara pruinosis canebat gemma frutetis
Ad primos radios interitura die.
Ambigeres, raperetne rosis tunc aura ruborem,
An daret, & flores tingueret orta dies,
Ros unus, color unus, & unum mane, deorum
Sideris & floris est domina una Venus.
Forsan & unus odor: sed crassior ille per auras
Difflatur, spirat proximus iste magis.
Communis Paphiae Dea sideris & Dea floris,
Praecipit unius muricis esse habitum.

Quo vero Gratiae significatum ineſſe rosis apertius intelligamus, Indorum etiam monumenta conquiremus: siquidem eorum Magi rosam tanti fecerunt, ut ad conciliandos magnorum principum animos, non alia re quapiam libentius, quam rosis uterentur. Libet vero ex eorum dictatis unum hoc, quod ad argumentum facit, recitare. Aiunt illi, si Princeps quispiam sacer profanusve sit adeundus, quem tibi conciliatum velis, ut & te amet, & votis tuis faveat, atque benigne respondeat, observandum esse coeli situm, quum Sol vel in Ariete, vel in Leone gradu eo adscendente fertur, quem Luna laeto

Magis Indicis Rosa in quanto pretio fuerit.

to, felicíque aliquo adſpectu intueatur. Hic tu phialam roſaceo nitidiſſimo plenam in manu dexteram ſumens, facie adverſus Solem converſa, ſummis pedibus inſiſtens, & phialam praetendens, in haec verba duodecies repetitione facta, voce clara orationem habeas. Salvere te iubet Deus, o Planeta tuo potens lumine, ac omnigenae felicitatis fecundiſſimae, qui tam formoſus, tamque omnibus exoptatus, tam beneficus, oriris radiorum diffiatione micantiſſimus. Tu Sol ille es, qui luce, ſpiritu, & vigore, tuo mundum univerſum regis; tu coeli lampas, tu rerum omnium lumen, tu eorum quae ubique gignuntur auctor: tu per vim, quam tibi Deus Opt. Max. infundit, tibi omnia devincis; tu quatuor mundi cardines continuo, infatigabilique, curſu perveſtigas: tu lumen, & pulcritudinem, ex ipſa divinitatis facie mutuaris; tu viam luminoſam, & perpetuae uſum lucis, nullo interpoſito velamento, Lunae liberaliter elargiris; tu reliquos ſtellarum globos luminis tui lampadibus accendis, Quae ſi ita habent, exoratum te velim, ut amicitiam, benevolentiam, amplexum, & adfectum, erga me omnium benevolentiae in hoc oleo mihi concedas, ita ut me omnes adpetant, & amicitiam meam ultro concupiſcant, ac perinde maximos minoreſque Pontifices, Reges, Principes, reliquoſque potentiores, Senatum, populum, infimumque gregem, mihi amore atque caritate conciliem. Hic quo illi adpellarentur nomine profitebantur, rogabantque inſuper & adiurabant, obſecrationibus adigebant per eius poteſtatem, ut amicitia haec & amor & pietas, ita in horum cordibus & linguis & operibus inſideret, ut magno ſe adfici gaudio experirentur, quotieſcumque hominem eiuſmodi intueri, atque adloqui facultas eſſet. Proinde Sol virtute & poteſtate ſua, ut mores etiam congruerent, hominiſque praeſentiam illi omnes admirarentur, honorarent, & eſſe quantivis pretii exiſtimarent, efficeret. Ad haec quaedam geniorum nomina intermiſcebant, quorum interventu eadem fieri ſubplicabant, praecipueque nomen illud, quod amores & amicitias vivificat, & amantium corda in unum conflat, inſolubilique copula coniungit. Ea vero tum quia videbantur abſurda (ſunt enim, ut Lucianus ait, βαρβαρικά τινα καὶ ἄσημα ὀνόματα καὶ πολυσύλλαβα) tum quia ex Chriſtianae pietatis inſtituto profana iam habentur, de induſtria praetermiſi. Id rite quum egiſſent, oleum ſumma veneratione ſubſceptum obſervabant, quo faciem obungerent, quotieſcumque Principem aliquem adituri eſſent. Quo minime ridiculum videatur, Vlyſſi in Pheniciam adpulſo, fracta quippe navi, mari ejecto, & omnium egeno Deam Pallada oleum adtuliſſe, quo ille perunctus, omni abiecto ſqualore, quem ex mari ſalſugine, inediaque per quadriduum tolerata, contraxerat, κάλλει καὶ χάρεσι εἴλβων, dignior & venerabilior adfectus eſt. Roſaceum vero Homero fuiſſe cognitum ex eo coniicimus argumento, quod ῥοδινῷ ἐλαίῳ Venus Hectoris cadaver obunxerat, quod a canum iniuria, quibus id Achilles obiecerat, inoffenſum praeſtitit. Tantam ineſſe Roſae vim Homerus perſuaſum habuit. An nos oleum aliud a Venere, quam ex roſa ſua, comparatum exiſtimemus? aut alia quapiam ope uſam crediderimus, quam ea ipſa vi, quam roſis ipſa infundit, cum in Carthaginis templo;

Oratio Magorum ad Solem.

Reſtitit Aeneas, claraque in luce refulſit, *Aeneid. lib. 1.*
Os humeroſque Deo ſimilis: namque ipſa decoram
Caeſariem nato genitrix, lumenque iuventae
Purpureum, & laetos oculis adflarat honores:

Sed quoniam roſa ſuper ſatis ſuperque iam provecti ſumus, praeteribo Aelii Veri Imperatoris lectulum, minutulumque reticulum foliis roſae repletum, quem ſibi ſubſterni iubebat, in quo Perſicis odoribus perunctus recubare conſueverat, maiorem inde ſibi gratiam adepturus. Diſſimulaboque fabulas Apuleianas, in quibus Lucius ipſe prius in Aſinum ex homine converſus, roſis toto terrarum orbe perquiſitis, tam multa pertulit incommoda, donec demum oblata earum copia, quas decerperet humanae formae reſtitutus, priſtino decori, & venuſtati, eſt redditus. Quod autem pertinet ad odorem, *Roſae odor.* roſa ſordidiſſimum animal Scarabeum, cui res plurimum eſt cum ſtercore, ut aiunt, odore enecat ſuo. Ῥόδον autem eam idcirco adpellatam Plutarchus ait, ὅτι ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφίησι, quod ingenti odoris redundantia diffluat. Divinae literae, ut Cyprianus ait, glorioſam famam adpellare ſolent odoramenta. Vnde Paullus, Chriſti bonus odor ſumus. Et quod unguentum in Aronis Pontificis barbam diffluebat, bonae index eſt famae, quam ſibi ſacerdos quilibet comparare debet. Et pro Martyribus hieroglyphice poni roſas, a rubore ſanguinis, ait Eucherius.

CAP. III. *De Vite.*

QVum vinum inventum mortalibus Dionyſus excogitaſſet, mos fuit apud antiquos ut Bacchi datoris laetitiae, quem Bonum Daemonem adpellabant, poculum extremum poſt coenam remotis menſis circumferretur: quod Boni Daemonis dicebant, quia bonus Deus Dionyſus illud inveniſſet, vel quia cum moderatione ſumtus utilis ſit bonus potus, de quo ita meminit Ariſtophanes in Equitibus: *Bacchus laetitiae dator.*

Μὰ Δί' ἄκρατον οἶνον ἀγαθοῦ δαίμονος.
Non per Iovem potum boni, ſed daemonis. (a)

Draco fuit huic Deo propter perſpicacitatem inter reptilia dicatus, ut ait Plutarchus in Problematis Sympoſiacis. Memoriae prodidit Lucianus in Dialogo Iunonis, & Iovis Icarium caeſum fuiſſe apud Indos, quia quum palmitem & vini faciendi rationem a Baccho didiciſſet, creditus eſt primum ab Indis venenum in convivio exhibuiſſe: nam Indi vino primum guſtato in inſaniam ſunt converſi, ut ait idem in Nigrino. Atque Plutarchus etiam in eo Dialogo, in quo diſqui-

(a) Mihi vertendum videtur: *Per Iovem, merum vinum boni daemonis.*

ſquiritur igniſne an aqua ſit utilior, Vitem ex India in Graeciam primum portatam fuiſſe teſtatur, quum tamen apud Thebanos primum Vitis nata eſſe traditur, ut adſerit Pauſanias in Boeoticis, & inde ad Indos deportata. Neque mirum eſt ſane caeſum fuiſſe Icarium propter vinum, quum immoderatus illius uſus non parum obſit mortalibus, ſecretaque animi aperiat, & in inſaniam prope impellat, ut ait Homerus Libro 2. Odyſſeae in his verſibus.

Οἶνος γὰρ ἀνώγει
Ἠ'λεὸς, ὃς' ἐφέηκε πολύφρονά περ, μάλ' ἀέσαι,
Καίθ' ἁπαλὸν γελάσαι, καὶ τ' ὀρχήσασθαι ἀνῆκεν,
Καί τι ἔπος προέηκε, ὅπερ τ' ἄρρητον ἄμεινον.

Pocula prudentes etiam fecunda choreis
Indulgere iubent, cantareque voce ſonora
Pocula, quae utiliter tacerentur, multa profari.

Nam ubi vires corporis, mentemque vini imperium ſubegerit, multa effutire coguntur homines, ut ſcripſit in his etiam Theognis:

Ἄ"φρονος ἀνδρὸς ἀμῶς καὶ σώφρονος οἶνος, ὅταν δὴ
Πίνεθ' ὑπὲρ τὸ μέτρον, κῦφον ἔθηκε νόον.

Prudentis ſtultique viri immoderatius hauſta
Vina levem mentem reddere ſaepe ſolent.

Lycurgus, ut fabulae ferunt, contemtor Bacchi vites amputabat, & inter amputandum ſibi crus bipenne condidiſſe fertur: quod ideo fictum eſſe exiſtimat Servius, quia fuit abſtemius: Abſtemios autem vocamus, qui temetum, hoc eſt, vinum non bibunt; hunc una cum Pentheo mactatum fuiſſe a Baccho cecinit Ovidius:

Penthea tu, venerande, bipenniferumque Lycurgum,
Sacrilegos mactas.

Fabula Penthei notiſſima eſt. Lege Ovidium in tertio Metamorphoſeos. Pentheus, Echionis, & Agaves filius, Tireſiae vaticinium adſpernatus, quum in adventu Liberi patris, Thebani hedera redimiti obviam ei procederent, ac ſacra ſuſciperent, ſuos idem facere prohibet, & illud ſpectaculum omnino pro nihilo ducit, negans ex Semele Bacchum Deum procreatum. Illico etiam famulis ſuis imperat, ut Liberum ad ſe vinctum adtrahant. At illa, ut veſanientem eluderet, verſus in Acaetem, ducitur vinctus, & cuſtodia clauditur. Quod vero ad Aegyptios adtinet, ſcitu dignum illud quoque eos a Dione φιλοίνους nuncupari, id eſt in vinum proclives, ac philopotas: quoniam apud eos comperta primum tradatur Vitis, in Plinthine civitate, quod Hellanicus ſcribit, ac inde factos vinolentos. Sunt qui ſcribunt, excogitatam ab eiſdem ex hordeo potionem, ut vini inopes inde ſibi voluptatem conquirerent, quando & hac oblectantur ita, ut canant etiamnum, ſaltentque, obeantque omnia ebriis conſueta, eo tamen interſtitio, quod qui vino externantur, in faciem (inquit Ariſtoteles) feruntur: qui vero crithinum hauſerint, caput reſupinant. Vinum quippe καραβάρικον eſt, aggravatque caput. Crithina potio carotica cenſetur; vinolentiae Aegyptiorum argumentum evidens: braſicae, velut ex lege, praeguſtatio in coena: quoniam amethyſtum ſit remedium id, hoc eſt, ebrietatem reprimat. Quod efficere creditur eiuſdem quoque ſemen. Illud addo: Hecataeum ſcribere, in Aetolia inventam primo Vitem, quam quia ὄναν dicerent veteres, inde nuncupari οἶνον, etiamſi ab Oeneo putant alii, in Cratylo item aliud Platone ſtatuente.

Erat & Vitis geſtamen Centurionis, quo ille milites ob leviora delicta verberabat. Minus enim ignominioſa poena erat, quae a centurione, quam quae a lictore eſſet illata. Vnde Iuvenalis Satyra octava:

Macrobius Vitem adpellat centurialem.

Nodoſam poſt haec frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret caſtra dolabra.

Martianus ad lib. 13. §. Irreverens 4. ff. de re militari. *Si miles vitem tenuit, militiam mutat: ſi ex induſtria fregit, vel manum Centurioni intulit, capite punitur.* Poenae graviores, quibus milites in Romana militia afficiebantur, erant, Virgis cedi, fuſtibus ſubiici (ξυλοκοπεῖσθαι non abſimile hodiernis moribus *Durch die Spieſſen ſauffen*, notante Rittershuſio ex Polybii lib. 6. ad 11. xii. Tabb. *Vite verberari* linguae abſciſſionem, vel manuum amputationem, vel crurum exectionem, vel in ſervitutem adactionem pati, in exſilium mitti, ſecuri percuti, ſicuti has & longe plures recenſet Petrus Faber lib. 1. Semeſt. cap. 17. & 18. & Stewech ad Vegetium Lib. III. c 4. tt. ffrum de re militari. Erat autem Vitis *inſigne centurionum*, & aliorum militum ducum principumque, quam κλῆμα ἑκατοντάρχου vocat Plutarchus in Galba, ut notat Gothofredus ad lib. 13. §. Irreverens 4. ff. de re militari. Ideo Silius lib. 11. Punicorum:

Latiaeque ſuperbum
Vitis adornabat dextra decus.

Et Plinius lib. 14 cap. 1. *Centurionum in manu vitis opimo praemio tardos ordines ad lentas perducit aquilas*: & Apuleius lib 9 de Aſino. *Militem magis in ſuam pernitiem eferari iamque inverſa vite de vaſtiore nodulo cerebrum diffindere.* Sic & Tacitus lib. 1. narrat de Centurione Lucillo, cui nomen. *Cedo alteram, quia fracta vite in tergo militis alteram clara voce ac rurſus aliam poſcebat.* Et Dion Caſſius lib. 55. Evocatos milites, quorum etiam fit in L. 2. verſ. nihil vero (ut nemini liceat in emtione ſpecierum, ſeu veteranos quos poſt patris caedem Auguſtus excivit ex Calatia, & Caſilino, quorum fuit certum corpus ferentium vites, Centurionum more: quamvis hi evocati a Galba adpellati fuerint iuvenes equeſtris ordinis, qui manente annulorum aureorum uſu excubias circa cubiculum Galbae vite militum notante Suetonio in Galba n. 10. Quid ſi dicerem Vitem non abſimilem fuiſſe *Einem Regimentſtaab* inde *Einem mit dem Regiment ſchlagen*, quum & hodie graviſſime puniantur milites refractarie Centurioni reſiſtentes.

Lae-

Digitized by Google

Laetitia.

PEr Vitem laetitia intelligitur: id non Aegyptii tantum, verum & Philoſophi, & Poetae Latini, Graecique omnes eodem admiſere conſenſu. Sed ut plurima ſuper hoc a Platone, & ab Homero dicta diſſimulem, nonne Divinae etiam Literae ſententiam hanc eandem pleriſque locis proſequuntur? Cuiuſmodi illud eſt, quod requiſita Vitis ad aliarum arborum imperium reſpondit, non poſſe ſe deſerere vinum ſuum, quo Deus, atque homines laeti redderentur. Quare Socrates apud Xenophontem, Sympoſio, vinum ait non aliter excitare, quam oleum inſperſum igni flammam adauget. Et Coniectores, vel modici vini haustu in ſomniis attentari viſo, laeti alicuius eventi ſignum arbitrantur. Apud Philoſtratum vinitor ſub vite conſidendum Phoenici ſuadet, quod ex ea adſpirare ſoleat laetitia. Epigrammatarius Poeta quidam non inelegans, nec inficetus, acerbe in eum invehitur, qui racemum immaturum adſpernatus humi abiecerat, & inſuper pedibus conculcaverat; non immerito quidem indignatus, propterea quod eo guſtu deceptus, vitem omnem male acceperit, & in praeciſo racemo ſubcreſcentem laetitiam extinxerit. Ita enim dicit:

Τίς ποτ' ἀκηδέστως οἰνοτρόφον ὄμφακα Βάκχῳ
'Ανὴρ, ἀμπελίνῳ κλήματος ἐξέταμεν,
Χειλεὰ δὲ στυφθεὶς ἀπόμην βάλεν ὡς ἂν ὀδίταις
Εἴη νισσομένοις ἡμιδαὲς σκύβαλον·
Εἴη οἱ Διόνυσος ἀνάρσιος οἷα Λυκύργῳ,
Ο΄τλι μιν αὐξομέναν ἔσβεσεν εὐφροσύναν.
Τοῦδε γὰρ ἂν τάχα τις διὰ πώματος, ἢ πρὸς ἀϊδοὺς
Ἤλυθεν, ἢ γοεροῦ κήδεος ἔσχε λύσιν.

Cuius haec propemodum eſt ſententia:

Quae feritas? quiſquis dona immatura Lyaei
Ante diem e vitis palmite ſubſtulerat,
Labraque perſtrictus vecors abiecit, ut eſset
In pedibus trita vile putamen humo.
Huic pater inſtauret Lenaeus digna Lycurgo,
Quando ita naſcentem ſubſtulit Euphroſyuen.
Namque aliquis vino hoc hilaris cantaſſet, amaſſet,
Aut poterat curas dememineſſe graves.

Nos vero adoleſcentes iocati contra ita reſpondimus:

Κεῖνος ἀμιστεύσας κ' οἰνοτρόφον ὄμφακα μισῶν,
Οὗς βάλε τὸ σκύβαλον ἡμιδαὲς χαμάδις,
Κλήματά τ' ἐξέταμεν καὶ ὅλως βλαστὸς ἀπὸ ῥίζης,
Οὗς τὴν αὐξομέναν ἔσβεσεν ἀφροσύναν.
Τοῦ δὲ τὶς οἰνοβαρὴς διὰ πώματος, ἢ πρὸς ἄρηα,
Ἤλυθ' ἂν, ἢγ' αὐτοῦ τάχα λέληθε πρέπον.

Quorum ſenſum ita Latine reddemus:

Mactе animis quiſquis vinum hoc immite peroſus,
Adliſit putri vile putamen humo,
Ramoſque & plantam totam ab radice recidit,
Atque ita gliſcentem ſubſtulit Aphroſynen.
Namque aliquis poto hoc vino gravis iſſet ad arma,
Aut decoris poterat dememineſſe ſui.

Sed ut laetitiae huic modum imponamus, Salomon ait: *Exaltatio animae & cordis, vinum moderate ſumtum*: ad iucunditatem enim creatum eſt, non ad ebrietatem, quae te vita defraudet.

Hilaritas.

EAdem ratione, qua laetitiam ſignificat Vitis, publicam etiam hilaritatem oſtendere videtur: quare apud Maronem Troiani longa navigatione, & ſaeviſſima mox tempeſtate fatigati, Dei Bacchi laetitia exhilarantur, atque alio etiam loco, adeſſe eiſdem laetitiae datorem Bacchum votis precari videmus. Tum apud Horatium, ſi qua celebratur hilaritas, vel ipſa pavimenta vino natant. Triſti vero & perturbato homini Plautus propinandum monet, qui bilem diluat. Cui ſimile id, quod apud Ciceronem l. III. Tuſcul. habetur: *Huic calix mulſi impingendus eſt, ut plorare deſinat*. Quin & ipſa Muſica, quae tota ad hilaritatem comparata eſt, non alio magis ſtimulo concitatur, quam ſuavis vini guſtu. Hinc apud Ovidium legas:

Nec non & carmina vino
Ingenium faciente canunt.

Quod ex Tibulli ſynepeia dictum. Ille enim quum Oſirim vitiſatorem laudaret, ita de vino cecinit:

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos neſcia membra modos.

Hinc Aeſchylus quaſi nimium oblaſciviens dictus eſt tragoedias ſuas potando ſcripitaſſe, de quo Plutarchus in Sympoſiacis. Contra reprehenſus eſt Gorgias, qui tragoediam ſuam Marti dedicarit, quum Baccho potius tribuenda fuerit: nam ea de cauſa dictum, οὐκ ἐστὶ διθύραμβος, ἂν ὕδωρ πίνῃ, *nullam quippe adeſſe hilaritatem ei, qui aquam bibat*. Quam ſententiam ſibi Horatius deſumſit, eo Epiſtolarum loco, ubi feſtive admodum bibacitatem hanc eludit ad Maecenatem:

Priſco ſi credas, Maecenas docte, Cratino,
Nulla placere diu, neque vivere carmina poſſunt,
Quae ſcribuntur aquae potoribus.

Mox & illa per iocum acriter demorſa:

Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiliit dicenda, forum putealque Libonis
Mandabo ſiccis, adimam cantare ſeveris.

Adgnovit & hoc Anacharſis Scytha, quamvis ſuper vino ſevere nimis iudicaret: quippe qui quum in convivio quodam vibriſatores quoſdam cantilenam admodum variam criſpata voce cum ſibilo ſimul emodulantes auſcultaret, interrogatus an in Scythia tales eſſent emodulatores, reſpondit illico; *Neque quidem vitis*: utpote qui innuere vellet, non aliam eſſe cauſam emodulationis eiuſmodi, quam epotum vinum, atque

que hinc dicterium: *Nemo cantat sobrius.* A De his queritur Davides Psal. LXXIIII. *Vinipotores contra se canere.* Anacharsis dictum ab Aristotele commemoratur eo loco ἀναλυτικῶν, ubi argumentorum quaedam genera a causa desumi solere ostendit. Idem Anacharsis tres in unaquaque Vite racemos inveniri dictitabat, qui diversa inter se vi pollerent: primum enim voluptatem adferre, ebrietatem alterum, tertium molestiam. Sed utcumque Scytharum suorum sobrietatem praetendat Anacharsis, Cleomenem tamen Spartanorum Regem apud Scythas, B ut alibi diximus, vino versum in insaniam accepimus, quod scilicet cum eis meri potationibus contendere voluisset. Meritò autem Plato, ubi secundo de legum ferendarum ratione disserit, optimum futurum existimat, si Carthaginiensium more miles in castris nunquam vinum gustet, sed toto expeditionis tempore aquam biberit. *Servis ne vinum unquam concedatur. Magistratus,* C *quandiu munere funguntur, abstemii sint. Praesides, & Iudices, eo tempore, quo negotia causarum tractantur, vinum penitus non adtingant. Et qui magis de Reip. rebus consilio adhibentur, remque publicam administrant, aquam omnino bibant.* Quam sententiam Philosophus summus ex XXXI. Proverbiorum Salomonis capite sibi desumsit. Sane Romanorum in hoc quoque prudentiam, qui sobrietatem in imbecillo feminarum genere accuratissime custodirent, multi commendavere. Sed Ter- D tullianus egregie, qui mulieres Romanas ait olim usque adeo vino abstinere civitatis eius instituto iussas, ut matronam ob resignatos cellae vinariae loculos sui inedia necarint. Sub Romulo vero, quae vinum adtigerat, impune a Mecenio marito trucidata sit: idcirco & oscula propinquis obferre necessitas erat, ut spiritu indicaretur, exploratumque inde esset, an temetum olerent.

Valerius Maximus lib. 2.

Libertas.

QVod vero libertatis indicium sit Vitis, ipsa Bacchi nuncupatio, quae apud Graecos Lyaeus est, apud Latinos Liber, argumento esse potest. Tum apud Platonem invenias, explorandis adolescentium ingeniis convivia nonnumquam indulta, quo illi ad pocula se benignius invitarent, eoque tormento coacti, ab intimis se praecordiis expectorarent, utpote qui nihil tunc simularent, sed cupiditates omnes suas, studiaque omnia aperirent. Vnde sapienter Horatius:

Quid non ebrietas designat? operta recludit.

Epistola 5. ad Torquatum. Et quae sequuntur. Idem Ibidem.

Foecundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

Dionysius cur ψίλας dicitur. Merito itaque apud Spartanos Dionysus cognomento ψίλας dicitur idiomate Dorico, quod pennatum significat: vinum siquidem mentem, non secus ac alae corpus, adtollit, & modo huc, modo illuc volitare facit perquam agiliter: cuius rei meminit Pausanias tertio.

Labor.

NEque tamen ita felix, tranquillumque est hieroglyphicum Vitis, ut non & laboris plurimi sit etiam argumentum: siquidem arborum nulla maiori indiget cura. Vsque adeo imbecilla est, ut nisi humana diligentia excolatur, pergulis substentetur, vel arboribus maritetur, falce comprimatur, ac annis singulis praecidatur, multo denique labore custodiatur, brevi admodum tempore vel pereat, vel in labruscam degeneret. Quare non imperite dixit Hesiodus, sive is Apollonius fuit, qui scutum Herculis doctissimis carminibus celebravit:

Οἷα Διόνυσος δῶκ' ἀνδράσι χάρμα, καὶ ἄχθος.

Vt & laetitiam, & laborem simul hominibus a Baccho datos adfirmaret. Neque sum nescius, τὸ ἄχθος ad animi etiam anxietatem, atque moestitiam referri posse: siquidem compertum est eos, qui meraco plurimum utuntur melancholicos fieri, atque inde tristiori esse corde: tum oblivioſos, ut Florentinus in re rustica ait, in primis fieri, ut ea taceam, quae per ebrietatis furorem infanda pleraque perpetrantur: quorum omnium memor Maro, ne vinum plus aequo laudaret, ita cecinit:

Bacchus & ad culpam causas dedit, ille furentes
Centauros leto domuit, Rhetumque, Pholumque,
Et magno Hyleum Lapithis cratere minantem.

Habet & illud incommodi, quod linguam vinum praepedire solet, eaque de causa Mercurio, non vino, sed lacte, supplicabatur, ad ipsam etiam eloquentiae dulcedinem indicandam, idque Romae vico etiam Sobrio nuncupato fieri solitum.

Sanguis.

E FVit & sanguinis signum oblatum in sacris vinum, atque eo nonnunquam cognomento nuncupatum: quare quod apud Maronem:

Vidit turicremis cum dona imponeret aris
Horrendum dictu, latices nigrescere sacros,
Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem.

Non tantum ostenti loco positum, sed antiquum videtur significatum adtigisse, quod & pro vino sanguis, & pro sanguine vinum acciperetur. Nam a Mose secundo Deuteronomii cantico: *Et sanguinem uvae biberet meracissimum,* & a Psalmographo dictum, F Sanguinem uvae biberunt. Sane quidem Aegyptii sacerdotes vino pertinaciſſime abstinebant, & antiquissimi eorum Reges: nam & illi tunc non nisi sacerdotes erant, ut tradit Hecataeus. In Deorum tamen caeremoniis vino utebantur, eoque libabant, ut idem auctor scribit, non gratam siquidem rem coelestibus oblaturi, sed eorum sanguinem, qui contra Deos pugnassent propinaturi, indeque sibi numina conciliari arbitrabantur: persuasum enim habebant Aegyptii,

Digitized by Google

gyptii, Vitem ex fuſo in terram gigantum A ſanguine pullulaſſe, unde & amentia, & furor ineſſet vino. Quamquam poſteriores Reges, Pſammetico in primis auctore, vinum, ſed certa menſura, menſis adhibuere. Ponit vero & Heſiodus menſuram, qua ſit ad ſalubritatem bibendum.

Τρὶς δ' ὕδατος προχέειν, τόδε τέτρατον ἐμμεν οἴνου.

Tres miſcebis aquae partes, ſit quarta Lyaei.

Felicitas.

PEriti ſcribunt, ubi ſignificata Vitis examinant, uvam in ſomniis viſam etiam extra tempus, felicis eſſe praeſagii. Cuiuſmodi etiam Vitis fuit, quae viſa eſt Aſtyagi per quietem nocturnam de Mandanes gnatae ſuae genitalibus oboriri, univerſamque Aſiam palmitibus inumbrare. Quod de Cyro nepote eius eventu adeo felici poſtmodum comprobatum eſt: terrarum enim latitudinem id ſignificabat, quae Cyri eſſet imperio ſubiuganda.

CAP. IV. *De Erica.*

ERicen Graeci vocant fruticem non multum a myrice differentem, colore roriſmarini, & pene folio. Hoc adverſari ſerpentibus tradunt. Ex hac Erica ſcopae fiunt, quibus domus verruntur, tum & aliae, quibus veſtes purgantur.

CAP. V. *De Paliuro.*

PAliurus frutex aſperrima, & ſpinoſa pungens, & retinens: vulnerans adpropinquantem ſibi, & adunco dente comprehendens. Paliuri etiam meminit Agathocles Cizycenus libro tertio rerum patriarum his verbis; *Quum ſepulcrum de caelo tactum eſſet, arbuſcula e tumulo ſeſe tum exſeruit, quam Conna adpellant. Magnitudine parva illa eſt, pino, aut ulmo ſimilis, utraque non humiliore crebris ramis, non nihil ſpinoſis, praelongis: pallido folio, tenero, natura rotunda.* Virg. Eclog. 5.

Carduus & ſpinis ſurgit Paliurus acutis.

CAP. VI. *De Geniſta.*

GEniſta arbuſcula quaedam humilis eſt, fronde minuta, flore luteo, apibuſque gratiſſimo. Martialis.

Non pyra quae lenta pendent religata Geniſta.

Virgilius lib. 2. Georg.

Molle ſiler, lentaeque Geniſtae.

Plin. lib. XVI. cap. XVIII. *Subeunt in montoſa, tingendis veſtibus naſcentes Geniſtae.* Idem auctor lib. XIX. cap. I. *Aſia e Geniſta facit lina ad retia praecipua, in piſcando durantia, frutice madefacto X. diebus.*

CAP. VII. *De Rhoê, ſive Rhu.*

RHus, frutex in petris naſcens, quidam coriarium fruticem adpellant, quod coriarii eo utuntur ad inſpiſſandas pelles. Alias Rhus etiam loci nomen eſt apud Pauſaniam, ab aquae ex montibus defluxu nuncupatum. Meminit & in Theſeo Plutarchus: *Commonſtrant* (inquit) *Amazonum thecam ſeu conditorium apud ſe Megarenſes, ad eum qui dicitur Rhus, ex foro euntibus,* ὅπου τὸ ῥομβοειδές.

CAP. VIII. *De Rhamno.*

RHamnus, ab Graecis praecipue poetis ἀλεξιάρη dicitur, non modo quia reptilium morſus adlevet, verum quod adverſum phantaſmata ſit amuletum praeſtantiſſimum. Quo argumento, in parentationibus ante fores adpendebatur. Meminit eius vel Euphorion, ἀλεξίπακον φύε ῥάμνον: nec tacuit Sophron.

Digitized by Google

IOANNIS MEVRSII FIL.

ARBORETVM SACRVM
SIVE
DE CONSECRATIONE HERBARVM
Earumque proprietate, usu, ac qualitate.

LIBER TERTIVS
HERBAS COMPLECTENS.

CAP. I. *De Adianto.*

Dianti, id est, ut Theophrastus ait lib. VII. Plant. *Capilli Veneris, folium in aqua nunquam madescit, nec quicquam adhaesisse humoris constat. Vnde & nomen herba accepit.* Teste Plinio, Nat. Hist. lib. XXII. *Genera eius duo sunt, candidum, & nigrum.* In coronas autem Adiantum Plutoni dicata est.

CAP. II. *De Allio,*

ALliorum capita ad multarum noxarum depulsionem valere animis vetustas imbiberat. Columella etiam ovis, quae incubantur, substerni utiliter adversus tonitrua putat. Eius verba sunt lib. I. cap. V. *Plurimi infra etiam cubilium stramenta graminis aliquid, & ramulos lauri, nec minus Allii capita cum clavis ferreis subiiciunt, quae cuncta remedia creduntur esse adversus tonitrua, quibus vitiantur ova.*

Vnde proverbium:
Allium in retibus.

Σκόροδον ἐν δικτύοις: id est Allium in retibus de sordido commeatu dicebatur: hinc natum, quod Attici, quoties navigationem, aut expeditionem adornabant, commercabantur Allia, eaque retibus imposita secum ferebant. Item in obsidionibus urbium in precio erat Allium, unde illud citra nomenclaturam apud Suidam: ἀπόλλυμαι τὰ σκόροδα πορθούμενος. id est, Perdo Allia in obsidione. Thraces praecipue delectantur Alliis, utpote calidis, quum regionem inhabitent frigidam. Quin & hodie nautarum deliciae sunt Allium, non ingratus & rusticorum cibus, utcumque exsecratus Horatio, Epodon lib. Oda 3.

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit:
Edit cicutis Allium nocentius, &c.

Scribunt Graeci, lege cautum, uti qui Allio vesceretur, sacrarium Matris Deum ne ingrederetur.

CAP. III. *De Gramine.*

GRamen Marti consecratum est, quod, secundum Plinium in naturali historia, ex humano cruore procreatur. Haec herba iumentis est gratissima, sive viridis sit, sive in foeno siccata. Ex hac etiam fiunt coronae, quarum Plinius lib. XXII. III. IV. & V. Capite mentionem exactam facit.

CAP. IV. *De Hedera.*

HEdera herba est perpetuo virens, quae quum per se stare non possit, arboribus, & muris adhaeret. Festus. Hedera dicitur, quod haereat, vel quod edita petat, vel quia id, cui adhaeserit, edat: quae in tutela Liberi patris putabatur esse, quia, ut ille semper est iuvenis, ita haec semper viret.

Thraces & Iudaei pro lege habebant, in omnibus sacris Hedera coronari: & non solum coronati, sed scuta & gladios hedera ornati, in solemnibus libabant. Interdum legimus, praeter Hederam, & pampinis & siculneis ramis late frondentibus, Bacchum coronatum, atque ita devictis hostibus, triumphasse. Hedera vero ideo sacra Baccho, quia contra ebrietatem facere putant; vel quia Cissus puer fuisse in eius comitatu dicitur, qui quum saltaret cum Satyro, humi letaliter adflictus, ab eo Deo est in Hederam conformatus, quae & κισσὸς Graece vocatur, ut Constantinus in Geoponicis scribit. Alii ad imitationem Bacchi id factum credidederunt, quod ille, quum esset puer, Hedera, & lauro coronatus incederet, ut ait Homerus in hymnis:

Δὴ τότε φοιτίζεσκε καθ' ὑλήντας ἐναύλους,
Κισσῷ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος.
Tum quoque parvus erat, silvisque errabat in altis,
Ornatus lauro, atque Hedera.

Hedera autem coronantur Poetae, quasi Libero consecrati; qui etiam, ut Bacchae, insaniunt. Sic Horatius: *Sacra poetis Hedera.*

Vt male sanos adscripsit Satyris Faunisque Poetas.

Vel quod semper virent Hederae; sicut carmina aeternitatem merentur.

Qui

Hederae coronae utilitas.

Qui nimium bibiſſent caput revinciebant, hederacea praecipue Corona, quae planta citra cultum ubivis copioſa provenit, facie alioqui non invenuſta, corymbiſque, & foliis virentibus frontem opacans, adſtrictioniſque vehementiam patitur, & poſtremo refrigerat citra odoris gravitatem.

CAP. V. *De Hyacintho.*

DVarum litterarum a & i figuram refert: quae res Poetis duplicis fabulae occaſionem praebuit. Nam & Hyacinthum puerum dilectum ab Apolline, quem imprudens diſci iactu interfecit, in hunc florem mutatum tradunt, interiectionemque dolentis ai, ex duabus illis litteris conficitur, veluti teſtimonium doloris, quem Apollo ex eius morte conceperat, habere inſcriptam. Praeterea Aiacem in eundem florem converſum aiunt, dum impatientia praelati ſibi Vlyſſis ſeipſum interemit: duaſque primas eius literas in hoc flore manſiſſe impreſſas. Ovidius, utramque fabulam amplexus eſt lib. XIII. Metamorphoſ.

——— rubefactaque ſanguine tellus
Purpureum viridi genuit de ceſpite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis mediis pueroque viroque
Inſcripta eſt foliis: haec nominis illa querelae.

Erat etiam Apollini ſacer Hyacinthus flos, qui dicitur fuiſſe puer Amyclaeus ab Apolline, & Zephyro uno tempore amatus: at enim cum propenſior in amorem Apollinis adpareret, odium & indignationem in ſe concitavit. Quare quum Apollo diſci iactu ſe exerceret, Zephyrus diſcum ab Apolline miſſum in pueri caput convertit, quem caeſum Apollo in florem ſui nominis commutavit, & ex cruore colorem indidit.

CAP. VI. *De Narciſſo.*

Amor ſui ipſius vetat.

INopinati affectus magis inopinatus rumor extat. Narciſſus enim domeſtico ſui ipſius amore flagrans, domi ex ſeſe periit. Erat enim pulcritudine corporis excellenti, unde etiam amorem & deſiderium ſui adeptus eſt. Fontem etenim aliquando velut potaturus inde occupavit, ſpectator autem propriae formae conſiſtens, ipſe ſeipſum amore ſui corrupit. Ad fontem itaque ſubinde progreſſus, umbram ſuam velut amator dilexit, ſuperatus autem ab amore, & ſeipſum in aquis adprehendere tentans, terram inſuper amiſit, atque ſic adfectus refrigerium quaerens, vitae privationem invenit, tantum ſane lucri morte ſua adeptus, quantum in florem mutatus eſt, qui nomine ſuo illius memoriam adfert & conſervat. Praecedentis huius fabulae etiam mentionem facit Pauſanias, in Boeotica.

Litiope Nympha, ex amne Cephiſo procreaverat Narciſſum inſigni forma iuvenem, cui Tireſias vates omnia proſpera pollicitus eſt, ſi pulcritudinis ſuae nullam habuiſſet notitiam. Is quum Echo, aliaſque multas contempſiſſet puellas, Nemeſis ultrix faſtidientium, ob nimiam crudelitatem, quam in illas exercuerat, ei amorem ſui, philautiam dictum, inſpiravit, ut ſui ipſius flamma exureretur. Proinde quum ex nimia aliquando venatione fatigatus, aquam e fonte hauriret, imaginem ſui conſpexit, & prae ardenti erga ſeipſum amore extabeſcens, vita privatus eſt, & in florem ſui nominis evaſit. Vt teſtis eſt Ovidius lib. III. Metamorph. Is flos fuit Eumenidibus conſecratus, e quo Deabus illi ſacrificantes coronis utebantur, ut ait Iſter in lib. de coronis. Qui tamen fuit Baccho etiam gratus. Scriptum reliquit Phanodemus lib. 5. rerum Atticarum, coronas e Narciſſo conſecratas fuiſſe Proſerpinae, quoniam florem illum colligeret, quum rapta fuit a Plutone.

CAP. VII. *De Papavere.*

PApaver Cereri obferebatur, quod non ſine ratione factum ait Phurnutus, lib. De Nat. Deorum. *Ἀναπίθεασι δ' αὐτῇ καὶ τὰς μήκωνας, κατὰ τὸν λόγον. τό, τε γὰρ στρογγύλον καὶ περιφερὲς αὐτῶν παρίστησι τὸ σχῆμα τῆς γῆς, σφαιροειδοῦς ὄσης. Ἥ, τε ἀνωμαλία τὰς κοιλότητας καὶ τὰς ἐξοχὰς τῶν ὀρῶν. τὰ δ' ἐντὸς, τοῖς δενδρώδεσι καὶ ὑπόνομοις ἔοικε. σπέρμα τά τε ἀναρίθμητα γεννῶσιν ἡ γῆ. Obfertur Cereri etiam papaver. Ratio autem oblationis eſt talis. Papaveris, rotunditas & globus, terrae formam, quae ſphaerica eſt, repraeſentat. Papaveris autem inaequalitas indicat terrae valles, & montium cacumina. Interiora autem papaveris, ſimilia ſunt arboribus & cavernis terrae. Per ſemina innumerabilia terrae fuecundam generationem intellige.* Dicit Plin. Nat. Hiſt. lib. XIX Tria eſſe Papaveris genera, ut ex ſequentibus verbis eius patet: *Papaveris ſativi tria genera: Candidum, cuius ſemen toſtum in ſecunda menſa cum melle apud antiquos dabatur. Hoc & panis ruſtici cruſtae inſpergitur.* Tertium genus rhaeam vocant Graeci. At luteum papaver Catullo maxime placet, ut videre eſt, in nuptiis Iuliae, & Manlii.

Iam licet venias, marite:
Vxor in thalamo eſt, ubi
Ore floridulo nitens,
Alba Parthenice velut,
Luteumve Papaver.

Papaver conciliat ſomnum, ſi mediocri qualitate adhibeatur. Hinc Virgil. lib. IV Aneid:

Spargens humida mella, ſoporiferumque papaver.

Si autem aliquis Papaveris nimium acceperit, conciliat tunc non ſomnum placidum, ſed oblivionem rationis naturalis expergiſcentibus reddit, & interdum mortis cauſam eſſe videtur, ut idem lib. I. Georgicorum probat.

Vrunt Lethaeo perfuſa Papavera ſomno.

Papaveris florem maximopere caput a culicum punctionibusdefendere, & liberare Athenaeus teſtis eſt lib. XIV.

Papaveris florem tu adime.
Vt intactum caput, & a culicibus non eroſum cuſtodias.

Amor

Digitized by Google

Amor.

Sortilegium amoris.

NImirum autem Papaver florens Amoris indicium habetur apud ſortilegos, cuius quidem folium qui Amoris periculum facere volunt, pugno ſuperponant, alteraque paſſa manu illud adlidentes, ex crepitu coniiciunt quod quaerebant. Explorant enim, an amantes redamentur; nam quo clamoſius inſonuerit, eo ſe magis amari putant; quod ſi ſonus oblanguerit, contemtui ſe habitos arbitrantur: cuius rei tum eo loco meminit Theocritus.

Οὐ δὲ τὸ τηλέφιλον ποτὶ μαξάμενος πλατίγησεν,
Ἀλλ' αὔτως ἀπαλῶ ποτὶ πάχει ἠξαμαράνθη.

Quod uno dici poteſt verſu:

Nec ſupercuſſo crepuere papavera pugno.

CAP. VIII. *De Dictamno.*

PRodunt in Creta capras ſagittis percuſſas, huius herbae paſtu eas excutere. Virg. lib. XII. Aeneid.

Dictamnum genitrix Cretaea carpit ab Ida;
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo, non illa feris incognita capris
Gramina, quum tergo volucres haeſere ſagittae.

Cic. lib. 1. De Nat. Deorum, *Capras auditum in Creta feras, quum eſſent confixae venenatis ſagittis, herbam quaerere quae Dictamnus vocatur: quam quum guſtaviſſent, ſagittas excidere dicunt e corpore.*

NOMINA AVCTORVM

quorum teſtimoniis in his libris uſus ſum.

A

Abbas Vrſpergenſis.
Abdias.
Acron.
Actuarius.
Aetius.
Aelianus.
Aeneas Silvius.
Aeſchylides.
Aeſcleapiades.
Aethius Samius.
Agathocles Cizycenus.
A. Gellius.
Albricus.
Alexis.
Ananius.
Antiphon.
Antoninus Liberalis.
Antonius Auguſtinus.
Antonius Muſa.
Antonius Vaſconcellius.
Aphthonius.
Apollodorus.
Apollonius Rhodius.
Apoſtolius.
Apuleius.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Arrianus.
Artemidorus.
Artemon.
Athenaeus.
Auſonius.

B

Barnabas Briſſonius.
Bayſius.
Beatus Rhenanus.
Beniaminus.
Biblia.
Bilibaldus.

C

Callimachus.
Callixenus.
Caſſiodorus.
Cato.
Catullus.
Caelius Aurelianus.
Caelius Rhodiginus.
Caelius Curio.
Celſus.
Chaeremon.
Chriſtianus Vrſtiſius.
Claudianus.
Clearchus Peripatetic.
Codinus.
Columella.
Conſtantinus.
Conradus Lycoſthenes.
Cyrillus.

D

Dares.
Demetrius Ixion.
Deſiderius Eraſmus.
Didymus.
Dion Caſſius.
Dionyſius Alexandrinus.
Dioſcorides.

E

Ephorus.
Eucherius.
Euſebius.
Euſtathius.

F

Fla. Ioſephus.
Florus.
Fulgentius.

G

Galenus.
Gerardus Voſſius.
Guilandinus.
Gyraldus.

H

Adr. Turnebus.
Hermeſianax.
Hermolaus Barbarus.
Herodotus.
Heſiodus.
Hieronymus Oſorius.
Hieronymus Tragus.
Hippocrates.
Homerus.
Horapollo.
Horatius.

I

Ioannes Agricola.
Ioannes Bodinus.
Ioannes Lerius.
Ioannes Meurſius.
Ioannes Pierius.
Ioannes Salisbergenſis.
Ioannes Vigonius.
Ioſephus Scaliger.
Irenaeus.
Iſaacus Caſaubonus.
Iſidorus.
Iulianus.
Iulius Caeſar.
Iulius Obſequens.
Iulius Pollux.
Iuvenalis.

L

Libanius.
Livius.
Lucianus.
Lucretius.
Lycophron.

M

Macrobius.
Marbodeus.
Marcellus Empiricus.
Marcellus Virgilius.
Martialis.
Mathiolus.
Melampus.
Meletius.
Meſue.
Michael Glycas.

N

Nicander.
Nicander Aetolus.
Nicolaus Leonicenus.
Nicolaus Myrepſius.
Nilus.
Nonnus.

O

Olaus Wormius.
Onoſander.
Otto Brunfelſius.
Ovidius.

P

Palladius.
Pamphilus.
Pancrates.
Pandolphus Collinutius.
Paſchaſius.
Paulus Oroſius.
Pauſanias.
Petrus Faber.
Petrus Lauremberguis.
Phanodemus.
Philochorus.
Philomneſtus.
Philoſtratus.
Phurnutus.
Platina.
Plautus.
Plutarchus.
Polemon.
Polybius.
Polydorus Virgilius.
Pompeius Feſtus.
Porphyrius.
Procopius.
Pythagoras.

Q

Quintus Smyrnaeus.

R

Rembertus Dodonaeus.
Rubertus.

S

Serapion.
Servius.
Silius.
Solinus.
Steph. Vinandus Pigius.
Strabo.
Suidas.
Sulpitius.

T

Tacitus.
Tacuinus.
Terentius.
Themiſtius.
Theocritus Syracuſius.
Theopompus.
Theophraſtus.
Tibullus.
Trotula.

V

Varro.
Vibius Sequeſter.
Virgilius.
Vitruvius.

X

Xenophon.

Z

Zenobius.

Digitized by Google

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
QVAE HOC TOMO CONTINENTVR.

A

AAudevrata 328. *E.*
Abbas Clarocampius 33. *F.* 290. *A.*
Abbatis Egmundani privilegia 494. *D.*
Abcouda 463. *D.*
Abelus Condersius 145. *E.* 180. *C.*
Abies 785. *A.*
Abstemius 831. *D.*
Abspoela 459. *D.*
Acuna Lopesius 23. *E.* 112. *A.*
Academia 463. *E.* Romana 34. *E.* Lovaniensis 45. *B.* Lugduno-Batava 429. *F.* 441. 467. *A. E.* 470. *C.* Massilienſis 435. 439. Graecae 450. *D.* Ciceronis 454. Ioannis Meursii 701.
Achilles 435.
Ada Comes 477. *E.*
Adamus Welsius 28. *D.* 284. *D.*
Adevvartum Monasterium 33. *F.* 289. *F.*
Adelcheidis 494. *C.*
Adiantus 839. *A.* corona 839. *B.*
Adolphus 18. *E.* 274. *D.*
Adolphus Einatesius 204. *A.*
Adolphus Holsatus 74. *D.* 331. *A.*
Adolphus Hamstedius 399. *F.*
Adolphus Nassovius 195. *B.* 212. *A.* mors 19. *F.* 159. *F.* 275. *E.*
Adrianus Bergesius Olanus 43. *B.*
Adrianus Houffius 95. *D.*
Adrianus Iansenius 101. *D.* 395. *B.*
Adrianus Menningus 43. *B.* 47. *F.* 299. *D.*
Adrianius Portus 426. *C.*
Adrianus Svvetanus 43. *D.* 72. *D.*
Aegidius 391. *B.*
Aegidius Banderius 237. *A.*
Africa 6. *A.*
Afrodius pons 29. *F.*
Agatha Benigna Opplevvertia 56. *B.* 312. *D.*
Ager Aldenardensis 51. *C.* 307. *E.*
Ager Cucanus 393. *A.*
Ager Cameracensis 31. *C.* 85. *B.*
Agger Diemenus 371. *B.* Scakerloensis 390. *B.* fluminum perforari 485. *D.*
Agnascus Ferdinandus 86. *F.* 344. *B.*
Agrippina 284. *F.* arx 28. *F.*
Agylaeus Henricus 255. *A.*
Aiala Martinus 403. *D.*
Alava Franciscus 243. *B.*
Albanus Ferdinandus Alvaresius 7. *C.* 10. *F.* 29. *D.* 105. *D.* 819. *E.* Belgas profugos mortis edicto revocat 12. *F.* suorum caede asperior 20. *B.* victor 25. *E.* ensis a Pontifice mittitur 37. *B.* exosus 44. *C.* aerarii angustia pressus 77. *A.* Amstelodamo redit 119. *B.* stipendia non potest solvere 120. *F.* deprehensus 127. *A.* soluta obsidione 127. *C.* saevit in feminarum violatores 281. *C.* ense inaurato, & galero gemmis ornato donatus 293. *C.* victoria 31. *A.* statua 32. *E.* decreta 34. *E.* laudes putide dicuntur 50. *D.* consilium 71. *F.* astus militaris 90. *A.* oratio ad Omelandiae Ordines 282. *A.* exercitus 285. *C.* pugna cum Auriaco 286. *D.* victoria 287. *B.* exercitus in hibernis 288. *D.* statua 288. *F.* saevitia in captos 291. *A.* Oratio 295. *A.* dolor de Montibus captis 327. *D*
Albernosius 26. *D.*
Albericus Lodronius 8. *D.* 264. *B.*
Albertus Austriacus 303. *A.*
Albertus Annae Austriacae frater 46. *F.*
Albertus Bavarus 462. *E.*
Albertus Dureus 499. *A.*
Albertus Egmondus 43. *B.* Meresteinius 299. *D.*
Albertus Lodronius 29. *C.* 285. *C.*
Albertus Nassovius 28. *D.* 284. *C.*
Albertus Vcthenbroucquius 43. *D* 299. *F.*
Albassena Insula 422. *C.*
Alcoceta Ioannes 393. *A.*
Alckemada 459. *E.*
Alcaidus Benbichierus 201. *D.*
Aldekerca 85. *A.* 342. *C.*
Aldenarda 18. *B.* 70. *F.* 87. *B.* 89. *A.* 92. *F.* 274. *B.* 327. *C.* ager 51. *C.* 307. *E.*
Aldengondius 79. *A.*
Aldengondius Philippus Marnixius 103. *A. B.*
Alemaria 5. *E.* 52. *B.* 68. *E. F.* 77. *D.* 110. *B.* 120. *D.* 334. *B.* praefectura cui tradita 68. *F.* via 103. *F.* capta 325. *B.*
Alenconius 69. *C.* 325. *F.*
Alexander Murdianus 120. *A.*
Alexander Magnus 435.
Alexandria 8. *E.* 263. *D.* 813. *F.*
Alfonsus Aiala 125. *E.*
Alfonsus Galeacius 104. *D.* 362. *A* 392. *C.*
Alfonsus Lombralis 87. *C.*
Alfonsus Lous 283. *A.* eius supplicium 27. *A.*
Alfonsus Messia 88. *C.* 345. *F.*
Alfonsus Magius 108. *D.* mors 366. *B.*
Alfonsus Monterus 86. *F.*
Alfonsus a Soto maiore 88. *B.* 345. *D.* 420. *E.*
Alfonsus Vlloa 8. *F.* 32. *D.* 263. *E.*
Allium 839. *B.*
Allobroges 9. *B.*
Alosti 239. *B.*
Arnoldus Sasboutius 291. *D.*
Altaria violata 80. *E.*
Altabrugii 85. *C.*
Alterragium 86. *F.* 344. *B.*
Altingus Daniel 139. *B.* 173. *E.*
Alvarus Osorius 19. *F.* 275. *D.*
Alvaresius Ferdinandus 6. *C.* 7. *C.*
Alvaradus 423. *F.*
Amandus Dux 18. *B.* fanum 243. *B*
Amamalides 815. *F.*
Amasia 34. *D.* flumen 23. *A.* 122. *D.* 279 *F.* 380. *E.* fluvius 23. *F.* 49. *A.*
Ambainus Iacobus 89. *B.* 346. *E.*
Ambrosius Ducaeus 426. *C.*
Ambrosii Fanum 8. *F.* 263. *D.*
Ambrosius Spinola 144. *A.*
Amerongius Ioannes 59. *C.*
Amerongius Titus 59. *E.*
Amersfortia 42. *B.* 73. *F.* 96. *B.* 230. *D.* dedita 97. *A.* traditur 354. *E.*
Amerongius Ioannes Tatius 315. *D*
Amnestia 146. *D.* 181. *B.*
Amoris symbolum, Malus 820. *F.* indicium, Papaver 843. *A.*
Amstelodamum 26. *D.* 40. *E.* 68. *A.* 72. *A.* 73. *D.* 83. *B.* 84. *F.* 101. *E.* 113. *D.* 296. *F.* 328. *D.* 410. *A.* 459. *C.* inundatio 48. *E.* obsessum 92. *B.* deteritur 261. *E.*
Amstelodamenses 33. *D.* naves instruunt 112. *C.* fuga 113. *E.* querelae 289. *D.*
Anatomica opera 475. *B.*
Anabaptistae 483. *D.*
Anculus Osorius 390. *A.*
Andagiense Monasterium direptum 31. *B.* 287. *B.*
Andelotus Batenburgicus 276. *D.*
Andelotus Petrus 20. *E.* 276. *D.*
Andreas Arlerius 73. *F.* 330. *C.*
Andreas Brotius 104. *E.* moritur 362. *A.*
Andreas Putmannus 96. *C.* 354. *A.*
Andreas Rivetus, eius vita & scripta 600. *E.*
Andreas Salazarius 18. *A.* 25. *F.* 274. *B.* 281. *F.*
Angelus Osorius 65. *C.* 321. *F.*
Anglia 16. *F.* 93. *D.* dissidium 42. *C.* urbium restauratio & artificium lanae 291. B.
Anglurius Autricurtius 28. *D.* 284. *D.*
Anguma 76. *D.* 333. *B.*
Anguiani 265. *A.* praeter adfectos supplicio 276. *F.*
Anima 732. *A.* iuxta Empedoclem 789. *C.*
Anna Austriaca 7. *E.* 303. *A.* Nuptiae 46. *E.* Sponsa Philippi 262.
Annae Egmundanae nuptiae 213. *B.* Mauritii filia.
Annelandia 422. *E.*
Annona 40. *B.* 75. *A.* 366. *E.* 370. *F.* Caritas 31. *B.* 56. *F.* 76. *C.* 113. *A.* 313. *B.*
Annus a Palma significatur 797. *E.*
Antinoia 813. *F.*

Digitized by Google

Antiſthenes 456. C.
Antoninus Pius 461. B.
Antonius Avila 14. B. 125. E. 270. A.
Antonius Bommellius 426. C.
Antonius Berrius 29. B.
Antonius Burgundus Capellus 65. F. 322. C.
Antonius Bombergus 255. B.
Antonius Figueroa 86. B. 343. E.
Antonius Genitſius 122. C. D. 380. D.
Antonius Lalanius 13. A. 268. F. 276. B Hochſtratenus 20. C. 28. D. E. 284. D.
Antonius Moxica 91. D. 349. B.
Antonius Mendoza 8. B. 263. A.
Antonius Olivarius 69. F. 113. A. 326. B.
Antonius Perenottus Cardin. 6. B.
Antonius Stralenus 11. F. 267. A.
Antonius Toletanus 103 F.
Antonius Thyſius, eius vita & ſcripta 609. A.
Antonius Vtenhovius vivus exuritur 93. E.
Antonius Zero 87. C.
Antonius Walaeus eius vita & ſcripta 607. F.
Antuerpia 5. E. 6. E. 9. E. 11. B. 23. D. 32. D. 37. D. 41. F. 42. F. 46. D. 47. F. 80. C. 82. B. 87. B. 111. B. 161. D. 185. B. 200. A. 223. E. 254. C. 337. C. 394. F. 409. D. arx 32. F. conditur 268. A.
Apollini ſacer Oleaſter 810. B. Iuniperus ſacra 818. F. Malus ſacra 820. A. Laurus ſacra 789. A.
Aquae canalis 280. C. exundantia in Belgio 48. A.
Aquiſgranum 29. A. 285. A.
Ara e Lydio lapide D. Petro dicata 461.
Arauſienſis principatus obpignoratur 32. B 288. C.
Arboretum ſacrum 785.
Arbutus 821. D.
Arca Delfenſis 404. A.
Architectus Campocaſſius 106. F.
Arces Batavae 459. D.
Arcerius Ioannes 503. B.
Archiepiſcopus Colonienſis 88. C. Trevirenſis 88. C.
Archiepiſcopatus Belgii 6. E.
Arcturus Barſonus 20. E. 276. D.
Arcturus Brederodius 95. E. 353. B.
Arcturus Valdraeus Movius 28. D. 284. D.
Ardemburgum 338. B. occupatur 81. A.
Arenbergius 10. E. 12. E. 19. C. 24. A. 33. E. mors 19. F. 275. D.
Arenberga capta 28. F. 284. F.
Argentina 394. F. 460. C.
Ariminum 91. B.
Arias Montanus 45. B. 301. D.
Arlerius Andreas 73. F. 330. C.
Arlerius Petrus 51. D. 307. F.
Arma Foederatorum in Africam 201. B.
Armiſtitium 135. C. 169. E. prorogatum 153. A. prolatum 188. A.
Arminum 348. E.
Arnemunda 391. B. obſidetur 122. A. 380. A.
Arnhemium 74. C. 92. A. 330. F. 351. D.
Arnoldus Dorpius 88. F. 346. C. 426. B.
Arnoldus Duvenvordius 77. D. 334. B.
Arnoldus Iſemburgicus Archiepiſcopus 493.
Arnoldus Kemningus 34. D. 290. D
Arnoldus Leidenſis 499. C.
Arnoldus Lautzius 34. D. 290. D.
Arnoldus Sasboutius 16. D. 35. C. 272. D.
Arſcotani 85. C.
Arſcotum 93. C. 351. A.
Arſenus 190. F. legatus 155. F.
Arſillius Carolus 29. C.
Arſcotanus 34. A. 46. F. 88. A. 345. D. mimus 290. A.
Arteſii 42. E.
Arteſia 265. F. infeſtata 18. B.
Arva flumen 9. B.
Arx ab Albano Duce ordinata 12. C. Limburgenſis 29 B. Carpenſis 29. A. 284. F. Antuerpienſis 32. F. Honinga 105. C. Harlinga 261. D. Cameracenſis a Mollinio defenſa 287. D. Tautenburgum capitur 330. C. Gunterſteinia 373. C. Rammekenſis 391. D. Britannici 460. A. Hemskerka a quo condita 494. B. Wideniſſa a quo condita 495. D.
Aſſabres 338. D. Naves ita dictae 81. C.
Aſſendelfius 14. F. 103. D. 400. C.
Aſſendelfius Hadrianus 101. B. 359. B. mors 360. B.
Aſtelenius Philippus 403. D.
Aſſinga Ripperda 44. F.
Aſſonvillius Chriſtophorus 38. C. 222. C. 294. D.
Aſtronomi 94. F.
Aſta 263. E.
Aſtus in Bello Belgico 43. D.
Atte 811. B.
Athenae Batavae 433. 459.
Athum 87. B.
Atrebates 23. B. 40. D.
Atuatici 392. F.
Auctores, quorum teſtimonia in Arboreto ſacro adhibita 843.
Audevvatra 72. B. 421. A.
Audomaropolis 6. E.
Auguiano Sardoa legis datur 9. E.
Auguſtinus Oetſma 75. F. 332. C.
Auguſtana Confeſſio 232. E. 244. A. 256. A.
Aurelius Panormitanus 23. E. 279. E. 345. B.
Auriacus Gulielmus 13. A. 205. 11. A. 22. F. 29. D. 37. A. 42. F. 43. B. 100. E. fuga 14. B. conqueſtio apud Caeſarem & Electores 15. E. repces 27. D. exercitus caedes 31. A. conſilia perturbata 49. A. litterae 54. E. 79. C. F. 94. F. 121. D foedera in Germania tractat 68. A. claſſis Hemſtedam 112. D. profligata 113. B. Conventus 202. F. urbs direpta 203. A. exercitus 281. E. reſponſio 287. E. 105. A. copias colligit 27. C. a Sonoio literas accipit 46. F. 49. D. claſſem parat 52. B. in ſuas partes Hollandiam trahit 73. D. cognoſcitur praeſes Hollandiae Zelandiae 79. A. exofus 89. C. monet ſuas urbes muniendas 120. E. tributa imponit 122. C. Legatos in Germaniam mittit 283. C.
Auſtervela 250. D.
Autricurtius Anglurius 28. D. 284. D.
Avalus 24. F. 280. F. Caeſar 18. B.
Avenae 88. C.
Avila 31. A. 82. F.
Avila Antonius 14. B.
Avila Franciſcus Ferdinandus 86. C
Avila Sanchius 8. D. 11. C. 264. B.
Axella 256. C.

B

BAckerſelius 282. F. ſupplicium 26. F.
Baccho Abies dicata 785. A. Quercus ſacra 786. C. Lauro coronabatur 789. D. Smilax ſacra 812. E. Vitis ſacra 830 E.
Baetica 12. F.
Baiona 8. F. 12. D. 263. D. foedus 53. F. 310. B.
Bakeniſſae templum 376. F.
Balthicum mare 39. E.
Balthaſarus Wolfius 28. C. 284. C.
Balfurii 108. B. 377. D. 409. A. egregium facinus 112. E.
Balduinus Eobaldus 81. B. 338. C.
Balduinus Ieſuita coniurationis reus 202. B.
Balleius Dux 83. A. 340. C.
Banderius Aegidius 237. A.
Baptiſta Montanus 23. E. 279. E.
Barcinon 8. D. 263. C.
Barnenda Ioannes 36. B. 292. C.
Bartholomaeus Campocaſſius 104. D. 347. E. Medina Coeli 90. B. 112. B.
Bartholomaeus Enteſius 22. F. 43. B. 73. A. 97. C. 105. A. 278. F. 299. D. 329. E. Mentheda 61. C. 317. E.
Bartholomaeus Havicius 401. E.
Bartholomaeus Valleus 20. E. 276. D.
Barbius Burchardus 28. D. 84. F. 284. D. 342. C.
Bardeſius Gulielmus 102. C.
Barlamontius 9. D. 10. E. 85. C. 264. E. 265. F.
Barſonus Arcturus 20. E. 276. D
Barnevoldius Ioannes 145. D.
Baſtingius Ieremias 545. D.
Baſius Ioannes 22. F. 43. D. 49. A. 299. F.
Baſta Nicolaus 17. D. 87. F. 345. B.
Batavae arces 459 D. comitia diremta 152. A.
Batemburgicus 28. D. E. 95. E. 276. D. fratres 276. C.
Baudius Dominicus 531. E.
Bavonis Templum 120. B. 378. A.
Baxius Marcellus 179. A.
Beatrix Florentii V. uxor 496. E.
Bebecotus Ioannes 120. A.
Beierlandia 63. E.
Beiema Siffridus 20. E. 261. D. 276. D.
Bellum Belgicum 5. D. 167. D. civile in Gallia 31. B. Iuliacenſe 202. A. Flandricum 495. F.
Bellovacus 87. C.
Bellingervillius 85. A. 342. C.
Belinus Bieſius 10. E. 265. F.

Digitized by Google

Belgium 5. *A.* 167. *A.* 215. *E.* 386. *E.* divexatum 36. *D.* 128. Imp. Rom. feudum 141. *C.* 176. *B.* pergraſſatur 229. *D.* Epiſcopi 6. *E.* Religio neglecta 6. *D.* urbes 6. *E.* Archiepiſcopatus 6. *E.* pax everſa 6. *D.* 37. *C.* adflicti 27. *D.* a Philippo venia datur 46. *D.* inundatio 48. *C. A.* liberandi auctores 61. *C.* cura 58. *F.* inundatio 304. *C.* quaedam civitates oppreſſionibus liberatae 219. *C.*
Belgae terrore invaſi diffugiunt 12. *A.* profugi mortis edicto revocantur 12. *F.* manu carnificis caeſi 13. *A.* ab Eccleſia deficiunt 15. *A.* Inquiſitionis timore perculſi 15. *C.* in Religioſos irruunt 15. *D.* detenti 38. *A.* profugi 45. *D.* Emerica exacti 46. *F.* imaginum violatores 48. *F.* quomodo in contemtum Hiſpanos adpellabant 67. *C.* coguntur ad ſtudia in Academia Romana 290. *F.* in Britanniam confugiunt 291. *B.* qui tulerunt arma contra Hiſpaniam 427. *B.* Res 5. 167. bellum 5. *D.* ſtipendium 37. *D.* inhibitiones 34. *F.* odia in Albanum 52. *C.* caedes 119. *B.* 377. *A.* metus 267. ſupplicia 291. *A.*
Benavides vulneratur 104. *E.*
Benbichierus Alcaidus 291. *D.*
Beninga Opplevvertia Agatha 56.
Benthuſius 51. *F.*
Benthuſius Gerardus Winghardus 353. *B.*
Berlicomium 76. *D.* 333. *A.*
Bernardus Ioannes 23. *E.*
Bernardus Merodius 346. Rumenus 89. *A.*
Bernardinus Freſneda 7. *C.* 262. *B.*
Bernardinus Mendoza 85. *C.* 86. *B. D.* 91. *A.* 112. *A.* 342. *C.*
Berniſsa 63. *D.*
Bergenſis 11. *A.* Epiſcopi mors 7. *D.* 262. *C.*
Bertinium 32. *D.*
Berrius Antonius 29. *B.*
Berendrecthus Ioannes 16. *D.*
Berchemius Henricus 242. *D.*
Berkius 136. *A.*
Berkius Nicolaus 145. *D.*
Bertemontia porta 89. *E.*
Berendrechta 460. *A.*
Bertius Petrus 566. *B.*
Berkenrodius 84. *A.*
Berkenrodius Gerardus 73. *B.*
Berkenrodius Hadrianus 108. *A.*
Berderodius Arcturus 95. *E.*
Berga 123. *B.*
Bergius 86. *E.*
Bergus Zomanus 179. *A.*
Betula 822. *D.*
Bethlehem 352. *D.*
Bethlehemum Monaſterium 77. *B.* 333. *E.*
Bervvicum 84. *C.* 103. *D.* 341. *E.*
Bibliotheca 497. *A.* inſignis 461. *E.* Leydae 475. *E.*
Bieſius Belinus 10. *E.* 265. *F.*
Biommarti neces 93. *D.*
Billius 35. *F.* aſtus detegitur 121. *E.*
Bilta 76. *D.* 333. *A.*
Binchorſtius 112. *C.* 370. *A.*
Bingium 86. *B.* 343. *B.*
Bipontinus 37. *A.*
Blancus Ioannes 410. *B.*
Blaſcus Nonius Carvaialis 124. *F.* 383. *A.*
Blaſius Vegersheimius 251. *F.*
Blommartus 51. *C.* 307. *D.*
Blommartius Iacobus 89. *A.*
Bloſius Gulielmus 55. *F.*
Bloiſius Treslongus Ioannes 20. *E.* 276. *D.*
Blondus 23. *B.* 279. *A. B.*
Bockorſta 459. *D.*
Bodavilla Franciſcus 399. *C.* 344. *B*
Boerzelarius 256. *D.*
Boiſotus 399. *F.*
Boiſotus Carolus 114. *C.* 372. *A.*
Bolca 76. *B.* 332. *E.*
Bolſvverdia 74. *F.* 76. *A.* 96. *D.* 331. *D.*
Bommelia 32. *D.* 392. *D.* 394. *B.* 409. *A.* 411. *A.*
Bommellius Antonius 426. *C.*
Bommeneda 5. *E.* 424. *B.*
Bombergus Antonius 255. *B.*
Bombergus Cornelius 237. *A.*
Bommenienſis Inſula 49. *F.*
Bona Dea 810. *E.* fiſco addicta 36. *F.* ſpei Promontorium 151. *B*
Bonaventura Vulcanius 510. *E.*
Bononienſe Caſtrum 71. *E.*
Bonnae quid ſint 462. *B.*
Bornanus Maximilianus 73. *B.*
Bordracum 77. *D.*
Borrhaeus Hieronymus 95. *E.* 353. *B.*
Bordeti mors 376.
Borſela 390. *C.*
Boshuſa 460. *A.*
Boshuſius 56. *B.* 68. *A. B.* 92. *C.*
Boshuſius Franciſcus 23. *A.* 94. *B.*
Boſius Ioannes 10. *E.* 265. *F.*
Boſius Wernerus 195. *A.* 159. *E.*
Boſſuvius 14. *E.* 60. *F.* 64. *D.* 85. *C.* 106. *C.* 109. *E.* dolus 64. *E.* litterae 121. *F.* claſſis a Billio adiuta 126. *A.*
Boſſuvius Maximilianus 47. *A.* Hennius 62. *F.*
Boſſuvius Roterodamum ſe recipit, inde ſtrages 320. *F.*
Bothius Franciſcus 46. *B.* 302. *D.*
Botnia Sidius 75. *F.*
Boulenjus 177. *A.*
Bovadilla Franciſcus 86. *F.*
Boxtelius 28. *E.*
Brabanti 39. *D.*
Brabrantia 5. *E.* 26. *D.* 30. *C.* 88. *F.* 152. *D.* inundatio 48. *D.* Bulla aurea 218. *C.*
Braccamontius 19. *B.* 31. *A.* 108. *C.*
Braccamontius Conſalvus 8. *F.* 18. *A. A.* 58. *B.*
Braheus Petrus 55. *D.* 311. *F.*
Brantius Marinus 61. *C.*
Braſſemannus Theodorus 111. *F.*
Brederoda 145. *C.*
Brederodius 43. *B.*
Brederodius Arcturus 353. *B.*
Brederodius Henricus 13. *A.*
Brederodius Lancelotus 47. *F.* 101. *D.* 111. *F.* 299. *D.* 359. *B.*
Brederodius Reginaldus 623. mors 261. *B.*
Breda 73. *B.* 259. *F.* 420. *A.* conventus 432. *D.*
Bredanus 179. *A.*
Brema 68. *C.*
Bremanus Theodorus in vinculis 49. *C.*
Breukela 115. *E.* 373. *C.*
Bria 58. *E.*
Briacus Iacobus 29. *C.*
Brila 47. *D.* 58. *C.* 66. *E.* 70. *E.* 73. *D.* 105. *D.* 314. *E.* capta 60. *C.* 63. *C.* 64. *B.* 316. *F.* 320. *F*
Britneus Carolus 19. *C.* 275. *A.* arx 460. *A.*
Brilani piratae 324. *B.*
Broagium 69. *C.*
Bronckorſtius Cornelius 95. *B.* 353. *B.*
Bronckorſtius Everardus 528. *B.*
Bronckorſtius Gulielmus 106. *C.*
Brouka 123. *F.* 380. *F.* occupatur 122. *E.*
Brouckuſius 96. *C.*
Brouckuſius Gisbertus 354. *A.*
Brouckuſius Henricus 125. *F.*
Broechius Henricus 237. *A.*
Brotius Andreas 104. *E.*
Brovversha via 424. *A.*
Brovvera 400. *A.*
Brunſvicenſis Ericus 23. *A.*
Brugae 6. *E.* 48. *C.* 81. *D.*
Bruxellenſes 9. *E.* 23. *D.* 81. *D.* 92. *F.* a decima ſolvenda liberati 63. *A.* Conventus 11. *B.* 38. *F.* ad decimam ſolvendam coacti 62. *F.* Comitia 87. *F.* primi caeduntur 276. *C.*
Bruxellis caeſi 284. *E.*
Bruxellus Conſtantinus 20. *E.* 276. *D.*
Bucoldus Ioannes 500. *C.*
Buickius Iuſtus 257. *C.*
Bulla in Coena Domini 41. *E.* 297. *F.* aurea Brabantiae 218. *C.*
Buma Holzo 74. *B.*
Bura 411. *A.* 420. *B.* expugnatur 420. *F.*
Burani Comitatus 73. *B.*
Buranus Philippus 14. *D.*
Burchardus Barbius 342. *C.*
Burgundia 9. *C.* 23. *B.*
Burgus Leydae 477. *C.*
Burgravii 477. *E.*
Burgius Ioannes 179. *F.* Epiſcopus 431. *A.*
Burgerſdicius Franco 613. *B.*
Burchardus Baraius 28. *D.* 84. *F.* 284. *D.*
Buſlemus 355. *B.* pagus 97. *D.*
Buſius Paulus 73. *A.* 299. *A.* 326. *D.* 402. *F.*
Butervechius Gerardus 499. *D.*
Buxus 816. *B.*
Buxenvallius 170. *D.*
Buzenvallius 135. *F.*

C

Cabelavius 68. *D.* 123. *E.* 479. *A.*
Cabelavius Iacobus 61. *C.* 96. *F.* 120. *E.* 354. *D.*
Cabelavius Medemlaci praefectus 325. *B.*
Caedes 17. *F.* 83. *A.* 91. *D.* 98. *C.* 351. *B.* 344. *E.* 364. *F.* 369. *B.* 392. *D.* 410. *C.* 421. *F.* pecorum & hominum propter inundationes 304. *E.*
Caeſar Avalus 18. *B.* 287. *C. D.* mors 31. *C.*

Digitized by Google

Caesar Avilas Piscariae ex Marchionibus 274. *B.*
Caesi Bruxellis 284. *E.*
Caga 112. *C.* 370. *A.*
Caletum 32. *C.* 215. *A.* 288. *D.*
Calviniani 256. *E.* Protestantes 256. *B.*
Calyptratarum Monasterium 463.
Calsagius 43. *A.* 299. *C.*
Calloum 400. *A.*
Cameracum 6. *E.* 85. *F.* 343. *A.*
Campocassius Architectus 106. *F.*
Campocassius Bartholemaeus 104. *D.* 347. *E.*
Campocassius Medina Coeli Bartholemaeus 90. *B.*
Camminga Petrus 75. *F.* 332. *C.*
Campanae a turribus detractae 64. *A.* 320. *D.*
Caminus 252. *C.*
Campi 47. *D.* 91. *F.* 96. *A.* 330. *C.*
Campi urbs obsidetur 73. *F.*
Camerlinus Nicolaus 51. *F.* 308 *A.*
Cameracensis ager 31. *C.* 85. *B.* arx 31. *C.* 32. *D.*
Cameraci Synodus 45. *C.*
Campinia 22. *D.*
Canalis aquae 280. *C.*
Canina Sylva 48. *F.*
Caninefates 107. *A.*
Cantium 145. *E.*
Cantius Reinerus 22. *F.* 43. *D.* 299. *F.*
Cantabri 81. *C.*
Captivi 12. *A.* 384. *F.* cruciati 365. *A.*
Capellus Antonius Burgundus 65. *F.* 322. *C.*
Capellus Ludovicus 442. 571. *C.*
Capresius 123. *B.* 393. *B.*
Caprarius Petrus 19. *F.*
Carlerius Ludovicus 20. *E.*
Carolus 268. *D.*
Carolus Arsillius 29. *C.* 285. *C.*
Carolus Brimeus 19. *C.* 33. *E.* 275. *A.* Megensis 289. *E.*
Carolus Bombergus 237. *A.*
Carolus Boisotus 114. *C.* 372. *A.* mors 423. *E.*
Carolus Caesar 265. *C.*
Carolus Clusius eius vita & opera 544. *B.*
Carolus Danzaeus 52. *E.* 308. *F.*
Carolus Ebulus 37. *B.* 293. *C.*
Carolus Falius 242. *D.*
Carolus Gallus eius vita, & scripta 577. *D.*
Carolus Galliarum Rex 262. *F.*
Carolus Merlus 25. *F.* 281. *F.*
Carolus Mausfeldius 11. *F.* 267. *A.*
Carolus Maximiliani frater 27. *F.*
Carolus Mornaeus 310. Varennius 54. *E.*
Carolus Magnus 435.
Carolus Philippi filius 8. *C.* frater 283. *F.*
Carolus Quarraeus 36. *A.* 292. *B.*
Carolus Rex 268. *C.* 325. *C.*
Carolus Telinius 58. *E.*
Carolus Vander-Notia 16. *B.*
Carolus V. 5. *A.* 36. *F.* 41. *E.* 58. *A.* 293. *A.* 297. *F.* 314. *C.* 167. *B.* 213. *A.*
Carolus Galliae Rex 85. *D.*
Carolus ab Albano auxilium petit 12. *D.*
Carcer effractus 36. *C.*
Cardinalis Castellionaeus 294. *E.* Lotharingius 288. *D.*
Carlous 28. *D.* *E.* 272. *B.*
Carlerius Ioannes 237. *A.*
Carlerius Ludovicus 276. *D.*
Carpensis arx 29. *A.*
Caronius Natalis 136. *B.*
Carolomontium 213. *E.*
Carthago 6. *A.*
Carlota Borbonia 420. *A.*
Carvaialis Didacus 24. *E.* 86. *F.* 103. *E.* 344. *B.* caesus 111. *E.*
Casembrotii 483. *B.*
Casembrotius Backerselius Ioannes 266. *F.*
Casembrotius Leonartus 95. *E.* 353. *C.*
Caspar Billius 108. *D.*
Caspar Oratisius 420. *D.*
Caspar Roblessius 32. *D.* 74. *C.* 48. *B.* 304. *C.* 330. *F.*
Casparus 107. *A.*
Casparus Schombergius 31. *D.* 69. *D.* 287. *E.* 326. *A.*
Casparus Vrea 65. *A.* 91. *D.* 321. *D.* 349. *A.*
Castellio 71. *E.* 328. *B.* Castellum Ohanium 16. *B.* Wedda 17. *A.* ligneum 116. *C.* 374. *A.*
Castellionaeus Cardin. 37. *D.*
Castrum Aononiense 71. *E.*
Cassandria Insula 200. *F.*
D. Catharinae Fanum 377. *A.*
Catharina Medicea 71. *B.* 327. *E.*
Catharina Tedenia 464. *D.*
Catvvicium 83. *D.* 340. *F.* 459. *C.*
Cataracta Gandendis 48. *C.*
Cattevillius 403. *E.*
Catholici divexantur a Protestantibus 271. *C.*
Cedrus 803. *C.* Symbolum 804. *E.*
Cellariorum Monasterium 463. *E.*
Cenisius mons 8. 263. *D.*
Cepeda Ioannes 83. *C.* 340. *E.*
Cerda Medina Coelius Ioannes 81. *B.*
Cereri Quercus sacra 786. *C.* 812. *E.* Papaver sacrum 842. *B.*
Cerasus 816. *A.*
Ceubelia 460. *A.*
Ceulen Ludolphus 614. *P.*
Chartusiani 88. *D.* 92. *C.* 243. *B.* 349. *F.* Monasterum populatur 261. *C.* 346. *A.*
Charisius Ionas 142. *C.* 177. *B.*
Chevereaulxius 9. *C.* 30. *F.* 70. *F* 86. *C.* 89. *D.* 111. *F.* 123. *B* 264. *D.*
Chela 424. *B.*
Chiapinus Vitellius 9. *A.* 20. *A.* 23. *A.* 30. *D.* 85. *C.* 263. *F.* 275. *F.* 279 *A.* 342. *E.* mors 43v.
Christophorus Assonvillius 38. *C.* 222. *C.* 294. *D.*
Christophorus Bavarus 392. *A.*
Christophorus Corverus 88. *C.* 345. *F.*
Christophorus Friderici Palatini filius 69. *D.*
Christophorus Guntherus 109. *D.* 120. *A.* 367. *A.*
Christophorus Mondragonius 47. *B.* 122. *B.* 303. *C.*
Christophorus Palatinus 483. *F.*
Christophorus Quixada 91. *D.* 349. *A.*
Christophorus Scagius 359. *A.* *F.*
Christophorus Vaderus 120. *A.* 359. *E.*
Christophorus Vasquius 96. *A.* 353. *D.*
Christi imago in terram directa 231. *F.* quid in passione sua hominibus promeruit 752. *A.* vestis purpurea 797. *B.*
Christina Arnoldi 465. *D.*
Christiana fides 242. *E.*
Christianus Frisius 435.
Christophorus Sagius 370. *D.*
Ciaconius Petrus 406. *B.*
Cibeli Pinus sacra 811. *C.*
Ciconia 812. *D.*
Cimelia 154. *D.*
Cisterciensis Ordo 34. *D.* Ordinis inspector 290. *D.*
Clarae Fanum 22. *C.*
Clara Petri 465. *E.*
Clades 48. *C.* in pugna navali 172. *F.*
Clarocampius Abbas 33. *F.* 290. *D.*
Claudius Monduletus 71. *E.*
Classis 61. *C.* mercibus onusta 80. *D.* adparatur 138. *A.* oram Hispaniae infestans 171. *A.* Belgica 172. *C.* expugnata 299. *D.* deleta 400. *B.* sexaginta navium 403. *B.* Leydae auxiliaria 487. *D.*
Clerovallius 9. *C.* 264. *D.*
Claudius 67. *B.*
Claudius Mondulcetus 328. *B.*
Clerus 16. *F.* 92. *E.* 93. *A.*
Cleanthes 438.
Clerici 79. *F.* 188. *E.*
Clementia 465. *F.*
Clientes Imperii 45. *E.*
Clivia 16. *F.* 17. *D.* 50. *D.* arx 103. *F.* 107. *C.*
Clunderta 420. *F.*
Clusius Carolus 544. *B.*
Clusius Ioannes 52. *D.*
Cluverius Philippus 590. *D.*
Cnivius Ioannes 25. *F.*
Cnocum 279. *F.*
Cocus Batenburgicus 276. *D.*
Cocus Maximilianus 30. *E.* 276. *D.*
Cocus Nerinius Robertus 323. *F.*
Cocavillius Dux 18. *B.*
Coddaeus Gulielmus 587. *C.*
Coenobia violata 89. *C.*
Coenobii expugnatio 20. *B.* Spinelvienſe 87. *C.* 88. *A.* 345. *D.* Chartusianorum 92. *C.* 349. *F.* *D.* Bernardi diripitur 231. *E.* Groningae captum 275. *F.*
Collegia Magorum 449. *D.*
Colonienſis Archiep. 345. *E.*
Colignius Dux 213. *F.*
Colignia Ludovica 198. *F.*
Coltermannus 84. *A.*
Coltermannus Ioannes 68. *D.* 73. *B.* 83. *F.* 326. *A.* 341. *B.*
Colinius 58. *D.* 71. *B.* 69. *C.* 85. *A.* 314. *F.* 325. *F.* 327. *E.* 343. *C.*
Colonia Agrippina 176. *C.* Iohannes 312. *B.*
Collegium Druidarum 449. *E.* Theologorum 463. *E.* Leydae Theologicum 476. *C.*
Colchestria 35. *B.* 291. *C.*
Columna marmorea 20. *D.* 276. *C.*
Columbae 369. *D.* 373. *F.* sub alis litteras deferunt 111. *F.* 116. *A.* *D.* 406. *E.* 489. *E.*
Comes Wilhelmus Nassovius 177.
Comitatus Burani 73. *B.* Zutphanienſis invaditur 73. *E.*

Com.

Digitized by Google

Commercia 39. *D.* 40. *B.* 42. *C.* 150. *B.* impedita 25. *F.* 47. *B.* prohibita 38. turbata 94. *D.* in Belgio 303. *E.*
Comitia 227. *C.* Hagae 57. *B.* 77. *C.* 313. *D.* 334. *A.* Bruxellarum 87. *F.* indicta 141. *B.* diremta 152. *A.* Foederatorum 175. *F.* Spirae 301. *F.* Nemetum 45. *D.* generalia 430. *C.*
Condatum 87. *B.*
Conciones clandestinae 51. *C.*
Consul Delphensis 106. *C.*
Convivium 213. *F.*
Coniurationis rei 202. *B.*
Conderfius Abelus 145. *E.*
Conventus 153. *C.* 156. *D.* 174. *E.* 180. *D.* 188. *D.* 191. *C. D.* 234. *F.* 256. *D.* 266. *D.* Bruxellensis 11. *B.* 38. *F.* Groningae 26. *A.* Dordraci 77. *C.* 334. *A.* Foederatorum 145. *C.* 177. *B.* Hispaniae 152. *C.* Antuerpiae 161. *D.* Auriaci 202. *F.* Hocstratae 215. *F.* Gandavensis 215. *D.* perturbatus 273. *D.*
Conventiones 411. *F.*
Conventicula 47. *C.* in Belgio 303. *E.*
Conscientiae libertas 35. *A.* 236. *F.* 274. *D.*
Condaeus 9. *C.* 31. *B.* 287. *C.*
Consalvus Braccamontius 8. *F.* 18 *A* 58. *B.* 123. *A.* 263. *E.* 274. *B.* 314. *D.*
Consalvus Monterus 8. *D.* 264. *B.*
Confessio Augustana 232. *E.* 237. *A.* 259. *E.* 260 *A.*
Concionatores 11. *A.* 47. *C.* 241. *E* 266. *B.* 303. *E.* occulti 44. *D. E.* Protestantium in furcam acti 250. *E.* ignoti 300. *F.*
Concilium Tridentinum 14. *C.* 16. *D.* 45. *C.* 217. *A.* 272. *D.* 290. *E.* promulgatum 270. *C.*
Conciones 235. *F.* 237. *A.* 248. *A.* 259. *A.* clandestinae 307. *E.*
Concionum auditores supplicio destinantur 16. *C.* puniuntur 272. *C.*
Constantinus Bruxellus 20. *E.* 276. *D.*
Consilium Baionae 263. *D.*
Coppestocus Ioannes Petrus 61. *E.* 318. *A.*
Copsius Simon 257. *E.*
Corona myrtea 825. *A.* adianti 839. *B.*
Corcuera 125. *E.*
Cornus 815. *C.*
Cornelius Bronckorstius 95. *D.* 353. *B.*
Cornelius Bombergus 237. *A.*
Cornelius Engelbrechtus 466. *C.* 498. *B.*
Cornelius Eiekenus 38. *E.* 294. *F.*
Cornelius Everdingus 84. *B.* 341. *E.*
Cornelius Gentius 145. *D.* 180. *B.*
Cornelius Heidius 498. *A.*
Cornelius Kunstius 498.
Cornelius Musius 100. *A.* 106. *B.* 358. *A.*
Cornelius Menius 21. *A.* 276. *F.*
Cornelius Mylius 72. *D.* 329. *A.*
Cornelius Matthaeus 374. *E.*
Cornelius Neostadius, eius vita & scripta 576. *C.*
Cornelius Petri 497. *E.*
Cornelius Reinegomius 72. *D.* 329. *A.*
Cornelius Risvvicut 68. *D.* 121. *F.* 325. *A.*
Cornelius Venius 100. *B.* 258. *A.*
Cornelius Vander Mylius 200. *C.*
Corona Civica 787. *B.* Olympica 788. *B.*
Corellius Lubbertus 55. *D.*
Cortevillius Iustus 346. *D.*
Corverus Christophorus 88. *C.* 345. *F.*
Cosmus Medices 69. *C. D.* 325. *F.* Etruriae Dux 432. *A.*
Cossaeus 31. *C.*
Cotinus 116. *E.*
Coudekerca 459. *D.*
Coudoma 76. *B.* 332. *E.*
Coverdia 23. *F.* 23. *F.* 279. *E.*
Covelius Lubbertus 311. *F.*
Crabbendamum 123. *F.* 125. *A* 382. *A.*
Cressonerius 279. *B.* Machlinia 23. *C.*
Crenio Pinus dicata 811. *F.*
Creitus 404. *A.*
Crimpa 422. *B.*
Crimpentm 72. *F.* 329. *C.* Insulae inundatio 48. *D.*
Cristophorus Scagius 112. *F.*
Crispinus Zeltbrugius 17 *B.* 273. *C.*
Crocus Michael 110. *C.* 368. *A.*
Crommius Ioannes 426. *C.*
Croius 23. *B.* 279. *A.*
Cronestena 459. *D.*
Crodenburgica porta 12. *B.*
Cruce Hispani necati 90. *D.* signum 802. *B.*
Cuca 393. *C.* ager 393. *B.*
Cueva Alburquercius Gabriel 263. *D.*
Culices quomodo arceantur 842. *F*
Culdensternius Nicolas 55. *D.*
Culemburgica domus 11. *B.*
Cunerus 33. *E.*
Cuniga Ioannes 8. *A.* 111. *D.* 263. *A.* 369. *B.*
Cunaeus Petrus 588. *E.*
Cunderta 74. *B.* 330. *E.*
Cuocus 24. *A.*
Cupressus 806. *B.*
Cursus ludicrus 32. *E.* 288. *F.*
Curtius Martinengus 19. *B.* 275. *A.*
Curia nova in Belgio 76. *F.*
Cuyckius Ioannes 65. *D.*
Cuyckius Herpetenus Ioannes 321. *F.*
Cyparissi fabula 806. *B.*

D

DAlemus 17. *F.* 273. *F.*
Damus 19. *B.* 274. *E.* 275. *C.* oppidum 18. *F.*
Damianus Moralis 392. *C.* 420. *E.*
Danorum Regis legatus 59. *A.* 435.
Dani 438.
Danzaeus Carolus 52. *E.*
Danaeus Lambertus 520. *E.*
Daniel Altinus 139. *B.* 173. *E.*
Daniel Wingardus 402. *F.*
Daventria 6. *E.* 23. *A.* 32. *D.* 47. *B.* 47. *D.* 279. *A.* 387. *C.*
Declamator 306. *F.*
Declamator Albani laudes dicit 50. *D.*
Deça, Ioannes 115. *E.* 373. *D.*
Decima 39. *D.*
Dei auxilium 100. *A.* Verbum 705. *A.* Benedictio 756. *E.* amor 757. *F.*
Deiesta 265. *A.*
Delfensis arca 404.
Delvalius 86. *E.*
Delatores 38. *D.* 42. *F.*
Delrio, Ludovicus 10. *E.*
Delphi 47. *D.* 79. *E.* 83. *C.* 95. *D.* 102. *C.* 105. *A.* 108. *B.* 336. *D.* 459. *B.*
Delphio, Ludovicus 265. *F.*
Delfshavia 64. *C.* 65. *A.* 83. *D.* capta 320. *F.*
Delfsilia 24. *D.* 122. *D.* 173. *A.* 279. *F.* portus maris, & urbs constituitur 25. *E.*
Dentiscalpium 815.
Deo gratiae pro victoria 385. *A.*
Deo quomodo placet homo 374. *D.*
Derdenius legatus 111. *F.*
Deus misericors 732. *E.* hominum pater 735. *E.* omnipotens 739. *C.*
Dibbaldus 461. *B.*
Dictannus 844. *A.*
Didacus Carvaialis 24. *E.* 29. *B.* 86. *F.* 103. *E.* 280. *E.* 344. *B.*
Didacus Felix 124. *F.* 383. *A.*
Didacus Peresius 108. *D.* mors 366.
Didacus Zunica 85. *D.* 342. *F.*
Didericus Sonoius 43. *D.* 52. *D.* 299. *E.* 308. *F.*
Didericus Comes 477. *D.*
Diesta 9. *E.* 351. *A.* capta 89. *D.* 346. *F.* recuperata 93. *C.*
Diestius, Nicolaus 387. *D.*
Dies in bello Belgico quomodo nuncupati 44. *A.*
Diemenus agger 113. *C.* 371. *B.*
Diemena matrona gladio percussa 26. *E.* octogenaria caeditur 282. *F.*
Diliae inundatio 108. *F.* 366. *C.*
Diluvium Lovanii 108. *F.* 366. *C.*
Dillemburgum 14. 42. *F.* 66. *E.* 270. *B.*
Discovius Ioannes 42. *D.* 177. *B.*
Direptio Hispanorum 93. *B.*
Dincvercium 421. *B.*
Doco Martina 74. *A.* 78. *F.* 122. *D.* 126. *A.* 330. *D.* 332. *C.*
Doccomium invasum 332. *B.*
Dodoneus Rembertus 520. *A.*
Doesa 459. *E.* 459. *D.*
Dolphius Arnoldus 89. *A.*
Domus lignea, quae dicta 462. *F.* Leprosorum 463. *D.* 464. *E.* Orphanorum 464. *F.* 465. *A.* Piae 465. *A.* Sagittariorum Leidae 466. *F.*
Dominicus Baudius 531. *E.* eius vita & opera.
Donremonda 387. *C.*
Donellus Hugo 522. *F.*
Dordracum 47. *D.* 64. *C.* 66. *E.* 102. *F.* 109. *D.* 296. *F.* 334. *B.* 409. *C.*
Dordraci inundatio 48. *D.*
Dordraci Conventus 77. *C.* 334. *A.*
Dordraces 40. *E.*
Dordraceni 73. *A.*
Dorpius Arnoldus 346.
Dothia 173. *E.*
Dothia Wiaxdia 139.
Dotecomium 73 *E.* 330. *B.*
Dousa Ianus 504. *B.* 530. *F.*

Digitized by Google

Douſa Nordovicus 104. *F.*
Dreiſchera 424. *A.*
Druſius Ioannes 574. *B.*
Druidarum Collegium 449. *E.*
Duaceni 42. *E.*
Duaeus captus 273. *F.*
Ducis Silva 159. *E.*
Duces Navius 304. *A.*
Ducaeus Ambroſius 426. C.
Dueus 276. *F.* capitur 17. *F.* nex 21. *A.*
Duellum 83. *B.*
Dumy quid ſignificet 461. *A.*
Dunkerka 48. *C.* 138. *A.* 172. *D.* 200. *A.*
Dura 28. 284. *F.*
Durdrechtum 459. *C.* 461. *B.*
Duranda 424. *D.*
Durerus Albertus 499. *A.*
Dusburgum 73. *E.* 85. *A.* 95. *F.* 330. *B.* 342. *C.* 353. *C.*
Duſſeldorpii comitia 204. *C.*
Duvenvordius Arnoldus 77. *D.* 334. *B.*
Duvenvordius Ioannes 318. *E.*
Duvenvordius Iacobus 51. *F.* 308. *B.*
Duvelandia 423. *C.* 426. *E.*
Duvenvada 459. *D.*
Dux Lermaeus 187. *C.*
Duykius Adrianus 92. *E.* 350. *C.*

E

EBerſteinius 87. *E.* 90. *E.* 103. *F.* 108. *D.* 123. *B.*
Eberſteinius Philippus 29. *C.*
Eburones 29. *D.*
Ebulus, Carolus 37. *B.*
Eccleſia 203. *B.* Belgica 68. *A.*
Eccleſiae Belgii reformatae 28. *B.* direptae 62. *C.* iniuria affectae 230. *E.* depreſſae 233. *A.* reformatae 284. *B.*
Eccleſiaſtici occiſi 88. *E.*
Eccleſiaſticorum querelae 52. *A.*
Eccleſiarum veſtes in uſus profanos 66. *F.* Leidenſium Rectores 618. *E.*
Edamus 68. 77. *D.* *F.* 94. *C.* 325. *B.* 334. *B.* 371. *B.*
Edami praefectura cui tradita 68. *F.*
Enchuſa 334. *B.*
Edſardus Embdanus 55. *F.* 59. *A.* 312. *B.* 315. *B.*
Eekera 395. *E.*
Egidius Grevius 237. *A.*
Egidius Villenus 256. *C.*
Egmundanus 9. *B.* 11. *A.* 14. *B.* in carcerem truſus 21. *A.* 264. *E.* captus 266. *D.* in carcerem coniectus 276. *F.* litterae 21. *C.* mors 22. *B.* 278. C.
Egmunda 110. *B.* 367. *F.* exuſta 120. *F.* 378.
Egmondus Albertus 43. *B.*
Egmondus Otho 51. *F.*
Egmondi uxor pro libertate mariti deprecatur 13. *E.*
Eiechenus 38. *E.* 294. *F.*
Eiloſius Ioannes 329. *D.*
Einateſius Adolfus 204. *A.*
Eiſſinga Tiallingus 18. *F.*
Elburgum 73. *E.* 330. *B.*
Elbertus Leoninus 50. *E.* 88. *F.* 346. *C.* 411. *C.*
Elbertus Theodorus 128. *A.*
Electus 410. *A.* 397. *A.* qui dicebatur 63. 319. *D.* Caeſus 410. *B.*
Elegiae Ioannis Meurſi 673.
Eleemoſynariorum domus 465. *C.*
Elizabethae mors 12. *F.* 35. *A.* 37. *C.* 199. *B.* 293. *D.* 317. *D.* 362. *C.* 426. *F.* Regina 28. *F.* 61. *A.* Angliae Regina 291. *B.* 299. *F.* a Philippo contumelioſe habita 69. *B.* uxor Caroli moritur 268. *E.* mors 325. *E.* cum Philippo pax 371. *A.* Othonis Bruſvicenſis 493. *D.*
Eligius Rudanus 52. *C.* 308. *D.*
Elias Placaeus 135. *F.*
Elius Everardus Vorſtius 550. *F.* eius vita & opera.
Elpenum 145. *E.*
Elsburgenſis portus 54. *C.* 55. *A.* 310. *E.*
Emanuel Sabaudus 18. *E.* 274. *C.*
Embiſius 43. *B.* 93. *D.* 299. *D.* ſuffocatus 351. *A.*
Embda 24. *A.* 49. *A.* 56. *A.* 68. *C.* 138. *A.* 172. *E.*
Embdanus, Edſardus 55. *F.* 59. *A.*
Embdani vexati 138. *E.* in vincula adducti 173. *C.*
Emerica 46. *F.* 50. *F.* 303. *B.*
Empedoclis de anima opinio 789. *C.*
Enchuſa 68. *A.* 75. *F.* 77. *D.* 91. *F.* 121. *E.* ad deditionem ſollicitata 47. *C.* infeſtata 94. *B.* 351. *E.* deditur 324. *E.*
Endius Iacobus 14. *E.* 270. *D.*
Endegeſta 159. *D.*
Engelbrechtus Cornelius 498. *B.*
Engelbertus Leidenſis 497. *A.*
Engiſtus Saxonum Dux 477. *C.*
Enno 155. *A.* 172. *F.* 189. *E.* 138. *B.*
Enſis a Papa donatus 37. *B.*
Enricus Brunſvicenſis 278. *F.*
Entheſius 49. *B.*
Entheſius Bartholemaeus 22. *F.* 43. *B.* 73. *A.* 105. *A.* 278. *F.* 299. *D.* 329. *E.*
Eobaldus Balduinus 81. *B.* 338. *C.*
Eppena 28. *F.* 284. *F.*
Epiſcopus Groesbequius 29. *F.*
Epiſcopi Suffraganei 7. *A.*
Epiſcopi Dioeceſim ſuam ſinguli adminiſtrant 289. *E.*
Epigrammata 502. *E.* variorum 470. *D.* in iſtitutione Leidenſis Academiae. Ioannis Meurſii 707.
Epiſtola Ioannis Meurſii ad Ordines Hollandiae &c. 3. 726. Heroides Ioannis Meurſii 685.
Epo Georgius 44. *F.*
Equi Africani 201. *D.*
Equae donandae 201. *C.*
Eraſtus Martinus 349. *A.*
Erbovillius 55. *D.*
Erbovilibus 32. *F.*
Ericus 54. *F.* Brunſvicenſis 23. *A.* 279. *A.* Dux Brunſvicenſis 225. *B.* Bruſvicenſis ianam occupat 261. *D.* 435.
Erica 437. *C.*
Erinnyes 803. *F.*
Erneſtus Mandeslous 84. *F.* 342. *C.*
Erpenius Thomas 593. *F.*
Ertſwouda 125. *A.*
Erucarum nidus 463. *C.*
Eſculus 805. *F.*
Eſſena 85. *A.* 342. *C.*
Eſpernius 90. *C.* 345. *E.* Dux 88. *B.*
Eſpeſius Gerardus 37. *C.*
Eumenidibus ſacra Cedrus 803. *C.*
Eunapius 504. *F.*
Europa 6. *A.*
Everardus Bronchaſtius 528. *B.* eius vita & opera.
Ewerdingus Cornelius 341. *E.*

F

FAbarum uſus in electione Magiſtratuum 36. *A.*
Fabae ad ſuffragia ferenda ſublatae 292. *B.*
Fabricius Polus 94. *F.* 352. *D.*
Factiones Leidae 479. *A.* 483. *B.*
Faeſio Leiceſtriana 492. *E.*
Faeminae vim paſſae 281. *C.*
Fagus 788. *E.*
Fagnolium expugnatum 213. *F.*
Faillius Martinus 149. *F.*
Falius, Carolus 242. *D.*
Falcoburgum 392. *E.* 393. *A.*
Fames 115. *C.* 391. *E.* 373. *A.* 374. *C.* 404. *B.* 408. *C.*
Famarſius 71. *A.*
Fanum Ambroſii 8. *F.* 145. *E.* 263. *D.*
Fanum Amandi 243. *B.*
Fanum S. Audomari 223. *E.*
Fanum Clarae 22. *C.*
Fanum Floriani 91. *A.* 384. *D.*
Fanum Giſelini 86. *D.* 345. *A.*
Fanum Gudele 22. *C.*
Fanum Huberti incenſum 31. *B.* 287. *B.*
Fanum Luciferi 138. *A.*
Fanum Quintini 12. *D.* 22. *D.* 31. *D.* 268. *C.* 281. *D.*
Fanum Trudonis 30. *C.* 227. *C.* 286. *C.*
Fanum Valerii 18. *C.*
Fanum Viti 28. *F.*
Fanellius Serius 31. *D.* 287. *E.*
Fana unde dicta 810.
Farmaſius 70. *E.*
Faſces Imperatorum 790. *B.* magiſtrales quo ligno facti 822. *D.*
Fauna 810. *E.*
Faunus 810. *D.*
Fauno Pinus ſacra 810. *D.*
Ferdinandus 9. *E.* 214. *C.*
Ferdinandus Agnaſcus 86. *F.*
Ferdinandus Alvareſius 6. 7. *C.*
Ferdinandus Albanus filius 8. *D.* 263. *C.*
Ferdinandus Alvareſius Albanus 262. *B.*
Ferdinandus Alvarez 289. *A.* 33. *A.*
Ferdinandus Coeſar creatur 214. *F.*
Ferdinandus Imp. 5. *B.* 167. *A.*
Ferdinandus Toletanus 47. *B.* 58. *B.* 62. *F.* 83. *B.* 90. *E.* 108. *C.* 303. *C.* 314. *D.* 319. *C.* 340. *E.* vulneratur 93. *A.* 350. *D.*
Ferrandinus Agnaſcus 344. *B.*
Ferrandus Gironus 161. *B.* 196. *E.*
Fermeria 91. *A.* 348. *D.*
Feſtus, Homnius 596. *D.* eius vita & ſcripta.

Feſſa

Digitized by Google

Feſſa occupata 201. *F.*
Feugueraeus Gulielmus 573. *C.*
Ficus 807. *C.* Mercurialis 808. *C.*
Fidei ſimbolum 79. *E.*
Fides Catholica 272. *F.*
Figueroa 25. *B.*
Figueroa Lopeſius 24. *F.* 112. *A.*
Figueroa Suareſius 7. *C.*
Firminus Peletarius 20. *E.* 276. *D.*
Flandria 5. *E.* 152. *D.*
Flandrorum ſtrages 494. *B.* bellum 495. *F.*
Flevus 43. *C.* 49. *B.* 60. *E.* 126. *A.* 384. *C.*
Fletus 459. *C.*
Fliſſinga 33. *E.* 47. *A.* 289. *E.* 65. *C.*
Floriani Fanum 91. *A.* 348. *D.*
Florida 69. *B.* 325. *E.*
Florentia 69. *C.*
Florentii V. elogium 496. *D.*
Florentius Floionus 420. *C.*
Florentius Franciſcus 499. *C.*
Florentius Thinnius 46. *C.* 302. *D.*
Florentius IV. 493. *C.*
Florentius V. 493. *C.* 494. *F.*
Florentius V. Comes 461. *F.*
Florentius Monmorantius Monnius 222. *E.*
Florentius Pallantius 13. *A.* 20. *C.* 268. *F.* 276. *B.*
Florentius Scontrovius 495. *D.*
Foederatorum claſſis 126. *A.* provinciae 137. *C.* Conventus 145. *C.* laudes 162. *A.* Comitia 175. *F.*
Foedus Baionenſe 53. *F.* 310. *B.*
Foedus contra Hiſpanos, inter Hollandi ordines 336. *C.*
Fontenaium 9 *C.* 264. *D.*
Foreſtus Petrus 507. *F.* eius elogia, & ſcripta 510.
Foſſores 29. *C.*
Franciſcus Alava 243. *B.* 259. *F.*
Franciſcus Aquilarius Alvarany 421. *E.*
Franciſcus Bovadilla 86. *F.* 124. *F.* 344. *B.* 383. *A.* 399. *C.*
Franciſcus Bothius 46. *B.* 302. *D.*
Franciſcus Roshuſius 23. *A.* 94. *B.*
Franciſcus Florentius 499. *C.*
Franciſcus Ferdinandus Avila 86. *C.* 343. *E.*
Franciſcus Godinus 237. *A.*
Franciſcus Gomarus 540. *C.* eius vita & opera.
Franciſcus Hangeſtus Ienliſius 28. *D.* 284. *D.*
Franciſcus Ibarra 8. *B.* 263. *A.*
Franciſcus Iunius 534. *F.* eius vita & ſcripta.
Franciſcus II. 215.
Franciſcus Lanovius 88. *E.* 315. *A.*
Franciſcus Mendoza 89. *A.*
Franciſcus Monteſius 14. *B.* 270.
Franciſcus Maeſtonius 428. *F.*
Franciſcus Richardotus 430. *C.*
Franciſcus Raphelengius 526. *B.* eius vita, & ſcripta.
Franciſcus Salina 22. *A.* 277. *F.*
Franciſcus Salazarius 88. *A.* 394. *A.*
Franciſcus Sonnius 6. *D.*
Franciſcus Salvaterra 399. *A.*
Franciſcus Toletanus 31. *C.* 90. *E.* 91. *D.* 111. *E.* 287. *D.*
Franciſcus Varga 104. *D.* 361. *F.*
Franciſcus Varga vulneratur 17. *F.*
Franciſcus Valdeſius 88. *D.* 115. *D.*
Franciſcus Verdugus 125. *E.* 383. *F.*
Frantzius 190. *A.*
Frantzies Thomas 39. *A.*
Frantzius orator mittitur 155. *A.*
Franciſcano habitu Hermannus Rutherus Loveſtenium capit 49. *F.*
Franekera 76. *A.* 96. *D.* 331. *D.* 354.
Franco Burgesdicius 613. *B.* eius vita.
Fraximus 809. *B.*
Francia 146. *A.*
Freſneda Bernardinus 7. *C.*
Fretum Gaditanum 201. *B.*
Fregoſus Ieſuita 397. *D.*
Fremenantius 86. *E.*
Fridericus 333. *E.*
Fridericus Albanus 263. *C.*
Fridericus Albani filius 8. *D.*
Fridericus Caeriolanus 419. *A.*
Fridericus Epiſcopus Vltraiectinus 477. *F.*
Fridericus Otho 128. *A.* 386. *A.*
Fridericus Palatinus 18. *D.* 274. *C.* 326. *A.* ſeptemuir 69. *D.*
Fridericus Perenottus 395. *A.*
Fridericus Rollenhauſenus 28. *D.* 284. *C.*
Fridericus Rex Daniae 216. *E.*
Fridericus Sevenderius 125. *A.*
Fridericus Toletanus 60. *C* 60. *E.* 30. *D.* 82. *B.* 85. *E.* 95. *E.* 96. *B.* 97. *A.* 101. *A.* 101. *E.* 282. *E.* 316. *E.* 339. *D.* victor 353. *F.* obſidionem Amſtelodam agitat 359. *B.*
Friſiusi Gemma 94. *F.*
Friſius Theodorus 101. *D.* 107. *B.* 359. *A.*
Friſii 39. *D.* 44. *C.* Orientales 173. *A.* vexati 138. *E.* in vincula adducti 173. *C.*
Friſia 17. *B.* 21. *C.* 69. *C.* 84. *F.* ſe dat Albano 96 *E.* turbae 154. *E.* 189. *E.* terror 354. *A.*
Fritema Petrus 74. *F.*
Fronsbergius 123. *B.*
Frutices 823. *A.*
Frumentariae leges 107. *B.* 364 *E.*
Fuca 112. *C.* 112. *D.* 109. *F.* 116. *E.* 367. *D.* 370. *B.*
Fucae praeſidiarii varie necantur 119.
Fuggeri 197. *A.*
Fulgoſius Ioannes Galeacius 69. *C.* 325. *F.*
Furiae 803. *F.*

G

GAbriel Cueva Alburquereius 8. *E.* 263. *D.*
Gabriel Mannices Oſorius moritur 24. *E.* 280. *D.*
Gabriel Peraltus 423. *B.*
Gabriel Serbellonus 12. *C.* 268. *B.*
Gades 6. *A.* 138. *A.* 172. *D.*
Gaditanum fretum 201. *B.*
Galama Harmannus 20. *E.* 261. *D.* 276. *D.*
Galama Sifridus 75. *F.* 332. *E.*
Galliae 19. *B.*
Galliae pax 58. *D.* bellum civile 31. *B.* tertium 287. *C.*
Galeacius Alfonſus 362. *A.*
Galeacius Fregoſus 391. *F.*
Galli 337. *B.* propulſati 348. *C.*
Galedamus 332. *F.*
Galedanum 76. *C.*
Gallinae qui dicti 425. *B.*
Galeacius Alfonſus 104. *D.*
Galeacius vulneratur 104. *E.*
Gallus Carolus 577. *D.*
Ganda 265. *A.*
Gandavum 6. *E.* 12. *A.* 23. *A.* 81. *B.*
Gandavo Neapolitana lex imponitur 9. *E.*
Gandavi inundatio 48. *C.* pax 126. *F.*
Gandavenſio Conventus 215. *D.*
Garcias Suareſius 91. *E.* 125. *E.*
Gargius Váldeſius 86. *C.* 86. *F.* 343 *E.*
Garda, Polinius 69. *C.*
Gardius 123. *F.* Pontus 52. *F.* 309. *B.*
Gaſpar Gomeſius 93. *F.* 351. *D.*
Gaſpar Robleſius 31. *A.*
Gelria 17. *B.* 17. *D.* 39. *D.* 44. *C.* 73. *E.* 74. *A.* 85. *A.* 95. *E.* 96. *B.* 19. *F.* 265. *F.* ſe dat Albano 96. *E.* 354. *C.*
Gelu intenſum 49. *A.* 305. *C.*
Gelmula 73. *F.* 330. *C.*
Geldemarſa 159. *A. E.*
Gellia Hillema 145. *D.* 180. *C.*
Geminga 23. *F.* 55. *F.* 279. *F.* direpta 25. *C.*
Gemingae pagi direptio 281. *C.*
Gemingenſis pugna 25. *B.*
Gemma Friſius 37. *B.* 94. *F.* 293. *C.*
Genua 8. *E.* 202. *D.* 263. *C.* 286. *D.*
Geniſſacus Petrobuſerius 85. *A.* 86. *F.*
Genapus urbs 89. *D.* 347. *A.*
Genuenſes 38. *B.* 293. *F.* auxilium petunt 9. *B.*
Geniſta 838. *A.*
Gentius Cornelius 145. *D.*
Germinga 32 *F.*
Georgius Epo 44. *F.* 301. *A.*
Georgius Macucius 23. *E.* 87. *F.* 279. *E.* 245. *B.*
Gerardus Berkerodius 73. *B.*
Gerardus Burewechius 499. *D.*
Gerardus Eſpeſius 37. *C.* 293. *D.*
Gerardus Franciſcus Kegelingus 72. *D.* 329. *A.*
Gerardus Iunius 109. *E.* 367. *C.*
Gerardus Ioannes Voſſius 580. *A.* eius vita, & ſcripta.
Gerardus Poelgeſtanus 482. *F.*
Gerardus Stuverius 101. *D.* 359. *B.*
Gerardus Tuningius 498. *A.* 585. *D.* eius vita, & opera.
Gerardus Vander-Lanius 407. *B.* 465. *E.*
Gerardus Wingardus 95. *D.* Benthuſius 353. *B*
Gertrandus Verdunius 128. *A.*
Getera 30. *D.* 31. *A.*
Geuſii 221. *B.*
Gevartus Ioannes 133. *B.* 168. *B.*
Gerunda 138. *A.* 172. *D.*
Gertrudisberga 378. *D.*
Gertrudis Mons. 387. *C.*
Gertrudis Iuſti Henrici 465.
Germani 24. *C.* a cuſtodia liberati 119. *F.* 377. *F.*
Germanorum caedes 25. 281. *B.*
Gherius Thomas 237. *A.*
Gironus Ferrandus 161. *B.*
Gisbertus Brouckuſius 96. *C.* 354 *A.*

Digitized by Google

Gisbertus Baamburgicus 20. E. 276. C.
Gisbertus Christiani 465. D.
Gilbertus Iacchaeus 591. D, eius vita & scripta.
Giselbertus Octavius 499. E.
Giselini Fanum 86. 87. D. 345. A.
Grispa 400. C.
Glacies intensa 49. B.
Glisenbergius Zacharias 73. E. 84. C. 330. B.
Glimesuim 389. D, victum 390. E.
Glomus in quo litterae 387. D.
Gnivius Ioannes 33. F.
Godinus Franciscus 237.
Godefridus Haesttrechtius 50. E.
Godefridus Merleus 378. A. E. 120. B.
Goesa 388. C.
Goignius 123. A. vulneratus 112. C.
Gomesius Gaspar 93. F.
Gomesius Ruisius 262. B.
Gomesius Silva, Ruisius 7. C.
Gomarus Franciscus 540. C.
Goningae Conventus 26. A.
Goria 73. E. 330. B.
Gorcomium 32. D. 49 F. 77. D. 334. B. 409, A. deditio 73. D. 330. A.
Goswinus Wildius 479. A.
Gotricus 435.
Gouda 72, B. 77. D. 108. B. 328, E. 334. B. 409. B.
Goudanum 72. F.
Graecae Academiae 450. D.
Graevius Aegidius 237. A.
Graevius Ioannes 256. C.
Gravia 17 F. 32. D. 159. E, 274. A. 393. A. 274. B.
Gravii nex 93. D.
Gravius Guglielmus 61. C. 68. F. 325. C.
Gramen 840. A.
Grammantium 238. F.
Granuellanus 27. C.
Grassationes in induciis 159. E.
Grevelinga 22. D. 48. C.
Grenetus 391. B. 405. D.
Gregorius Sigismundus Seldius 214. B.
Grieta invaditur 203. A.
Groninga 6. E. 18. F. 19. C. 23, F. 32. D. 33. E. 35. F. 48. B. 74. C. 84. F. 22. D. 251. D, 279. E. 279. F. 289. E.
Grotius Hugo 553. A.
Groesbequius 19. A. 274. E.
Groesbequius Episcopus 29. F.
Grolla 152.
Groenendalium Monasterium 16. A. 272. A.
Groningenses 44. C, strage percelluntur 19. F. ager 17. B. caedes 275. E.
Gruteri Iacobi carmen 727.
Gruterus Christophorus 120. A.
Gualterus Hegemannus 119. F. 377. F.
Gualterus Isebrandi 465. C.
Gudelae Fanum 22. C.
Guglielmus Bergensis 273. A.
Guglielmus Ludovicus Nassovius 198. F.
Guglielmus Veuselius 46. A.
Gugerni 17. C. 203. D.
Guillerestius 403. F.
Guisa 214. E.
Guido Dampetraeus 426. B.
Guido Margaretae filius 494. B.
Gulielmus Auriacus 13. A. 20. C. 205. 211. B. 268. F. 279. B. 289. D. 387. liberi inter se hereditatem distribuunt 197. educatio 213. B. Leidae Academiam fundavit 473. D.
Gulielmus Bergensis 13. A. 16. F. 20. C. 73. E, 268. F. 276. B, 330. B.
Gulielmus Blonsius 55. F. tres longus 312. B.
Gulielmus Bronchorstius 106. C, 363. F.
Gulielmus Berendrechtus 14. E, 270. E.
Gulielmus Berkerodius 329. E.
Gulielmus Bardesius 102. C.
Gulielmus Coadaeus 587. C. eius vita & scripta.
Gulielmus Comes 461. F.
Gulielmus II. Comes Hollandiae 493. C.
Gulielmus Cripius 515. C.
Gulielmus Feugueraeus 573. C, eius vita & scripta.
Gulielmus Gulielmi 465. E.
Gulielmus Gravius 61. C. 68. F, 72, F, 317. E. 325. C.
Gulielmus Hollandiae Comes 35, D. 291. D.
Gulielmus Ioannes Reinerius 122. C. 380, D.
Gulielmus Kniphusius 139. A. 173. E.
Gulielmus Lumaeus 28. E.
Gulielmus Leius 51. A. 307. C.
Gulielmus Mostardus 68. F. 325. C.
Gulielmus Marcanus Lumaeus 284. E.
Gulielmus Niveldius 24. A. 104. F. 200. A. 362. C.
Gulielmus Nassovius 145. C.
Gulielmus Oldevletius 100. B, 358. B.
Gulielmus Parkerus 38. E. 294. F.
Gulielmus Palensteinius 402. F.
Gulielmus Treslongus 60. E, 317. B.
Gulielmus Theobaldus 466. F.
Gulielmus Tetrodius 465. D.
Gulielmus Verdugius 201. A.
Gulielmus Veuselius 302. B.
Gulielmi nuptiae 213. B.
Guleta 112. C, 370. A.
Guldensternius, Nicolaus 311. F.
Gulpenum 392. E.
Gunterus Christophorus 367. A.
Gunterus Zwartzemburgicus 411. C.
Guntersteinia arx 115. E. 373. C.
Gustavi mors 155. A, 190. A.

H

HAdrianus Assendelfius 101. D. 359. B.
Hadrianus Berkenrodius 108. A. 365. B.
Hadrianus Bergesius Olhanus 299. D.
Hadrianus Cornelius 389. E.
Hadrianus Duychius 92. E. 350. C.
Hadrianus Houffius 353. A.
Hadrianus Hovelius 50. D. 306. E.
Hadrianus Iansenius 370. D, caedes 112. F.
Hadrianus Impius 506. D.
Hadrianus Marius 10. E. 265. F.
Hadrianus Menningus 233. D. 304. A.
Hadrianus Swetonus 299. F. 328. E.
Hadrianus Zaravia 576. F, eius vita & scripta.
Hadstadius Nicolaus 28. C. 284. C.
Haeretici 217. A.
Haefrechtius, Godefridus 50. E.
Hafnia 52. E.
Haga 83. B. 95. D. 100. B. 127. C. 173. A. 173. E. 133. D, 168. A. 258. A. 459. B.
Hagae Comitia 57. B. 77. C, 313. D. 334. A.
Hagiensis tractatus 202. E.
Hagesius Thaddaeus 94. F. 352. D.
Haius Manningus 49. D.
Haleces 39. D.
Halewinus Comes 477. E.
Hamstedius Adolphus 399. F.
Hamelius 28. E.
Hamburgum 38. C.
Hamptoma 35. B. 291. C.
Hana fluvius 86. B. 343. E. 89. D.
Hangestius Ienisius Franciscus 284. D.
Hanius captus 263. A.
Hannibal Altempsius 394. F.
Hannonia 5. D. 23. B. 40. D. 42. E.
Harlinga 74. D. 76. D. 333. B. 261. D.
Harlingensis portus obstruitur 127. E.
Hardervicum capitur 73. E. 250. F. 330. B.
Harminus Iacobus 568. F.
Harmannus Galama 20. E. 276. D.
Harenum 22. F.
Hademensis lacus 101. B.
Harlemi tumultus componitur 122. E. deditio 329. E. obsidio 334 B.
Harlemus 5. E. 6. E. 73. B. 73. E. 77. D. 83. C. 92. A. 110. B.
Hartemus 330. 334. B. 410. A. 459. 461. B. 106. C. eius obsidio E. capitur 119. 120. captus 378. D. Caninefatus Metropolis 101. A. 357. F.
Hasseltum 73. F. 330. C.
Hasselti obsessio 242. D.
Hassiae Landgravius 84. F.
Haurechius 32. E. mors 34. B. 282. F. 290. B.
Hebdomada Sancta 319. F.
Hedera 840. B. corona 840. B.
Hedera Baccho sacra 840. B.
Hedni 9. C.
Heddingus Ommius 61. C.
Heemradii 466. E.
Hegemannus Gualterus 119. F. 377. F.
Heiligerleum 19. E. 275. D.
Heidenus Iacobus 232. B.
Heinius Ioannes 387. D.
Heiesum 145. D.
Hellenradium 88. D. 345. F.
Helvetii 9. B. 29. A.
Heurnius Ioannes 524. B.
Hemsteda 103. F. 112. D. 361. B 370. C.
Hemskercka arx a quo condita 494. B.
Henricus 37. A. Agylaeus 255. A.
Henricus Brouchusius 123. F.
Henricus Broechius 237. A.
Henricus Brederodius 13. A. 20. C. 268. F. 276. B.

Hen-

Henricus Berchemius 242. *D.*
Henricus Duiſtius 122. *C.*
Henricus Dunſtius 380. *D.*
Henricus Fridericus 179. *A.* 206. quid adſignatur 198. *E.*
Henricus I. Lotharingiae Dux 493. *D.* 495. *A.*
Henricus Mandeslous 84. *F.* 342. *C.*
Henricus Meiſterus 128. 386. *A.*
Henricus Magnus Galliarum Rex 473. *D.*
Henricus Naſſovius 90. *F.*
Henricus Palatinus 483. *F.*
Henricus Perſinius 122. 380. *D.*
Henricus Stamlerus 139. *A.* 173. *D.*
Henricus Turrius 473. *D.*
Henricus Valckenarius 60. *A.* 316. *C.*
Henus 391. *B.*
Henninus Boſſuvius Maximilianus 20. *B.*
Hermannus Galama 261. *D.*
Hermannus Meranus 237. *A.*
Hermannus Merius 52. *D.* 97. *A.* 308. *F.* 354. *E.*
Hermannus Nuenarius 51. *B.* 307. *D.*
Hermannus Rudeſalius 28. 284. *D.*
Hermannus Ruterus 49. *F.* 255. *B.* 306. *A.* mors 306. *D.*
Hermannus Wolphartus 201. *C.*
Heremberga 50. *F.* 330. *B.* capta 17. *B.* 73. *E.* 273. *C.* expugnata 23. 279. *D.*
Herculeum 17. 273. *E.*
Herculi Populus Sacra 802. *F.*
Herculi Eſculus ſacra 805. *F.*
Herptius 80. *F.* 338. *A.*
Heroides Ioannis Meurſii 685.
Herentalium 410. *D.*
Herbae 839. *A.*
Heſuda 84. *F.*
Heſſelius Iacobus 10. *E.* 265. *F.*
Heusda 342. *B.*
Heumelius Abbas 49. *C.*
Hieronymus Borhaeus 95. *E.* 353. *B.*
Hieronymus Nunius 94. *F.* 352. *D.*
Hieronymus Salinas 11. *C.* 266. *D.*
Hieronymus Servoskerkius 423. *A.*
Hieronymus Tſerartſius 67. *D.* 81. 323. *F.*
Hiergius 23. *A.* 25. *B.* 30. *C.* 74. *C.* 279. *A.* 339. *F.* 393. *B.*
Hieruſalemum 465. *C.*
Hieroſolyma 146. *A.*
Hieremias Baſtingius 545. *F.* eius vita & opera.
Hillema Gellius 145. *E.*
Hippolytus a Collibus 143. *A.* 177. *F.*
Hippolytus Perſinus 233. *E.*
Hiſpaniae 5. *B.* 39. *F.*
Hiſpani 24. *C.* obtruncati 28. *F.* perturbati 65. *F.* quomodo in contemtum a Belgis adpellati 67. *C.* in crucem acti 80. *D.* iuramentum violant 97. *F.* repulſi 106. *E.* profligati 119. 377. *F.* turbant pacem in Belgio 133. *A* quomodo per iocum a Belgis adpellati 323. *E.* male habiti 337. victi 348. *C.* ſaeviunt in Clerum, & in virgines 350. *E.* caput amputatum in urbem deiiciunt 365. *A.* deiecti 382. *F.* Lammum deſerunt 407. *A.* Leidam obſident 483. *F.*
Hiſpanorum mos in feria 6. Paraſceves 63. *C.* barbaries 98. *B.* 107. *D.* 93. *B.* ſtrages 112. *E.* de praeda turbae 119. *D.* victoria 267. 118. *A.* & hoſtium caedes. victoria & praeda 281. *B.* praeſidium obtruncatur 284. *F.* mos in feria ſexta hebdomadae Sanctae 319. *F.* fuga 320. *F.* apud Brilam 63. *E.* pugna 344. *B.* effera hoſtilitas 355. *F.* caedes 361. *A.* 344. *F.* irruptio 395. *D.* metus 491. *B.*
Hiſtoria quid confert 211. *B.*
Hiſtoria Sacra 450. *E.*
Hobokenus 181. *B.*
Hochſtratenus 11. *A.* 22. *F.*
Hochſtratenus Antonius Lalanius 28. *E.*
Hochſtratæ Conventus 215. *F.*
Hoffwegius, Ioſua Alveringus 68. *F.*
Hogelandicum templum 462. *E.*
Hoſius Ioannes 25. 46. *F.*
Holzo Buma 74. *B.* 330. *D.*
Hollandi 39. *D.*
Holſatus, Adolphus 74. *D.*
Hollandia 5. 105. *D.* Borealis 17. *B.* 19. *C.* 47. *D.* inundatio 48. *D.* 69, *C.* urbes deſciſcunt 72. *A.* pro libertate arma ſumit 80. *A.* Ordines congregantur 92. *A.* invaditur 121. 123. *F.* urbes deſciſcunt 328. *D.* in Auriaci partes ceſſit 330. *A.*
Homo quomodo a Deo creatus 732. *F.* Deo placebit 734. *D.*
Homines publici quotuplicis ſint generis 726. ſimulacrum Palma 802. *D.*
Homnius Feſtus 596. *D.*
Honinga arx 105. *C.*
Honte flumen 388. *B.*
Hopperus 77. *E.* 334. *B.*
Horna 47. *D.* capta 68. *E.* 77. *D.* 94. 126. *C.* 334. *B.* 384. *D.* 400. *D.* 325. *B.*
Hornae praefectura cui tradita 68. *F.*
Hornanus 11. *A.* 14. *B.* 266. *D.* in carcerem truſus 21. *A.* coniectus 276. *F.* fiunt interrogata 14. *B.* mors 22. *C.* ſupplicium 278. *B.*
Hortenſius Armengolius 423. *F.*
Hortenſius Lambertus 97. *F.* 355. *D.*
Hortulus S. Annae 465. *E.*
Hortulus S. Ioannis 465. *E.*
Horſtium 133. *D.*
Hormeſona 29. *A.*
Hoſtilitas fera Hiſpanorum 355. *F.* 358. *B.*
Hottinga Titius 75. *F.*
Houxii 479. *A.*
Houſſius Hadrianus 95. *D.* 353. *A.*
Hovius Paulus 95. *E.* 353. *D.*
Hovelius Hadrianus 50. *D.*
Hubertus Sturmius 576. *A.* eius vita & ſcripta.
Huberti fanum incenſum 31. *B.* 281. *B.*
Huiſvertum 123. *B.* 381. *C.*
Hugo Donellus 522. *F.* eius vita & opera.
Hugo Grotius 553. *A.* eius vita & ſcripta.
Hugonis Grotii carmen 726.
Hugo Owenus 202. *B.*
Hugo Swietenus 465. *C.*
Hyacintus 841. *A.*
Hyſſopus 804. *F.*

I

Iacobus Antonius 109. 367. *D*
Iacobus Ambainus 89. *B.* 356. *E*
Iacobus Blommartius 89. *A.* 346. *D.*
Iacobus Briacus 29. 285. *C.*
Iacobus Caveliavius 61. *C.* 96. *F.* 120. 317. *E.* 354.
Iacobus Duvenvordius 51. *F.* 308. *B.*
Iacobus Douſa 122. *C.* 380. *D.*
Iacobus Endius 14. *E.* 270. *D.*
Iacobi Gruteri carmen 727.
Iacobus Harminius 568. *F.* eius vita & ſcripta.
Iacobus Heidenus 232. *B.*
Iacobus Heſſelius 10. *E.* 265. *F.*
Iacobus Ilpendamus 20. *E.* 276. *D.*
Iacobus Iongelingus 32. 288. *F.*
Iacobus Malderaeus 136. *B.* 145. 170. *D.* 180. *C.*
Iacobus Muſius 122. *C.* 380. *D.*
Iacobus Steinbachius 102. *B.* 359. *E.*
Iacobus Taiardus 128. 386. *A.*
Iacobus Tilius 126. *A.* 384. *D.*
Iacobus Torreus 10. *E.* 266. *A.*
Iacobus Vlefeltius 142. *C.* 177. *B.*
Iacobus Wingardus 77. *D.* 334. *B.*
Iacobus Weſembecius 43. *D.* 232. *A.*
Iacchaeus Gilbertus 591. *D.*
Iambi Ioannis Meurſii 630.
Ianus Doula 362. *C.* 504. *B.* 79. Nordovicus *D.* 336. *B.* ſcripta 506. *A.* fil. 530. *F.* eius vita, & ſcripta.
Ianinus Petrus 135. *F.* 170. *D.* in Galliam legatus 156.
Ianſenius Hadrianus 359. *B.* 23. *D.* 264. *F.*
Ibarra Franciſcus 8. *B.* 263. *A.*
Ibarra legatus 9. *E.*
Iconomachi 11. *A.*
Icarius 830. *F.*
Ienſema 49. *C.*
Ienninus Rivius 83. *D.* 341. *A.*
Ienliſius 69. *E.* 85. *A.* 86. *F.* 342. *C.* copiae deletae 71. *E.* captus 87. *B.*
Ienliſius Franciſcus Hangeſtus 28. *D.*
Ieſuitae 155. *F.* Ieſuita coniurationis reus 202. *B.* Concionator 396. *E.*
Igniſpicium 789. *C.*
Ilex 809.
Ilpendemum 400. *D.*
Ilpendamus Iacobus 20. *E.* 276. *D.*
Imagines 234. 238. *C.* 259. *A.* Sanctorum, & eccleſiae violatae 62. *C.* depreſſae 229. *C.* comminutae 318. *F.* profanatae 346. *F.* invocatae 421. *B.* 70. *E.* deturbatae 254. *F.* violatae 89. *C.* 305. *A.* ſacrae violatae 48. *F.* 80, *E.* bellum intentatur 232. *F.* perſecutores inquiruntur 238. *F.* 239. *A.* 266. 259. *B.* 260. *F.* Collinarum reliquiae 292. *C.*
Imperii clientes 45. *E.*
Incendium 91. *D.* 94. *B.* 95. *F.*

Indu-

Digitized by Google

Inducias 193. A. Belgicae 131. 167. E. firmatae 197. D. ruptae inter Galliae Regem & Philippum 214. D.
Indiae 6. A. Occidentalis 171. F.
Indiarum commercia 181. F.
Innocens caeditur 291.
Innocentiae ſymbolum palma 800. D.
Innocentius Pontif. 494. D.
Inquiſitio 6. C. 10. D. 14. C. 15. F. 21. B. 27. D. 218. B. 247. 251. B. 252. 270. B. 271. F. 277. A. in Belgas 15. C. Epiſcopalis 223. D.
Inquiſitores 15. A. 270. F. Officii 217. C. 38. E. Maurorum 53, D. 309. F.
Inſulae Crimpenſis inundatio 48. D 49. F.
Inſulani 49. E.
Inſcriptio 408. A.
Interulae albae 91. C.
Inundatio Belgii 48. A. 304. C. 336. C.
Invalidi ad bellum alio miſſi 365. F.
Ioannes Amerongius 59. C.
Ioannes Auſtriacus 388. A.
Ioannes Alcoeta 393. A.
Ioannes Avennenſis 494. C.
Ioannes Arcerius 503. B.
Ioannes Ayala 90. E. 112 C. vulneratur.
Ioannes Aquila 392. C.
Ioannes Alphonſus 410. A.
Ioannes Apoſtolus Pamelae curio 89. A. 346. E.
Ioannes Baſius 22. F.
Ioannes Baſius 43. D. 49. A. 278. 299. F. 305. C.
Ioannes Boſius 10. E. 13. A. 265. 268. F.
Ioannes Bernardus 23. 279. E. 280. C.
Ioannes Bloiſius Treslongus 20. E. 276. D.
Ioannes Barnenda 36. B. 292. C.
Ioannes Berkius 136. A. 170. D.
Ioannes Burgius 145. B. 179. F.
Ioannes Blancus 410. B.
Ioannes Bebecotus 120. A.
Ioannes Berendrechus 16. 272. D.
Ioannes Brabrantiae Dux 35. 291. D.
Ioannes Baptiſta Taxis 115. E. 373. C.
Ioannes Barneveldius 145. D. 180. B.
Ioannes Bucoldus 500. C.
Ioannes Bavarus 477. F.
Ioannes Bergenſis 222. E.
Ioannes Cnivius 25. 281. 289. F.
Ioannes Cuyckius 65. D.
Ioannes Croius Rutius 90. F.
Ioannes Caſtellus 423. F.
Ioannes Carlerius 237. A.
Ioannes Crommius 426. C.
Ioannes Caſembrotius Backerſelius carceri traditur 11. 238. 266. F.
Ioannes Cuniga 8. 263. A.
Ioannes Cepeda 83. C. 340. E.
Ioannes Caſimirus 326. A. Friderici Palatini Septemviri filius 69. D.
Ioannes Cuningamus 111. D. Scotus 369. B.
Ioannes Colonia 55. F. 312. B.
Ioannes Cerda Medinacoelius 81. B. 125. D. 338. C.
Ioannes Cluſius 52. D. 113. C. 308. F. 371. A.
Ioannes Coltermannus 68. D. 73. B. 83. F. 325. A. 329. E. 341. C.
Ioannes Deça 115. E. 373. D.
Ioannes Duvenvordius 62. C. 318. 401. E
Ioannes Diſcovius 142. D. 177. B.
Ioannes Druſius 574. B. eius vita & ſcripta.
Ioannes Dampettaeus 494. B.
Ioannes Eiloſius 73. A. 329. D.
Ioannes Egmundanus 47. B. 482. F.
Ioannes Egidius 242. D.
Ioannes Franconius 497. E
Ioannes Grevius 256. C.
Ioannes Gulielmus Dux 203. D. moritur.
Ioannes Gerardus 497. F.
Ioannes Gerbrandius 497. B.
Ioannes Gevartus 133. D. 168. B.
Ioannes Grovelſius ſpellaeus 37. A.
Ioannis Grovelſii ſpellaei ſupplicium 293. B.
Ioannes Gnivius 33. F.
Ioannes Galcacius Fulgoſius 69. C. 325. F.
Ioannes Hangeſtus 58. E.
Ioannes Heurnius 524. B. eius vita & opera.
Ioannes Heinius 387. D.
S. Ioannis Hortulus 465. E.
Ioannes Halmannus 476. A.
Ioannes Hieronymus 124. A. captus 382. B.
Ioannes Hornanus Boxtelius 329. E.
Ioannes Hoius Epiſcopus 25. 46. 281. F. 303. A.
Ioannes Iunius 411. B.
Ioannes Iacobus 122. C. Roſendalius 380. D.
Ioannes Kuchlinus 476. D. 542. E. eius vita & opera.
Ioannes Laurimannus 51. A. 307. C.
Ioannes Laurentii 465. D.
Ioannes Mendoza 60. F. 93. C.
Ioannes Mendoſa 327. C.
Ioannes Morvillerius 71. E. 328. B.
Ioannes Mabuſius 499. B.
Ioannis Meurſi Epiſtola ad Ordines Hollandiae &c. 3. litterae ad Belgii foederatos 131. Epigrammata 470. 546. D. eius vita & ſcripta. Poemata 627. A.
Ioannes Moinius 53. A.
Ioannes Montelius Caias 89. A. 346. D.
Ioannes Morus 81. B. 338. C.
Ioannes Mepſohius 251. F.
Ioannes Moinius 309. C.
Ioannes Mancicidorius 178. F.
Ioannes Neius 134. D. Ordinis Minorum 169. B.
Ioannes Oſorius 423. A. Vlloa 410. D.
Ioannes Polyander 569. F. eius opera & ſcripta.
Ioannes Pacecus 103 F.
Ioannes Pettinus captus 127. D. 385. F.
Ioannes Porta 10. E. 265. F.
Ioannes Petrus Coppeſtocus 61. E. 318. A.
Ioannes Pereſius 19. F. 275. D.
Ioannes Rollius 60. F.
Ioannes Rumaltius 20. E. 276. D.
Ioannes Richardotus 144. A.
Ioannes Raguerius Sternaeus 28. 284. D.
Ioannes Soreavus 249. D.
Ioannes Stopius 465. F.
Ioannes Steinbachius 120. A.
Ioannes Salazarius 86. E. 344. A.
Ioannes Storius 38. D. 294. E.
Ioannes Scheiſſius 254. F.
Ioannes Slorhius 145. E. 180. C.
Ioannes Tatius Amerongius 315. D.
Ioannes Triſcanus 223. B.
Ioannes Theodorus 464 D.
Ioannes Treslongus 14. F. 57. D. 270. 313. F.
Ioannes Vergas 10. E. 265. F. caeſus 112. B.
Ioannes Vairnenburchuy Epiſcopus 462. F.
Ioannes Voſſius 409. E.
Ioannis Vlietii fuga 120. C. 374. F.
Ioannes Waneſius 50. E.
Ioachimus Panſerus 278. E. 22. F.
Ioachimus Vbbena 292. C. 36. B.
Iodonia 31. B.
Ionas Chariſius 14[illegible]. C. 177. B.
Iongelingus Iacobus 286 F.
Ionoium nemus 272. A.
Ioſephus Iuſtus Scaliger 476. A. 537. A. eius vita & opera.
Ioſua Alveringus Hoffwegius 68. F. 32[illegible]. C.
Iovi quereus Sacra 786. D. fagus Sacra 788. E. Eſculus Sacra 805. F. Ilex Sacra 809. D. Olea Sacra 816. D.
Iperis 229. C.
Ira Dei in Belgio 305. A.
Iſara fluvius 9. B. 264. C.
Iſabella 199. E.
Iſabella Clara Eugenia 240.
Iſaacus Nicolaus 500. B.
Iſela 23. E. 72. B. F. 95. F. 279. D. 328. E.
Iſelſteinium 73. B.
Tſerartius Hieronymus 323. F.
Iſidorus Paciecus 82. C. 339. E. 423. A.
Iſraelis Rex Bucoldus 500. C.
Italia 5. E.
Iudaeae Palma Hieroglyphicum 800. B.
Iudices puniti 35. F.
Iulianus Romerus 8 21. F. 24. E. 86. C. 90. E. 91. B. 123. A. 127. C. 263. E. 277. F. 280. E. 343. F.
Iuliacum 203. E. expugnatur 204. F.
Iuliana Stolbergenſis 213. A.
Iuliacenſe Bellum 202. A.
Iumellius 85. A. captus 87. B.
Iunius Franciſcus 5 4. E. F.
Iunius Hadrianus 506. D. eius ſcripta 507. C.
Iuniperus 818. F.
Iuniellius 342. C.
Iuridici 95. D.
Iuramentum 284. F.
Iuſtus Buykius 257. C. 261. E.
Iuſtus Cortevillius 89. A. 346. D.
Iuſtus Endius 426. C.
Iuſtus Lipſius 514. A. eius ſcripta 516. A.
Iuſtus Menenius 95. E. 353. C.
Iuſtus Schouwerburgicus 22. F. 25. B. 28. D. 76. E. 96. C. 261.

Digitized by Google

261. *B.* 278. *E.* 284. 333. *C.* 354. *A.*
Iustus Tollius 106. *B.*
Iustitiae symbolum Palma 798. *F.*
Iustinianus Pompeius 201. *A.*
Iustinus Nassovius 179. *A.*

K

KAga communita 408. *D.*
Kegelingus Gerardus Franciscus 72. *D.* 329. *A.*
Kemningus Arnoldus 34. *D.*
Kerpa 394. *E.*
Kiesius 84. *A.* 73. *B.*
Kilia 232. *E.*
Kilianum suburbium 12. *B.*
Kniphusius Gulielmus 139. *A.* 203. *A.*
Koedica 123. *B.* 381. *C.*
Kunstius Cornelius 498. *E.*
Kuchlinus Ioannes 542. *E.*

L

LAcus Harhemensis 101. *B.*
Ladgravius Hassiae 145. *B.*
Ladrierius 404. *A.*
Lacida 35. *B.* eius situs, urbes, pagi, arces 459. *A.*
Laevinus Kersmaekerus 122. *C.* 380. *D.*
Lalanius Antonius 13. *A.* 20. *C.*
Lalanius Hocstratanus 284. *D.*
Lalanius Philippus 87. *E.* 222. *C.*
Lambertus Danaeus 520. *E.* eius vita & opera.
Lambertus Hortensius 355. *D.* scholae Rector 97. *F.*
Lambertus Wirtembergensis 102. *B.* 359. *E.* mors 108. *E.* 366. *B.*
Lamma 406. *A.* vulneratur 104. *E.*
Lammus desertus 406. *A.*
Lancelotus Brederodius 43. *B.* 47. *F.* 49. *B.* 101. *D.* 111. *F.* 299. *D.* 304. *A.* 359. *B.*
Lancelotus Vrselius 242. *D.*
Landrecium 29. *C.* 85. *F.* 343. *A.*
Lanae artificium 35. *B.* in Anglia 291. *B.*
Lanovius 69. 70. *E.* 89. 91. *F.*
Lanovius Franciscus 58. *E.*
Lanovius Ludovicus 284. *D.*
Lansmera 380. *F.* occupata 122. *E.*
Lenterus Reinerius 88. *E.*
Laniena Vassiacena 239. *C.*
Langobardica legio 9. *E.*
Landa, Nicolaus 13. *D.* 269. *C.*
Landgravius Hassiae 84. *F.*
Larix 805. *A.*
Latrocinium Parisiense 92. *A.*
Laurimannus Ioannes 51. *A.* 307. *C.*
Laurus 788. *F.*
Laureatae litterae 791. *C.*
Lautzius Arnoldus 34. *D.*
Laurentius Perea 50. *A.* 108. *D.* 306. *B.* mors 366. *B.*
Laurentii suburbium 29. *E.*
Lazarus Mullerus 84. *B.* 92. *C.* 94. *B.* 119. *F.* 325. *C.* 341. *E.* *D.* Lazari Valetudinarium 103. *E.*
Lazarus Zwendius 255. *B.*
Lecca 254. *D.* 422. *A.*
Lederdamum 409. *B.*
Legati ad Albanum 41. *C.* Provinciarum 47. *A.* 104. *F.* missi in Induciis Belgii a Rege Galliarum 135. *F.* ad Regem Britanniae 136. *A.* ad Danorum Regem 142. *C.* Electoris Palatini 143. *A.* Landgravii Hassiae 145. *B* Legati Foederatorum 162. *D.* Galliae 170. *D.* Hagam adeunt 179. *A.* Foederatorum Ordinum 198. *B.* ad Caesarem 283. *C.* ad Auriacum missi 411. *C.*
Legatorum dona 197. *E.*
Legationes 427. *E.*
Legio Longobardica 17. *C.* 41. *F.*
Legiones Philippi cui adsignatae 9. *E.* ad hyemandum missae 32. *D.*
Legia 461. *A.*
Leges frumentariae 107. *B.*
Leida 5. *E.* 44. *F.* 52. *B.* 72. 77. *D.* 102. 108. *B.* 291. *D.* 334. *B.* 410. *A.* 460. *D.* obsessa 35. *E.* 127. *C.* a quo condita 461. *B.* obsidione liberata 491. *E.* 121. *F.* 439. primaria templa 462. *D.* Monasteria 463. *A.* Gymnasia 463. *B.* Nosocomia, & pia Loca 462. *A.* Curia 466. Academia 467. *A.* Theatrum Anatomicum 475. *A.* Bibliotheca 475. *E.* Collegium Theologicum 476. *C.* Burgum 477. *C.* bella intestina 479. 480. factiones 479. *A.* 483. *B.* obsessio 481. *A.* 483. *F.* urbs deditur 481. *B.* viri illustres 493. *C.* Pictores 498. *B.* Magistratus 615. *E.* Professores Artium & Scientiarum 617.
Leidensis Academia 439. primus Rector 470. *B.* hortus Botanicus 473. *F.* obsessorum fames 488. *C.*
Leeidamus 73. *B.*
Leius Gulielmus 307. *C.*
Leisveltia 73. *D.* 330. *A.*
Leicestrius 492. *E.*
Leiderdorpium 406. *A.*
Leiderdorpa 459. *D.*
Lemus 491. *C.*
Lentiscus 814. *F.*
Lentiscum mandere adagium 815. *A.*
Leovardia 6. *E.* 33. *E.* 74. *A.* 76. *C.* 96. *D.* 251. *A.* 330. *D.* 333. *A.*
Leovardienses 75. *A.*
Leovardienses Gasparum Roblesium revocant 74. *C.*
Leopoldus Austriacus 203. *E.*
Leonardus Casembrotius 95. *E.* 353. *B.*
Leodienses 29. *E.*
Leoninus Elbertus 50. *E.* 346. *C.*
Lepis Gulielmus 51. *A.*
Leprosorum domus 463. *D.*
Lerortium 312. *C.*
Lermacus 187. *C.*
Libri vetiti 45. *B.* 217. *C.* 301. *D.*
Libellus 430. *E.*
Libelli famosi contra Religionem 218. *F.*
Libellus supplex ad Parmensem & Senatum 220. B.
Licquius 16. *B.* 86. 90. *C.* 120. *D.* 123. B.
Lidluma 76. *D.* 333. *B.*
Ligna ex Hibernia cariem non sentiunt 493. *A.* in uno quoque sacrorum proptia cremanda 809. *C.*
Ligustrum 822. *D.*
Lilia Florentina 71. *B.*
Limburgensis arx 29. *B.*
Linga 152. *D.*
Lingani 44. *C.* 146. *A.* 180. *F.*
Linguae Latinae periti 438.
Linterius Reinerius 346. *A.*
Lipsia 459. *D.*
Lipsius Iustus 514. *A.*
Lira 93. 144. *C.* 265. *A.* 350. *F.*
Lirae Longobardica legio imponitur 9. *E.*
Litterae 368. *B.* Egmundani 21. *C.* ad Bruxellarum Senatum 32. *E.* Vltraiectinorum 40. *F.* ad Auriacum 102. *B.* ad Consulem Delphensem 106. *C.* per columbas adlatae 116. *A. D.* ad S. P. Q. Amstelodamensem 110. *D.* ad Regem Hispaniae 136. *C.* in fraudem scriptae 136. *C.* Foederatorum ad Lunonem 138. *C.* Mantuae datae 139. *C.* Spinulae ad foederatos 139. *C.* Imperatoris 141. *B.* ad Archiduces 142. *E.* fraudolenter scriptae 171. *B.* Spinolae ad Foederatos 173. *F.* Sonoi ad Auriacum 305. *E.* a columbis deportatae 369. *D.* 373. *F.* 111. *F.* 406. *C.* in glomo 387. *D.* laureatae 791. *C.*
Livonia 55. *D.*
Lochemus captus 95. *E.* 353. *C.*
Lodronius 9. *E* 23. *D.* 47. *F.*
Lodronius Germanicae legionis praeses 12. *D.*
Lodronius pestem aufugit 17 *F.*
Lodronius Albericus 8. *D.*
Lodronius Sanchius 8. 112. *B.*
Loena 145. *D.*
Lokhersta 459. *D.*
Lombralis, Alfonsus 87. *C.*
Lonnervallii 28. *E.* caedes 31. *A.*
Lona 71. *E.* 328. *B.*
Longinus 504. *F.*
Londinum 37. *E.*
Longobardica legio 41. *F.*
Lopesius Acuna 23. *E.* 112. *A.* 279. *E.* 124. moritur *D.*
Lopesius Figueroa 24. *F.* 112. *A.* 280. *E.*
Lopesius Gallus 392. *C.*
Lopesius Sapata 8. *D.* 264. *D.*
Longius Morgomerius 70. *E.* 327. *B.*
Lotharingus Cardinalis 32. *C.*
Lotus 813. *A.*
Lotum gustavi unde dictum 813. *B.*
Lotarius Imp. 426. *B.*
Lous Alfonsus 283. *A.*
Lous Paulus 99. *D.* 357. *A.*
Lovanium 14. *D.* 88. 92. *F.* 93. *C.* 346. *B.* captum 350. *D.* diluvium 108. *F.* 366. *C.*
Lovesteinium 73. *D.* captum 306. 330. 409. *A.* arx 49.
Lubbertus Covellius 55. *D.* 311. *F.*
Luciferi Fanum 138. *A.* 172. *D.*
Lucas Leidensis pictor 498. *F.* 466. *C.*
Lucas Trescaltius P. 530. *A.* eius vita, & opera.
Lucae Soinagi mors 104. *E.* 362. *A.*

Digitized by Google

Ludovicus 37. *A.*
Ludovicus Auriaci frater 16, *F.* 273. *A.*
Ludovicus Carlerius 20. *E.* 276. *D.*
Ludovicus Colignia 198. *F.*
Ludovicus Capellus 442. eius vita 571. *C.*
Ludovicus Delvio 10. *E.* 265. *F.*
Ludovicus Lanoius Morvillerius 28. 284. *D.*
Ludovicus Naſſovius 13. 17. *A.* 18. 18. 20. *C.* 22. *F.* 27. *A.* 51. *C.* 52. *D.* 58. *E.* 113. *A.* 123. *E.* 219. 268. *F.* 273. *A.* 274. *D.* 275. *F.* 276. *B.* 278. *E.* 284. *A.* 308. 314. 483. *F.*
Ludovicus Pimetellus 403. *E.*
Ludovicus Querallus 423. *A.*
Ludovicus Requeſenſius 34. *B.* 60. *A.* 65. *C.* 112. *A.* 125; *D.* 205. 290. *B.* 316. *C.* 321 *E.*
Ludovici Requeſellenſis Bruxellas adventum 128. *F.*
Ludovicus turbarum fautor 224. *C.*
Ludolphus a Ceuler 614. *F.*
Lugdunum 401. 469. *B.*
Lugduni coelum clemens 8. *A.*
Lugdunenſis Academia 429. *F.*
Luitgeida Boshuſia 465. *E.*
Lumaeus 56. *B.* 61. 79. 82. *C.* 92. *B.* 94. *D.* 105. *A.* 318. *F.* in vinculis 362. *F.*
Lumaei milites corrupti 95. *C.*
Lumaeani 63. *D.*
Luminium 58. *E.*
Lumbreſius 49. *A.*
Lupus Sapata 87. *A.*
Luſitaniae claſſis vaſtata 337. *C.*
Luxemburgenſis ager 29. *A.*
Lycurgus inimicus vini 831. *C.*
Lyra 179. *A.*

M

MAbuſius Ioannes 499. *B.*
Machlinia 6. *E.* 32. *D.* 81. *E.* 88. 91. *F.* 101. *E.* 346. *C.* Creſſonerius 23. *C.* Synodus 45. *C.*
Maccuma 96. *D.* 354. *A.*
Macuca Georgius 87. *F.* 345. *B.*
Machtildis Zilia 464. *E.*
Machtildes filia Henrici I. Lotharingiae Ducis 493. *D.*
Madritum 7. *B.* 177. 225. *A.*
Magi 829. *A.*
Magiſtratus Leidae 615. *E.*
Magorum Collegia 449. *D.*
Maibſeona 35. *B.* 29. *C.*
Malsburgius Otho 28. 281. *D.* caedes 29. *E.*
Malaereus Iacobus 136. *B.*
Malſena Maria 51. *A.* 307. *C.*
Malenda Petrus 399. *F.*
Malus planta 820. *A.* amoris ſymbolum 820. *F.*
Manuel Cabeca Iaca 124. *F.*
Manuel Cabeça Vaca 383. *A.* 420. *C.*
Mantua 174. *A.* Carpetanorum 490. *E.*
Manninga Vnicus 24. *A.* Haius & Vnicus 49. *D.*
Mansfeldii 85. *C.*
Mansfeldius Petrus Erneſtus 37. *A.*
Manhemium 18. *D.* 274. *C.*
Mandeslous Erneſtus 84. *F.* 342. *C.*
Mandeslous Henricus 84. *F.*
Mandevillanus 256. *C.*
Mandagronius 32. *D.*
Mancicidorius legatus 160. *C.*
Mandareſius 107. *A.*
Marçellus Baxius 179. *A.*
Marna 459. *C.*
Martina Doco 75. *F.*
Marius Hadrianus 10. *E.*
Mare Balthicum 39. *E.*
Maçucas Georgius 23. *E.*
Maroçum 201. *B.*
Marienburgum 29. *C.* 215. *F.*
Marsburgum 26. 282. *D.* a quo conditur 25. *F.* aedificatio 281 *F.*
Martinengus 24. 280. *F.* Curtius 19. *B.* 275. *A.* mors 20. *B.*
Marinus Brantius 61. *C.* 317. *E.*
Marcus Toletanus 30. *C.* 90. *E.* 91. *A.* 286. *C.* 374. *B.*
Marcus Perezius 28. *B.* 237. *A.* 284. *B.*
Marnixius Aldegondius, Philippus 103. *B.*
Marnixius Philippus 78. *A.* 360. 541. *D.*
Margotini 108. *B.*
Margotinus Auriaci ductor 108. *F.*
Maria Angliae Reginae 38. *E.* 215. *A.*
Maria Gulielmi Auriaci filia 213. *C.*
Maria Malſenia 51. *A.* 307. *C.*
Mariae Virginis imago male habita 230. *C.*
Margareta 11. *E.*
Margaretae Parmenſis auctoritas 6. *B.* 9. *F.* 215. 221. *D.*
Margareta ſalutatur 9. *E.* calumniae 10. *A.* foedus init cum Carolo 12. *D.* ſuburbium 29. *E.* Flandriae comes 494. *B.*
Marti fraxinus ſacra 809. *C.* gramen ſacrum 840. *A.*
Martiniani 256. *F.* Proteſtantes 256. *B.* Aiala 403. *D.*
Martinus Eraſtus 91. *D.* 349. *A.*
S. Martini Eccleſia 289. *F.*
Martinus Faillius 149. *F.* 154. *E.*
Martinus Darçe 125. *E.*
Martinus Pruſius 202. *B.* 103. *A* 359. *E.* mors 103. *D.* 360. *F.*
Martinus Riethovius 21. *C.* 277. *B.*
Maſelantsluſa 61. *E.* 63. *D.* 318. *A.* 385. *F.* varie affecti 61. *E.* capta 62. *C.* 127. *D.*
Maſſilianus Boſſuvius 303. *C.*
Maſeca 29. *F.*
Maſſilienſis Academia 435.
Matthias Archi Dux 141. *D.* 176. *C.*
Matthias Flacius 256. *B.*
Mathematici 94. *E.* 352. *D.*
Matheneſius 14. *F.*
Matrimonium Annae Auſtriacae, & Philippi Regis 46. *F.*
Matronem concionatorem recipientis nex 26. *E.*
Mauri 12. *F.*
Maurorum Inquiſitor 53. *D.* 309. *F.* motus 268. *E.*
Maureginaldus 379. *A.*
Mauritius 134. *D.* 169. *B.* 177. *C.* 179. *A.* 204. 206. *F.* 198. *E.*
Mauritius Naſſovius 212. *B.*
Maximilianus 45. *D.* 141. *B.* 301. *F.* 401. *A.*
Maximilianus Boſſuvius 47. *A.*
Maximilianus Bornanus Boxtelius 73. *B.*
Maximiliani Burgundi mors 214. *E.*
Maximilianus Cocus 20. *E.* 276. *D.*
Maximilianus Caeſar 274. *D.* 259. *E.* 411. *C.* 463. *F.*
Maximilianus Egmundanus 213. *B.*
Maximilianus Henninus Boſſuvius 20. *B.* 62. *F.* 276. *A.* 319. *C.*
Maximilianus Imp. 27. *D.* 240. *C.*
Maximilianus Melodunius 115. *E.* 373. *C.*
Medinacoelius 8. *C.* 88. *A.*
Medinacoelius Bartholemæus Campocaſſius 90. *B.*
Medinacoelius Ioannes Cerda 81. *B.* 125. *D.*
Mediçes Coſmus 69. *C.* *D.* 325. *F.*
Meditationes Chriſtianae in pſal. 116. 120. 741.
Mediolanum 223. *D.*
Medivilla 24. *F.* expugnata 122. 280. *F.* 381. *A.*
Medemlaçum 47. *D.* 68. *C.* 77. *D.* 261. *C.* 334. *B.*
Medemlaci praefectura tradita 68. *F.* turbae 96. *F.*
Medemlaci Cabeliavius praefici-tur 325. *B.*
Medicea Catharina 71. *B.* 327. *E.*
Medemlacenus Sigebertus Franciſcus 52. *C.* 308. *D.*
Medemlacenſis arx 121. *F.*
Megenſis mors 275. *F.*
Meiſterus Henricus 128. *A.*
Meinerſwicum 145. *D.*
Melodunius Maximilianus 115. *E.* 373. *C.*
Melanda Petrus 426. *F.*
Memaecylus 821. *E.*
Mendoza 24. 280. *F.*
Mendoza Antonius 8. *B.* 263. *A.*
Mendoza Bernardinus 91. 112. *A.*
Mendoza Ioannes 70. *F.* 327. *C.*
Mendoza ad Pontificem legat. 263. *D.*
Menium 89. *D.*
Menenius Iuſtus 95. *E.*
Men s Vicus 88. *C.* 345. *F.*
Menſes in Bello belgico quomodo nuncupati 44. *A.*
Menſis a palma ſignificatur 797. *E.*
Mentheda Bartolomaeus Enteſius 49. *B.* 61. *C.*
Meninx Inſula 813. *A.*
Menenius Iuſtus 353. *C.*
Menningus Hadrianus 43. *B.* 47. *F.* 233. 299. *D.* 304. *A.*
Mepſius 49. *C.*
Merlus Carolus 25. *F.*
Merleus Epiſcopus Godefridus 120 *B.* 378. *A.*
Merodius Bernardus Rumenus 89. *A.* 346. *C.*
Mercurio ficus ſacra 808. *C.*
Merapous 256. *E.*
Mercatores Angli comprehenſi 37. *F.*
Mercatores Vmarii 70. *A.*
Merius Hermannus 52. *D.* 97. *A.*
Mereſteinius Albertus Egmundus 299. *D.*
Merula Paulus 533. *A.*
Meranus Hermannus 257. *A.*
Meranus Petrus 95. *D.* 353. *B.*
Meranus Pons 395. *F.*
Meſſia Alfonſus 88. *C.* 345. *F.*
Meurſius Ioannes 3. 546. *D.* Epiſtola 781. litterae 207.
Michael Crocus 110. *C.* 368. *A.*
Migdelburgum 6. *E.* 65. *F.* 66. 80. *A.*

Digitized by Google

89. A. 322. C. 337. 338. D. obſeſſum 111. C. 368. F. 380. A. 495. F. obſidetur 122. A. expugnatur 127. D.
Miegenus 51. C. 307. D.
Mila 460. A.
Miles moriens alterum occidit 87. D.
Militum graſſationes in induciis 159. E.
Milites male habiti 403. B.
Minervae olea ſacra 816. D.
Miraculum 99. B.
Moduceretſa 393. A.
Moinius Ioannes 53. A. 309. C.
Molemius 88. B. 345. E.
Molineus Petrus 539. B.
Mollinius 31. C.
Mommartinus 9. C. 264. D.
Momorantius 69. D.
Mondragonius 29. B. 82. E. 92. F. 109. E. 340. A. a captivitate permutatur 127. E.
Mondragonius Chriſtophorus 47. B.
Montignius 11. A.
Monterus 24. B.
Monterus Alfonſus 86. F. 280. B.
Monterus Conſalvus 8. D. 264. B.
Montinii Epiſcopi mors 7. D. 262. D.
Mongomerius Longius 70. E. 326. B.
Montelius Caias Ioannes 89. A. 346. D.
Monteſius Franciſcus 14. B.
Montesdoca 394. A.
Monaſteria 33. F. 51. C.
Monaſterium Groenendalium 16. 272. A. Andagienſe direptum 31. 287. B. Bethlehemum 77. B. expugnatum 275. E. Wittewerum 289. F. Adewartum 289. F. flammis deleta 333. C. Zilae 376. F. Leidae 463. A.
Montes 340. F. urbs Hannoniae 69. E. 326. B. 77. A. 83. D. 85. B. 88. A. 89. D. obſeſſi 333. E. 92. A. F. 350. C.
Montium urbis iactura 71. A.
Mons Gertrudis 387. C.
Montanus Arias 45. B. 301. D.
Montanus Baptiſta 23. E.
Montanus Petrus 8. 17. D. 264. B.
Monachorum luxus 33. F. caedes 64. A. captura 320. D.
Monetae 45. A. adulteratae 301. C.
Montflorium 9. A. C. 263. F.
Monachodamum 68. F. 77. D. 94. C. 125. F. capitur 325. B. 334. B.
Mondolcetus 22. D. 278. C.
Mondulcetus Claudius 71. E. 328. B.
Montesdoca 30. E.
Morus Ioannes 8. B. 338. 814. C.
Mortis timor 731. A.
Morvillerius Ioannes 71. E.
Morvilierius Ludovicus Lanoius 28. D.
Morimontius 34. D.
Morimontius Ciſtercienſis Ordinis inſpector 290. D.
Moſtardus Gulielmus 68. F. 325. C.
Moſcovia 53. A.
Moſa 5. E. 17. D. 29. F. 43. F. 64. C. 68. B. 79. F. 88. D. 159. E. 195. A. 279. D. 393. A. 273. E.
Moſae Traiectum 17. D. 93. F.
Mota 86. E.
Mota Valentinus Pardaeus 111. E.
Movicum 393. C.
Movius Arcturus Valdraeus 28. D.
Moxica Antonius 91. D. 349. B.
Muda 48. E. 84. F. 92. D. 97. C. 113. D. 342. B. 350. A.
Mullerus 97. C. 102. B.
Mullerus Lazarus 68. F. 84. B. 92. 325. C.
Mulertus Centurio 261. D.
Mulieres gravidae metu expellunt foetum 396. B.
Muleius Abdala 201. E.
Muleius Buffertſius 201. B.
Muleius Shecus Rex Feſſae 201. B.
Muleius Saidanus 201. B.
Muleii fratres inter ſe pugnant 201. B.
Muntium 34. D.
Murices 29. C. F.
Murtia 825. F.
Mures lata corrodentes 41. A.
Murdianus Alexander 120. A.
Muſius Cornelius 100. 106. B. 358. A.
Muſa 350. F. urbs 93. C.
Muſarum Regnum 463. E.
Muſea 476. D.
Myrtus 823. A.
Myrtea corona 825. A.
Mylius Cornelius 72. D. 329. A.

N

NAmurcum 6. E. 17. D. 20. B. 273. D. 276. A.
Namurcenſes 40. D. 42. E.
Nardenus 92. D. 96. C. 101. E. 113. 350. A. 354. E.
Nardeni deſcriptio 97. A. caedes 358. D.
Narciſſus 841. D.
Naſſovius 69. E. 279. F.
Naſſovius Adolphus 195. B.
Naſſovius Albertus 28. D. 284. C.
Naſſovius Iuſtinus 179. A.
Naſſovius Ludovicus 13. A. 22. F. 51. C. 113. A.
Naſſovius in Coenebium milites immittit 20. A. foedera in Germania tractat 68. A. aſtus 70. B. dum pila ludit certior factus de Montium caſu 71. A. aeger 91. F. familia 212. A. fuga 281. A. debellatus 291. A.
Natalis Caronius Schonewallius 136. B. 170. E. 200. C.
Naupactum 388. A.
Navarra 146. A.
Naves cum mercibus 29. A. a piratis divexatae 37. C. centum expugnatae 43. C. iactura 63. E. Belgis ereptae 81. C. incenſae 94. C. fortuna 94. C. inutiles demerſae 99. E. Duces 304. A. excidium 320. B. quomodo dictae a Cantabris 338. D. iactura 369. A. praelium 109. F. pugna 111. C.
Nazarethum 463. D.
Neapolis 423. D.
Neapolitana lex 9. E. 85. D.
Neces 353. D.
Nederwomterius 96. D. 330. E. Praefectus Friſiae 74. B. 96. A.
Nemus Sonium 16. A.
Neius Ioannes 140. E. 134. D.
Neoportum 48. C. 123. 381. C.
Neomagus 250. F. 387. C.
Neoburgum 216. F.
Neoſtadius Cornelius 576. C.
Nerinus Robertus Cocus 67. C.
Nicolaus Aeſtadius 28. C.
Nicolaus Baſta 17. D. 87. F. 273. D. 345. B.
Nicolaus Berkiur 145. D. 180. C.
Nicolaus Bernardus 117. 426. C.
Nicolaus Culdenſternius 55. D.
Nicolaus Camerlinus 51. F. 308. A.
Nicolaus Diertius 57. D. 313. F. 387. D.
Nicolaus Guldeſternius 311. F.
Nicolaus Hadſtadius 284. C.
Nicolaus Landa 13. D. 269. C.
Nicolaus Leontius 497. D.
Nicolaus Nicolaius 389. C.
Nicolaus Polvillerius 85. C. 87. E. 342. F.
Nicolaus Plukerus 426. C.
Nicolaus Ruichaverius 61. C. 97. A. 317. 354. E. 426. C.
Nicolaus Rengerſius 464. E.
Nicolaus Roeaxius 242. D.
Nicolaus Selinus 237. A.
Nicolaus Theodorus Montfortanus 401. E.
Nicolaus Vivarius 237. A.
Nicolaus Valckeſteinius 95. D. 353. B.
Nicca 8. E.
Nicer 18. D. 274. C.
Nidus Erucarum 463. C.
Nieuburgius Theodorus 95. D. 353. B.
Nivella 89. D. 346. F.
Niveldius 261. 362. C.
Niveldius Gulielmus 24. A. 104. F.
Nivernius Dux 213. F.
Nobiles ſupplicio affecti 276. D.
Noctua 812. D.
Noircamius 9. D. 10. E. 23. 29. B. 46. F. 85. C. 128. B. 264. E. 265. F. 279. A. vulneratur 112. C.
Noircarmius Valentinianam obſidet 249. C.
Noitemum 29. 285. A.
Nomina urbium mutata ne in litteris conſilia manifeſtarentur 43. D.
Nomina Virorum mutata ne conſilia in litteris proderentur 43. D. 299. F.
Nordovicum 40. C. 459. D. Ianus Douſa 79. D. 104. F.
Noruica 35. B. 291. C.
Norta 404. A.
Noſocomia Leydae 463. D. 464. A.
Noviomagus 46. 93. 94. F. 351. D. 393. A.
Novicopium 54. D. 310. E.
Novovillius 425. A.
Nuenarius Hermannus 51. B. 307. D.
Nummi cuſis ab obſeſſis 112. F. 116. D.
Nummi e ſtanno cuſi 125. C.
Nummus aureus cum ſigno fidei 221. C.
Nummus Vianae 254. E.

Nummi

Nummi in obsidione cusi 370. D. ex stamno 383. E. e papyro 402. C. 485. B. in Lugduni obsidione cusi 402, D. cusi pro pace 419. A.
Numismata 463. F.
Numantia 5. E.
Nunius Hieronymus 94. F. 352, D.
Nundinae Francofurtenses 274. C.
Nuntii de victoria Hispanorum 281. F.
Nuptiae Annae Austriacae, & Philippi Regis 46. F. 303. A.

O

Octavius Giselbertus 499. E.
Octavius Picichellus 394. A.
Oechesius 309. A.
Oetosma Augustinus 75. F. 332, D.
Officinae clausae 60. B.
Ohanius 28. E. 272. B.
Ohanium Castellum 16. B.
Olivarius Antonius 69. F. 326. B.
Oliva sterilis quid 817. D.
Oleae cultus 816. D, 817. F. ramus Mercurio sacer. 817. E, & lauri ramus manibus supplicantium gestatur 817. D. pacis symbolum 817. C.
Oldensalia 73. E. 330. B.
Oleaster 809. F.
Olhanii mors 87. C. 344. F.
Olivarius Antonius 13. A.
Oldevlietius Gulielmus 109. B.
Oldenbarnevelt Ioannes ab 726.
Ommelandia 18. F. 282. A.
Ommelandiae ordines 26. 36. A.
Ommius Hebdingus 61. C. 317. E.
Oorgesta 459. D.
Opdamius 28. E.
Oppleweстia Agatha Benigna 312. D.
Oratio ad Deum 457. inauguralis Academiae Lugduno-Batavae 442.
Orationes pro pace 169. F.
Orchienses 42. E.
Ordines qui adpellati 105. A. Imperio amoveatur 265. F.
Ordinum ad Albanum litterae 866. F.
Ordamum 400. A. 409. D.
Orphanorum domus 464. F. 465. A.
Osorius Angelus 65. C. 321. F.
Osorius Alvarus 19. F.
Osorius Anculus 390. A.
Osburgum occupatur 81. A. 338. B.
Ostenda 5. E. 48. C. 93. D. 200. A.
Ostervela 255. F.
Osterlicum 123. F. 382. A.
Otho Egmondus 51. F. 338. B.
Ottho Heurnius 584. eius vita & scripta.
Otho Malsburgius 28. D.
Otho Nassovius Gelriae Comes 495. B. 498. E.
Odevatra 5. E.
Oudevastra 334. B.
Ondewatera 77. D.
Ondekerca pagus 115. D. 373. B.
Outdorpium 123. 381. B.
Owenus Hugo 212. B.

P

PAaw Petrus 578. B.
Paciottus 61. D. 322. F. Architectus 12, D. 268. A. supplicium 67. A. actus in furcam 323. D.
Pacta 179. D. 411. F. inter Galliam, & foederatos 144. deditionis 391. B.
Paciecus Ioannes 103. F.
Paciecus Isidorus 339. E.
Pacis tractatus 156. A.
Paddenpoela 459. D.
Paean carmen 792. C.
Pagus Pancratii 123. B.
Paluirus 837. D.
Pallantius Florentius 13. A.
Palenstrerius Gulielmus 402. F.
Palma quid significet 792. 794. 797. E. victoriae signum 799. D. homini assimilata 802. D
Pamela 89. A. 346. E.
Pancratii pagus 123. B.
Panormitanus Aurelius 23. E. 87. F. 345. B.
Panserus Ioachinus 22. F.
Pannorum textura 35. B.
Pani Pinus Sacra 810. D.
Panormi arx 274. B.
Pameram 406. C.
Papendrecthi inundatio 48. D.
Papyrus 402. C.
Papaver 842. B. Amoris indicium 843. A.
Parkerus Gulielmus 38. E. 294. F.
Parmensis Regina offensa 265. A. discessio a Belgis 169. A.
Parisiense latrocinium 92. A.
Pasiphae 793. E.
D. Paulus 457. B.
Paulus Busius 73. A. 122. C. 299. A. 329. 380. D. 402. F.
Paulus Buzenvallius 135. F.
Paulus Emilius 796. B.
Paulus Stovius 95. E. 353. C.
Paulus Lous 99. B. 357. A.
Paulus Merula 533. A. eius vita & scripta.
Paulus Waslvicenus 88. D. 346. A.
Pax inter Philippum & Elizabetham 83. B. 419. A. in Belgis tentata 133. A. inter Gallos Hispanos &c. 215. A. inter Elizabetham, & Philippum 371. A.
Pecunia navibus adportata 37. D. e Germania non exportanda 274. C. e papyro cusa 485. B.
Pecoris contagium 41. A.
Pekius legatus 155. D.
Peletarius Firminus 20. E. 276. D.
Pelecanus 28. E. F. 116. F. 374. E.
Perduelliones 269. D. caesi 268. F. in iudicium vocati 266. F.
Peresius Ioannes 19. F.
Peresius Rodericus 349. A.
Perezius Marcus 28. B. 237. A.
Perenottus Card. Antonius 6. B.
Perenottus Fridericus 395. A.
Perona 89. D. 347. A.
Perea Laurentius 50. A.
Pestis 274. A. 404. D.
Pestis Leidae 488. E.
Petrus Andelotus 20. E. 176. D.
Petrus Arlerius 51. D. 307. F.
Petrus Weruvius 44. F. 301. A. 404. F.
Petrus Asinga Rippardae 301. B.
Petrus Bertius 566. B. eius vita & scripta.
Petrus Blommevenna 497. D.
Petrus Brahaeus 55. D, 311. F.
Petrus Consalvus 392. C.
Petrus Ciaconius 406. B. 490. D.
Petrus Camminga 75. F. 332. C.
Petrus Caprarius 19. F. 272. E.
Petrus Cunaeus 588. E. eius vita & scripta.
Petrus Ernestus Mausfeldius 37. A. 234. A. 293. B.
Petrus Forestus 507. F.
Petrus Fritema 74. F. 331. B.
Petrobuferius Genissacus 85. A.
Petrus Haecquius 255. F.
Petrus Ieninus 135. F.
Petrus Kiesius 73. B. 329. E.
Petrus Montanus 8. 17. D. 264. B. 273. 95. D. 353. B.
Petrus Malenda 399. 426. F.
Petrus Molineus 359. B. eius vita & opera.
Petrus Maldonatus 410. A.
Petrus Oeckesius 52. E. 302. A.
Petrus Paaw eius vita & opera 578. B.
Petrus Ryckius 51. C. 114. F. 307. 372. D.
Petrus Ripperda 44. F.
Petrus Scriverius 561. A. eius vita & scripta.
Petrus Toletanus 123. A. in Galliam tendit 155. 190. A.
Petrus Taxis 90. F.
D. Petri Templum Leydae 461. F.
Petrus Velascos 116. C. 123. A. 574. B.
Petrus Venii 499. E.
Petrus Wastelius 122. C. 380. D.
Petrus Watchezius 20. E. 276. D.
Petesshemius 254. F.
Petrinarium Monasterium 463. B.
Petrobuferius Genisacus 342. C.
Petreius Tiara 470. B. 502. E.
Phaenomenon 94. F. 352. C.
Phellus 819. C.
Philibertus Emmanuel 263. A.
Philippus 262. 265. C.
Philippus Aselerius 403. D.
Philippus Burgundus 40. A. 296. B. 478. D.
Philippus Buranus 14. D. Auriaci filius 270. C.
Philippus Caroli V. Imp. 214. filius 167. B.
Philippus Cluwerius 590. D. eius vita & scripta.
Philippus Ebersteinius 29. 285. C.
Philippus Gulielmus 260. A. Auriaci filius 213. C.
Philippus Hispaniarum Rex 5. B.
Philippus II. 156. 191. E. 460. A.
Philippus Lanoius 29. C. 85. A. 256. 285. 342. 222. C. 345. A.
Philippus Lalarius 87. E.
Philippus de Leidis 496. F. eius vita.
Philippus Marnixius 78. A. 334. E. 360. D. Aldegondius 103. B. 114. A. 127. D. captus 385. F. 540. D. eius vita & scripta.
Philippus Noircarmius 87. A. 91. B. 123. A.
Philippus Pulcius 426. B.
Philippus Stroesa 69. C.
Philippus Sancto - Aldegondius 344. D.
Philippus Triestius 20. E. 276. D.
Philippus Vander - Anus 120. 378. E.
Philippus Vraniae heres 198. E. Phi-

Digitized by Google

Philippus Wingelenry 20. *E.* 276. *D.*
Philippus Waterhezius Altzius 20. *F.*
Philippus Waſsenarius 477. *F.*
Philippus Rex 85. *D.* 127. *B.* 214. *B.* 270. *F.* incertus de Belgii rebus 15. *A.* Belgis veniam donat 46. *C.*
Philippi Regis Diploma 302. *E.* nuptiae 46. *E.*
Philippi Hiſpaniarum Regis litterae 139. *D.*
Philippus Hiſpan. Rex 283. *F.*
Philippus e Belgio diſcedit 6. *B.* in Belgium navigaturus pericula motuit 7. *E.* itinere terreſtri in Belgium adit 7. *F.* evocat veteranas legiones 8. *C.* exercitus 8. *F.* animus offenſus 11. *B.* Regi victoriae nuncium mittitur 25. *F.* 215. *B.* iter 262. *E.* pas cum Eliſabetha 371. *A.* pulcher Galliarum Rex 496. *B.*
Philippus Emmanuel Dux 8. *A.*
Philippollandia 423. *A.*
Philoppopolis 213. *F.*
Phocarum Piſcatio 200. *E.*
Picardia 18. *C.*
Picichellius Octavius 394. *A.*
Pictores Leidae 466. *C.* 498. *B.*
Pinus 810. *D.*
Piratae 51. *C.* 47. *D.* 303. *F.*
Piſcariae Marchio 274. *B.*
Piſcatio 200. *E.* capti 67. *E.*
Pius V. 37. *B.* 293. *C.* Albano enſem mittit 37. *B.*
Plato 454. *C.*
Platanus 811. *F.*
Placaeus Elias 135. *F.*
Plukerus Nicolaus 426. *C.*
Plutoni adianti corona ſacra 839. *B.*
Poelgeſta 49. *D.* arx deditur 482. *E.*
Poemata Ioannis Meurſii 627. *A.*
Poerinum 263. *E.*
Poietus 28. *D.* 87. *C.* 88. *A.* 120. 284. *D.*
Poloniae bellum 55. *D.*
Polinius Garda 69. *C.*
Polvillerius 90. *C.*
Polvillerius Nicolaus 83. *C.*
Polyander Ioannes 569. *F.*
Polyus Fabricius 94. *F.* 352. *D.*
Pompeius Iuſtinianus 201. *A.*
Pompeius Vfkenſius 44. *F.* 301. *B.*
Pons 362. *A.*
Pontus Gardius 52. *F.* 59. *A.* 309. 315. *B.*
Populus arbor 802. *F.*
Porta Ioannes 10. *E.* 265. *F.*
Portius Adrianus 426. *C.*
Portianus Princeps 249. *E.*
Portula S. Stephani 465. *D.*
Portula S. Iuſti 465. *E.*
Porreſius Dux 83. *A.* 340. *C.*
Portus Elburgenſis 54. *C.* 55. *A.* 310. *E.*
Praefecturae 68. *F.*
Praetextâ 795. *E.*
Praelium navale 109. *F.* 312. *D.*
Preces publicae in Belgio 135. *C.* publicae ad Deum 178. *F.*
Prior Melitenſis 279. *E.*
Privilegia Academiarum conculcata 15. *F.*
Privilegia ademta ultraiectinis 45. *F.*
Principatus Arauſienſis obpignoratus 32. *B.* 288. *C.*
Principum nomina mutata ne litteere interceptae intelligantur 299. *F.*
Provinciarum libertas oppreſſa 43. *C.*
Provinciis privilegia negata 46. *B.*
Provinciarum legati in Nuptiis Annae Auſtriacae, & Philippi Regis 47. *A.*
Provinciae Foederatae 137. *C.*
Provinciarum advocati acti in carcerem 270. *D.*
Proteſtantes 225. *C.* 236. *E.* 239. *B.* 242. *E.* 256. *A. D.* quomodo vocati 22. *B.* quando dicti 221. *C.*
Proteſtantium bellum 225. *D.* templa 237. *C.*
Proteſtantes nonnulli capti nonnulli caeſi 238. *F.* Templum fratrum minorum occupat 238. *D.* orant Iudaeorum exemplo, Arianorum &c. Religionem ſuam tolerari 239. *D.* urbes 244. *A.* victi 449. *E.* ad audiendum colloquium, hominem in camino includunt 252. fuga 267. *B.* in Catholicos irruptio 271. *C.*
Profeſſore artium & ſcientiarum 617.
Promontorium Bonae Spei 151. *B.*
Propugnacula ab Albano facta quomodo nuncupata 12. *C.*
Pruſius Martinus 102. *B.* 359. *E.*
Pruteni 55. *A.* 311. *C.*
Prunus 822. *A.*
Pugna 382. 393. *F.* navalis 60. *F.* 81. *E.* 126. *C.* & captivi 126. *D.* 390. *B.* & caedes 389. *D.*
Pulvillerius 96. 123. *B.*
Pupillorum lamerta 293. *E.*
Purmerenda 68. *F.* 400. *D.*
Purpurea veſtis Chriſti 797 *B.*
Putmannus Andreas 96. *C.* 354. *A.*
Pythagoras 450. *C.*
Pythagorae Symbolum 456. *D.*
Pyramus 84. *C.*
Pyrus 815. *D.*
Pythus Serpens 792. *B.*

Q

QVadrageſima 16. *A.*
Quercetum 242.
Quoſnaeum 31. 287. *C.*
Querna corona 786. *B.*
Quercus 786. *C.* Capitolina 788. *B.*
Quixada Chriſtophorus 91. *D.* 349. *A.*
Quixada Stephanus 112. *B.*
Quinctinus Benedictus 21. *A.* 276. *F.*
Quintini Fanum 22. 31. *D.* 268. *C.* 287. *D.*
Quieuregium 85. *F.* 343. *A.*

R

RAepherſta 459. *D.*
Raguerius Sternaeus Ioannes 284. *D.*
Rampius Theodorus 83. *F.* 341. *B.*
Rammekenum 81. *F.* 338. *D.* obſeſſum 111. *C.* 368. *F.* 380. 122. *A.* arx 391. *D.*
Rantius 28. 284. *D.*
Raphelengius Franciſcus 524. *B.*
Raſſegemius 249. *D.*
Raveſcotus 109. *F.* 307. *D.*
Reges Danorum 435.
Reidani pagi direpti 25. 281. *C.*
Reinerius Cantius 22. *F.* 43. *D.* 278. 299. *F.*
Reinerius Linterius 88. *E.* 346. *A.*
Reipub. adminiſtratores quotuplicis Generis ſunt 726.
Reinegonius Cornelius 72. *D.* 329. *A.*
Religio 10. 45. *B.* 77. *E.* 149. *D.* 155. *C.* 265. *A.* 267. *D.*
Religio Belgii neglecta 6. *D.* inſtaurata 26. *A.* Reformata 68. *F.* 215. *B.* 253. *C.* 359. *F.* Catholica 234. *C.* 336. *D.* 217. 258. *F.* 233. *A.*
Remetzius Vbbo 139. *B.* 173. *E.*
Rembertus Dodonaeus 520. *A.* eius vita & opera.
Rentius 85. *A.* 86. *F.* 87. *B.* 342. *C.*
Reneſius 261. *C. D.*
Requeſenſius Ludovicus 60. *A.* 112. *A.* 125. *D.* 205. 321. *E.*
Res Belgicae 5. 167.
Rex Iſraelis Bucoldus 500. *C.*
Rhamnus 838. *C.*
Rhenus 23. *E.* 69. *C.* 85. *A.* 9. *F.* 183. 274. *C.* 279. *D.* 459. *C.* 460. *A. C.*
Rhenoberka 148. *D.* 159. *F.* 183. *C.* 195. *B.*
Rhenoburgum 459. *C.*
Rhenolandia 459. *B.*
Rheae quercus Sacra 786. *D.*
Rhingravius 86. *F.* 87. *B.*
Rhoe 838. *B.*
Ribaldus Dux 69. *B.* 325. *E.*
Richardus Spenſerus 136. *B.* 170. *E.*
Richardotus 178. *E.*
Richerdotus Franciſcus 430. *C.*
Rictovius Martinus 21. *C.*
Riderkerca 422. *D.*
Ripperdae Petrus & Aſinga 44. *F.* 301. *B.*
Riſoirius 28. *E.*
Riſoirius Vander Notia 16. *B.*
Riſwicus Cornelius 68. *D.*
Rivii nces 93. *D.*
Rivius Ienninus 83. *D.*
Rivetus Andreas 600. *E.*
Robleſius 23. *A.* 25. 29. *B.* 279. *A.*
Robleſius Billius Caſpar 48. *B.*
Robertus Cocus Nerinius 67. *C.* 323. *F.*
Robollius 56. *A.* 68. *D.* 312. *C.* 518. *F.*
Robollius capitur 83. *C.* 340. *F.*
Rocoxius Nicolaus 242. *D.*
Rodericus Lopeſius 31. *C.* 287. *D.*
Rodericus Pereſius 91. *D.* 349. *A.*
Rodericus Sapata 24. *E.* 83. *B.* 84. *B.* 88. *A.* 90. *E.* 91. *A.* 103. *D.* 280. 340. *E.*
Roderico Sapatae brachium amputatur 361. *A.*
Rodericus Toletanus 47. *B.* 80. *A.* 58. *B.* 85. 108. 303. *C.* 306. *B.* 314. *D.* 342. *E.* vulneratur 108. *E.* moritur 366. *B.*
Roderiſa 145. *D.*
Rodenoburga 460. *A.*
Rodolphus Snellius 517. eius *A.* vita & ſcripta.
Roggenhillum 420. *F.*

Digitized by Google

Rollenhauſenus Fridericus 28. D. 284. C.
Rollaeus 338. A. Praetor 80. F.
Rollius Ioannes 60. F.
Rollius Simon 125. E.
Romerus 32. D. 90. C. 97. F 108. C.
Romerus Iulianus 8. 21. F. 86. C. 90. 104. E.
Romersdorfia 28. 184. F.
Rombergus Carolus 237. A.
Romaeburgum 463. F.
Romerſvalla 388. 426. C.
Roma 6. A. 463. E. 162. A. 197. B. 438.
Ronſa 307. E.
Rora 183. C.
Roſa 827. A.
Roſae in galeis ferentes 28. F.
Roſoinus Vander-notius 272. B.
Roſemburga 459. D.
Roterdamum 47. 64. D. 72. F. 83. B. 105. 459. C. inundatio 48. D. iactura 63. A. capti 321. C. ab Hiſpanis tenetur 340. E.
Rota amnis 403. D.
Roucopa 459. D.
Rudolphus Winwodus 136. B. 170. F.
Rudolphus Imperatur 466. D.
Rudanus Eligius 52. C. 308. D. 426. C.
Rudeſalius Hermannus 28. 284. D.
Ruiſius Duranda 422. F.
Ruiſius Gomeſius 262. B.
Ruiſius Gomeſius Silva 7. C.
Ruichaverius 43 49. B. 68. D. 84. A. 123. 299. D.
Ruichaverius Nicolaus 61. C. 97. A.
Rumaltius Ioannes 20. E. 276. D.
Ruremunda 6. E. 17. D. 29. C. 88. D. 273. E. 387. C. 393. A.
Rura flumen 17. D. 273. E.
Ruſtemburgum 107. E. 123. F. 382. A.
Ruſtemburgi expugnatio 112. E. 370. E. invaſum 365. B.
Ruſtici Hannonii iniuria affecti 85. F. dignitate equeſtri ornati 496 B
Rùſſius 180. D.
Ruterus Hermannus 49. F. 255. B.
Ruteris ad milites oratio 50. A.
Ruteri mors, & iniuria 50. C.
Rutiana legio 85. C.
Ryckius Petrus 51. C. 114. F. 372. D.

S

SAbina Bavara 13. D. 269. C.
Sabaudia commeatibus vacua.
Sacra violata 337. E.
Sacra Hiſtoria 450. E.
Sacerdotis iniquum ſupplicium 100. D. morte mulctati 106. B.
Saevitia 89. A. 95. F. Hiſpanorum 93. B.
Salazarius Andreas 18. A. 25. F. 274. B.
Salazarius Ioannes 86. E.
Salinae 30. E.
Salina Franciſcus 22. A.
Salinas Hieronymus 11. C. 266. D.
Salvaterra Dux 83. A. 340. C.
Salvaterra Franciſcus 399. A.
Sallicium 145. E.
Salii 152. D.
Salentinus Iſemburgicus 88. C. 345. E.
Salvi Monaſterium 241 B.
Samuel Wingenius 139. B. 173. E.
Sanduica 35. B.
S nquintini obſidio 214. E.
S nthoſta 459. D.
Sandeudorpa 380. F. 122. E.
Sandius 270. D.
Sancto-Aldegondium 78. A.
Sanguinis Senatus 10. F. 266. 271. B.
Sanguinis conſilium 15. C.
Sanredanum 94. B. 351. F. recuperatur 102. B. 359. F.
Sanchius Avila 8. D. 11. C. 29. B. 31. C. 90. E. 111. C. 264. B. 266. 273. D. 280. B. 287. D.
Sanctius Beltramus Penna 421. E.
Sanchius Lodonius 8. F. 17. C. 24. E. 32. D. 263. E 273. C. 280. E. caeſus 112. B.
Sapata Lopeſius 8. D. 264. B.
Sapata Rodericus 24. E. 83. B.
Sardoa lex 9. E. 19. B.
Sasbotius Arnoldus 16. D. 35. C.
Saſſa 48. C.
Saxum Caeruleum 478. D. 480. F.
Comitis 478. D. 480. F.
Saxenhemus 106. E. 117. F. 364. B.
Scaga 463. D.
Scagius Chriſtophorus 101. D. 359. A. F.
Scakerloenſis agger 390. B.
Scarabeus odore occidit 830. C.
Scaliger Ioſephus Iuſtus 537. A.
Scaldis flumen 200. F. 388. B.
Scaldia 425. E.
Scelline Wouda capta 125. F. 384. A.
Scernera 122. F. 381. A
Scevelinga 83. C. 340. E.
Scevelingae inundatio 48. E.
Schonevallius 87. B.
Schallovicana porta 83. F.
Schellinc Wouda 97. C. 355. A.
Schoreldamum 123. F.
Schramus Brunſvicenſis 107. E. 120. A.
Schulemburgius captus 126. C.
Schonerus Vitus 28. 284. C.
Schouwemburgicus Iuſtus 22. F. 28. D.
Schoreldamus 382. A.
Schonhovia 73. D. 330. A. deſtituta 401. C. 422. B.
Scoti 55. A.
Schetus 56. F. Viglius 313. B.
Schiedamus 63. D.
SchombergiusCaſpar 69. D. 326. A.
Schombergius Theodorus 284. C.
Scota 378. B.
Scramus Brunſvicenſis 365. B.
Scriverius Petrus 561. A.
Sebaſtianus Craenphalius 378. C.
Sebaſtianus Loſenius 122. C. 380. D.
Seditio inter milites 29. E.
Segovia 7. B. 239. F.
Segovienſis Silva 224. A.
Selinus Nicolaus 237. A.
Senae 325. F.
Sena in Etruria 69. D.
Senatus Turbarum 10. F. 266. B.
Senatus Sanguinis 10. F. 266. B.
Sepulcra violata 89. C.
Sepulcrum diffidii origo 479. B
Sepultura nobilibus in pugna caeſis 20. F.
Septemviri 5. B.
Sequani 6. B. 29. A.
Serooskerkius 423. A.
Serbellonus 23. D. 279. C.
Serbellonus Gabriel 12. C. 268. B.
Serius Fanellius 31. D. 287. E.
Sevenberga 409. C.
Sgraveſteinium 478. D.
Sicula legio cui data 9. F.
Sidius Botnia 75. F.
Sedus Botnia 352. C.
Sidleniſcius 195. A. 159. E.
Sifridus Beiema 20. E. 261. 276. D.
Siffridus Galama 75. F. 332. C.
Sigebertus Franciſcus Medenlacenus 52. C. 308. D.
Signa in quibus inſcriptum erat pro Lege, Rege, &Grege 28. E.
Silva Ducis 6. E. 18. A 32. D. 50. A. 159. E. 195. A. 254. F. 274. B. 387. C.
Silva Sgovienſis 224. A.
Simandi 108. B.
Simon Copſius 157. A. 257. E.
Simon Rollius 125. E.
Simulacra deturpata 242. D.
Sion 465. D.
Slothius Ioannes 145. E.
Sluſa 5. E. 81. 338. D. 201. B.
Smilax 812. E.
Snellius Rodolphus 517. A.
Snellius Willebrordus 592. C.
Sneca 74. E. 76. A. 96. D. 121. E.
Societas Foederatorum adverſus Indias 137. B. Indiae Orientalis 146. E. 181. D.
Soeterwouda 459. D. 406. A.
Soetermera 403. D.
Soinagi Lurae mors 104. E.
Soli Palma dicata 794. A. C.
Soma 388. C.
Somona 31. 387. D.
Sonnebenus pagus 52. F. 309. B.
Sonnevelta 460. A.
Sonoius 22. F. 24. A. 28. E. 24. A. 28. 50. 54. 94. B. 113. 123. C 279. F.
Sonoius Didericus 43. D. 299. E.
Sonoius Enchuſa 303. D.
Sonnius Franciſcus 6. D.
Sonoius Gulielmus Gravius 326. D.
Sonium Nemus 16. A.
Sonoius Theodorus 17. A.
Sonoii litterae ad Auriacum 46. F.
Sophia 465. F.
Soreavus Ioannes 249. D.
Sottogemum oppidorum 22. D.
Sottomaiore Alfonius 88. B.
Souburgum occupatur 337. B.
Sparnodamum 83. C. 84. A. D. 103 A. F. 340. F. 360. C. oppugnatur, 361. C.
Sparnus 117. C. 357 F. 101. A. 107. C.
Sparewouda 102. F.
Sparwoudana porta 83. F.
Spenſerus Richardus 136. B.
Spellaeus 277. F.
Spellaeus IoannesGrovelſius 37. A.
Spinola 180. A. 170. F. 178. E. 194. E. litterae ad foederatos 139. C. 173. F.
Spinola Card. Inquiſ. 7. C. 262. B.
Spinelvienſe Coenobium 87. C. 345. D.
Spirae Nemetum Comitia 45. D. 301. D.
Stavera 68. B. 74. D. 75. F. 324. E. occupata 332. D.
Staulerus Henricus 139. A.
Stamnei nummi 383. E.
Statua Ferdinandi Alvarez 32. F.
Steinbachius 104. D.

Stein-

Digitized by Google

Steinbachius Ioannes 120. *A.*
Steinbachius Iacobus 359. *E.*
Steinbachius vulneratur 104. *E.*
Stellae novus ortus 94. *E.* 352. *C.*
Stepſianus Ibarra 123. *A.*
Stephani Illavii 108. *D.* mors 366. *B.*
Stephanus Quixada caeſus 112. *B.*
Stephanus Stenius 51. *A.* 307. *B.*
Sternaeus Ioannes Raguerius 28. *D.*
Sterculinus 810. *F.*
Stenwica 73. *F.* 330. *C.*
Stipendium 349. *D.*
Stopia 459. *D.*
Stomerſona 385. *A.*
Stochemium 29. *F.*
Storius Ioannes 38. 294. *D.*
Stocholmium 52. *F.*
Stralenus 26. 281. *F.*
Streperum flumen 264. *C.*
Stroſſa Philippus 69. *C.*
Stuverius Gerardus 359. *B.*
Sturnius Hubertus 576. *A.*
Suareſius Figueroa 7. *C.*
Suareſius Gareias 91. *C.*
Suare Garſia 125. *E.*
Suber 819. *C.*
Sudovica 459. *D.*
Suſſiones 38. *D.* 287. *E.*
Supplicia victis 20. *F.* 35. *A.* 60. *F.*
Suvevegemio 93. *C.*
Suareſius Figueroa Feranus 262. *B.*
Swetanus 43. *A.* 299. *C. F.*
Swertzium 309. *E.* 53. *C.*
Swegemium 350. *F.*
Sweta 459. *D.*
Swietenum 83. *D.* 404. *A.*
Switenus Hadrianus 72. *B.*
Swichenus Viglius 240. *F.*
Swolla 73. *F.* 47. *D.* 96. *B.* 330. *C.*
Sylva Canina 48. *F.*
Sylva Ducis 23. *B.* 292. *A.*
Sycophanta 807. *E.*
Synodi 45. *C.* 301. *E.*
Synodus Cameracenſis 218. *A.*
Symbola 44. *F.* 47. *C.*
Symbolum fidei 79. *E.*
Symbolum Pythagorae 456. *D.*

T

TAaiardus Iacobus 128. *A.*
Tambergius 380. *F.*
Tambergium Droukam occupat 121. *E.*
Tautenburgum 73. *F.* 330. *C.*
Taxus 819. *A.*
Taxis Ioannes Baptiſta 115. *E.*
Taxis Petrus 90. *F.*
Teilinga 459. *D.* 460. *A.*
Telinius Carolus 58. *E.*
Templaris via 405. *C.*
Tempeſtas mari & terra 122. *E.* in Friſia.
Templa 145. *D.* 259. *A.* violata 89. *C.* graſſator 229. *E.* Proteſtantium 237. *C.* 238. 259. *B.* ſacra direpta 243. *B.* inſtaurata 250. *E.* profanata 346. *F.* primaria Leydae 462. *D.*
Templum Ruremundae direptum 17. *E.* perſequutio 239. *A.* violatores puniuntur 260. *F.* populatum 273. *E.* Batleniſſae 376. *F.* Bavonis 378. *A.* 120. *B.* Hogelandicum 462. *E.*
Tenckeri 96. *D.* 146. *A.* 180. *F.*
Teneramonda 89. *A.* 92. *F.* 93. *D.* 243. *B.* 410. *D.*
Tergoeſa 81. *F.* 339. *B.*
Tetuani 201. *B.*
Teutorigi Comitia 204. *C.*
Texeda 90. 125. *E.*
Texeda Inſula 49. *B.* 60. *E.* 317. *B.*
Thalaſſiarchus 55. *F.*
Thaddaeus Hageſius 94. *F.* 352. *D.*
Thenae 30. 286. *C.*
Theatrum ligneum 46. *D.* Anatomicum 475. *A.*
Theodonis Villa 9. *C.* 264. *E.*
Theodericus Iuſtus 233. *D.*
Theodorus Batemburgicus 20. *E.* 276. *C.*
Theodorus Bremannus in vinculis 49. *C.* captus 305. *D.*
Theodorus Braſſemannus 111. *F.*
Theodorus Bronchoſtius 401. *E.*
Theodorus Elbertus 128. *A.* 386. *B.*
Theodorus Friſius 101. *D.* 107. *B.* 359. *A.*
Theodorus Nicuburgius 95. *D.* 353. *B.*
Theodorus Rampius 83. *F.* 341. *B.*
Theodorus Schombergius 28. *D.* 284. *C.*
Theodorus Verdoeſius 135. *C.* 170. *A.*
Theodorus Sonoius 273. *A.*
Theobaldus Worſtius 80. *C.* 81. *E.* 337. *C.*
Theologi Academiae Lovanienſis 45. *B.*
Thisbe 814. *C.*
Thinnius Florentius 46. *C.* 302. *D.*
Thomas Contarenus 200. *C.*
Thomas Erpenius 593. *F.* eius vita & ſcripta.
Thomas Frantzius 139. *A.* 173. *E.* 202. *D.*
Thomas Gherius 237. *A.*
Thyſius Antonius 613. *A.*
Tiallingus Eiſſinga 18. *F.* 274. *E.*
Tiara Petreius 502. *E.*
Tielmontium captum 89. *D.* 346. *F.*
Tilia 812. *F.*
Tilmontium 30. *C.* 92. *F.* 350. *D.*
Titius Amerongius 59. *E.*
Titius Hottinga 75. *F.* 332. *C.*
Tyrannus 792. *C.*
Toga palmata 795. *C.*
Toletanus 123. *A.*
Toletanus Antonius 103. *F.*
Toletanus Albanum patrem adit 125. *C.*
Toletani Franciſcus & Marcus 90. *E.*
Toletani caedes, minae 120. *C.* in hoſtes. Minae 120. *A.* & legati ad ipſum.
Toletanus Fridericus 30. *D.*
Toletanus Marcus 30. *D.* 30. 116. *C.*
Toletanus Petrus 155. *A.*
Toloſani incendium 156. *D.*
Tola 422. *E.*
Tollius Iuſtus 106. *B.*
Tolanum Vadum 389. *F.*
Tonua 117. *C.*
Tonna Datavii 375. *B.*
Torraeus Iacobus 10. *E.* 266. *A.*
Torraeus ab officio Semotus 41. *F.*
Toribius Zimbro 109. *D.* 367. *B.*
Torenvlieta 460. *A.*
Torneburgum a quo condita 495.
Tornacum 12. *F.* 87. *B.* 223. *E.* 274. *A.*
Tractatus Hagienſis 202. *E.*
Tovilla vulneratur 104. *E.*
Tranſiſelania 44. *C.* 47. *D.* 84. *F.*
Trabea 795. *F.* qui uſi ſunt 796. *C.*
Traiectum 5. *E.* 30. *B.* 85. 460. *D.*
Traiectum Moſae 17. *D.* 20. 23. 29. *B.* 32. *D.* 267. *A.* 273. *D.*
Treslongus Ioannes 14. *F.* 57. *D.* 66. 270. *F.* 323. *D.*
Treviri 394. *E.*
Trevirenſis Archiepiſcopus 345. *E.*
Trelcatius Lucas P. 530. *A.* 565. *B.*
Trenchantus 390. *E.*
Trieſtius Philippus 20. *E.* 276. *D.*
Tridentini Concilii decreta promulgata 34. *E.*
Triumphantes lauro coronati 790.
Tritema Petrus 331. *B.*
Tributa 40. *B.* 41. *A.* 42. *D.* 44. *C.* 96. *A.* 298. 300. *E.* 138 *C.*
Trophaea in quibus quercus adhibita 788 *C.*
Trudonis Fanum 30. *C.* 227. *C.*
Tſerartſius 80. *F.* 116. *E.*
Tſerartſius Hieronymus 67. *D.* 104. *F.*
Tubantes 44. *C.* 73. *E.* 330. *B.*
Tubicen in furcam actus 30. *B.*
Tungri 33. 286. *C.*
Tuningius Gerardus 385. *D.*
Turbae 238. *B.*
Turbarum Senatus 10. *F.* 266. *B.*
Turbae in Belgio 223. *A.*
Turbae Amſtelodami 257. *A.*
Turca 27. 283. *F.* 201. *B.*
Turris S. Andreae 89. *F.*
Tzerclaſius Wenceſilaus 72. *C.* 328. *F.*
Tympana 70. *F.*

V

VAda Tolanum 389. *F.*
Vadum explorarum 422. *F.*
Vaderus Chriſtophorus 102. *B.* 120. *A.* 354. *E.*
Vaderus vulneratus 112. *E.*
Vaerta 261. *C.*
Vahali 23. *E.* 49. 93. *F.* 279. *D.* 351. *C.* 393. *A.*
Valckenaxius 60. *A.*
Valens Dux 18. *B.*
Valckemburgum 401. *C.*
Valerii fanum 18. *C.*
Valetudinarium D. Lazari 103. *E.*
Valchenburgum 459. *C.*
Valcherſteinius 95. *D.*
Valcherſteinius Nicolaus 353. *B.*
Valentiniana 87. *B.* 88. *C.* 70. *F.* capta 327. *B.* obſeſſio 249. *C.*
Valentiniani 32. *D.*
Vallaeus Bartholem. 20. *E.* 276. *D.*
Valentinus Pardeus Mota 111. *E.* 123. *A.* 256. *C.*
Valdeſius Franciſcus 115. *D.*
Valdeſius Garcias 86. *C. F.*
Valacria 67. 80. *D.* 81. *B.* 255. *E.*
Valacria Auriaco cedit 391. *D.*
Vander-notius 272. *B.*
Vander-anus Philippus 120. *E.*
Vander-Notia Riſoirius 16. *B.*
Vanderlanius Gerardus 407. *B.*
Varga, Franciſcus 361. *F.* vulneratur 104. *E.*
Varicum 393. *C.*
Varennius Carol. Mornaeus 54. *E.*
Vaſquius Chriſtophorus 96. *A.*
Vaulxius 92. *F.*
Vbbena Ioachim 36. *B.* 292. *C.*
Vbi 14. *C.* 270. *B.*
Vbbo Remetzius 139. *B.* 173. *E.*
Vchtembrouequius 43. *D.* 261. *C.*

Digitized by Google

Vecta flumen 115. E, 373. C,
Vedasti Fanum 243. B.
Vegherseimius 251. F,
Veu 5. E.
Velavia 73. E. 330. B.
Velascus Petrus 116. C.
Ventris crepitus 479. C,
Veneri 209. C,
Venius Cornelius 100, B. 358. A,
Venlona 17. F. 274. A.
Veneri Myrtus sacra 823. A.
Vergas Io. 10. E. 112, B. 265. F.
Veria 67, 80. E. 114. F. 145. D,
Vergius 9. C. 29, A. 264. D.
Verreikius 199. F.
Versikeudamus 389. B.
Verdoesius Theod. 135. C. 170. A,
Verdunius Gerbrandus 128. A,
Verdurii 108, B 126. A.
Verducus Francisc. 125. E. 383. F.
Verducus Gulielmus 201. A.
Veuselius Gulielmus 56. C. 46. A,
Vexilla 18. F, 18. E. 284. F,
Vexillorum inscriptio 274. D,
Via templaris 405. C.
Viarda orator mittitur 155. A.
Viana 254. C, 261. D. 422. B.
Victoriae symbolum Palma 799 D,
Vicus Menius 88. C,
Vicinniae 462. B.
Viduarum lamenta 192. E,
Vienna 352. D.
Viglius 39. 56. F. 65. B. 296. A.
Viglius Schetus 313. B,
Viglius Svichemus 240. F.
Viingenius Samuel 173. E.
Vilvorda 12. B. 17. F. 268. 274. A,
Villaregius 155. F,
Villanus 39. B.
Villenus AEgidius 256. C.
Villarius 276. F.
Villerius capitur 17. F. 21 A. 273. F,
Vinum 830. F,
Vinarii Mercatores 70. A,
Viti Fanum 28. 284. F.
Vitus Schonerus 28. 284. C.
Vitis dicta Centurialis 832. B. laetitiam significat 833. A.
Vita virorum illustrium cur scribenda 211. A.
Vitellius Chiapinus 9. A, 122, E, vulneratus 86. C,
Vivarius Nicolaus 237. A.
Vlefeltius Iacobus 142. C. 177. B,
Vlietius Ioannes 374. F.
Vlietius Consul 104. C. 361. F,
Vlissinga 145. D.
Vlissipona 138. A. 172. D,
Vlloa Alphonsus 8. F.
Vlsta 50. F.
Vltraiectum 6. E. 26. 32. D. 69. C. 72. D. 84. E. 92. C. 261. D. 401. C. 410. D. ab Hispanorum praesidio liberatur 63. A. 308. B.
Vltraiectinorum Litterae 40. E,
Vltraiectini privilegiis privati 45. F. tentantur 51. E. vexatio 52. A. liberatio 52. B. preces 56. C. afflicti 59. C. 107. A. 143. B.
Vnicus Manninga 24. A. 49. D,
Vniversitates 456. E.
Vnio Vltraiectina 143. B.
Vogelsangus 420. C,
Volenhovia 75. F, 145. E. 330. C,
Voorschota 406. B. 459. D,
Vornensis Insula 63. D.
Vorstius AElius Everardus 550. F,
Wormera 400. C.
Vorna 159. E. 195. A.
Vossius Gerardus Ioannes 588. A. Epistola 781. 409. E.
Vrania 198. E.
Vrbes quaedam in Bello Belgico quo modo adpellabantur 43. D,
Vrbis moenia trascendere capitale 96. F.
Vrbsa Montibus 241. F.
Vrca Casparus 65. A. 91. 321. D,
Vredenburgum 316. 410. C. arx 60, A.
Vrselius Lancelotus 242. D.
D. Vrsulae Templum 377. A,
Vtenengius 72. C. 328. F.
Vulnerati 362. A.
Vulcanius Bonaventura 510. E, eius vita, & scripta 513. C,
Waerta 459. D,
Waelvicenus Paulus 88. D. 346. A.
Walravius Brederodius 145. C, 180. B.
Walravius 133. D.
Walaeus Antonins 605. F,
S. Walburgi aedes 20. A.
Walcaria 337. D,
Wanderburgum arx exucta 393. C.
Wanesius Ioannes 50. E.
Warmonde 489. 480. D.
Werrouxius 28. E.
Wassenburgum 17. E. 273. E.
Wassemburgum 273. E.
Wassenaria 459. C,
Waterlandia 79. E. 94. B. 351. F.
Waterlezius Altzius Petrus 20. E, 276. D.
Waterlezius Altzius Philippus 20. F.
Watervlietum 48. C.
Wedda 18. F. 19. D. Castellum 17. A. arx 273. B.
Wertium occupatur 89. A. 346, D,
Wemelinga 388. C.
Wenceslaus Austriacus 303. A.
Wenceslaus Annae Austriacae frater 46. F.
Wenceslaus Tzerclasius 72, C, 328. F.
Wernerius Bosius 195. A. 159. E,
Werchendamum 409. C.
Weruvius Petrus Adrianus 44. F.
Westcappella 322. 380. B.
Welsius Adamus 43, D. 232. A. 284. D. 299. F.
Wesopum 84. F. 97. C. 342. B,
Wesalia 66. E,
Westphalia 96. A.
Wiarda 173. E, 190. A, captus 293. A.
Wiarda Dothia 139. A.
Widenissa arx a quo condita 495. D,
Wieringa 60. E. 317. B.
Wilhusium 74. D. 331. A.
Wildus Goswinus 479. A,
Wilmerdonca 396. E.
Willebroci colloquium 11. D,
Willebrordus Snellius 592, C, eius vita & opera,
Wilsonus 427. D.
Wilelmus Auriacus 457.
Wilhelmus Nassovius 179. 180. B,
Wingarda 459. D,
Wingarda Daniel 402. F.
Wingardus Gerardus 95. D,
Wingardus Iacobus 77. D. 334. B.
Winwodus Rudolphus 136. B.
Wingelenus Philippus 20. E. 276. D,
Winschota 275. C.
Wingenius Samuel 139. B.
Witembergensis Lambertus 102. B.
Wittewerum 19. B. 274. F.
Wittewerium Monasterium 33. 289. F,
Withemus 29. 283. A.
Wittenhorstius 133. D.
Wittenherstina Wlravius 168. B.
Winschota 19. E.
Wlravius Wittenhorstius 168. B.
Woerda 73. D. 92. E. 330. A. 459. B. 422. C.
Woerdani 107. A.
Wolfius Balthasarus 28. 284. C,
Wolfgangus Bavarns Bipontenus 32. B, 288. C.
Wolfgangus Hallerus 214. C.
Wolfgangus Hohenlous 411. C,
Wolphartus Hermannus 201. C,
Worstius Theobaldus 80. C. 81, E. 337. C.
Workus 502. E.
Worcomium 429. A.

Y

YA 101. A. 125. 200. E,
Ya amnis 110. B. 357. C, fluvius 112. C. 99. E. 103. A.
Ypera 6. E.
Ypra 223. E.
Yprensis Episcopus 431. A.

Z

ZAcharias Glisenbergius 73. E. 84. C. 330. B. 341. F.
Zarcavia Hadrianus 576. F.
Zelandia 5. E. 39. D. 47. A. 69. C. 93. D, 95. E, 105. D. 337. A.
Zelandiae inundatio 48. D.
Zelandia pars Albano inimica 80. A.
Zelandiae pugnae 111. B.
Zelandi 160. D. obsident Midelburgum 122. 389. A.
Ziriczea 424. B.
Zeltbrugios 273. C.
Zeltbrugius Crispinus 17. B,
Zeno 438.
Zeno Antonius 87. C.
Zilia 459. C. D.
Zilae Monasterium 376. F,
Zimbro Turibius 367. B,
Zipa 125. A.
Zirizea 5. E.
Zodiaci Signa 44. A,
Zorvastes 449. B.
Zuderwouda 380, F, occupata 122, E.
Zuitbevelandia 81. F. 339. B.
Zunica Didacus 85. D. 342. F.
Zutphania 95. F. 161. E. 330. B.
Zutphanensis ager 17. B.
Zutphanensis Comitatus invaditur 73. E. 330. B.
Zutphania subacta 97. A. direpta 353. D.
Zovendus Lazarus 255. B.
Zypae inundatio 48. F.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google